




LIBRARIÆ
COL LEGII
MAIOR
CRACOVI



PSALM 118

LOQVEBAR DE TESTIMONIIS TVIS IN CONSPECTV REGVM, ET NON CONFVNDEBAR.

STANISLAI SOCOLOVII

CANONICI CRACOVIEN:
APVD STEPHANVM PRIMVM,
REGEM POLONIÆ,
concionatoris, operum

TOMVS SECVNDVS.



CRACOVIÆ,
IN ARCHITYPOGRAPHIA REGIA ET
Ecclesiastica Lazari, edita,
M. D. XCVIII.



OMNIA, IVDICIO, CENSVRAE, ET, AVTHORITATI, SANCTAE, ROMANAE, ET, CATHOLICAE, ECCLESIAE, ET SANCTISS: EIVS ANTISTITIS CLEMENTIS VIII. QVI NVNC ILLI PIE ET SANCTE PRAEEST, SVBIECTA SVNTO.



STANI-



STANISLAI SOCOLOVII, Canonici Cracouiensis,

AD AMPLISSIMVM CAPITVLVM CRACOVIEN: PRÆFATIO.

POstulatum est à nobis, idque sæpius, vt eas, siue obseruationes, siue animaduersiones, siue notas, quas per totum ferè sexennium apud Stephanum Regem, tam contra hæreses, quàm contra vitia, & malos mores ex tota Euangelij doctrina eliciebamus, ad publicam vtilitatē literis mandaremus: ne qualescunque labores nostri hac in parte in posterum perirent. Iusta videbatur & non inutilis fortasse postulatio; subdifficilior tamen. Collegimus nihilominus nos post multos annos, atque obsequendum studiis recta vt puto monentium putauimus: addidimus eò amplius, vt non ea sola, quæ tum dicebantur proponeremus, sed multa etiam alia, quæ aliundè audiueramus, vel legeramus, quandoque vel ipsi in communi vita & moribus experti sumus: addidimus & seriem, ac cōtinuationem totius D. Matthęi & Marci Euangelij, quæ instar commentarij fieri solet: adiecimus & expositionem multorum locorum obscuriorum: notauimus item præcipuè, errores, blasphemias, maledicta insigniora Caluini, quem nunc plerique nescio quo iure etiam ex nostris nimis mirantur, quæ in sua dissona & stridenti harmonia Euangelio verboq; Dei superseminare ac subiicere voluit; vt ex his paucis, quis & qualis ille vir fuerit, quàm verè & syncerè agat, quàm rectus Euangelij interpres sit, quàmque probè Christi doctrinam interpretatur, facilè suspicari posimus. Ad quā rem perficiendā illud nobis maius calcar & stimulum addebat, quòd ante triennium similiter ferè, peste vigente, Partitiones quasdam Ecclesiasticas conscripseramus, in quibus nescio quid de modo & ratione concionandi meditati sumus, in quo libro desiderium discutiendæ eius materiæ in lectorum animis defigere nos voluisse plerique arbitrabantur, potius quàm rem totam explicasse. Illud

igitur à nobis desiderabāt omnes, vt qui qualecunq; iudicium nostrum, de forma & ratione concionandi feceramus: iidem rem & materiam eidem concionatori suppeditaremus, quod hoc loco facere voluimus, si modò consequi potuimus. Neque ignoramus, multa in hoc genere, & à veteribus patribus, & à nostræ ætatis hominibus doctè, & disertè, & acutè perscripta esse: quorum nos vestigia, vt Statii verbis vtamur, longè adorare solemus: tamen quemadmodum morbi alij alia ætate suboriuntur, sed & aliis in locis, & prouinciis alij; ita etiam remedia medicos sui seculi, & suarum prouinciarum morbis accommodare solere. Refutârunt patres veteres suorum temporum atque prouinciarum hæreses & vitia: contendimus & nos in hoc genere aliquid, sub illis tamen ducibus, & magistris. Vobis autem inprimis amplissimis Patribus, dominis & collegis meis, hunc laborem meum dedicandum putaui: partim, quia ad vos præcipuè pertinet in lege domini meditari die ac nocte: & quia labia vestra custodiunt scientiam, & lex requiritur de ore vestro; vt qui angelorum domini exercituū partes & personas geritis: partim, vt vobis rationem reddam otij huius mei, domesticarumque, in quibus me, non tam mea voluntas, sed neque vitæ meæ rationes, quàm tristissimus hic morbus meus per tot annos detinet, latebrarum: partim quòd me ametis, ac sine ministerio ecclesiastico ministrum ecclesiæ, pane alitis, & sustentatis. Hoc igitur qualecunque pensum nostrum, grato animo accipite, iudicioque vestro amplissimo comprobate, hancque nostram labore ac morbis magis, quàm ætate accersitam senectutem enutrite, ac valete. Dat: Crac: 20. Martij, Anno 1593.

ERVDITI

ERVDITI COMMENTARII in Euangelium Matth: incerto authore, PROLOGVS.



Icut referunt, Matthæum, conſcribere Euangelium, cauſa compulit talis: Cùm facta fuiſſet in Palæſtina perſecutio grauis, vt periclitarentur diſpergi omnes, vt carentes fortè doctoribus fidei, non carerent doctrina, petierunt Matthæum, vt omnium verborum & operum Chriſti conſcriberet eis hiſtoriam, vt vbicunque eſſent futuri, totius ſecum haberent fidei ſtatum. Quòd autem ab humana eius cœpit natiuitate, & humanam eius generationem, expoſuit, compulit impia impudentia Iudæorum, denegantium Ieſum Chriſtum de Dauid ſemine ducere genus. Corpus autem narrationis ſuæ ordinauit hoc modo: Primùm natiuitatem, deinde baptiſmum, tertiò tentationem, in quarto doctrinam, in quinto miracula, in ſexto paſſionem, in ſeptimo reſurrectionem & aſcenſionem eius: Non ſolùm hiſtoriam de Chriſto exponere volens per hæc, verùmetiam euangelicæ vitæ ſtatum docere: quoniam nihil eſt, quòd ex parentibus naſcimur, niſi iterum per aquam & ſpiritum ſanctum renati fuerimus ex Deo: quoniam quod ex carne naſcitur, caro eſt: quod autem de ſpiritu, ſpiritus eſt. Poſt baptiſmum autem neceſſe eſt contra diabolum ſtare, quoniam ad hoc quisque vngitur, et reædificatur in baptiſmo, vt contra tyrannum ſuſcipiat bellum. Poſt hæc quaſi omni ſuperata tentatione factus idoneus ad docendum, ſiquidem ſacerdos eſt, doceat: & quia miraculorum faciendorum non eſt ſemper neceſſitas, doctrinam ſuam bonæ vitæ quaſi miraculis, factis commendet: ſi autem laicus eſt, operibus doceat fidem, operibus ſe & hominibus commendet, & Deo. Deinde quia non poſſumus aliter exire de mundo, niſi ſolutum fuerit corpus, per quod ingreſſi ſumus in mundum, neceſſe eſt exire nos de hoc ſtadio mundi. Et quoniam omnis vita noſtra tentatio fuit, reſtat vt tentationis victoriam reſurrectionis merces ſequatur, & gloria. Matthæus ſanctorum quidem, præcipuè tamen peccatorum euangeliſta, qui non ſolùm ſermone, ſed etiam ipſa vitæ ſuæ correctione peccatoribus euangelium prædicauit. Nunquam enim telonearius conſtitutus, qui conſueuerat pecunias colligere perituras, factus fuiſſet euangeliſta, vt ſermones conſcriberet in æternum manſuros; niſi vt ſuo exemplo peccatores ad miſericordiam pœnitentiæ inuitaret: qui aliquando fuit cautus logotheta rationum terrenarum, nunc autem diligentiſſimus eſt diſpenſator ſpiritualium præceptorum. Tunc multos pauperes fecit fraudando pecuniam, nunc autem innumerabiles diuites facit prædicando iuſtitiam, vt magnificemus dominum propter eum voce prophetica, dicentes: Hæc commutatio dexteræ excelſi.

D. CHRYSOSTOMVS
Hom. 48. in Matthæum.


Vis, inquit, re ipſa tibi virtutis imaginem oſtendamus? Hunc ipſum Euangeliſtam conſidera: cuius etſi conſcriptam vniuerſam non habeamus vitam, poſſumus etiam ex paucis coruſcantem eius effigiem videre. Quanta enim humilitate, quantáque contritione rutilâret, inde cognoſces, quia vel poſteaquàm præeſt Euangelio, publicanum ſeipſum nominat. Miſericordiam verò eius inde percipies, quia cunctis exutus, Ieſum ſequebatur. Synceram fidem de dogmatibus percipies, prudentiam & charitatem ab euangelij cõpoſitione facilè intelliges. Vniuerſi enim orbis curam gerebat. Fortitudinem eius cognoſcimus, quia cum gaudio à conſpectu concilij reuertebatur: bonorum autem operum oſtentationem, quia in ſublimi ſede omnino ſeſſurus eſt. Imitemur ergo omnes eius virtutes, ac maximè omnium humilitatem & miſericordiam, ſine quibus ſalutem conſequi non poſſumus.

STANISLAI SOCOLOVII,

NOTARVM EVANGELICARVM IN MATTHÆVM, LIBER PRIMVS,



Caput primum.

1 RBORIS VITÆ, ARBORIS VETVSTAtis nobilissimæ, rami & propagines panduntur nobiles, ex Patriarchis, Regibus, Iudicibus, & Sacerdotibus contextæ. Vnde vel in ipso limine cognoscas, quæ & qualis hæc ipsa Iessæa virga futura erat, ex qua hic talis flos secundùm carnem, vt Paulus, humanam formam, vt Irenæus, carnalemq; ortum, vt Hilarius, loqui solent, ascensurus erat. Magnus attentionis locus.

2 QVemadmodum Moyses librum cæli appellauit ac terræ, cùm certè non de cælo solùm terraq; loqueretur, sed de cunctis quæ inter ipsa subsistũt: ita etiam Euangelista ab ipso omnium bonorum fonte & capite librũ vocauit: Liber, inquit, generationis IESV CHRISTI filij Dauid.

3 QVò perfectior partus est, eò diutiùs in vtero portatur. Hic ipse partus de quo agimus, circiter quatuor millia annorum in lumbis Patriarcharum, Sacerdotum & Regum, Ducum atque Iudicum portatur.

4 INcautè & malignè hîc, in ipsius Euangelicæ veritatis præiudicium, Caluinus docet, ex genealogia, quæ à Matthæo & Luca describitur, non colligi, Beatam virginem ex Dauidico genere ortam esse; sufficereque, vt ex tribu Iuda ortam esse colligatur. Quod manifestissimè falsum est, ac temerè dictum, Iudæisque ac cæteris hæresibus locum dat scandali. Nam si Christus Dominus est filius Dauid, vt & hic locus testatur, ac cæteri Euangelistæ, omnis denique scriptura: Christus autem Dominus ex puris sanguinibus Beatæ Mariæ conceptus est, sine omni Iosephi cõiunctione, vt ipse testatur; profectò fuisse virginem Mariam ex semine Dauid, planè necessariò conuincitur. Sed homo vanus temerè nouitates colligit, quibus se apud suos iactet. Atqui veteres aliud docent, quorum vox illa est apud Chrysostomum: Vt ergò, inquit, & nos discerneremus, quæ esset Maria, vel vnde, & consuetudo legis permaneret immobilis, generationis catalogum vsque ad sponsum eius perduxit, ac de domo illum

 Dauid

Dauid esse monstrauit. Hoc etenim declarato, illud quoque pariter ostendit, quòd scilicet inde esset & virgo: quia vtique nequaquam iustus iste pateretur vxorem sibi aliundè, quàm vnde lex præcipiebat, eligere.

QVemadmodum caput ipsum ecclesiæ Christus Dominus non simul se totum prodidit, sed per multam successionem patrum sensim mundo innotuit: ita & ecclesia corpus eius per multam successionem patrum generari prius, crescere & adolescere deinde, ac vltimò perfici debuit. Hoc fœdus meum, inquit Isaias, cum eis: Spiritus meus qui in te est, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui dicit Dominus, à modò & vsque in æternum. Dauid similiter: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Quam eandem successionem explicat Paulus. Christus, inquit, ascendens in altum, quosdam quidem dedit Apostolus, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consumationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. 5

Isaiæ 59. *Psal. 44.* *Ephes. 4.*

SVccessio generationis ecclesiasticæ, neque est planè spiritualis, neq; carnalis; sed media quædam sacri ordinis per manuum impositionem. De qua Paulus Timotheo: Admoneo te, vt excites gratiam Dei, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Eodem modo monet Titum, vt presbyteros per ciuitates ordinet & constituat. Illa igitur successio, in qua nobilitatis & generis habetur ratio, quam in distribuendis ecclesiasticis beneficiis noster Septentrio sequitur, successio carnis est, successio Iudaica est, & quam ipse Dominus plurimùm à se abesse vult. Sic enim ad Eli loqitur: Loquens locutus sum, vt domus tua & domus patris tui ministraret mihi in conspectu meo, vsq; in sempiternum: Nunc autem dicit Dominus: Absit hoc à me: sed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Successio autem hæretica nulla est: Non enim audit verbum illud: Sicut misit me pater, & ego mitto vos. 6

2. Timo. 1. *Tit. 1.* *1. Reg. 2.* *Ioan. 20.*

IN omni successione ordinaria, non est necesse ad omnes Deum ipsum locutum esse, signaque & miracula per eos operatum fuisse; sed per duces & principes tantùm eius successionis. Nam in hac Christi successione, non ad omnes Deus locutus est: neque omnibus factæ sunt promissiones, sed ad paucos tantùm; vtpotè Abrahamum; Isaacum & Iacobum, Dauidem item, Salomonē, & alios paucos. Sicut, inquit, locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Quod idem Paulus testatur: Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Et in Aaronica successione, non omnes miracula ediderunt, neque ad omnes Deus locutus est; sed ad ipsum Aaron tantùm atque filios eius, idque secessione & schismate à legitimo sacerdotio facto. In Aaronis namque manu virga refloruit, quæ eadem in virtute totius posteritatis viruit. Nec enim Deus miracula sine causa multiplicare solet. Quod idem in ecclesiastica successione fieri videmus. Locutus est filius Dei ad Petrum, Paulum, Andream, & reliquos Apostolos, signa & prodigia eos sequebantur. Propter quam subscriptionem & sigillum veritatis, reliquis creditum est semper, & nos credamus necesse est. In principibus tamen & ducibus miracula requiruntur; vt in Dei virtutem, non in humanam industriam fides credentium resoluatur. Quibus 7

Luc. 1. *Gal. 3.* *Num. 17.*

omnibus, cùm nostri Euangelici careant (nam neque ipsi signa & miracula edunt, neque eorum principes ediderunt,) ideò fides Catholica ad eorum successionem referri non potest. Nam & in politia ciuili, priuilegia principibus tantùm familiarũ dantur, & in his vniuersæ posteritati, quibus se illa tueri solet.

8. IN omni successione, non tantùm bonis, sed & malis locus relictus est: quæ vt sanctitate & integritate vitæ mirè commendatur: ita nulla malicia cuiusquã ac sordibus perturbari potest. Patet hoc in Aaronica successione; in qua etsi multi boni extiterunt, longè tamen plures improbi. Quòd si aliqua successio talis esse debuit, quæ ex sanctis tantùm constaret; tum maximè hæc, ex qua ipse sanctus sanctorum prodiit. Sed etiam in hac multos peccatores inuenimus, imò plures quàm sanctos. Adest Thamar meretrix, Betsabea adultera, Salomõ, & alii reges idololatræ. Quod idem, si quando in ecclesiastica successione euenit; mirandum non est, sed potiùs dolendum: quæ tamen diuinitùs hoc habet priuilegium, quòd plures habeat bonos quàm malos. A primo vsque ad centesimum Pontificem, martyres omnes fuerunt, & eorum, qui nostra ætate vixerunt, aliquot summorum Pontificum vitam, quis non miretur?

9. ETsi in omni successione plures plerunque improbi quàm sancti reperiantur: semper tamen omnis ætas aliquos sanctos & perfectos viros profert, qui cæteros tanquam stellæ & gemmæ commendant & exornant, ac reliquorum defectum sua virtute complent: quod vel in hac successione generationis Christi videre est. Tres eius sunt classes; singulæ quaterdenis viris constant: in quibus etsi varii sunt homines, in singulis tamen tres insignes, qui cæteros illustrant & commendant, inueniuntur. In prima patriarcharum, Abraham, Isaac, & Iacob, ad quos Deus ipse locutus est, & quorum Deus potius dici vult, quàm Cherubim & Seraphim. In secunda item classe, Regũ inquam, tres sunt, Dauid, Ezechias, & Iosias, quos omnis scriptura commendat. Eodem modo in Iudicum atque Prophetarum tres itidem sancti reperiuntur, Zorobabel, Ioseph sponsus Mariæ, & ipsa virgo. Quod idem in ecclesiastica successione videre licet. Quamùis enim multi improbi inueniantur; singulæ tamen ætates aliquos homines proferre solent, qui cæteris prælucent, illisque ornamento sunt. *Eccle. 49.*

10 DEcreta & ordinationes diuinæ, vt nulla vi aut astutia humana, ita itidem nulla malicia euerti ac perturbari possunt. Quod in hac Christi successione videmus, quam non tot bella, nõ captiuitas Babylonica, non Dauidis adulterium, homicidiumq; ipsum, non aliorum idololatria, non Pharisaicũ συνέδριον, aut perturbare, aut tanquam densissimum cuneum perrumpere potuit. Quod idem in ecclesiastica successione videre est. Quæ causa? vt consilium Domini stet, & omnis voluntas eius fiat, quod non videt hæresis.

11 QVamùis hominum malicia non perturbet consilia Dei, nec statuta eius inuertat, ad salutem tamen illorum hominum, qui ea decreta & promissiones continuant, improbi autem sunt, nihil hoc confert; imò magis damnationis perpetuæ causa existit, si indignè illa gratia se gesserint (sunt enim ex donis gratis datis) etiamsi de cognatione & affinitate ipsius Christi sit aliquis. Nam & in hac Christi successione fuisse, nihil profuit Ieroboam, nihil Achabo, nihil aliis multis

multis. Nouit quidem Dominus ordinationem ſuam conſeruare: ſed nouit etiam ſceleratos punire. Sic & ordinem ſacerdotum nouit Deus tueri: ſed & improbos æternis afficere pœnis. Vnde illa vana ſpes Lutheranorum, Neminem damnari poſſe, niſi qui nolit credere. Atqui nos demonſtrauimus, etiamſi de cognatione Chriſti ſit, nihil illi profuturum, ſi vocationem ſuam bonis operibus certã non faciat. Lex quidem eſt ſancta; ſed ſi legem ſeruemus: promiſſiones ſanctæ; ſed ſi pactis & promiſsis ſtemus. Quæ eſt mater mea, inquit Dominus, & qui ſunt fratres mei: Quicunque fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Matthæi 12.

MAlis quidem prodeſt aliquando iuſtitia proborum: quomodo decem iuſtorum cauſa Deus promittit ſe Sodomam non perditurum: At improbitas peccatorum nihil obeſt bonis, immò magis virtutem illorum illuſtrat, quod in ſerie generationis Chriſti videre licet, vbi turpitudo Ruth, Thamar, Betſabeę, nihil pudori & ſanctitati matris Dei obfuit. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. 12

Gen. 18. *Cant.* 2.

QVemadmodum veri Meſsiæ ſignum fuit, ſeries generationis eius; ita vt qui indè ortus non fuiſſet, verus Meſsias non eſſet, quod ipſi Iudæi fatentur. Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? Nónne ſcriptura dicit, quia ex ſemine Dauid, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus? Scrutare & vide, quia à Galilæa propheta non ſurgit. quam eandem quaſi primam ac ſummam ponit Euangeliſta Meſsiæ notam: indéque hoc fundamentum & baſim vniuerſæ vitæ Chriſti iacit, contràquam iudicant iſti, Caluinus, & alii vt diximus. Quemadmodũ, inquam, veri Meſsiæ eſt, & fuit nota iſta; ita veræ eccleſiæ, hæc eadem nota eſt, qua omnium ſeculorum patres vſi ſunt, ſuique ſeculi hæreſes refutarunt, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Auguſtinus. Sed de ſucceſsione hactenus. 13

Ioan. 7.

OMnem ab Abraham vſq; ad Chriſtum generationum ſeriem, tres in partes Euangeliſtam diuiſiſſe docet S. Chryſoſtomus, oſtendens, nec commutatis quidem diſciplinæ modis, illum vnquam populũ ſic meliorem effectũ: ſed ſiue Ariſtocratiæ, ſiue Regno, ſiue Oligarchiæ paruerat; in eadem tamen morũ prauitate permanſiſſe: & neque cùm ducum, neque cùm regum, neque cùm ſacerdotum poteſtate regeretur, ad ſtudium virtutis acceſsiſſe. 14

NOtandum & illud. Quia cùm germanus & verus filius ſempiterni eſſet Dei, etiam filius Dauid eſſe dignatus eſt, vt hominem faceret filium Dei: ſeruum patrem habere dignatus eſt; vt homini ſeruo patrem faceret dominum. Ac proinde, vt ſi quiſpiam in arena conſiſtens, duos aliquos inuicem diſsidentes, extenta manu vtraque vtrinque prendens coniungat: ita fecit & Chriſtus, veteri nouum, diuinam naturam humanæ, ſuis noſtra iungendo. Neq; enim in bello ſemper propriam habere rex cernitur dignitatem; ſed purpura & diademate relictis, militis habitum frequenter induitur. Sed illic, ne cognitus hoſtes in ſe conuertat: hic contra, vt ne agnitus ante congreſſum in fugam vertat hoſtem, ſuoſque maieſtatis fulgore conturbet: ſaluare enim non terrere ſtuduit. 15

D. Iuſtini

16 D. Iustini quæstio est 78. Si Dauidem secundùm cor suum esse pronunciauit Deus; quî factũ est, vt postea adulterium cædemque patrauerit idem propheta? Et si hæc Deo, vt mala, inuisa sunt; cur Deus prophetæ genus ex adulterio constituit, effecitq; vt Domini Christi genus ad eum referatur? Hoc cùm sic habeat, quomodo vera est scriptura, quæ dicit, adulterorum natos esse imperfectos? Responsio. Ergo Dauid, qui pœnitentia delicta sua correxit, propterea inuentus est ex animi Dei sententia, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Ac quem adulterio procreauit ex vxore Vriæ, eum necauit Deus: quoniam adulterorum nati sunt imperfecti. Qui verò post eum nati sunt, non necauit, quoniam Dauid illam post interfectum Vriam duxit vxorem. Ac benignè pœnitentiam honorans Deus, in vxoris Vriæ progenie collocauit genus Dauidis, eademque de causa fecit, vt ex ea Christus genus duceret.

17 CIrca librum generationis IESV CHRISTI, notari possunt multa alia. Primò, cuius rei gratia per Ioseph generationum ordo decurrat, de quo non nascitur Christus. Secundò, vnde manifestum sit, quòd à Dauid originem ducat: cùm parentes Mariæ, ex qua certè natus est, habeantur incogniti: neque enim generationes ex virginis parte numerantur. Tertiò, quam ob causam Ioseph quidem generatio, qui certè nihil ad generationem Christi contulit, tam diligenter asseritur: virgo autem, quæ etiam mater eius effecta est, non ostenditur ex quibus parentibus, auis, proauisq; nascatur. Posthæc etiam illud inquirendum esse videtur, qua de causa generationes per viros nominãs, meminerit etiam fœminarum. Et quia semel id fieri placuit, cur non omnes fœminas nominârit. Supra hæc etiam, illud inquisitione dignum est, quæ causa compulerit, vt tres reges in enumerandis generationibus præteriret. Si enim quasi nimis impiorum nomina reticere maluit; nec aliorum quidem similium meminisse debuerat. His additur etiam illa quæstio, quòd generationes quatuordecim quum dixisset, in tertia parte numerum non seruauit. Deinde, quænam illa ratio persuaserit, vt Lucas quidem aliorum faceret nominum mentionem, & nõ modò non eorundem omnium, sed multò etiam plurium; Matthæus verò non paucorum modò, verùm etiam diuersorum, cùm vtique ad vsque generationẽ Ioseph numerum etiam ipse perducat, in quo finem fecit & Lucas. Quæ omnia cùm D. Chrysostomus diuinitus & proposuerit & explicauerit; lectorem eò remittimus, vt ex fonte hauriat, suisque auditoribus proponat.

18 VSitatam fuisse apud Hebræos inter coniuges ex consensu castimoniam, docet exemplum matris Dei & Iosephi, quod monstri loco habet hæresis: multa item in Hebræo populo fuisse virtutis exercitia, ac planè Christiana opera, quæ in lege neque iubebantur, neque exprimebantur, vt votũ castitatis.

19. NOtat hoc loco D. Chrysostomus contra Caluinum, matrem Dei non tantùm desponsatam fuisse viro, sed etiam domum eius deductam: quod Caluinus impudenter, dum casta ex mutuo consensu matrimonia euertere vult, negat. Verba sunt D. Chrysostomi. Non dixit, inquit Euangelista, Priusquàm in sponsi adduceretur domum: intus enim iam erat. Hunc quippe morem plerumq; tenebat antiquitas, vt sponsæ in sponsorum domibus haberentur: quod nunc

quoque fieri interdum videmus. Sed & generi Lot apud socerum leguntur habitasse cum sponsis nondum sibi copulatis lege coniugii. Sic habitabat etiam Maria cum sponso.

VIr iustus, si ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam, idque tempestiuè, & in ipso necessitatis articulo. Et quamuis ad tempus dissimulet; tamen ab illo nos respici putemus, donec habito patientiæ nostræ examine, tempore opportuno nos iuuet. Quod nunc Iosepho accidere videmus, qui dubitat, tergiuersatur, virginem deserere vult: Ecce angelus: Non magis autem virginis causa, quàm nostræ fidei instruendę gratia, hæc angeli reuelatio facta est. Nunquam enim tam rectè de virginitate matris Dei informati fuissemus, nisi hæc tentatio animum Iosephi subiisset: & nisi ipse angelus, quod omnibus præter Deum occultum fuit, ipse rem totam explicasset, quæ nulla alia ratione rectè cognosci potuisset. Non enim magis Dei, quàm virginis interpres angelus iste fuit; quam interpretem & enarratricem esse tanti nuncii, pudor ipsius non patiebatur. Erat autem Ioseph homo iustus. Iustus, inquit Origenes, in verbo, iustus in facto, iustus in lege, iustus in consumatione, iustus in iudicio gratiæ. 20

MVlta per visionem & somnia electis suis Deum reuelare: hicq; vnus modus est ex illis, quos scriptura explicat, quibus Deus mysteria sua reuelare solet. Verba scripturæ hæc sunt: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Et apud Iobum: Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo. Tunc aperit aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplina; vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de superbia, eripiens animam eius à corruptione. 21

Numer. 12.

Iob 33.

NOtandum est, D. Chrysostomum verba hæc Euangelij, Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, hoc modo interpretari. Nec verò nomen virginis memorasse contentus, addidit coniugem, haud ita vocaturus, si corrupta fuisset. Coniugis autem nomine sponsam intellexit: sicut eos quoque, qui adhuc sponsi sunt, generos appellare scriptura consueuit. Quid autem est accipere? Domi profectò retinere. Iam enim illam mente dimiserat. Sed dimissam, inquit, retineas, quam Deus tibi copulat, non parentes: copulat verò non in fœdus solenne coniugii, sed in consortium communis habitaculi: & copulat per meę vocis officium. Sicut enim illam postea commendat Christus ipse discipulo; ita etiam nunc angelus sponso, solatium tantùmmodo eius habituram absq; fœdere nuptiarum. Non aliter autem Ioseph Mariæ existimari debet maritus, quàm quomodo fratres Domini dicuntur Ioannes & Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simon. 22

Exodi 3.

NOtandum. Neminem vnquam audiuisse, vidisse, cogitasse talia, vt mater virgo esset, & intacta generaret, quæ & virgo genuit, & permansit. Sicut enim quondam rubus comburi videbatur, & ignis eum non tangebat: & sicut tres 23

pueri

pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis: & quemadmodum Danieli intra lacum leonum inclusо, claustris non apertis, allatum est prandium ab Abacuc: ita & hæc virgo sancta genuit Deum, mater effecta est digna digni, immaculata sancti immaculati, vna vnius, vnica vnici, sed virginitatem non amisit: genuit infantem, sed vt dictum est, virgo permansit. Erubescant hoc loco, inquit Chrysostomus, & confundantur omnes, qui superiorem illam generationem temeraria curiositate rimantur. Si enim istam, quæ mille celebrata testibus, & ex multis est prædicata temporibus, quæ oculis inspecta manibusque contrectata est, interpretari tamen nullus potest; quem cumulum non excedunt furoris, qui ineffabilẽ illam generationem Dei humanis vel cogitationibus inuestigari putant, vel vocibus indicari? Non enim Gabriel Archangelus, non Euangelista Matthæus amplius quippiam significare potuerunt, nisi tantùmmodo, quòd esset ex spiritu. Non igitur quidquam vlterius inquirendum, sed suscipiendum, quod reuelatum est: neque curiosè indagandum, quod tacitum est.

Daniel. 14.

24 CHRISTVM Dominum, non solùm doctorem aut legislatorem esse, vt putant Ebionitæ, Samosateni, & nostri noui Iudaizantes, sed etiam saluatorem, redemptorem, ac mediatorem: idque à peccatis. hoc autẽ nihil aliud esse, quàm verum Deum & hominem, docet Angelus, Vocabis, inquit, nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.

25 MVlta sunt in scriptura, quæ videntur prima fronte inter se pugnare: quæ si diligentiùs inspicias, optimè conueniunt. Quomodo nunc Iosepho dicitur: Et vocabis nomen eius Iesum. quod apud Lucam virgini soli ab Angelo est delatum: Vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Quæ optimè conueniunt, si ducem & interpretem Ecclesiam sequaris: primùm enim à virgine, deinde à Iosepho hoc nomen impositum, interpretantur patres.

26 CVstodit Dominus veritatem prophetarum suorum. Vnde ille modus scripturæ: Hoc autem totum factum est, vt impleretur, quod dictum est. Quod idem hoc loco fieri videmus.

27 EVangelistæ, in referendis Prophetiis, non tam ad verba, quàm ad sensus verborum respiciunt: quod hoc loco in Isaiæ testimonio facit Matthæus. Vocabunt, inquit, nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. In qua Prophetiæ expositione Origenes: Qui vocabunt, inquit, nisi iusti? quorum vocabitur interea nomen nouum, non sicut prius in figuris, & in imaginibus, sed facie ad faciem apparentem Nobiscum Deum. Abrahæ, patri credentium, tribus horis, licèt non per ipsam ineffabilem deitatis substantiam, sed potius per angelicam speciem à meridie visus est: nobis autem triginta tribus annis in terra apparuit, & cum hominibus conuersari dignatus est. Iacob etiam breui tempore, per angelum apparuit colluctans cum eo: quique se ab eo superari permisit; vt hunc mundicordem meritò benediceret, atque Israël nominaret, Nobiscum Deus: amplius magis pro nobis magnificum certamen adimplens, vsque ad mortem accedens; vt morte sua mortem occideret, & benedictionem atque immortalitatem mundo corde populo condona-

ret, qui fiducialiter dicit, Nobiscum Deus: per Euangelistarum & Apostolorũ prædicationem, per sui sancti corporis & sanguinis Sacramentum, per gloriosæ crucis signaculum. Per ista ergo omnia nobiscum Deus, & ad nos, & in nobis, sicut ipse ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consumationem sæculi. *Matth. 28.*

28 NOtandum cum Chrysostomo, Dei populum non à bello visibili, neque à gladio barbarorum; sed, quod his longè maius est, à peccatis suis liberandum, Angelum nunciare: quod præstare nulli fuit hominum aliquando possibile. Et cuius, inquies, rei gratia, quasi signatè populum suum dixit, & non etiam omnes gentes pariter nominauit? Ne scilicet de inusitato nuncio scrupulum pateretur auditor: quanquam rectè hæc percepturo etiam gentes designantur. Populus enim Christi non tantùm natio Iudæorum est, sed omnes quoque, qui ad eum veniunt, eiusque donantur agnitione.

29 NOtat hoc loco D. Chrysostomus causam, cur non est hoc nomine, id est Emmanuel, sed IESVS CHRISTVS vocatus. Quia scilicet non dixit Vocabis: sed Vocabunt, populi sine dubio, & ipse exitus rerum. Hic enim ab effectu nomen imponitur. Est enim mos scripturæ, euentus rerum ponere nominum loco. Quid est aliud, Vocabunt nomen eius Emmanuel: nisi, videbunt oculi mortalium Deum inter homines versantem: qui etsi ante cum hominibus fuit, non tamen tam apertè tamque manifestè.

30 DIVinis monitis statim sine mora omni parendum esse, docet Iosephi exemplum.

31 CAutè sacram scripturam legendam esse, idque duce & interprete Ecclesia: quia multa in ea sunt, quæ incautis occasionem erroris dare possunt: quomodo ex hoc loco, Nec cognouit eam, donec peperit vnigenitum, colligit Heluidius, post partum virginem à Iosepho cognitã fuisse. Cui quidem Heluidij interpretationi vix non patrocinatur in sua Harmonia Caluinus, contra totius Ecclesiæ consensum.

Caput II.



1 Ebuisse aliam gentem præter Hebræam, hoc est reliquias quasi naturæ legis, ad fidem veram & cultum Dei vocari; quæ non occidentem literam, sed viuificantem spiritum sequeretur, aduentus Magorum docet: quibus nulla lex hanc talis præscripsit cultus rationem, quam nunc exhibent. Ridebit hæc credo, vt solet in rebus seriis, hæresis, ipsa ridenda.

2 IVstis & piis hominibus astra & sidera seruiunt, & subiiciuntur: non pii & iusti sideribus aut astris. Fecit, inquit, Deus solem & lunam, vt essent in signa & tempora & dies & annos: hoc est, vt hominibus inseruiant, ac tempora distinguant; contrà quàm sentiunt Priscillianistæ.

Nullam

3 NVllam esse posse scientiam certam astrorum, aut ex his prædictiones, inde euidenter patet, quod vt numerus illarum, nomina item soli Deo patent, in manuq; eius posita sunt; ita quoq; vis & natura, qui pro tēpore potest & nouas creare, vt hoc loco, & veteres extinguere, & cursus earum immutare, quod tempore Ezechiæ factum est. Vnde ipse Dominus: Ego irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in furorem vertens. *Isaiæ 44.*

4 SI stellæ cæli, pueri istius sunt, vt quidem magi interpretantur: Vidimus, inquiunt, stellam eius in oriente: puer iste Deus est: iuxta illud: Cælum cæli Domino: terram autem dedit filiis hominum. Neque in scriptura stellam alicuius fuisse legimus, præter Deum ipsum: quanquam vt eleuet Christi potentiam Caluinus, cometā potiùs in aëre, quàm stellam in cælo hanc fuisse dicit.

5 NOtandum cum D. Chrysostomo, stellam de pluribus non fuisse; sed quandam inuisibilem virtutem in specie sideris figuratam. Neque proprium quempiam illa tunc stella cursum tenebat; sed cùm reges oporteret pergere, etiam ipsa pergebat: cùm verò standum esset, stabat opportunè, ac decenter cuncta dispensans: sicut etiā illa quondam in eremo nubis columna, pro opportunitate rerum, nūc stabat, locum, vbi castra figenda erant, declarans; nunc progrediens mouebat exercitum.

6 SCriptura, vt pro Christo vti, ita contra Christum abuti, mala ingenia possunt: quod nunc Herodes, Pharisæique faciunt, ex Michæa sumpto loco: hæretici item principem suum Diabolum secuti. Nam, vt ille operibus Dei Deum expugnare nititur, hoc est mundo, carne, & scriptura; ita & isti verbo eius verbum ipsius expugnare & extinguere volunt.

7 NOtat D. Chrysostomus, & Iudæos à Magis audiuisse, quòd stella eum in regione Persidis prædicârit: & Magos à Iudæis didicisse, quòd ipsum IESVM quem stella monstrauerat, etiam Prophetæ antè prædixerant. Quæ certè occasio interrogationis, fit diligentioris & manifestioris demonstratio doctrinæ. Ipsi quidem veritatis inimici pro veritate coguntur legere literas, & prophetiam de Christo nescientibus interpretari: licèt non eam omninò totam voluerint publicare. Cùm enim dixerint, quòd ex Bethlehem processurus esset, qui regeret Israël: nequaquam tamen id quod sequitur addiderunt, in adulationem profectò regis; vt ad humanæ gratię lucrum veritatis damna proficerent. Quid verò istud erat? Et egressus, inquit, eius, à diebus æternitatis ab initio.

8 NOn quid quisque faciat, sed quo sensu & animo, videndum est: Nónne Herodis consultatio res præclara fuit? veritatem inquirit: rem magnam & salutarem cognoscere vult: loco & tempore suo, occasione magna, à regibus orientis interrogatus: quærit ab iis, à quibus oportuit, à sacerdotibus inquam, &, vnde necesse fuit, ex scripturis. At animus quis? intentio quæ? ambitiosa, quia regni cupida: iniusta, quia alienum quærit: cœca, homo cùm sit, diuinæ potestati resistere vult: Prophetæ loquuntur, stella nouo regi astat, reges regem quærunt, hæc tamen non cessat: crudelis insuper, vitam cum sanguine poscens: vana denique & dolosa, quia sub specie pietatis & officii: Vt & ego, inquit, veniens adorem eum.

Notandum

NOtandum talem esse consuetudinem omnium malignorum, quando aliquem in occulto grauius lædere volunt, humilitatem illi & amicitias fingunt. Hoc idem nunc in Herode factum videmus: deuotionem promittebat, qui gladium acuebat, & malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat. 9

COnsultor malus inuenit plerunque consiliarios pessimos, Herodes Pharisæos. 10

APparet, Pharisæorum & sacerdotum animos occœcatos, atque metu rerum nouarum perterritos (vt quibus iam seruitus in consuetudinem abiisse videretur) iam à prima natiuitate, Christo Domino, suo non fauisse Messiæ. Turbatus est, inquit, Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo. Atqui tum maximè lætari oportuit, tum se regibus coniungere, illos comitari, suum quærere Messiam. Pessimè sub flagellis profecerat Israël, vt illis quodammodo promissa salus fœteret sua: quod Matthæus non frustrà notat: Turbatus est Herodes, & tota Hierosolyma cum illo. 11

SEd quid mirum? Ita fit plerunque, vt qui ab alienis magni fiat, magnoq; studio quæratur & colatur, à suis contemnatur & calcetur. Vidimus stellam eius in oriente, alieni dicunt, & venimus adorare eum: sui cum Herode turbantur. Quanquam & illud docemur, semper grandem potestatem maiori timori subiectam esse. Sicut ramos arborum in excelso positarum, etiamsi lenis aura flauerit, mouet: sic & sublimes homines in culmine dignitatis existentes, etiam leuis nuncii fama conturbat: humiles autem, sicut in conualle, plerumque in tranquillitate consistunt. 12

EXtremæ fraudis & improbitatis est, ac perditæ assentationis, sententiam rogatum, non ad veritatem, sed ad voluntatem alicuius accommodare: quod nunc sacerdotes faciunt, qui, cùm animaduertissent animum Herodis eò propendere, vt Christum interficiat, quæ illum velle arbitrantur, ea ex scriptura proferunt, quæ nolle, subticent. Nam cùm apud Michæam prophetia sit: Et tu Bethlehē terra Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël: & Egressus eius ab initio à diebus æternitatis: primùm, locum distinguentes, Herodi quasi digito puerum monstrant: Tu Bethlehem terra Iuda, ad differentiam alterius Bethlehem, de qua Iosue: deinde rem augendo, & ad facinus instigando Herodem, pro Paruulus es, illud immutant, Nequaquam minima es: auferunt deinde illa ex scriptura, quæ illum maximè à facinore deterrere possent: Et egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, quod planè diuinitatem eius astruit, contra quam pugnare difficile est. Talia sunt huius seculi consilia, qui principibus id maximè consulunt, quod illos velle vident, passim nubere, non ieiunare, aliena rapere, nulli obedire. Notauit hoc ante nos D. Hieronymus ex illo loco: Mortui sunt, qui quærebant animam pueri; non solùm Herodem, sed etiam sacerdotes & scribas, eodem tempore necem Domino fuisse meditatos. Sed & sanctus Chrysostomus, vt antea retulimus. 13

Micheæ 2. Iosuæ 19.

MAlos mala sequuntur: consilium malum consultori pessimum. Qui in 14
altum

altum mittit lapidem, inquit Sapiens, super caput eius cadet: & qui foueam fodit, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo. Qui supra caput suum spuere conatur, statim in faciem sputum relabitur: sic astutia nulli magis nocet, quàm autori suo. Retulerunt igitur fraudis ac maliciæ suæ fructum Herodes & Iudæi. Herodes quidem ficta & fallaci mente quæsiuit veritatem: similes sibi inuenit magistros, pharisæos, inquam: filium Dei occidere conatus est, suos postea occidit: regnum quærebat, à regno excidit. Sed & Iudæi, consilij sui parem tulerunt fructum. Voluerunt natum infantem manu eius occidi, perdiderunt suos: isti ob malitiam, alij ob consensum & negligentiam: regem suum perdere voluerunt, Cæsarem consecuti sunt: regnare concupierunt, serui facti sunt. Consilium malum, consultori pessimum: incidit peccator in foueam quam fecit: eadem scriptura decepti, qua decipere voluerunt. Nam dum in Nazareth commorantem vident, Bethlehemiticum autem prædicant, inde capiuntur: cùm scriptura ex Bethlehem tantùm exiturum, non autem ibi commoraturum prædicet.

Eccl. 27.

15 DVm Iuda, Aaronicusque sacerdos magis euoluit arcana scripturæ, Christumque demonstrat; seruit maior minori: testamentum recitant scribæ, ex quo hæreditatem non adeunt ipsi: fabricant arcam, in qua ipsi non sunt seruati: lapis itineris facti, indicatoris digitus, aliis iter monstrantes, & ipsi in eodem luto hærentes.

16 NOtandum, Herodem aut credidisse scripturis, aut non credidisse. Si non credidit; vt quid interrogabat scripturas, quas putabat esse vaniloquas? Aut si credidit, quia inde verè nasciturus est rex, vnde scripturæ dicebant; quomodo sperabat posse se interficere illum regem, quem futurum scripturæ esse dicebant? Nunquid poterat homo corrigere, vt ne fiat, quod Deus ordinauit vt fieret? Sed quidem credebat Herodes in malo, in bono autem non credebat: quoniam quidem quod inde nasciturus fuerat rex, vnde scripturæ dicebant, credebat: quoniam autem aduersus illum agere non poterat, quem Deus mittebat, non credebat: quia non suo consilio gubernabatur, sed vinculo diaboli trahebatur ligatus. Sic sunt omnes homines peccatores, in quibus diabolus operatur: credunt scripturis, & non credunt: quia hoc ipsum quod credunt, perfectè credere non permittuntur. Quod enim credunt, veritatis est virtus. quia nulli potest esse occulta. quod autem non credunt excœcatio est inimici: quia subiecti sunt operibus eius, & mens eorum libera non est; vt puta omnes, qui christiani sumus, & legimus, scimus, quia mundus consumandus est, & quia morituri sumus, & hoc ipsum tamen perfectè non credimus: si enim perfectè crederemus; sic viueremus, quasi post modicum transituri de hoc mundo, non quasi in æternum mansuri.

17 BOnis, & Dominum recto corde quærentibus, omnia cooperantur in bonum. Quomodo magis quærentibus Dominum, omnia cedunt secundè & prosperè. Nam & id, quod vel imprimis quærebant, Messiam inueniunt, ac stellam amissam recuperant, & à fraudibus Herodis sibi cælitùs detectis liberantur: & ad suos sani & sospites redeunt.

Offerunt

OFferunt autem duplicia dona, interna quinque, & externa tria. Ex internis, fidem primò, nec qualemcunque fidem, sed fidem veram ac planè christianam, Christum natum esse, qui vnus est articulus fidei christianæ: fidem promptam, Vt primùm vidimus stellam, venimus adorare: fidem constantem, quam neque Herodis crudelitas, neque sacerdotum frigus, nec stellæ præsens occasus, non Christi in cunis iacentis paupertas, extinguere aut diminuere potuit: fidem plenam, dum verum DEVM & hominem, Regem & sacerdotem simul confitentur. Deinde charitatem, eamque feruentem, dum patriam suam deserunt, regna ignota quærunt: charitatem fortem, nulli periculo cedentem, non tristes Herodis vultus metuentem: charitatem liberalem & munificam, Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera. Tertiò insignem humilitatem, quos non regia dignitas (quam improbè, & ipsis, & Christo Domino inuidet, contra totius vetustatis consensum, nullo argumento suffultus Caluinus) non sapientia, non summæ opes extulerunt: Et procidentes, inquit, adorauerunt eum. hunc, inquam, illum, qui ipse postea in horto procidens in faciem suam, adorauit patrem. Quartò, religionem reuerentem, quia procidentes in faciem: mũdam, quia aurum, thus, & myrrham, res mundissimas offerunt: perfectam, quia per modum sacrificij dona offerunt, quæ Deo debentur. Vltimò obedientiam, simplicem, quia nihil scrutantur: intrepidam, quia nihil verentur: velocem, quia sine dilatione. Et dona quidem interna hæc. Externa autem illa, aurum, thus & myrrham: quorum munerum sacramenta pulcherrimè Hieronymus ex Iuuenci presbyteri versibus interpretatur: Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque Dona ferunt. Sic & Hilarius: Oblatio, inquit, munerum, intelligentiam in eo totius qualitatis expressit: in auro Regem, in thure Deum, in myrrha hominem confitendo. Atque ita per venerationem eorum, sacramenti omnis est consummata cognitio: in homine mortis, in Deo resurrectionis, in rege iudicij. Hæc ille. Ridet tamen hæc Caluinus, bisque mentitur. Primùm, quòd hæc temerè reges obtulisse dicit, nulla mysterij habita ratione: deinde, quòd hæc ad regnum, sacerdotium, & mortalitatem Christi, omnes patres retulisse dicit: cùm & hoc loco Hieronymus, atq; Hilarius & aliâs Chrysostomus, & Theophylactus, cæterique ferè omnes, qui eos sequuntur, ad diuinitatem eius referant: In quibus vetustissimus, Irenæus vel inprimis, dum inquit: Magi ab oriente venientes dixerunt: Vidimus stellam eius in oriente, & venimus adorare eum: deductique à stella in domum Iacob ad Emmanuel, per ea quæ obtulerunt munera, ostenderunt quid erat qui adorabatur. Myrrha quidem, quòd ipse erat, qui pro mortali humano genere moreretur & sepeliretur: Aurum verò, quoniam rex, cuius regni finis non est: Thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Iudæa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum. Hæc Irenæus.

Irenæus cap. 10. lib. 3.

18

QVantus est iste puer, quem reges, sapientes, atque sacerdotes (hoc autem est, quidquid magnum in mundo habetur) vna veneratione adorant. Nam more orientis quandoque in eosdem hæc conferri solita fuisse, cùm alij, tum Tertullianus docet. Debebat enim hic puer excelsus esse super omnes Reges, sapientes & sacerdotes Dei, omnemq; potestatem, sapientiam atque sacerdotium omne complere, ac sibi subijcere: hoc autem est, verus Deus & homo esse: vt quantò magis illum sua deiecit Iudæa, tantò magis exaltet Samaria; sitque oleaster

19

oleaster supra oliuam. Quæ omnia, vt eleuet Caluinus, primùm hos ipsos Reges fuisse à Papistis confictos fingit, putida quadam geographia abusus, dum traditionem illius scripturæ, Reges Tharsis & insulæ munera offerent, ridet: ac ex meridie ortum Papistas fecisse nugatur; omisis illis malignè, quæ statim sequuntur, reges Arabum & Saba dona adducent. Et Dabitur ei de auro Arabiæ. Quæ quidem Arabia, præsertim Petræa, quæ Madianitarum, Ammoniorumque ac Moabitarum fuit, vbi Balaam habitauit, cuius isti discipuli traditione antiquisima; fuerunt, orientalis respectu Ierusalem est. Ita frustra exultat scelus in malicia, cùm hæc ipsa totius mundi vetustissima traditio sit, hocque idem Cyprianus, Athanasius, Augustinus, Chrysostomus, Tertullianus, prima quasi Reipub. Christianæ capita doceant. Deinde illos Christum Dominum, non vt Deum, sed vt Regem adorasse, sine ratione fingit: quod ne ex nostro sensu dicere videamur, verba eius apponam. Quantum verò, inquit, ad ipsos spectat, non venerant ad exhibendum Christo pietatis cultum, qualis debetur filio Dei; sed Persico more volebant salutare, tanquam præstantissimum Regem. Neque enim de eo plus tenuisse, probabile est, quàm singulari potentia & diuinitate fore præditum; vt populos omnes, meritò in sui admirationem & reuerentiam conuerteret. Fieri etiam potest, vt captare voluerint eius gratiam ante tempus, quo sibi propitium atq; fauentem haberent, si fortè contingeret, orientali imperio eum potiri. Hæc tuba Euangelii huius seculi intonuit, pro diuinitate Christi, & pro commendatione fidei primitiuarū gentium: sed est hoc proprium diaboli; vt dum Lutheranus est, Sacramentariis viam sternat; dum Sacramentarius efficitur, Arianis, & sic deinceps.

In Harmonia.

20 FAlsò ac temerè in despectum traditionis veteris hoc loco negat Caluinus, ternarium numerum Regum: idque Papisticum esse figmentum comminiscitur: dum modò aliquid aliud dicat, quàm mater sancta docet Ecclesia, cùm idem vniuersæ Græcorum, Armenorum, Æthiopum historiæ loquantur, ipsaq; regum monumenta & nomina testentur.

21 O Admirabilis pueritia: cuius incunabulis astant Angeli, cui famulantur stellæ, quem timent reges, & ante quem amatores sapientiæ in terram procidunt. O beatum præsepe, altera sedes Dei cælestis, vbi non lucent accensæ tædæ, sed corruscantes stellæ. O palatiū celeste: ô felix tugurium, in quo non habitant reges diademate coronati, sed Christus ipse incarnatus, qui pro regali throno durum habet præsepe.

22 NOn debet magnus animus frangi, neque manus dissolutę concidere; si ad tempus à consolationibus spiritualibus, si à gaudio cælesti, si à lumine spiritus, si à lacrymis deseruntur. Nam hæc, vt insciis nobis accedunt, ita & recedunt, inquit Nazianzenus. Durandum tamen est, & non desperandum. Nam & magos ea stella, quæ illos ducebat, ad tempus deseruit, tum cùm ordinaria remedia habebant, Hierosolymam, Sacerdotes, Legem; quæ omnia eos instruere poterant: tum enim Deus extraordinaria præsidia suppeditat, dum ordinarijs caremus. At eadem stella tantò amœnior & lætior illis restituitur, vbi maximè necesse fuit, supra locum vbi erat puer. De quo lumine eiusq; subtractione pulchrè apud Iobum: In manibus suis abscondit lucem, & præcepit illi, vt rursus adueniat.

Iob 36.

CHristum Dominum, secundùm vtramque naturam, cultu latriæ adorandum esse, propter vnionem hypostaticam, vt potè verum Deum & hominem, Magorum exemplum docet. Quod qui non facit, illum maiestatis diuinæ læsæ reum esse. Ante illum autem nunc procidunt reges gentium, ad cuius aspectum in horto cecidit populus Hebræus: vt ita in nomine & aspectu eius, in quacunque ille forma & fortuna esset, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorũ. Procidentes, inquit D. Chrysostomus, adorauerunt eum: vt discas, quia non tanquam homini tantùm, sed etiam tanquam Deo authori omnium supplicârint bonorum. Nunc autem triumphatorem gloriosum superba contemnit hæresis. 23

EAdem fide & pietate adoratur nunc Christus, in speciebus panis & vini, qua tunc colebatur in cunis: speciebus visibilibus, crepundiorum atque fasciarum locum & vicem obtinentibus. 24

PRæter internum cultum, quem hæretici iactant, externa similiter dona Christo regi deberi, docet magorum exemplum: quia fides non debet esse nuda & sola, sed bonis operibus associata. 25

PIEtas ac religio, cum vera sapientia opibusque coniuncta, res quædam est pulcherrima & insuperabilis, qualem nunc in regibus videmus, & qualis quondam in Iobo, Abrahamo, Dauide fuit conspicua. 26

NOtat D. Chrysostomus circa discessionem Magorum, ideo non stellam eos sed angelũ suscepisse: quia scilicet adorando facti fuerant sacerdotes, cum supplicatione etiam muneribus oblatis. 27

IVstorum tempora nunc læta, nũc tristia: nunc secunda, nunc aduersa: nũc humilia & abiecta, nunc magnifica: ne aut secundis efferantur, aut aduersis deprimantur. Quid iucundius aut magis lætum Iosepho & Mariæ potuit accidere aduentu Regum, spretis præsertim & contemptis ab vniuerso mundo? at contrà, quid tristius, magisq; incommodum, illa præsertim puerili ætate, quàm metus Herodis fugaque in Ægyptum? Quod idem sentit, semperque experta est Ecclesia. Miscentur tristibus læta, & lætis tristia. Hinc Gregorius præclarè in epistola quadam. Si vitæ istius, inquit, cursum veraciter attendamus, nihil in ea firmum, nihil inuenimus stabile: sed quemadmodum viator modò per plana, modò per aspera graditur; sic nobis vtique in hac vita manentibus, nunc prosperitas, nunc occurrit aduersitas: denique alternis sibi succedunt temporibus, & mutua se vice confundunt. Dum igitur omnia in hoc mundo mutabilitatis ordo confundit, nec eleuari prosperis, nec frangi debemus aduersis. Tota ergo mente ad illum nos conuenit anhelare, vbi quidquid est firmum, permanet; vbi non mutatur aduersitate prosperitas. In hac ergo vita, miro Dei omnipotentis moderamine, idcircò agitur; vt vel prosperitatem aduersitas, vel aduersitatem prosperitas subsequatur: quatenus & humiliati discamus, quicquid deliquimus flere; & iterum exaltati, aduersitatis memoriam, quasi humilitatis ancoram in mente teneamus. 28

FIlius Dei iam à prima sua ætate sub cruce: mater & pater eius sub cruce: Christianus verò sine cruce: hæreticus contra crucem? 29

Dat

Dat Dominus significationem electis suis, vt fugiant à facie arcus sui: nunc Iosepho & MAriæ.

30 FVgiendum esse ex hac ciuitate in alteram, si nos persecuti fuerint: vt non detur locus malo. Facit hoc nunc saluator, quod docuit posteà: qua de re est totus sermo Athanasii.

31 QVuemadmodum iustus Ioseph translatus est in Ægyptum, vt spargeret semen cælestis doctrinæ: ita secūdus Ioseph transfertur in eandem Ægyptum; vt euangelii iaciat semina, idolaque euertat: vt ita nostris malis Deus vtatur ad bonum. Duæ enim erant regiones, inquit Theophylactus, omnis improbitatis officinæ, Babylonia & Ægyptus: Babylonem sanctificauit in Magis, Ægyptum per filium. Portauit iustus Ioseph in Ægyptum frumenta, remedium famis: portat Iosephus sponsus MARIAE panem vitæ, remedium mortis.

32 NOtandum Origenem quinque grauissimas causas huius IESV CHRISTI fugæ in Ægyptum afferre. Primam, propter multitudinem, quæ ibi est, idolorum, abominationumque multarum. Alteram, vt destruantur manufacta eorū, & confringantur, & pereant idola ipsorum: propterea, vt dæmones turbentur, & regum fabricæ in idolis destruantur: vt fiat in aduentum Domini fugitiuorum seruorum atque malorum interitus. Tertia illa est, vt adimpleantur quæ dicta sunt: Ecce Dominus sedet in nube pusilla, & veniet in Ægyptum, & commouebuntur omnia manufacta Ægypti. Ecce Dominus sedet in nube pusilla, *Isaiæ 19.* carnalem animam non habente, nec aliquam peccati grauedinem. Nubes enim in aëra eleuata, atque leuitate sui in altum dirigitur: quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Quartam addit, vt fugiant de Ægypto, qui ibi sunt, dæmones; vt appropient ibidem angeli sancti, qui Deū consequuntur, qui sanctis iunguntur; vt pro multitudine templorum, atque abominationum multarum, multitudo exuberet Ecclesiarum; & pro idolorum turbis turbæ abundent fidelium, atq; colentium Dominum; pro vitiis & erroribus multis, multa castitas, multáque sanctitas superabundet, multaq; virginitas. Quintam denique & vltimam eam adiungit causam, vt hi qui in nomine Christi persecutionem patiuntur, qui tribulationes tolerant, qui iniurias perferunt, fortiter stent & viriliter prælientur, veritatem teneant, fidem non derelinquant, Ecclesiam non deserant, sed semper meminerint, quia & Dominus à peccatoribus persecutionem perpessus est, quoniam ab iniustis contumelijs affectus est, & ab ipsis de loco in locum fugit, & ab ipsa sua infantia, ab initio penè introitus sui in hunc mundum.

33 D. Chrysostomus, quid fugam IESV CHRISTI in Ægyptum consecutum sit, quémque tactu domini, quasi sensum quendam sanctificationis, solitudines, & deserta Ægypti perceperint, præclarè & magnificè exponit: Si quis, inquit, nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso quòuis omnem illam videbit eremum digniorem, & innumerabiles angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum: & omnem quidem tyrannidem diaboli dissolutam, Christi autem regnum corus-

 scans:

ſcans : & illam poëtarum & magorum quondam ac philoſophorum parentem, & cuiuſq; generis impoſturarum repertricem, videbit modò piſcatorum magiſterio gloriantem. Eſt cernere tota illa regione diffuſum exercitum Christi, & admirabilem illum regium gregem, virtutumq; cæleſtium conuerſationem in terris micantem. Atq; hæc non in viris ſolùm, verùm etiam in fœminis ſplendere conſpicias. Nam illæ quoque non minori quàm viri virtute decorantur: non clypeo arrepto in equum inſilire callentes, vt honeſtiſsimi illi, ac ſapientiſsimi gentilium iubent magiſtri: ſed multò certè vehementiùs bellum gerentes. Communis enim illis ac viris aduerſus diabolum pugna eſt, contraq; huius mundi poteſtates; nec vſpiam teneritudo ſexus his congreſsibus impares facit. Non enim natura corporis, ſed voluntate animi exercentur iſta certamina. Propterea ſæpè in huiuſmodi acie fortius viris fœminæ decertarunt, ac trophæis inſignibus claruerunt. Non ita variis aſtrorum choris cælum refulget, vt Ægypti eremus, innumeris monachorum ac virginum diſtinguitur atq; illuſtratur habitaculis. Si quis illam Ægyptum veterem nouit rebellem Deo, ac magnitudine ſuperſtitionum furentem, illam felium ſeruam, adorantem irrationabiles animantes, porros etiam cepaſque pauitantem: hic optimè Chriſti poteſt noſſe virtutem, per quem facta eſt tam admiranda mutatio. Quiſquis regionis illius gnarus eſt, iſta quæ dicimus recognoſcit; ſi verò habitacula illa nondum nouit; conſideret virum per cunctorum vſque hodie ora volitantem, quem Apoſtolis proximè Ægyptus protulit, beatum dico & magnum illum Antonium: & reſpiciat, quod hic quoq; illius fuerit regionis indigena, cuius etiam Pharao; ſed nihil ſit inde viciatus. Nam & viſione Dei dignus eſt habitus, & talem vitam prorſus oſtendit, qualem leges Chriſti requirunt. Hæc D. Chryſoſtomus. Plura de laudibus huius ſolitudinis ſcripſit D. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium: tum & ille, vel inprimis Philo diſſertiſsimus Iudæorum, de eadem vnum volumen confecit.

NIhil vnquam fecit Dominus, quòd non prius reuelauerit ſeruis ſuis Prophetis, iuxta illud: Non faciet Dominus Deus verbum, niſi reuelauerit ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Ex Egypto, inquit, vocaui filium meum. Quo in loco figuram vrget Euangeliſta, non verba; in hunc ſenſum: Quemadmodum filium ſuum adoptiuum Iſraël vocauit Deus ex Ægypto; ita iterum filium ſuum natura genitum ex Ægypto vocauit. 34

CHRISTVS Dominus adhuc puer habuit exercitum ſuum, qui pro illo moreretur: quid adultus, quam & quantam manum poſt ſe duxit? nec deſinet, donec veniat. 35

NOtandum, Origenem cauſam afferre, cur Herodes occiderit infantes; vt nimirum poſt Magorum illuſionem, ſicut putabat, puerum inter iſtorum neces deperderet. Sic & anteà iniquus fecerat Pharao, qui & ipſe vniuerſos paruulos in flumine necari mandauit: Moyſen enim quærebat occidere, propter quem infantes iuſsit occidi: & quamùis ad exercituũ ſuũ alia loquebatur, vt ne multitudo creſceret filiorum Iſraël, ideò debere necari infantes; tamen in corde maximè infantem interficere cogitabat. Ita & iſte nunc malignißimus Herodes, propter vnius ad cuius feſtinabat pueri necem, cunctos ante prouectum 36

ætatis

ætatis occidit infantes. Saul etiam impius innocentem quondam persecutus est Dauid, quem & interficere modis omnibus festinabat. Quo fugiente, culpę vilis ira commotus, sacerdotes pios, senes etiam & iuuenes, paruulos & lacten tes, omnes pariter interimi sine mora præcepit. Sic & Achab rex irreligiosus Heliam sanctum quærens occidere, & minimè inueniens, innumerabiles populos interemit: sicut refert Abdias sanctissimus. Ita & extremus Herodes, de quo in Actibus Apostolorum commemoratum est, Petro de carcere ab angelo educto, custodes innocentes & innoxios occidi mandauit. His ergo similibus supradictis omnibus peiora nunc augmenta adnectens Herodes, sceleris sui exaggerauit malitiam. Et sicut canis insanus saxo percussus, dum percutientem sequi non præualet, ad ipsum furore conuertitur lapidem; quem dentibus pedibusque dissipare perquirit: non aliter Herodes sua præceps iracundia, solitoque insanę suę mentis furore, in infantium cæde versatus & concitatus est.

1. Reg. 22.

3 Reg.

37 NOtat Diuus Chrysostomus, meritò iratum fuisse Herodem: quia qui sedens in throno regni, & vestitus purpura, Magis placere non poterat; his Iesus paruulus, & iacens in præsepio & pannis inuolutus placuit. Ideò ergo talia forsitan dicebat apud se: Quis est puer ille, qui antequam nascatur in terra, iam apparet in cælo? necdum seipsum ostendit, & iam omnes illum quærunt. Et necdum terrenum populum habet, & iam militię cælestes stellarum illi ministrant. Quis est ille, qui antequam mecum pugnet, iam me vincit: antequam vincat, regnat: antequam regnet, iam dominatur? Quid putas facturus est ille homo in regno meo, si creuerit? Ego, & dona hominibus spargo, & gladium porto: vt qui non timet, vel diligat: qui non diligit, vel timeat; Ille nec populum habet, nec diuitias congregauit: & quomodo sine auro diligitur, & sine ferro timetur?

38 CHRISTVS in martyribus patitur & moritur; sed & vincit ac triumphat. Mortuus est nunc ille Herodi in infantibus: mortuus est antea in prophetis: morietur postea in Apostolis & Martyribus, iuxta cælestem illã vocem: Saule, Saule cur me persequeris? mortuus est communiter in cruce pro omnibus.

39 MOrs & sanguis innocentum, baptismus illorum fuit.

40 IN morte innocentum fuit & iustitia, & beneficium: Iustitia, quia punita fuit in illis malicia & iniquitas parentum, qui cum Messiam suum quærere magis debuissent, oppugnarunt ac prodiderunt: originis item peccatum expiatũ. Beneficium; quia dubiam & incertam vitam illorum sine multis vitæ incommodis, in certum & æternum deduxit portum; sineq; multo certamine coronas & triumphos acceperunt.

41 RAchel, non in spelunca duplici sepulta fuit, sed circa Bethlehem; vt esset patrona loci illius: quæ & in abductione populi in Babylonem per Nabuzardan, & in hoc tempore, orasse legitur & fleuisse pro filijs suis. Cui illud respondet Dominus. Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis: quia est merces operi tuo, ait Dominus, & reuertentur de terra inimici. Et est spes nouissimis tuis, ait Dominus, & reuertentur filij tui ad terminos suos. Vnde colligere

Ierem. 31.

licet Sanctos orare pro nobis; & orationes eorum apud Deum multum valere.

HÆretici dum Christum persequuntur, eumq; venenatis suis doctrinis interficere volunt, illum quidem illustrant: simplices autem & rudes homines, instar Herodis, occidunt & perdunt. 42

NOtandum cum D. Chrysostomo, quidquid à quolibet hominum paßi fuerimus iniustè, vt & sancti innocentes, Deum illud aut remißione peccatorum, aut amplioris mercedis retributione compensare. Atq; vt lucidius incipiat esse quod dixi, orationem iuuemus exemplis. Ponamus etiam aliquem seruum multarum pecuniarum proprio esse domino debitorem, vim quoque perpeti ab iniquis hominibus hunc seruum, & quædam eorum quæ habebat amittere. Si igitur dominus volens arcere raptorem atque violentum, non quidem seruo restituat erepta, sed tamen cuncta quę perdidit, sibi illa computaret reddidisse; putasné læsus est seruus? Nequaquam. Quid verò si receperit plura quàm perdiderit, nónne etiam lucra damni occasione collegit? Quod certè ab omnibus absque vllo probatur ambiguo. Hoc igitur & in nobis, cùm iniustè aliquod patimur, cogitemus. Et quod, inquis, peccatum habebant paruuli, vt illis opus fuerit ignosci? De his quidem qui fuerunt ætate legitima, ac in multis deliquerunt, rectè hoc dicitur. Qui verò tam immaturum sustinuêre finem, quænam peccata ijs malis, quæ perpeßi sunt, deleuerunt? Non me audisti paulò ante dicentem, quòd si ea quæ soluantur peccata non fuerint; erit tamen illic retributio mercedis his, qui iniustè aduersa hîc aliqua patiuntur. 43

NOtandum. Veterem consuetudinem celebrandæ festiuitatis Sanctorum Innocentum in Ecclesia esse, iam vsq; ab Origenis ductam temporibus, eamq; pòst & Romanæ, & aliarum ecclesiarum consensu firmatam: cuius rei vel ipse Origenes locupletißimus testis est: Horum, inquit, memoria semper, vt dignũ est, in Ecclesiis celebratur, secundùm integrum ordinem sanctorum, vt primorũ martyrum pro Domino occisorum, & vt ipsa Bethlehem primitias Domino Martyrum, in qua natus est ipse saluator, obtulisse videatur. 44

QVærit hoc loco D. Chrysostomus, quonam modo regnaret in Iudæa Archelaus, cùm ipsi prouinciæ Pontius Pilatus præsideret? Eo nimirum, quòd recens adhuc erat Herodis interitus, & necdum regnum illud fuit in multa diuisum: itaq; nuper illo defuncto, filius interim pro Herode patre suo tenebat imperium. Nam frater quoque Herodis eodem erat nomine; propter quod Euangelista addidit, Pro Herode, patre suo. 45

MOrtui sunt, qui quærebant animam pueri: moriantur & illi, qui quærunt sanguinem innocentum: vel conuertantur & viuant. 46

PVtabat Iosephus, & alij omnes, quòd ipse matrem Christi & ipsum Christum Dominum portaret, illique omnia quæ necessaria sunt suppeditaret; cùm potiùs Christus Dominus Iosephum & matrem suam portârit, omniaq; necessaria eis ministrauerit. Quod omnibus illis euenit, qui ꝑ Christo aliquod certa- 47

men

men ingrediuntur: & ideò magno animo & fidenti, quæ pro Christo suscipimus, agere debemus.

48 COlligitur autem ex hoc capite, præter liberam hominis voluntatem, & præter Deum ipsum autorem omnium, tria esse, quæ ad actiones nostras aliquid conferre videâtur. Cælum inprimis tenui quodam & obscuro modo, deinde leges siue instituta, præcipuè autem angelorum custodiam: quæ tamen omnia liberam hominis voluntatem non præpediunt. Nam & hoc loco sidus Reges ducit: &Scribę & Pharisæ imulta ex lege Regibus præscribunt: & Angelus tam Iosephum quàm Reges admonuit, quæ illis prodesse aut obesse posint. Ac astra quidem, si quid agunt, per corpus & complexionem, ac temperamentum, animum inclinando, aptitudinemque, facilitatem, & promptitudinem ad aliquid, ex Dei voluntate tribuendo, agere dicuntur. Quomodo Magneti datum est, vt cæli plagas indicet, & ferrum ad se trahat. Leges autem & instituta, hominem mouent ab extra, vel persuadendo, vel cogendo, vel alliciendo. Verùm cùm in omnibus his errare, falli, decipi, contingat, nullamque certitudinem fixam habeant, homoque à iuuentute sua propter originis peccatum ad malum pronus sit; ideo addit Deus homini angelum, qui mentem eius intus doceat & illustret: quale quid in eis, qui foris fuerunt, fuisse docti autumant: Socrate, inquam, Bruto, & aliis. Sed quoniam ea vis est liberi arbitrii, vt quid quid intellectus statuerit, voluntati liberum sit, vel sequi, vel repudiare; ideò Deus ipse has sibi partes reliquit, vt ipse tanquam gubernator quidam voluntatem dirigat, vtque vel aliquid agat, vel fugiat, efficiat, omnesque aduersos effectus dimoueat: sine qua actione, nulla alia media causa valere potest. Vnde illud semper dicendum est: Illumina oculos nostros. Et illud: Deus in adiutorium meum intende. Actiones igitur nostræ, sunt in potestate nostra; quamùis euentus & successus in ipsa Dei sit potestate. Vnde Ethnicus ille, Careat successibus opto, Quisquis ab euentu facta notanda putet. Colligitur etiam inde, prouidentiam diuinam non in eo tantùm sitam, quando eius operatio cum aliis causis naturalibus concurrit; verùm etiã vbi & cæli inclinatio, & intellectus nostri acies, & angeli custodia deficit, tum demum nulla concurrente naturali causa, eius sempiternam curã vigere. Quantumùis sit homo ad malum promptus, & pesimè educatus, si tamen sit seruus Dei, & vigilet in oratione, omnia superare poterit. Horsum spectat illud Ieremiæ: Scio Domine, quia non est hominis, via eius; nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos. Et cùm Ecclesia facit orationem pro euitandis aduersis, quæ ex cæli inclinatione proueniant, eam non postulare miracula, sed potiùs ordinariam prouidentiam: cùm illa Deus auertere soleat, mediantibus causis naturalibus.

Ieremiæ 14.

49 NOtandum est cum Chrysostomo circa verba Euangelistæ, Vt impleretur quod dictum est per Prophetas, Nazarenus vocabitur. Quis igitur hoc asseruit Prophetarum? Nequaquam scruteris ista, neque in huiusmodi fueris curiosus. Multa enim ex propheticis periêre monimentis: quod de historia Paralippomenon probare posibile est. Desides enim cùm essent Iudæi: nec desides modò, sed & impii: alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et de prophanitate quidem tali Ieremias refert: de negligentia verò in quarto Regum libro legimus: quoniam post multum

 temporis

temporis vix Deuteronomii sit volumẽ repertum, defossum quodam in loco, ac penè deletum. Si autem absque vlla incensione templi, absque vllo impugnante ciuitatis tumultu, sacri tamen libri variè deperibant; quis iam istud inter illas depopulationes, vastationesque hostium, inter illa templi ac totius vrbis incendia contigisse miretur? Cæterùm, quia Prophetæ predixerant, idcirco etiam Apostoli Nazarenum eum frequenter appellant.

NOn placet hoc loco modus dicendi Caluini, qui Christum vocat diuinũ hominem: quod nusquam in Scriptura, nusquam in orthodoxis patribus legimus, sed Deum & hominem potiùs: nam diuinum hominem appellari, Arianismum sapit. 50

Caput III.



INITIVM prædicationis Euangelicæ, est gratia & pœnitentia. Gratia, quam Ioannis nomen significat: Pœnitentia, quam Ioannes predicat: altera ex parte Dei: altera ex parte nostra. quorũ alterum sine altero non consistit, contra quàm sentit hæresis. Initium Euangelij à Ioanne, qui fuit quasi in biuio legis & Euangelij medius. Initium Euangelij, prædicatio Ioannis: qui quidem minister fuit primus Euangelij, vti Malachias vltimus Prophetarum; indeque Malachias testimonium perhibet Ioanni, vltimus primò. Cœpit autem Ioannes prædicare Euangelium trigesimo propè Christi ætatis anno: tum demum post duos annos ab Herode sublatus est: cessitq; aurora lumini, lucifer soli, quo magis esset conspicuus fulgor eius. 1

NOtat D. Chrysostomus, venisse Ioannem nihil aliud facientem, quàm vt illos ad peccatorum suorum cognitionem trahat. Hoc etiam habitus ipse illius ostendit, qui vtiq; compunctioni ac pœnitentiæ congruebat; hoc ipsa quoq; prædicationis verba eius declarant. Nihil enim aliud aiebat, quàm, Facite fructus dignos pœnitentiæ: quasi diceret, ego illis confiteri peccata sua & pœnitentiam agere persuasi, non vt castigarentur omnino, sed vt facilius postea remissionis dona susciperent: nisi enim seipsos antè damnassent, neque sanè gratiam requisissent. Non quærentes verò gratiam, neque remissionem profectò assecuti fuissent. ita istud baptisma, alterius, id est Christi baptismatis, præparatio est: & idcirco dicebat, vt crederent in aduenientem post eum. 2

NEmo tam magnus extitit, qui testimonio alterius de se opus non habuerit. Testimonium de Christo Ioannes perhibet: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ioanni Isaias: Vox clamantis in deserto. Vox doctrina, vox moribus: vox in deserto bonorum operum, vox ad surdos Iudæos. Audierant autẽ Iudæi vocem, sed significationem eius non perceperant. Sic enim clamat: Parate viam Domini: hoc autem est, ornate atque complanate, idque per pœnitentiam; quemadmodum Regibus aduentantibus itinera publica adornari & complanari solent. Sic & nos Christiani voces legis Dei audimus, significationem vocis negligimus, Grammatici ex Christianis facti. Omnes igitur magni testimonio aliorum nituntur; hæresis suo. 3

Prius-

4 PRiusquàm Doctor, ad cuius doctrinam obligemur, recipiatur, tribus rebꝰ opus habet: miraculis, prophetia, examine. Sic Ioannis tota vita miraculum fuit. Idem prophetias Isaiæ, Malachiæ, retulit: idem à synagoga examinatus, à Christo approbatus. Hæresis suprà Ioannem, miracula non facit, prophetias nullas allegat, examen refugit, & absque his angelos se minatur iudicaturam.

5 TEstes veræ doctrinæ semper inusitato aliquo genere vitæ, ac à communi vsu remoto Deus commendauit: quod in Moyse antea, in Helia item ac Eliseo, nunc in Ioanne videmus: postea de multis, Antonio, Francisco, Dominico, & aliis legimus. Hæresis claustra vitæ sanctioris frangere conatur, licentiæ fores aperit.

6 QVod quisq; verbis prædicat; id prius opere exequatur oportet. Cœpit, inquit Lucas, Iesus facere, & docere. Sic Ioannes prædicaturus pœnitentiam, plenam pœnitentiæ vitam agit. Hæresis gulam dum prædicat, gulam sequitur.

7 VItæ monasticæ antiquitas & commendatio in Helia & D. Ioanne, tanquam duobus præteriti seculi luminaribus conspicitur; quam postea Thebaidis patres ac Ægypti, iam Marci temporibus, secuti sunt: confirmauit Nazianzenus, Basilius, Hieronymus, Augustinus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciscus; prosequuntur & perficiunt multi. Quanquam Caluinus montanum & rusticanum hominem vocat Ioannem, omniaq; illius, oratione extenuat; Ioannis nomine indignissimus.

8 ERemus, vt vitam & mores, ita victum & amictum ab alijs distinctum, ac rigidiorem quandam innocentiā secuta est. Quod in Helia apparet, de quo scriptura: Vir pilosus & zona pellicea accinctus. Zona pellicea, mortificationis est: Sint, inquit Christus, lumbi vestri præcincti. Hoc idem de Ioanne Matthæus: Ipse autem Ioannes habebat vestimenta de pilis camelorum, & zonam pelliceā circa lumbos suos: esca autem eius erant locustę & mel syluestre: hoc est, vt inquit Chrysostomus, impræparata mensa, & tali mensa facilior amictus, & habitatio facilior amictu. Hoc idem Philo Iudæus scribit de his monachis, qui per Ægyptum sparsi erant, in eo libro, quem περὶ θεραπευτῶν inscripsit: cuius magnam partem interpretatus est Hieronymus in Epistola ad Eustochium, & Cassianus in Collationibus. Quod dum hæresis legit, & imitari neque vult, neque potest; negare autem, aut malè fieri erubescit, variis interpretationibus eleuare conatur. Nam & vestimentum de pilis camelorum, molle & delicatum esse comminiscitur, quale est Camelotū: & locustas delicatum cibum dicit, quales sunt cancri: mel autem syluestre manna vocat. Qui idem sensus fuit aliquando Ebionis, vt refert Epiphanius his verbis: Et cibus eius, inquit, mel syluestre, cuius sapor erat ipsius mannæ, velut encris: hoc est aquosa dulcedo in oleo: quo videlicet veritatis sermonē in mendacium conuerterent, & pro acridis, hoc est locustis encridas, hoc est aquosam olei dulcedinem in melle facerent. Quæ omnia & cum sensu pugnant, & cum ipsis verbis Euangelistæ non conueniunt: qui dum singularem quendam hominem, & à vita communi remotum Ioannem fuisse demonstrare voluisset, nouum quoque ac peculiare vitæ genus illi dare voluit. Dicit enim saluator: Sed quid existis videre hominem mollibus vestitum? Et in alio loco: Et venit Ioannes neque manducans, neque bibens, & di-

Matth. 11.

& dicunt: Dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini. Et alio in loco: Siceram & vinum non bibet Hoc idem expositioni totius vetustatis consentaneum non est. Habitatori solitudinis congruum erat, inquit Hieronymus, non delicias ciborum, sed necessitatem carnis explere. Aut igitur Elias & Ioannes, cæterique omnes, qui eorum exemplo dura secuti sunt, stulti erant ac superstitiosi: aut isti molles ac delicati. Verùm cùm illi à natiuitate sua Spiritu sancto repleti fuerunt, prophetias de se habuerint, Messiæ iudicium retulerint; isti autem in iuuentute epigrammata amatoria scripserint, artemque amandi docuerint; istos certè insanos & temulentos esse oportet; aliamque longè viam cæli esse, quàm isti arbitrantur, de qua Christus Dominus: Angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui ingrediuntur eam.

Matthæi 7.

OMne vestimentum ad tres pertinet causas, aut ad speciem visionis, seu ad vanam gloriam: aut ad delectationem corporis: aut ad tegumentum nuditatis. Ad speciem visionis habere vestimentum, seruis Dei non conuenit: similiter ad delectationem corporis Deo seruientibus non est aptum. Sed quid? ad tegumentum nuditatis, quod hoc loco in Christi præcursore videmus. 9

QVamùis gratia prima gratis detur, disponitur tamen homo ad illam per pœnitentiam, aliaque bona opera: quod nunc Ioannis doctrina apertè indicat, qui gratiam annunciaturus, ex qua nomen accepit, primùm ad pœnitentiam, eiusque fructus homines hortatur; quam eandem, vias Dei & gratiæ vocat: contraquàm hæresis docet. Vt facile cognoscas, aliud Ioannis Euangelium fuisse, aliud istorum. 10

PRæposterè hoc loco inuertit ordinem Euangelii Caluinus: prius enim ponit remissionem peccatorum, deinde pœnitentiam. Atqui contrarium docet Ioannes: sed & Christus Dominus: Sic oportebat, inquit, Christum pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum. 11

ANtiquissimum dogma est, cum ipsaque humana natura natum, tres partes pœnitentiæ esse, contritionem, confessionem & satisfactionem: quæ omnes in prædicatione Ioannis apparent. Contritio quidem, quia pœnitentia permota exibat vniuersa Hierosolyma ad Ioannem: Confessio similiter, quia confitentes peccata sua: Satisfactio: quia parati facere dignos fructus pœnitentię. Negabat hoc loco confessionem peccatorum fuisse Caluinus. Dicit Matthęus, confitentes peccata sua. Duos arietes habet Caluinus inexpugnabiles: primum, quia Ioannes non audiuit confessionem auricularem: quanquàm ne hæc quidem probet, publicam certè audiuit. alterum argumentum, quòd soli catechumeni confiteri debeant. Negatur: non soli enim catechumeni peccatores sunt. Quorum remiseritis peccata, remittuntur illis. 12

MAiori obiurgatione opus habent magistri delinquentes, quàm discipuli: quòd Diogenes quidem olim facere solebat, & nunc facit D. Ioannes, qui plebem quidem non obiurgat, Pharisæos autem cum Saducæis grauissimè perse- 13

qui-

quitur, Progenies, inquiens, viperarum, quis vobis demonstrauit fugere à ventura ira? Volebat hoc loco videri Caluinus plusquàm Ioannes, nec tamen Baptista: itaque malignè & falsò inuectus est in Papam, ac vniuersum ordinem sacrum; ac vt idem faciant, suos hortatur, ita tamen, vt affectus teneant: quòd non priùs admonuit, quàm omne virus suæ acerbitatis ipse euomuisset, iuxta illud: Principi populi non maledices.

14 PRopter triplicem viperarum naturam Pharisæis & Saducæis competentem, D. Ioannes illos, genimina viperarum, appellauit. Prima ea viperarum natura est, cùm momorderit hominem, statim currit ad aquam: si autem aquam non inuenerit, moritur. Ideo & istos vocabat genimina viperarum, qui peccata mortifera committentes, currebant ad baptismum; vt quemadmodum viperæ, per aquam periculum mortis euaderent. Item viperarum natura est, rumpere viscera matrum suarum, & sic nasci. Quoniam ergo Iudæi asʃiduè persequentes prophetas, corruperunt matrem suam synagogam, sicut ipsa lugens dicit in Canticis: Filii mei pugnauerunt contra me, ideò genimina viperarum nuncupantur. Item viperæ à foris speciosę sunt, & quasi pictæ: ab intus autem veneno plenæ sunt: Ideo & hypocritas & pharisæos viperarum genimina appellat, quia hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu, & venenũ maliciæ portabant in corde. Hæc D. Chrysostomus.

15 QVantus est iste, cuius vt calceos ferat, indignum se iudicat ille, quo nullus maior natus est inter natos mulierum. Neq; ipse tantùm, sed in illo res creatæ vniuersæ, angeli primò (nam & angelus fuit, iuxta illud: Ecce ego mitto angelum meum, non natura quidem, sed gratia & functione) humana deinde natura planè vniuersa. Fuit, inquit, homo missus à Deo, cuius nomen erat Ioannes. Et in hac Prophetæ vniuersi: Fuit enim Ioannes plusquàm Propheta, & martyres omnes, quorũ gregem ille ducit: decollatus est enim Ioannes propter Herodiadem. Virgines etiam, Eremitæ, Doctores: hic est enim de quo Ecclesia: O nimis felix meritique celsi, Nesciens labem niuei pudoris, Præpotens martyr, eremique cultor, Maxime vatum. Vna igitur adoratione & confessione, vniuersa natura & Ecclesia confitetur hunc Deum esse; post quem hic tantus indignum se censet, vt calceamenta ferat: solæ Hungaricæ & Polonicæ disputant hæreses, vtrum hic adorandus sit.

16 QVi se humiliat exaltabitur: Humiliauerat seipsum Ioannes in tantum, vt se indignum fateretur, qui tanti principis calceamenta ferat: exaltatur tantùm, vt hic idem illi caput suum subiiciat, vt baptizetur ab eo. Miratur exaltationem suam: Ego, inquit, debeo à te baptizari, & tu venis ad me. Ac si dicat, inquit D. Chrysostomus. Quo ego desidero ascendere, tu inde descendis. Ergo vt tu me baptizes, est idonea ratio, vt iustus efficiar, & dignus cælo. Vt autem ego te baptizem, quæ est ratio? vt iustus efficiaris? sed ipse es iustitiæ radix. Vt in cælum ascendas? sed ipse natura in cælo es, etsi voluntate de cælo descenderis. Tu es spiritus, ego caro. Nunquid caro spiritum sanctificare potest? magis autem spiritus sanctificat carnem. Cuius enim creandi est virtus, ipsius est & sanctificandi potestas. Quis diues à paupere diuitias quærit? Omne bonum de cælo descendit in terram, nõ de terra ascendit in cælum. Ille antiquus, qui mane ori-

In Math. Homil. 4. Oper. Imper.

ne oriebatur, cogitauit apud ſe dicens: ſuper cælum aſcendam. Si ergo ille angelus conſtitutus, pro ſola cognitione ſuperbiæ, depoſitus eſt de angelica gloria ad ignominiam tenebrarum: ego quid merear pati, ſi homo carnalis & corruptibilis conſtitutus, tantæ ſuperbię opus impleuero, & dignè me exiſtimauero totius creaturæ dominum baptizare? Simile illud fuit paulò poſt Petri: Domine tu mihi lauas pedes? non lauabis mihi pedes inæternum. Cui reſpondit Ieſus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Et Petro quidem ſic: Ioanni autem, Sine modò: nam poſtea te, à quo baptizor aqua, baptizabo igne, baptizabo ſpiritu, baptizabo ſanguine meo. Triplicem autem ob cauſam ſaluatorem à Ioanne baptizari, docet hoc loco Hieronymus. Primùm, vt quia homo natus erat, omnem iuſtitiam & humilitatem legis impleret. Secundò, vt baptiſmate ſuo Ioannis baptiſmum confirmaret. Tertiò, vt Iordanis aquas ſanctificans, per deſcenſionem columbæ ſpiritus ſancti in lauacro, credentium monſtraret lauacrum.

Ioan. 13.

NOtandum & illud eſt ex D. Chryſoſtomo, recognoſcere Ioannem innocentiam Chriſti ad baptiſmum venientis. Qui enim cuncta humani generis poterat peccata delere; procul dubio abſque omni erat ipſe delicto: Propterea ergo non dixit: Ecce, qui eſt immunis à peccato: ſed (quod vtiq; multò erat amplius) Qui tollit, inquit, peccata mundi: vt poſt ipſum illud quoque cum omni iam facilitate ſuſcipias: cúmque ſuſceperis, animaduertas; quòd alia quædam diſpenſans veniat ad baptiſmũ, propter quod & venienti clamat Ioannes: Ego à te debeo baptizari, & venis ad me? 17

ELucet hoc loco Ioannis Baptiſtæ admiranda ſapientia. Quando enim ipſe prædicat, affert omnia plena terroris, & quę animos auditorũ maxima prorſus comminatione concutiant. Quando verò illos ad Chriſtum remittit, iucũda ponit ac proſpera, & quæ facilè poſsint recreare metuentes. Non enim comminantem ſecurim, non excidendam ac comburendam proponit arborem, nõ iram futurã adducit in medium, ſed indulgentiam peccatorum, interitumq; pœnarũ, iuſtificationem, ſanctificationẽ, liberationem, filiorum adoptionem, fraternitatem, cohæreditatem, cõmunionemq; Chriſti, & ſancti Spiritus dona largiſsima. Hæc enim vniuerſa pariter cõplexus eſt dicendo: Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto: ipſa quoq; tranſlatione ſermonis, exprimens gratię largitatem. Non enim dixit, dabit vobis Spiritum ſanctum: ſed, Baptizabit in Spiritu ſancto. 18

NOtanda & cauſa eſt, propter quam ignis intulerit mentionem, vt nimirum eos ad illorum recordationem vocaret, quibus ignis ſpecie apparuerunt viſiones. Sic enim beato Moyſi in rubo locutus eſt Deus: ſic omni populo de monte Sina: ſic Ezechieli quoque de Cherubin. 19

QVi aliis præeſſe vult, omni ſtudio curare debet, vt illud liquidò dicere poſsit: Vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: quò per omnia ſimilis ſit fratribus. Quod nunc Chriſtus Dominus facit: Sine modò, inquit: ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Quia vtique decet etiam maledictum ſoluere, quod ob præuaricationem legis illatum eſt: propterea quippe & carnem aſſumpſi & veni. Decet implere & iuſtitiam legis, iuſtitiam figurarum, iuſtitiam hu- 20

am humilitatis, iustitiam futuræ prædicationis, iustitiam mandati paterni. Duę autem hoc loco colliguntur partes baptismi, Lotio & Vnctio. Lotus est Christus Dominus à Ioanne: vngitur cælitùs à Spiritu sancto. Nam & qui in stadium ingrediebantur, lauabantur primò, vngebantur deinde. Baptismus agon Christianæ pugnę est. Spreuit hæresis vnctionem primùm, ideò & lotionem paruifacit.

21 NVsquam melius elucescit venerandę Trinitatis confessio, quàm in baptismo, vtpote cuius solius opus est proprium. Nam & in Christi baptismate, Spiritus Dei visibiliter descendit in specie columbę: & paterna vox sensu percipitur: Hic est filius meus dilectus: & ipse filius manu Baptistę lauatur. Sed & in nostro baptismate eadem Trinitas inuocatur, & magis quàm vsquam conspicitur: Ego te baptizo, id est iustum facio, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. A qua fide, qui discedit, baptismum suum prodit, apostata est, Christianus neq; est, neque dici potest. Significat autem baptismus deductionem diluuii aquarum peccati, & vim regenerationis, quæ ex humido & calido cõstat.

22 NOtandum verba D. Ioannis, Ego baptizo vos aqua, ille autem, qui post me venit, baptizabit vos Spiritu sancto, Diuum Petrum in Actis interpretari: Recordatus sum, inquit verbi Domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterùm vos baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus quemadmodum & nobis, qui credidimus in Dominum Iesum Christum; ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His autem auditis, tacuerunt & glorificauerunt Deum dicentes: Igitur & gentibus Deus pœnitentiam concessit ad vitam.

Actor. 11.

23 OMnis aduersitas, quæ nos sine nostra occasione tribulat in hoc mundo, baptismus ignis est: quam si magnanimiter sustinueris, nihil murmurans contra Deum, imputatur tibi illa carnalis afflictio pro peccato quod commisisti. Si autem non peccasti, quod est difficile, & ignis ille tentationis circa animam tuam non inuenit sordes peccatorum quas comedat; ipsam animam tuam facit splendidiorem: & quantò grauior fuerit tentatio; tantò magis facit clarescere animam. Et in aqua quidem semel baptizamur; in igne autem penè dum viuimus.

D. Chryso: in Matth. Hom. 3. Op. Imper.

24 FErit autem Ioannes vniuersum mundum, tribus potentissimis sagittis. Pœnitentiæ, quam mundus nocentissimus ridet, agereq; recusat, ipse in vtero sanctificatus egit. Humilitatis, ad quem cùm fuisset titulus Mesiæ delatus, non modò illum non accipit, sed indignum se profitetur, qui post Mesiam calceamenta ferat. Castitatis, in sacerdotis enim domo natus inter sanctos, domum tamen fugit, ne leui saltem maculare vitam Famine posset; verè in spiritu Eliæ, hoc est castitatis; ne oculis desiderantibus Christum, prius quid videat præter Christum. Ridet hæc omnia hæresis. Quod si ille, inquit D. Chrysostomus, in omni vitæ ratione mundissimus, cæloq; ipso clarior, & prophetis celsior, quo nullus hominum maior fuit, quiq; tanta apud Deum familiaritate gaudebat, ad omnem tamen patientiam durabat laborum, satis altè deliciarum fluxa despiciens, atq; ad omnem se vitæ rigorem coarctans; quam nos satisfactionem afferre poterimus, qui post tot Christi beneficia, postq; mille nostrorum onera peccatorum, ne minimam quidem partem illius castigationis imitamur?

NEgant Magdemburgenses, Ioannem eremi vitā secutum esse, sed in vrbe 25 vicina deserto, vrbanam egisse vitam: Christus Dominus affirmat: Quid existis in desertum videre hominem mollibus vestitum? Et Isaias: Vox clamantis in deserto.

Matth. 11. *Isaiæ 40*

CAthedra Ioannis, desertum fuit: Christi Domini, vniuersa Iudæa. Cur 26 ita? Quia homo debebat vitare humana: Deus & Dominus liberè per sentes humanas gradiebatur, inquit Hieronymus: quia concionatoris est proprium, turbas fugere, ne familiaritas pariat illi contemptum: & quia eius vita debebat esse miraculum, qui miracula facere non debuit, quòd debebat legis & sacerdotij occasum prædicare, ideoq; se sponte sua à lege & Sacerdotibus seiunxit; vel vt melius vacaret contemplationi, vel quòd debebat prædicare regnum seiunctum à mundo: & quòd haberet delicatum stomachum, qui mūdi vitia coquere non potuit, & ideò vix vnum annum in vrbe commoratus est. Christus autem Dominus lux fuit, œconomus, paterfamilias, legislator, medicus: & ideò inter ægros illum conuersari oportuit, in medio populi, & vtramque vitam actiuam & contemplatiuam conuersatione sua comprobare.

CHRISTI Domini baptisma à Ioannis baptismate nihil differre, ait Cal- 27 uinus. Verba illius hæc sunt: Iam cum eadem baptismi illius significatio, vis & ratio fuerit, quæ nostri, si figura à sua veritate æstimatur, falsum est diuersos esse Ioannis & Christi baptismos. Verùm est, Caluine, distinctam esse figuram à veritate: sed tu te, vbi audire Ecclesiam desiisti, ipse non audis. Sed audi Pseudoioannes verum Ioannem. Ego quidem, inquit, baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, ipse baptizabit vos in spiritu & igne. Quod pulchra similitudine illustrat Theophylactus: Veluti inquit, si dicamus, Venit regius nuncius prædicans mensæ regis instructionem, in beneficium eorum qui instruxerint: non id asserimus, quod nuncius beneficus esse debeat in mensæ regalis instructores, sed quia ipse prædicârit ciborum apparationem: quam quicunq; curauerint, regemque mensa regia acceperint, beneficium ab eo referant. Hoc loco itidem præcursor CHRISTI prædicauit baptisma pœnitentię; vt nimirum per pœnitentiam CHRISTVM suscipientes, & peccatorum ab eo remissionem percipiant. Et Venerabilis Beda: Sicut, inquit, incarnatum Verbum patris præcurrebant verba prædicationis: ita baptismum pœnitentię, quo peccata soluuntur, præcucurrit suo baptismate, quo peccata solui non possunt. Pluribus hæc explicat Basilius de Virginitate, Damascenus lib: 4. Institutionum diuinarum cap. 5. Rupertus Abbas de diuinis officiis: D. Thomas, & tota sancta Ecclesia.

QVemadmodum Ioannes non erat vera lux, sed vt perhiberet testimoniū 28 de lumine: ita baptismus eius non erat verus baptismus, sed figura & typus veri baptismi & illuminationis, contrà quàm sentit Caluinus. Carebat igne, idest spiritu, carebat gratię efficatia: pœnitētia opus habuit, quam prædicat Ioannes.

IMpudenter ritus sacramentorum, magicos ritus vocat hoc loco Caluinus, 29 sacramentis prædicationem nescio quàm agglutinans, cùm sit distincta ratio formalis sacramenti & prædicationis: eaque non ex signo visibili, neq; ex gratia, sed ex prædicatione verbi vim habere, nouo quodam modo & frigido, &

quem

quem homo doctus vix intelligere posſit, aſſerit. Diſtinxit hæc legislator: Ite, inquit, prædicate Euangeliũ: prædicationis hoc munus eſt: baptizantes illos, hoc adminiſtrationis munus. Sed confuſus intellectus, confundit omnia.

30 HÆc omnia eueniunt in baptiſmo fidelium, quę nunc euenire circa Chriſti baptiſmum videmus. Nam & cæli illi, qui baptizatur, aperiuntur, & Spiritus ſanctus deſcendit ſuper illum, & filius Dei efficitur. Quo loco præclarè Chryſoſtomus: Eius rei gratia, inquit, cæli patuerunt, vt diſcas etiam tu cùm baptizaris, hoc fieri, Deo te iam ad patriam cæleſtem vocante, nihilq; commune cum terra habere ſuadente: contra quàm ſentit Arianiſmus, qui baptiſmum notam quandam inanem eſſe arbitratur, qua fideles ab infidelibus dignoſcãtur, memorię cauſa. Aperiuntur autem cæli, inquit Hieronymus, non reſolutione elementorum, ſed ſpiritualibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis ſui apertos eos commemorat. Sedit quoque columba ſuper caput Ieſu, ne quis putaret vocem patris ad Ioannem factam, non ad Ieſum. Chryſoſtomus etiam cauſam reddit, cur in ſpecie columbę Spiritus ſanctus venerit: Manſuetum, inquit, hoc animal ac mundum eſt. Quia igitur ipſe ſpiritus, manſuetudinis eſt ſpiritus, propterea in eius ſpecie apparuit. Simul etiam veteris nos videtur admonere hiſtoriæ. Nam cùm vniuerſum aliquando orbem naufragium commune merſiſſet, & omne prorſus hominum genus periclitaretur, iſtud interim certè animal apparuit, finemq; illius tempeſtatis oſtendit, atque ore ramum portans oliuæ, pacem mundo redditam nunciauit. Quæ omnia erant futurorum figura.

31 ABſtinendum eſt omnibus à detractione, iudiciisq; temerariis: quia non in noſtra, ſed in ipſius iudicis manu ventilabrum iudicii poſitum eſt, quod ſegreget paleam à tritico, bonos à malis. Quod quidem ventilabrum eripuit de manu ipſius Ieſu Chriſti Caluinus, in eoque vniuerſam vetuſtatem, concilia, patres, magiſtratus, ordines repoſuit. Et hos quidem inter paleas, hoc eſt hypocritas & ſycophantas (quibus verbis nihil in eius ſcriptis frequentiùs eſt) ſe autem ipſum cum ſuis Geneuenſibus, inter granum & triticum.

32 IMprobè & ſcandalosè ignem hunc, quo comburendæ ſunt paleæ, metaphoricum dicit eſſe Caluinus, contrà quàm docet Eccleſia & Patres. Nam ſi ignis metaphoricus eſt, verendum, ne eodem modo infernus & iudex, & iudicis ſententia; ſed & cæli gloria, & præmia ſanctorum intelligantur metaphoricôs. Periculoſos tropos proferre ſolet Caluinus. Nam & ſi veteres docuerunt ignem illum longè diuerſum eſſe, magisq; metuendum hoc igne vulgari, quod & ad ipſos animos & conſcientias pertingat: metaphoricum tamen eum qui appellaret, legi neminem.

33 VTitur autem Ioannes ad tuendam pœnitentiam argumentis iſtis. Promiſsionibus ac ſucceſsionibus ſolis confidendum non eſſe. Neque enim Dei promiſsiones aliter poſſumus conſequi, quàm ſi eius mandatis paruerimus. Neque velimus dicere, Patrem habemus Abraham: cùm nõ deſint, nec deeſſe poſſint fœcundiſsimo parenti, in quibus & promiſſa ſua complere, & ſucceſsiones continuare poſsit. Potens eſt enim Deus, & de lapidibus iſtis excitare filios

Abrahæ. Quem locum pulchrè interpretatur D. Irenæus: Hoc, inquit, fecit Iesus, à lapidum religione, extrahens nos, & à nostris duris & infructuosis cogitationibus transferens nos,& similē Abrahę fidem in nobis constituens. Quemadmodum & Paulus testificatur, dicens nos esse filios Abrahę secundùm similitudinem fidei, & repromißionem hæreditatis. Secundum argumentum est, periculorum præsentia. Iam, inquit, securis ad radicem posita est. Securim Hieronymus prædicationem sermonis Euangelii intelligit, qui diuidit corpus & animam, iuxta illud Ieremię: Vox eius quasi æris sonabit: quoniam cum exercitu properabunt, & cum securibus venient ei. Quasi cædentes ligna, succiderunt saltum eius, ait Dominus, qui supputari non potest. Nos quidem securim ad radicem positam putaremus, dici extremam excisionem oliuę, vt inseratur syluestris oleaster, vt innuit D. Paulus. Tertium à rebus, quæ natura oriuntur. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, eradicabitur, & in ignem mittetur. Quartum argumentum à functionibus futuri Meßiæ, cuius officium esse debebat, non sanare tantùm, sed etiam præcidere: non tantùm triticum seruare, sed & paleam disiicere, & in ignem mittere. At omnia contraria docet hæresis: Arbitramur, inquiunt, sola fide hominem iustificari: Non potest homo Christianus condemnari, nisi nolit credere: Committendum esse aliquod graue peccatum, vt securi simus. Quòd si argumenta Ioannis tantam fidem habuerunt in initio salutis; quantò magis nunc habere debent in ipsa senecta mundi, occasuq; omnium; in ipsisq; rerumpublicarū periodis, in quibus conuerti & occidere soleant?

Ierem. 46.

NOtandum contra eos, qui gehennam esse non credunt. Duo hic ab Ioanne pariter posita esse: quia scilicet & credentes baptizet Spiritu sancto, & comburat incredulos. Si igitur illud verum est, procul dubio & istud est verū. Propterea enim simul vtrumq; prædixit, vt ex hoc quod iam factum est, etiam illud quod adhuc differtur, credamus futurum. 34

NOtandum cum Chrysostomo, nos quamdiu hîc viuimus, de palea in frumentum mutari: sic contra multos ex tritico in paleam degenerare. Propterea Dominus & paleas patienter expectat, vt fiant ex illorum coniūctione meliores. Propterea nondum iudicij examen agitatur, vt omnes pariter coronemur, vt multi ad virtutem à vitijs transeant. 35

POST duodecimum annum vsque ad trigesimum, nihil de vita Saluatoris in Euangelio scriptum inuenitur. Totum enim illud tempus vni insigni voluit consecrare scripturæ lectioni: quam ante omnia scire nos oportebat. Silentiū enim triginta annis illis tacendo, nos docuit: nam etsi iam inde ab incunabulis plenus esset sapientia, non tamen ante trigesimum annum prædicare voluit. Triginta igitur annis tacuit, qui tribus tantùm prædicauit: vt hinc intelligas, quantum temporis dedicauerit silentio, & quam parum prædicationis officio. Nos verò, inquit D.Bernardus, plenis buccis semper loqui volumus: si arbitremur nos aliquid scire, silere non poßumus: existimamus enim nos nihil scire, nisi & id sciant alij; ita vt scientiam nostram, quantumuis exiguam, circumquaque per vias & plateas circumferamus & venditemus. 36

Quia

37 QVis hæc cogitans non humiliabitur, vſque ad puluerem terræ? quis audebit ſe iuſtificare, aliiſque ſe præferre? Sed tu, ô pulchritudo cæli, fons puritatis & vitæ, quid tibi & baptiſmo, vel lauacro immunditiæ? quid tibi cum remedio peccatorum, qui ſine peccato conceptus es? Non æquum, vt hæc miranda humanitas tranſiret,ſine magna gloria,præſertim cùm natura ſit Dei humiliare ſuperbos, & exaltare humiles. Idem & hîc accidit: aperti enim ſunt cæli, & Spiritus ſanctus deſcendit vt columba, & venit ſuper eum: ſed & magnifica vox patris audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui; hunc audite.

Caput IIII.

1 MILITIAM eſſe hominis vitam in hoc mundo,teſtatur Iob: ab hac ergo militia, vitam ſuam orditur Chriſtus, & in hac eandem in cruce ponit. Hæreſis, ſine bello & certamine, victorias & triumphos canit. A baptiſmo autem ſtatim Chriſtus Dominus ieiunat, vt doceat, ad conſequendam æternam felicitatem, primam iuſtitiam,quæ in baptiſmo ſuſcipitur,non ſufficere; ſed ſtatim dandam eſſe operam, vt qui per baptiſmum bonus eſt, per bona opera iuſtificetur adhuc, contrà quàm ſentit hæreſis.

2 QVoniam Marcus quidem & Lucas, hoc ipſum ſcripſerunt, & tentatum exponunt à diabolo; Ioannes autem nihil horum attigit: Cauſam hanc eſſe arbitratur Origenes, quoniam hi quidem, inquit, magis ſecundùm humanam eius naturam exponunt de eo, quàm ſecundùm diuinam: Ioannes autem magis ſecundùm diuinam quàm ſecundùm humanam interpretabatur naturam: diuinitas autem intentabilis erat. Ideò tres quidem Euangeliſtæ expoſuerunt tentatum: Ioannes autem ſecundùm quod cæperat, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum; neſcit Deum verbum poſſe tentari.

34

35

3 SI CHriſtus Dominus trina congreſsione diabolum vicit hoc loco, idque magnificè, ac cum ſummo hoſtis communis dedecore & confuſione,quæ cauſa fuit acerbi illius ac triſtis in cruce certaminis? Præſens certamen, vmbræ, exercitij, exempli, ſpeciminis eſt: illud autem in cruce,veræ & ſeriæ pugnæ, & victorię, vbi vita cum ſanguine expoſcebatur. Quomodo perfectus gladiator aliquando ſpectantibus diſcipulis, arma ipſe ſumere ſolet, non vt vincat, ſed vt vincere doceat, veræque pugnę ſignum & exemplum præbeat: ſic hoc ipſum præſens certamen, exempli ac inſtitutionis noſtrę fuit.

36

4 MOyſes ieiunauit in colloquio Dei: Elias in fortitudine cibi: CHRISTVS Dominus in virtute ſua.

5 IEiunium ac certamen Chriſti, non tam miraculi,quàm exempli fuit: quod impudenter negat hæreſis; impudentiſsimè autem Caluinus, cuius verba cognouiſſe, refutaſſe eſt. Hic idem,inquit,fuit ieiunii finis: neque enim à cibo &

potu abstinuit Christus, vt temperantiæ documentum ederet; sed quò plus autoritatis haberet, dum à communi hominum sorte exemtus, quasi è cælo angelus, & non homo è terra emergit. Qualis enim obsecro illa abstinentię virtus fuisset, cibum non gustare, ad quem appetendum nulla eum esuries moue bat? Certum est enim, clarè Euangelistę pronunciant, non aliter eum tulisse inediam, quàm si carne non fuisset indutus. Quare mera stultitia fuit, ieiunium quadragesimę, vt vocant, ad Christi imitationem instituere. Neque enim maior hodie ratio est, cur hoc Christi exemplum sequamur, quàm fuit olim sanctis prophetis & aliis patribus sub lege, imitari Mosis ieiunium: atqui scimus nemini hoc in mentem venisse: Eliam solum Deus, quia instaurandæ legis minister erat, simili ferè de causa, ieiunum in monte continuit. Imitatores se esse Christi fingunt, qui per quadragesimam quotidie ieiunant: nempè sic farciunt ventrem in prandio, vt cenę tempus facilè absque cibo transigant. Quid simile habent cum filio Dei? Maior erat veterum frugalitas: sed illi quoque ieiunio Dei nihil affine habebant; non magis scilicet, quàm hominum abstinentia ad angelorum inediam accedit. Adde, quòd nec Christus, nec Moses quotannis solenni ieiunio defuncti sunt, sed vterque semel tantùm tota vita. Atq; vtinam ineptiis tantùm lusissent, vt simiæ: sed impium & detestabile Christi ludibrium fuit, quòd se ad eius regulam fictitio suo ieiunio formare tentârunt. Quòd opus meritorum, & partem esse pietatis, & diuini cultus sibi persuadent, pessima est superstitio. Sed hæc in Deum contumelia est minimè tolerabilis, quod singulare eius miraculum obscurant: deinde in CHRISTVM, quia suum illi insigne detrahentes, eius spoliis se vestiunt: tertiò in Euangelium, cui non vulgaris detrahitur autoritas, nisi hoc Christi ieiuniũ, eius sigillum esse cognoscitur. Singulare miraculum Deus edidit, cum Filium suum exemit à necessitate edendi, an non insana audacia æmulantur Deum, qui idem sua virtute affectant? Diuina gloria insignitus fuit Christus per ieiunium: an non sua gloria fraudatus in ordinem cogitur, cùm se illi socios cuncti mortales permiscent? Hunc ieiunio Christi finem statuit Deus, vt Euangelium obsignaret: qui in alium vsum transferunt, an non tantundem imminuunt ex Euangelij dignitate? Facessat igitur ista κακοζηλία, quæ & consilium Dei, & totum eius operum ordinem peruertit. Et hæc quidem ille. Ignatius autem vetustissimus martyr Ioannis discipulus ista: Dies festos in honore habete: quadragesimam autem nolite pro nihilo habere, imitationem enim conuersationis CHristi Dei continet. Ego quidem hominis eruditi orationem leuiorem aut magis vanam legi nunquam, vt hæc oraculi istorum est. Sed hoc illis euenit, qui semel metas pudoris transierunt: deinde qui venerandam antiquitatem semel contemnere didicerunt: demum, qui vulgi opinione ebrij, sua dicta pro decretis habere volunt. Mitto, hæc contra sacros Canones dici: mitto contra constitutiones Apostolicas, sacras synodos: mitto contra consensum patrum: mitto contra communem notionem omnium, quod quidem ante nos alij egregiè prædicarunt: nos non libros, sed notas scribimus. Hoc vnum dico contra omnem rationem ac fidei œconomiam hæc dici. Nam si ideo Christi ieiunium imitari non debemus, quia illud consequi non possumus; tum eadem ratione nullam eius virtutem imitabimur, non humilitatem, non mansuetudinem, non patientiam, non castitatem, quas similiter nemo imitatione consequi poterit vnquam, ac ne angeli quidem. Deinde si in ieiunio quadragesimali Christo atque Euangelio iniuria

iuria fit; tum eodem modo in omni eius imitatione longè maior fiet, cùm aliȩ virtutes longè maiores in eo ſint, quàm ieiunium. Tum vana erit illa frequens admonitio eius, Venite poſt me. Et illud: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Et illa: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Et illa: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et illa Pauli: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Eundem errorem ſequuntur Magdeburgenſes, Chriſtum non imitationis cauſa ieiunaſſe, ſed vt legem compleret. Atqui hæc inſana eſt oratio: nunquam enim lex iubet aliquem, quadraginta noctibus ac diebus ieiunare, cum hoc ipſum homini mortali, eiuſq; proprijs viribus poſsibile non ſit. Talis eſt Euangelicorum doctorum doctrina: his ſe populus Chriſtianus, toto orbis conſenſu ſpreto credat? Quid enim aliud eſt, hæc talia temerè effutire, quàm omnem virtutem & continentiam euertere?

6 CHRISTVS Dominus ſua voluntate eſuriuit & ieiunauit: in quo omnes facultates ita ſubiiciebantur rationi, vt quod illa iuberet, ſtatim fieret: propterea quod hæc fuerit inſtrumentum coniunctum diuinitati eo modo; vt quando ratio dormire ac eſurire iuberet, dormiret ac eſuriret; & contra non eſurire aut vigilem eſſe, non eſuriret nec vigilaret.

7 AGonis autem præſentis & certaminis Chriſti ſunt partes iſtȩ. Primùm locus ſolitarius. Quemadmodum enim cæleſtes mentes tum ſe maximè coniungunt atque infundunt homini, quando ſolus eſt; quomodo angelus virgini & Zachariȩ: de qua ſolitudine propheta Zacharias: Dominus parat deſertum quaſi delicias, & ſolitudinem quaſi hortum domini: ita mentes aduerſȩ tum hominem inexercitatum magis aggrediuntur, quando ſolus eſt, quomodo ſerpens Euam. Itaque docet Hieronymus & Caſsianus, non cuiùis paſsim deſerti viam apud veteres ſequi licuiſſe, niſi illis qui perfecti & exercitati in contubernijs monachorũ fuiſſent.

8 TEmpus autem poſt baptiſmum, quo illud ſignificetur, vbi quis nomen Deo militiæq; eius dederit, ſtatim ei pugnam & agonem inſtare. Ieiunij tempus, iuxta illud Salomonis: Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia & in honore, & præpara animam tuam ad tentationem. Quarum quidem rerum eas affert Chryſoſtomus rationes. Primùm quidem vt diſcas, quoniam Chriſti baptiſma multò te facit fortiorem. Deinde, vt in egregia illa animi mediocritate permaneas, neque donorum magnitudine eueharis, dum te ſcilicet tentationes cohibent & refrenant. Ad hæc verò, vt malignus ille dæmon cùm de tua à ſe diſceſsione dubitat, ex ipſa tribulationum tolerantia diſcat, quòd perfecta ab illo abrenuntiatione diſceſſeris. Quartò, vt fortior, & ipſo prorſus ferro valentior, tentationum exercitatione reddaris. Quintò, vt capias grande documentum theſaurorum tibi à Domino creditorum. Non prius autem inimicus aggreditur, quàm illum eſurientem videt. Obſeruat enim veterator ille affectiones noſtras, tam internas, quàm externas, & ſic nos aggreditur.

9 ANtagoniſtȩ duo: filius Dei in forma aſcetȩ noui, eremum ingreſſus; & ipſe antiquus generis humani hoſtis, in forma veterani cuiuſdam philoſophi & eremitȩ, vnius ex illis, qui circa Iordanem ex antiquo commorari ſolebant. Hic

ergo tanquã veteranus tyronem aggreditur: ac de modo in ieiunio obſeruãdo, & rationabili obſequio monet, ne ſe vltrà quàm par eſt affligat, ne modũ ieiunij excedat; ſed poſtquam eſurire incepit, tandem ſe ad dulcem panem referat. Ac depoſita poſtea eremitæ perſona, in angelum lucis ſe conuertit, in qua alias tentationes confecit. Transformat enim ſe in angelum lucis, ac ſcripturis ſæpè diuinis laqueos nectit, vt inquit Ambroſius.

ARma vtriq; communia, ſcriptura, verbum Dei: quo quidem alter vero, ſyncero, ac in eodem ſenſu prolato vtitur: alter contorto, inuerſo, prauè prolato abutitur. Vt autem ſtatim à primo principio ſcriptura fallere incepit: ita per omnem decurſum per hæreticos fecit, & nunc facere non deſinit: vt rectè diſcamus, non ſtatim illum veritatem afferre, qui vnum & alium locum ſcripturæ allegare poteſt. Nam & hoc quidem verum eſt, angelis ſuis mandaſſe Deum de famulis ſuis, vt cuſtodiant eos: ſed ſi neceſsitas & periculum adſit, non curioſitas & oſtentatio requirat. Mentitur hoc loco Caluinus, ſcripturam Papiſtas ſupprimere, à quibus eam nequicquam ipſe accepit, in quorum templis noctu atq; diu ſine vlla intermiſsione cantatur, & qui numeratas etiam voces ac ſententias illius habeant, vtinam æquè vita quàm doctrina. Hoc tamen fortaſſe non malè, ex lapide illum facere panem, qui ex fraudibus, rapinis, dolis, lenocinio victum quærunt. 10

ORdo autem & progreſſus diaboli in tentandis hominibus hic eſt: incipit à carne, progreditur per leuem ambitionem, deſinit in terram mundiq; opes. Quemadmodum enim illi qui ciuitatem aliquam obſident, eamq; expugnare volunt, inprimis ea loca circumſpicere ſolent, quæ maximè debilia ſunt, & quæ facilè flammam concipere poſsint, hæc primùm ſuccendunt: quà ſi fortè non ſucceſſerit, tum ad munitiora & fortiora ſe conferunt: hoc idem facit tentator: qui cùm rectè ſciat, nihil in homine debilius eſſe carne, nihilq; ad omne incendium ſuſcipiendum magis idoneum, inde pugnæ ſuæ initium & originem ſumit. Hinc in paradiſo parentes noſtros aggreſſus: hinc in deſerto populum Dei toties tentauit: hinc Chriſtum Dominum nunc aggreditur. Carnem ergo quiſq; in primis cuſtodire debet: carne ſatiata & incraſſata, animi ſumuntur, & mens ſuperba creſcit: inde opum ac poſſeſsionum, inde auri & argenti cupido ac congeries immenſa. Neminem hic impoſtor vnquam decepit, cui aliquo ex iſtis modo inſidias non fecerit. Luſum hunc antiquorum patrum vocat Caluinus: quem cùm riſiſſet, ipſe nihil planè attulit, quod eruditus homo adferre deberet, & quod vel rectè intelligi poſsit: & quidem poſtea ipſe, quaſi non ſentiens, hæc eadem dicit. 11

IN Primo gradu tentationibus obſiſtendum. Quemadmodum enim in præcipitio, primus gradus periculoſiſsimus eſt (nam reliqua ſua ſponte ruunt) ſic in omni peccato. Capite ſerpens teneri debet, ne nos ſpiris ſuis inuoluat. Carnem igitur cuſtodiamus omnes: primum gradum ruinæ declinemus, ac maximè ſuſpectum habeamus; nam & defenſores præſidiorum illas partes maximè cuſtodire ſolent, quæ per ſe infirmæ ſunt, & quæ facilè flammam admittunt. 12

QVis eſt, inquit Chriſtus, ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem nunquid lapidem porriget ei? Contrarium facit Diabolus, qui eſurienti 13

Matthæi 7.

Chriſto

Christo, non panem sed lapidem porrigit. Tales sunt hæretici, qui populo Dei esurienti petentique verbi Dei panem, sua figmenta obtrudunt; & pro viuificis Sacramentis, simplices tantùm species, nudaque signa porrigunt.

14 DVbitare audet hæresis, carnem CHRISTI, verè esse cibum: & panem verum illius fieri corpus: multò magis dubitaret, ex lapide fieri posse panem, vel ex pane lapidem. Quod tamen posterius publicè Deus spectandum Constantinopoli exhibuit, tempore S. Chrysostomi, vt scribit Sozomenus lib. 8. cap. 5. Nec dissimile est, quòd in lithospermo herba seminis lapidei, mirantur omnes.

15 EX lapidibus panes facit Christus, cùm vel incredulos & obstinatos ad fidem & obedientiam, vel alioqui duros & inhumanos, ad clementiam misericordiamque adducit. Durus antea lapis fuit Paulus, dum esset spirans minarũ & cædis in discipulos Domini: sed mox emollitus cælesti voce, panis factus est, cùm diceret, Domine, quid me vis facere? Præsertim verò sub finem vitæ, cùm illud scriberet, Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui. Itidem cæteri, qui ex erroribus gentium conuersi, salutarem Christi doctrinam complexi sunt, & martyres deinceps effecti: ex quorum fuit numero sanctus Ignatius: qui Romanis scribens: Frumentum, inquit, Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Durus etiam lapis fuit ille Petrus ciuis Alexandrinus: qui cùm nihil boni toto vitę suę tẽpore fecisset, neq; vlli pauperũ quicquam dedisset vnquam, præter vnum panem, quo importunum quendam, & nimis sibi molestũ mendicum percusserat; dum nihil aliud ad manũ haberet diuina visione admonitus, & extremi perterritus libra iudicii, liberalis deinceps, & pauperum amantissimus effectus est, vt scribit Leontius Cypri Episcopus.

16 MAgis magnificè sentit Diabolus de omnipotentia filii Dei, quàm parum fida hæresis. Nam ille credit, verbo illius posse ex lapidibus panes effici: eiusdemq. naturę & potentiæ filium cum patre esse: cuius illud maximum est insigne, quòd eduxit mel de petra, oleumque de saxo durissimo; quòd aquam dedit de petra. Quam eandem vim requirit à filio, vt educat panem de terra, idq. verbo & imperio suo: Dic inquiens, vt lapides isti panes fiant. Zuinglius & Caluinus viri illustres, vt sibi videntur, vt credant, verbo illius ex pane carnem effici posse, nullo modo adduci volunt. Discant igitur & isti, sed discant & Ariani, vel saltem à principe suo tentatore, melius de Christo sentire; idque eum posse, quod vult. Non paruit tunc Christus Dominus diabolo, ex lapide panem fieri iubenti. Non miretur igitur hæresis, sacrum panem calcando, ac imagines eius contumeliosè tractando, si illi non pareat, nec miracula edat. Imperare enim, non parere, diuinum est. Sed cur lapides potius porrigit? neque enim in eremo solida tentationis arma esse possunt. Deerat ibi arbor bona ad vescendum, & aspectu delectabilis, vt in paradiso: deerant coturnices, vt in deserto: solus lapis restabat, quo ipse nequam abutitur, dignus qui lapidibus pascatur & pellatur. Ambiguam autem tenet bestiam diuina sapientia, magisq; ac magis irritat & pungit. Non excusat impotentiam suam, quod ex lapidibus non possit facere panem: non diffidentiam de voluntate patris: hac enim ratione humanum quid demonstraret: sed illud ostendit, mille sibi modos alios viuendi esse

esse, quàm vt ex lapidibus faciat panes: idque verbis scripturæ confirmat. Non solo, inquit, pane pater ille cælestis suos alit, quod per Moysen ipse testatus est; sed omni verbo, hoc est ratione, qua illi placet: itaque lapidum mutatione nihil opus est. Hic ergo est sensus huius loci, & ad interrogationem Satanæ accomodatus, vt verbum non tam pro verbo Dei, quod docetur, accipiatur; quàm pro omni effectu, quo Deus ipse vitam humanam tueri ac sustentare solet. Quod & occasio loci illius, vnde hæc scriptura sumpta est, planè docet. Querebatur enim populus in deserto, se pane carere: ostendit Moyses, Deum non vnam hanc viam habere panis, qua homines alat, sed sexcentas alias & meliores. Ita, etsi panem non dederit, longè tamen excellentiorem escam, cibum angelorum manna daturum: vt cognoscant omnes, non in solo pane hominẽ viuere, sed aliis infinitis modis, quibus homini potest prouidere.

D. Chryso. in Matth. Hom. Oper. Imper.

IN sequente domino, inquit Chrysostomus, non infirmitas est, sed patientia: in ducente autem Diabolo non virtus, sed superbia est: quia volentẽ Christum non intelligens, quasi inuitum ducebat. Ille ductus est, vt nos voluntatem Diaboli non sequamur. Assumpsit, inquit, eum Diabolus in sanctam ciuitatem. 17

VOx diabolica est, mitte te deorsum. Vox tentationis & præcipitationis, vt inquit Ambrosius, quæ mentem hominis de gradu altioris meriti deiicere contendit. vox insana & phrenetica, vox hæretica. In summo felicitatis cacumine fuit Lucifer: conuersus ad se, misit se deorsum, dum se plus quàm Deum amat, & periit. Nihil defuit in paradiso Euæ: venit serpens, & dixit, Mitte te deorsum: mihi plus fidei habeas, quàm Deo: nequaquam moriemini. Paruit, in eandem ruinam traxit Adamum, & periit: sed & nos perdidit. Secundùm cor Dei fuit homo Dauid: vidit Betsabeę: accessit tentator, & dixit, Mitte te deorsum: & cecidit, sed & subleuatus est. Magnus Salomon vidit mulieres Ægyptiacas & Æthiopissas: accessit tentator & dixit, Mitte te deorsum: & ex sapiente stultus factus est. Inclamauit Lutherus, & omnia claustra monachorum & monialium excitauit: Mittite vos, inquit, deorsum: melius est nubere quàm vri: & cum tanta sequacium manu periit. Credebat populus christianus, sub vna specie Christum sumi totum: inclamauit item Lutherus, vtraq; opus esse, mitti deorsum oportere. Paruit populus, & in Zuinglianismum & Arianismum incidit, sub neutra Christum esse. Fides Catholica hæc fuit, vt credamus vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem vnitate: dixit Arius, Mitte te deorsum: & ruit aliqua pars populi Christiani vt dicerent, Christum Dominum prophetam solum esse, ac ne adorandum quidem. Seruauit quis virginitatem multos annos: colluctatur cum carne plurimum: accessit tentator & dixit, Mitte te deorsum; & ex virgine incœstuosus & sacrilegus factus est. Inter quadraginta martyres pugnant triginta nouem: accessit ad vnum tentator & dixit, Mitte te deorsum: glaciem relinquit, balneum petit, custos tormenti cælitùs coronatur. Monachus quis per quinquaginta annos fuit: offertur conditio aulæ, sequitur, Mitte te deorsum. Quidquid igitur præter verbum Dei, quidquid præter institutum Ecclesiæ, quidquid præter constans & rectum propositum, hoc idem est, Mitte te deorsum. 18

NOtandum & illud, Dæmonũ esse, seipsos mittere deorsum, Dei verò homines 19

mines erigere iacentes. Nam ſi potentiam oporteret oſtendi, non ſemetipſum temerè proiiciendo ac præcipitando oſtenderet, ſed alios profectò ſaluando. Cæterùm, ſeipſum in præcipitia ac prærupta proiicere, diabolica eſt conſuetudo: quoties iſtud aliqui faciunt, conſilio ſeductoris agitantur. At CHRISTVS etiam cùm iſta dicta ſint, nondum ſe tamen reuelat, ſed quaſi homo ei interim loquitur. Dicere enim, quia Non in ſolo pane viuet homo: & Non tentabis Dominum Deum tuum: non valde ſeipſum manifeſtantis erat, ſed vnum ſe oſtendentis è cæteris.

20 BIs in hoc loco diabolus fallit. Primùm, quod in alio ſenſu pſalmum inducit, quàm ille ſcriptus ſit. Nam hic pſalmus de viro bono eiuſque cuſtodia ſcribitur, non de Meſsia: ſic enim Dauid orditur: Qui habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Nam Meſsias, veruſque filius Dei, cuncta potius portare debuit, quàm portari. Deinde quòd decurtatum pſalmum allegat. Statim enim hoc ſequitur: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quòd ſi addidiſſet, ſeipſum prodidiſſet.

21 TEntare autem Deum, nihil aliud eſt, quàm præteritis aut rectæ rationis, aut naturæ, aut legis medijs, eius omnipotentiam explorare, num velit ac poſsit temeritati noſtræ ſuccurrere. Tentat igitur Deum is, qui cùm nunquam diſcipulus fuit, doctor eſſe vult: qui ſine pecunia & milite bellũ ſuſcipit: qui ſine labore diteſcere vult: qui ſine virtute Deo placere vult: qui ſine pœnitentia Deum propitium ſperat. Tentationis autem inſigne illud exemplum eſt apud Caſsianum, de duobus adoleſcentibus, qui ſe ieiunare tamdiu pacti ſunt, donec illis Deus cibum offerret. Obtulerunt prædones caſu: alter dum eſuriret, accepit, comedit, refectus eſt: alter dum è cælo panem expectat, Deum tentans, fame interit.

22 NAtura ſua auariciam idololatria comitatur. Vnde Paulus, Fugite auariciam, inquit, quæ eſt ſimulacrorum ſeruitus. Et hoc loco, vbi primùm diabolus de auaritia Dominum tentauit, ſtatim ad idololatriam progreditur: Si inquit, procidens adoraueris me. Rectè autem ex alto monte oſtendit illi regna mundi, & gloriam eorum: de longè enim eſt pulcherrimus aſpectus eorum: nam propè vbi aſpexeris, vileſcunt, grauia ſunt, nauſeam pariunt. Rectè de monte videntur, quia tam citò prætereunt, quàm ſi ſemel oculo circumſpexeris. *Coloſ. 3.*

23 SImile quid apud D. Gregoriũ legimus, de Beato Benedicto. Is enim cùm ad Seruandum Diaconum Abbatem viſitationis gratia ex more veniſſet: atque cæteris quieſcentibus, ipſe inſtans vigiliis, nocturnę orationis tempora præueniſſet ad feneſtram ſtans, & omnipotentem Deum deprecans; ſubitò intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit fuſam lucem deſuper cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoq; ſplendore clareſcere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiaſſet. Mira autem res valde in hac ſpeculatione ſecuta eſt: quia ſicut pòſt ipſe narrauit, omnis etiam mundus, velut ſub vno ſolis radio collectus ante oculos eius adductus eſt. Quod quomodo fieri potuerit, præclarè ibidem explicat Gregorius. *2. Dialog. 35.*

Vt ma-

VT magis quisq; eget, magisq; pauper miserq; est, sic alijs plura de se pollicetur, plusq; ab alijs honorari ac coli vult. Nihil est diabolo egentius, nihil miserius, pedem in suo vbi ponat non habet: & tamen regna cæli pollicetur, & tamen adorari vult, idq; ab illo, de quo dictum est, Initiò tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Diaboli proprium est, aliena polliceri, & ambitiosorum. Nebuloni ne credatis: neq; enim dare potest, cũ egentissimus sit: etsi dare posset, infelix pactio esset: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. Quid enim dabit homo pro anima sua? 24

NOn eadem est ratio, & vultus diaboli accedentis, & recedentis. Humilis eremita venit, misericors, compatiens, scripturas allegat: at idem superbus, inflatus, contumax in recessu, honores sibi diuinos vsurpat, adorari vult, aliena largitur: Si, inquit, procidens adoraueris me: quod idem hæresi euenit. Quàm pulchra facies, quàm egregius vultus à principio hominum, vt videbantur, Euangelizantium bona, Euangelizantium pacem. In Christo dicebant omnes spes reponendas, illi soli seruiendum, mortem eius esse vitam mundi: at quàm deformis recessus, dubitare num Christus vnus sit cum patre, num adorari debeat? Et ita plerumque ipsa fraus, etiamsi à principio multa simulet & dissimulet, ad extremum se detegit. 25

Sæpè diabolus vera dicit: sed ad malum finem. Dixit nunc: Angelis suis mandauit Deus de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Verissimum hoc fuit. Scribit enim Euangelista: Et accesserunt Angeli & ministrabant ei: At intentio pessima, ambitio & ostentatio: quod idem hæresi euenit. 26

DIfficilis est cognitio Dei, nec possibilis vnquam, nisi cui reuelatum fuerit desuper à patre luminum. Nemo, inquit, nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Veterator iste fuit, qui ad Christum Dominum tentandum accessit, Lucifer credo ipse. Neque enim vulgarem quendam & minutiorem spiritum, tale certamen aggressum arbitror. Legerat Prophetas, euoluerat legem, consilio Scribarum & Pharisæorum Herodisque interfuit: tempora computârat omnia, conscius credo & natiuitatis fuit, stellam Magorum viderat, adorationem cernebat: neque tamen Christum cognouit: ideo nunc tergiuersatur, artes confingit, in omnes partes se vertit; vt rem exploratam habeat. Cur ita? Nemo nouit filium, nisi pater. Lapis iste offensionis est, petra scandali omnibus superbis: in quam Manichæus, Arius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus & reliqui omnes hæretici impegerunt, & fracti sunt. Sed quæ causa, quòd nemo cognoscat filium, nisi pater? Beatus es, inquit, Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Nisi concurrat cum creatura ad aliquem actum, inquit Augustinus, nihil sufficere potest. Nam dæmon tantùm cognoscit, quantùm illi permissum est, & quantùm œconomię ratio postulat. Tu igitur IESV CHRISTE, illumina vultum tuum super nos, & miserere nostri, vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Hæc enim est via æterna, vt cognoscamus patrem tuum, & te filium eius dilectum, quem ille saluti instaurandę misit. Sistant ergo gradum naturę Christi indagatores vitiosi: Generationem eius quis enarrabit? inquit Isaias. 27

Quodsi

28 QVòd si tanta impudentia fuit veterator iste, vt non solùm veritus non sit, filium Dei aggredi, eum de quo ipse tantùm iudicauit, vt ad imperium eius lapides panes fieri posse dixerit; sed ita turpiter ac præsumptuosè aggredi, vt etiam illum iubeat procidere ante se, & adorare pedes suos: quantùm hic audebit in nobis homuncionibus, qui puluis & vmbra sumus, nisi cautè in omni vita ambulemus, & nisi præsens auxilium Dei semper nobis inuocauerimus?

29 PRoprium est Diaboli exaltare, vt deprimat: eleuare vt deiiciat: quòd in Christo facit, quem primò ponit in pinnaculo templi, deinde iubet se mittere deorsum: diuinum autem est, deiicere nos & humiliare, vt exaltet & glorificet. Bonum mihi, inquit Dauid, quia humiliasti me. Paret autem Christus Dominus in ascensu, sed in descensu nequaquam. Vbique autem Christus Dominus, etiam cum Diabolo, quietè & modestè se gerit, vsque ad honorem Dei. Nam vbi sibi primùm honorem diuinum sumere ausus est; tum demum obiurgat: Abi Sathana: non tentabis Dominum Deum tuum, sed illi soli seruies.

Psal. 118.

30 IMpudenter hoc loco mentitur Caluinus, Papistas negare, solum Deum adorandum esse: cuius contrarium ex ipsius definitione orationis docetur. Nam ille cultum Dei definit, si quis in eum spectet, vt finem: & cùm bona creaturis attribuimus, quorum DEVS vnicum se autorem volebat agnosci. Quod cùm Papista nullus doceat, neque faciat, Caluinus certè (vt leuissimè dicam) iniquè calumniatur, & talem adorationem ad se transfert.

31 HAbet item specialem huius Euangelii expositionem Irenæus 5. lib. ca. 21.

32 POst agones, palmæ & victorię; post certamina, coronę; post contumelias, honores; post victorias, præmia consequuntur. Recedit tentator, & Angeli accedunt, & ministrant ei. Hæresis sine certaminibus triumphat. Leuissimè autem hoc loco de Christo Domino Caluinus, ac plus quàm Ariani. Quod autem, inquit, posteà sequitur, angelos ei ministrare, ad solatium refertur; vt sentiret Christus se Deo Patri curæ esse, validoque Dei præsidio munitum contra Sathanam. Nam ipsa solitudo mœrorem augere poterat, cùm omnibus officiis priuatus inter feras degeret: quod etiam disertè notauit Marcus.

33 SEd antequam desertum deserimus, alloquimur te saluator noster: Domine IESV Christe, vbi sunt familiares tui, qui te in desertum comitantur? Vbi sunt vestes & indusia tua, quibus per quadraginta dies vsus es? vbi est lectus tuus, in quo dormiebas? vbi sunt culcitrę aut puluini, quos capiti tuo subiiciebas? Notent Christiani, quid sit verè ieiunare: vt non à solis cibis abstineant, sed etiã ex omnibus vitæ commoditatibus aliquid detrahant. Vnde ille celebris Ecclesiæ cantus: Vtamur ergo parciùs verbis, cibis & potibus, somno, iocis: & arctius perstemus in custodia.

34 MOnet ante mille ducentos annos Ambrosius fideles, vt in quadragesima omni die Dominico offerant & communicent: ac mundam vitam degant, omni die ad matutinum se conferant. Imponebant sibi quidã eo tempore quadraginta vniuersorum dierum silentium, vt Gregorius ille omni parte magnus; vt lætiores die Paschatis in illud primum verbum prorumpere possent χριστὲ ἄναξ: alij

χαμευνίας, id est humicubationes. Deum immortalem, quam nunc aliud Euangelium habemus, quàm aliquando habebamus!

35 VBi Christus Dominus baptizatus est, vbi Spiritus sanctus super eum descendit, vbi paterna vox ei testimonium dedit, vbi ieiunauit & tentatus est, vicit, & per omnia similis factus est fratribus: vt per omnia tẽtaretur extra peccatum. tum demum discipulos colligere cœpit, tum demum Euangelium prædicare: vt in posterum omnibus exemplum daret, neminem posse esse magistrum, nisi prius discipulus fuerit; neminem illotis manibus ad Sacra accedere oportere, exemploque prius docendum esse, deinde voce: Cæpit IESVS primùm facere, deinde docere.

Actor. 1.

36 INitium Euangelicę predicationis in Ioanne quod? pœnitentia. in Christo Domino quod? pœnitentia. Neque tamen ita, vt ea nos planè, certò ac omninò in regno cælorum reponat, sed vt appropinquet illud: Facite pœnitentiam, appropinquabit enim vobis regnum cælorum: id est beatitudo regni cælestis, quam præparauit fidelibus Deus. Ac si dicat, inquit Chrysostomus: Parate vos per pœnitentiam & patientiam, ad percipiendam beatitudinem regni cælestis: quia appropinquabit tempus mercedis reddendæ. Qui mala timetis aut concupiscitis bona, attendite, quia appropinquabit regnum cælorum. Si vos mala non terrent, vel bona delectent: aut si regna non concupiscitis, vel tormenta timete. Gaudeant iusti, quia iam finiuntur mala eorum, & incipiunt bona. Lugeant peccatores, quia iam transeunt bona eorum, & incipiunt mala. Hæresis contrà, imposibile est, inquit, credentem damnari.

D. Chrisost. in Matthæum. 6. Ope. Imp.

37 CHRISTVS Dominus in cõfiniis & vicinitatibus gentilitatis & Iudeæ prædicare cæpit, vt ostẽdat se omnium salutis caussa venisse, nec quenquã damnari velle. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiã vos: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur potius & viuat. Vt qui purgat aream suam, aliquid spatii occupat extra aream, ne illinc subitò puluis & paleæ in aream deferantur: ita Christus Dominus extra Iudæam purgaturus, fines Galileę gentium attigit, ne area sua proximè inquinetur: & vt paleis in finibus relictis frumentum in area cadat.

Matthæi 11. Ezech. 18.

38 COmmunis formula vocationis Apostolicæ hæc est, Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Venite, inquit, non stetis otiosi: non sedeatis languidi, non iaceatis desides, non curratis non missi. Post me, non ante me: vanum est enim ante lucem surgere: hoc est ante crucem & tribulationes coronari. Sed neque mecum: hoc enim humanis viribus est impar; qui exultaui vt gigas ad currendã viam. At post me, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: quemadmodũ ego vici mundũ, & vos vincatis. Faciam vos: non vos ipsi, non genus, non aurũ, non aulica obsequia, non potestas seculi, non municipiorum præsides, non mundus, sed nec astutæ & callidæ artes. Hæc autem formula primùm terribilis: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: quod valde difficile est. Eadem tamen animum addit: Ego vici mundum. Læta & plena bonę spei: In domo, inquit, patris mei mansiones multę sunt. Sed simul docet: Quemadmodum, inquiens, ego feci, ita & vos fa-

Psal. 18. Luc. 9. Ioan. 14. Ioan. 13.

vos faciatis. Vocantur autem ad diſcipulatum, prius quàm ad doctoratum. Contraria facit omnia hæreſis: ſed & aula, aulicique Monachi ac Philoſophi.

39 SEd cur ſimplices & idiotæ ad eā dignitatem vocātur? vt oſtendatur Dei ſapientia & potētia ſimul. Tantò enim potentior eſt miles, quantò humilioribus & infirmioribus armis vincit: tantò artifex prętantior, quātò paucioribus opus habet inſtrumentis & vilioribus. Bonitas item diuina: in hoc enim eius clementia elucet, quòd deformia noſtra & humilia non deſpicit; ſed illis etiam vtitur ad confundendam ſuperbiam mundi, & eius principis Diaboli, Regum ac imperatorum, qui ora ſua in cælum poſuerunt; philoſophorum item & oratorum, qui illud occinebant: Labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? qui tantò turpius ſteterunt, quantò à vilioribus piſcatoribus capti & irretiti ſunt. Demum, quia ſimilis doctrina, hoc eſt in oculis hominum humilis & abiecta, humilibus opus habuit doctoribus. Denique, vt oſtendatur virtus & ſimplicitas prædicationis, in qua nullum locum potentia, nullum ſapientia, nullam partem eloquentia poteſt ponere. Vltimò, ne ipſi prædicatores ſuperbiant, ne quidquam ſibi tribuant. Diſertus fuit Plato: Iouem ipſum, ſi cum mortalibus loqui vellet, non alia lingua locuturū fuiſſe dicebant: hic tamen Syracuſis vrbi vnicæ perſuadere non potuit, vt dogma ſuum ſequeretur, etiamſi eius cauſa in manibus pyratarum captus fuerit: iſti orbem terrarum, infantes & imbecilles, Domino cooperante, vicerunt. *Pſal. 11*

40 SEd cur piſcatoribus potiſsimùm hoc tale committitur officium? Si mundi quidem prudentiam ſpectes, inſanię hoc ſimillimum eſſe videtur, ex piſcatore doctorem fieri: ſi autem Dei ſapientiam, admirabilis quædam eſt ſapientia; partim quòd nullum artificium eſt, quod minus cum hominibus contrahat, minusque in ſe præſidij ad hoc tantum munus habeat: partim, quòd nulla imago, nullum exemplar, ne cogitari quidem poteſt, quod apoſtolicam functionem melius exprimat, ſiue locum predicationis ſpectes, ſiue officium & functiones, ſiue auditores, ſiue apoſtolos. Quę omnia qualia ſint, paucis expendamus.

41 LOcum inprimis. Piſcatores enim in mari venantur, Apoſtoli in mundo: vaſtum vtrumque: hoc mare magnum & ſpacioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Incertum mare, incertus mundus: naufragantur in mari multi, plures in mundo: rari boni, & ad victum accomodati piſces in mari, rariores homines in mundo boni: inſolentes maris piſces, naues euertunt; longè in mundo inſolentiores, qui totas gentes peſſumdant. Sed de loco ſatis. *Pſalm. 103.*

42 FVnctiones & officia explicemus. Solos piſces quærunt piſcatores; non aquam, non herbas, non ligna, non lapides: ſolas animas quærere debet vir Apoſtolicus, iuxta illud: Da mihi animas, cætera tolle tibi. *Gen. 14.*

43 QVærunt continuò & multo labore piſcatores: Tota, inquiūt, nocte laborantes nihil cepimus; quærebant & Apoſtoli: Abundantius illis omnibus laboraui, inquit Paulus. Quærunt prudēter, & ſimpliciter tamen: idem fecerūt Apoſtoli, ſecundùm Chriſti præceptum: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Luc. 5.* *1. Cor. 15.* *Mat. 10*

SÆpiùs paruos quàm magnos pisces capiunt piscatores: idem Apostolis 44 euenit, sicut fatentur Pharisæi: Numquid, inquientes, ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Ioan. 7.

EXtendunt illi retia tantùm, cætera Deus præstat: idem Apostolicis viris 45 euenit: Paulus enim plantat, Apollo rigat, Deus autem incrementum dat.

1. Corint. 3.

ET quod caput est, neque in syluis, neque in montibus, neque in pratis ve 46 natur piscator; sed tantò minus in bello, aut in aula, aut in schola: eodem modo vir Apostolicus, debet ad suum littus piscari pisces, vt semper illi pendeat hamus. Nostra non residentia extremum vitium est piscationis nostrę. Quid capiet piscator, extra littus & aquas? Doctus inquiunt, vir est, optimè de Repub. meritus, veteranus miles, homo vrbanissimus, hospitalis, scriptor egregius, philosophus insignis. Sed quid ad rem, si ad littus non est? sit licet sapientissimus piscator, capiet tamen nullum piscem: capietur ipse potius, vel à mundo, vel à carne, vel à diabolo. Solius Dei est, absentem operari.

QVod si auditores accipias, magna similitudo est: nam pisces homines esse, 47 Christus Dominus interpretatus est: Faciam vos, inquit, piscatores hominum.

QVid enim est similius pisci, quàm homo? Non ambulant pisces, sed ferũtur. 48 Sed & nos non quò volumus tendimus, sed quò ferimur & rapimur: vnde perpetua vota & querelę, nusquam nos tutò consistere.

VIuunt pisces maiores minoribus: sed & homines eodem modo, potentes 49 debilioribus. Quid enim illi purpurati, illi maiores pisces comederent, nisi suos colonos ac subditos, minores pisces deuorarent? Vnde illud Platonis: Iustum est, quod potentiori est vtile. De quo genere piscium pulchrè D. Ambrosius: Sanè nec pisces, inquit, à suis potentiæ euasêre violentiam; & auaritiæ potentiorum subiecti vbique inferiores sunt. Quò quisque infirmior, eò prædę patet. Et plerique quidem herbis pascuntur ac minutis vermibus. Sunt tamen qui inuicem se deuorent, & sua carne pascantur. Minor apud illos esca maioris est: rursus ipse maior à validiore inuaditur, & fit esca alterius, prædator alieni. Itaq; vsu venit, vt cùm ipse alium deuorauerit, ab alio deuoretur: & in vnum ventrem vterque veniat cum voratore proprio deuoratus; sitq; simul in vno viscere prædę vindictęque consortium. Et ipsis sponte hæc accreuit iniuria, sicut in nobis, non ex natura cœpit, sed ex auaritia: aut quia ad vsum hominum facti sunt, aut quia in signum dati; vt in his nostrorum morum vitia videremus, & caueremus exempla, ne quis potior inferiorem inuaderet: daturus in se potentiori exemplum iniuriæ. Itaque, qui alterum lædit, sibi laqueum parat, in quem inuadat. Et tu piscis es, qui viscera inuadis aliena, qui demergis infirmum, qui sedentem persequeris vsque in profundum. Caue, ne dum illum sequeris, incidas ipse in validiorem: & deducat te in alienas insidias, qui tuas vitat, priusque tuam spectet ærumnam, qui te persequente propriam reformidabat.

Hexem. libr. 5. cap. 5.

NVsquam apparent dormire pisces: in perpetuo motu sunt: quiescunt nun- 50 quam

quam: nihil tamen agunt, opus nullum relinquunt. Videre est in clara aqua, alios progredientes, redeuntes alios, in lacus euntes alios, tanquam in comitiis aliquibus sis: nihil tamen proficientes. Sic homines in hoc mundo agere sibi aliquid videntur, agunt tamen nihil: cursitant, anhelant, negotiis instant profectu nullo. Vnde illa Senecę humanorum actuum distinctio: Homines vel aliud agere, vel nihil agere, vel malè agere.

51 VLtimò pisces certas sedes nullas habent, semper commigrant: ita homines in vita, nusquam habent vbi certò conquiescant: nunquam quiescunt, semper de mutandis sedibus cogitant.

52 ET vt propius ad præsens negotium accedamus, viuunt per aquam & in aquis pisces: viuit item populus Christianus per baptismum & sacram ablutionem. Quod enim nobis spiritus, illis est aqua. Sicut nobis spiritus, ita illis aqua viuendi ministrat substantiam, dicebat Ambrosius. Et quemadmodum pisces, si vel modicum in terram prodeunt, statim languescunt, ac ad extremum moriuntur: sic homo Christianus, vbi primùm deseruerit fœdus in baptismo ictum, fidemque datam fregerit, ad mundi autem castra transierit, terramque attigerit, statim inficitur primò; ac si amplius progressus fuerit, moritur ac perit. Verè igitur Apostoli piscatores, verè homines pisces.

Hexe. 5. c. 4

53 VErùm in hoc simili videtur vnum esse dissimile: nam piscatores quærunt qdem pisces, vt occidant; Apostoli, apostoliciq; viri, quærunt pisces vt excitent, & conseruent. Quamuis & in hac dissimilitudine est quidā consensus: nam & si ad vitam Apostoli vocent, prius tamen occidunt & interficiunt; occidunt quidem & interimunt mundo, vt Christo resuscitent ac viuificent. Translati, inquit Ioannes, estis à morte ad vitam. Et Petrus, Mortui peccatis, iustitiæ viuamus. Vnde Iustinus Martyr quærit: Si, inquit, ad mortem & corruptionem piscatores capiunt ex aquis pisces, quî fit, vt in vitam æternam adducturus homines Christus Dominus per Apostolos, promiserit se facturum eos piscatores hominum? Mox idem ipse subiicit responsionem: Quoniam oportebat, inquit, eos homines, qui ab Apostolis è verriculo regni caperentur, mori ab anteacta in peccatis vita: propterea capturę piscium assimilauit Dominus capturam hominum.

1. Ioan. 3.
1. Petr. 2.

54 QVi autem primi vocantur, alter ab obedientia, hoc autem est Simon; alter à fortitudine, hoc est Andreas vocatur: partim quòd in obedientiam fidei vniuersum populum Dei vocare debebant: partim quòd per multas tribulationes & angustias illos oportebat functionibus suis satisfacere. Vocantur fratres, nam Ecclesia vna domus esse debuit, cuius glutinum charitas est. Qui igitur quasi primi lapides huius ædificii esse debuerunt, hos maximè coniunctos esse oportuit, vt reliquum ædificium firmius hæreat. Nam sicut in corporali ædificio lapis ad lapidem cœmento mediante constringitur: sic in ædificio Ecclesię Christianus ad Christianum charitate mediantè connectitur, dicebat D. Chrysostomus. Eodem modo synagoga in duobus fratribus Moyse & Aaron à principio fixa fuit. Fortissimè autem illa hærent, quę non gratia solùm, sed & natura iungit. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Vocantur autem ad functionem

D. Chryso. in Matth. Hom. 7. Op. Imper.

onem simul illi, qui aliquando parem infamiam pro Christi nomine subituri erant, vtrique in crucem Domini agendi: & qui erant habitatione conciues, dilectione concordes, arte officii pares, fraternitate pietatis coniuncti: inter quos tot rebus bonis coniunctos separatio non erat metuenda, quæ plerumq; ex dissimili vocatione oriri solet.

In Mat. hō. 7. Op. imper.

NOtat D. Chrysostomus, Zebedæi filios reliquisse nauem; vt fierent Ecclesiasticæ nauis gubernatores: reliquisse retia; vt iam non pisces apportarent ad ciuitatem terrenam, sed homines ad ciuitatem cælestem. Reliquerunt vnum patrem; vt fierent omnium spiritualium genitores.

56 ETsi Christus Dominus hos tales socios & administros doctrinæ vocauerit, non ipse tamen à prædicatione ac reliqua spirituali functione desiit; sed eò magis ipse dux ac exemplum suis factus, circuibat totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem in populo infirmitatem. Circuibat totam Galilæam, inquit D. Chrysostomus: sicut studiosus medicus circumit grauiter ægrotantes: singulis quibusq; passionibus adhibens congruas medicinas: quia debiles illi ad medicum venire non poterant. Contrarium nos facimus, qui cuncta per vicarios ac substitutos confici volumus: per illos fortasse etiam coronandi, ac præmia reportaturi.

In Mat. hō. 8 Ope. imp.

57 PRædicatio, præsertim in principibus & ducibus diuinæ doctrinæ, nunquam à miraculis distincta fuit. Verbum enim Dei est epistola: miracula autē sunt sigilla & obsignationes eius epistolæ. Et doctrina quidem, est ædificium: eius autem edificii bases & crepidines, miracula sunt, teste Augustino. Quibus testimoniis ac documentis cùm hæreses careant, ad diuinam doctrinam sua figmenta referre non possunt. Obtulerunt inquit ei omnes male habentes, variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos & paralyticos; & curauit eos.

Caput V.

SENSVS EVANGELII.



1 VONIAM notę nobis colligendę sunt ex verbis & doctrina Christi, omni philosohia & sapientia humana sublimioribus; ideo primò nobis sensus illorum ac cohærentia & continuatio declaranda est, posteà ex his notæ colligendę, quandoquidem ex ignoto nihil notum colligitur.

2 POstquàm Euangelista ortum & natiuitatem legislatoris nostri descripsisset, puericiam item & apparatum, ac futuros ministros & dispensatores mysteriorum Dei; nunc ipsam legislationem aggreditur: quidquid mentiatur Caluinus, qui hanc non legis perfectionem, sed Scribarum & pharisæorum reprehensionem, sine autore & ratione temerè narrat. Contra enim scriptura: Dominus, inquit, rex noster, Dominus legifer noster. Vt ergo Moses quondam à Deo accepturus legem, montem ascendit, legem accipit, admirabilis apparet: ita nunc legislator noster montem ascendit, sed altiorem longè quàm Moses, vt

Isaiæ. 33.

cuius

cuius lex vltrà omnium montium cacumina, omnium Regum ac ſapientum do ctrinam extolli debuit, longeque à terra remoueri; & vt montes æterni, ſancti Apoſtoli, ſuſcipiant iuſtitiam, paulopòſt populo tradendã. Aſcendit ſuper montem excelſum, qui euangelizat Sion. Cuius aſcenſus eas cauſas narrat D. Chryſoſtomus. Prima eſt inquit, vt myſterium pietatis oſtenderet. Aſcenſio enim eius, eſt altitudo virtutum. Aſcendit ergo in montem, vt oſtendat nobis, quoniam in altitudine ſpiritualium virtutum conſiſtere debet, qui docet iuſtitiam Dei, pariter & qui audit Qui docet, verborum ſuorum ſit ipſe exemplum; vt magis opere doceat, quàm ſermone: ſicut ait Apoſtolus ad Thimotheum: Exemplum eſto omnium fidelium. Qui autem ambulat per conuallia vitæ terrenę; obſcuras ſemitas calcat, & loquitur altos ſermones: non alterum inſtruit, ſed ſeipſum caſtigat. Nemo enim poteſt in valle ſtare, & de monte loqui: ſed aut vbi ſtas, inde loquere: aut vnde loqueris, ibi ſta. Si in terra eſt animus tuus, vt quid de cælo loqueris? Si ergò in terra tu ſtas, de terra loquere: ſi autẽ de cælo loqueris, in cælo conſiſte, vt dicas cum Apoſtolo: Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt. Ille autem populus, qui audit iuſtitiam Dei, ideò debet in altitudine bonorum operum conſiſtere, quia diſcipulus imitator eſſe debet magiſtri. Si autem in peccatis viuas, & audias iuſtitiæ verba docentem; iudicium tibi, non ſalutem acquiris. Audis enim, vt ne vel ignorantię excuſationem habeas ante Deũ. Altera illa ratio eſt. Aſcendit in montem, vt illic diſcipulis ſuis myſteria traderet veritatis; oſtendens, quoniam omnis, qui vult diſcere myſteria veritatis, in mõtem Eccleſię debet aſcendere. Sed non in omnem montẽ; ſed in montem vberem: ſunt enim & hæreticorum montes, non autem vberes, ſed coagulati: in quibus non veritatis myſteria traduntur; ſed mendacia expugnantia veritatem. Ideo & eos, qui in tales montes aſcendunt, reprehendit Spiritus ſanctus per Prophetam dicens: Vt quid ſuſpicitis montes coagulatos? Coagulati enim montes dicuntur hæreſium Eccleſię, quia coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Aperit igitur os ſuum, qui quondam ora Prophetarum aperire ſolebat: ſed & tanquam autoritatem habens, non tanquam Moſes fidelis ſeruus in domo Domini, ſed tanquam filius & hæres. Et vt procul dubio diſceremus, quòd non cùm loqueretur modò, verùm etiam cùm taceret, docebat: nunc quidem os aperiens, nunc verò ipſis vocem operibus emittens. Propterea docens ad diſcipulos quidem reſpicit, verùm nequaquam in eis ſua dicta determinat; ſed infinitè & incircumſcriptè cunctas beatitudines in commune proponit. Non enim dicit, beati eſtis vos, ſi pauperes fueritis, ſed beati pauperes.

D. Chryſo: in Matth. Hom. 9. Op. Imper.

1. Tim. 4.

Philipen. 3.

3 ORditur autem legiſlationem ſuam à fine legum, ad quem omnia referri ſolent, & ſine quo irritus eſt omnis labor & vanus. Proponitur autem finis legis, bona cæli: quemadmodum Moſes propoſuit terræ bona: vt qui de cælo eſt, vera & cæleſtia loqueretur, qui ex terra, terrena. Ita autem proponuntur bona cæli, vt in loco adiectionis proponantur etiam bona terræ, iuxta illud: Primùm quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Longè autem alium finem ponit felicitatis ipſe legiſlator, & alium transfugę ſerui. Hi fidem ſolam in Dominum iactant: Dominus autem labore, ſtudio, vigilantia & opere opus habet.

Matth. 6.

4 NOn ſolùm omnibus ſimul bonis operibus merces ſua propoſita eſt, ſuntque me-

que meritoria, quod Lutherus, Caluinus, & alii bonorum operum osores & inimici negant; sed singulis etiam operibus singulæ proponuntur mercedes. Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi posidebunt terram. Primò igitur in vnaquaque benedictione, opus & labor proponitur, deinde præmium adiungitur.

5 PRimus ergo lapis, primum fundamentum legis Christi est, humilitas: Beati, inquit, pauperes spiritu, hoc autem est humiles, ac nihil de se præsumentes, ac ne magnum quid affectantes quidem: de quibus illud: Humiles spiritu saluabit Dominus. Quam quidem humilitatem in pulcherrima illa sua virtutis pictura, Magnus Chrysostomus pro capite apposuit virtuti. Quod igitur est, inquit, virtutis caput? Humilitas certe. Quapropter ab ipsa Christus incipit dicens: Beati pauperes spiritu. Hoc caput, etsi nec cæsariem, nec crines habeat; sic tamen pulchrum est, vt Deum ad seipsum attrahat. Ad quem enim aspiciam, ait, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Idem D. Chrysostomus: pauperes spiritu: humiles mente, atque contritos spiritu interpretatur. Spiritum enim hîc posuit pro anima & voluntate: quem illi tres pueri pro magno sacrificio obtulerunt Deo, dicentes: In spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipiamur à te Domine. Sed quo præmio beati? quia ipsorum est regnum cælorum. βασιλείαν intelligit, regiam sedem: id est in summi regis arce & gloria manebunt. Fundamentum ergo regnandi, humilitas est. Hoc fundamentum iecit, Dauid: Cor, inquiens, contritum & humiliatum, Deus non despicies. hoc mater sancta: Quia respexit humilitatem ancillę suę. hoc ipse Messias exemplum dedit: Discite, inquit, à me quia mitis sum, & humilis corde. Vnusquisque enim humilitate supposita, tutissimè cuncta alia superponit ædificans: hac verò subducta; etiãsi ad ipsum vsque cælum conuersationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimũ relabuntur. Nam siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pudicitiam, siue aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta defluunt, cunctaque depereunt. Non possum autem intelligere, quam interpretationem huius loci adferat Caluinus, vt veterem extenuet. Minimè, inquit, dubium est, pauperes vocari, qui rebus aduersis premuntur. Nam hac de re alia instituetur oratio: Beati qui lugent, & qui persecutionem patiuntur.

D. Chryso. in Math. Hom. 48. op. imp. — *Isa. 66.* — *Danielis 3.* — *Psal. 50.* — *Luc. 1.* — *Mat. 11.*

6 SEcundus lapis felicitatis est, luctus. Beati, inquit, illi qui lugent, quoniam consolabuntur: Quod quidem videtur contra totius mundi pugnare sententiam. Cùm enim omnes putent, gaudentes beatos esse ac felices, eos verò qui in mœrore, pauperie, luctuq; versantur, miseros existiment; hos ipsos pro illis appellat beatos, dicens: Beati qui lugent. Quod significabat & Paulus dicendo: Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem, operatur. Lugent autem, non sub cruce; Gaudeo, inquit Paulus, in passionibus: neque sub rebus aduersis; tribulatio enim patientiam operatur; sed sub onere peccati, non sui tantùm, sed totius orbis, iuxta Paulum: Ne lugeam multos, qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immundicia & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt. Et alio loco. Quis scandalizatur, & ego non vror? Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio spem, spes autem non confundit.

2. Corint. 7. — *Colos. 1.* — *Rom. 5.* — *2. Corint. 12.* — *2. Corint. 11.*

confundit. Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Vnde D. Chrysostomus: Beati qui lugent, non sua tantùm, sed & aliena peccata. Qua spe & præmio? quoniam, inquit, consolabuntur. Absterget Deus omnẽ lacrymã ab oculis sanctorum suorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Hyems transiit, imber abiit & recessit.

Psal. 125.
In Math. Homil. 9. Oper. Imper.
Apocalip. 21.

7 TErtius lapis ciuitatis Dei est, mitem esse, mansuetum, placidum, non pugnacem, non ferocẽ. Sed quo præmio? Quoniã ipsi possidebunt terram. Quod primum Hieronymus refert ad terram viuentium: Videbo, inquit, Deum in terra viuentium; in adiectione tamen, etiam de terra hac nostra interpretantur patres. Cernere enim licet contumeliosissimum quemque & maximè litigiosum, turbulentumque & insolentem, pauperem ac egentem, quasi semper esse: at homines mites, mãsuetos, & quietos, locupletes, & diuites, & aliis præesse videmus. Hinc illud Dauidis: Mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Et paulò ante: Noli æmulari, vt maligneris: quoniã qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem dominum, ipsi hæreditabunt terram. Quod si non semper in ipsa possessione rei accidit; in vsu tamen terræ ac omnium commoditatum hoc maximè apparet. Nemo enim meliùs, nemo pleniùs, nemo iucundiùs rebus creatis à Deo vtitur, quàm homo mitis & quietus. Qui conturbat domum suam, possidebit ventos, Salomon inquit. Nam homines inquieti & turbulenti, non modò rebus suis, sed ne ipsi seipsis rectè vti possunt: qui ne cibi quidem capiendi aut somni liberum tempus habent. Nam in vita tumultuosa, quàmuis terræ quis Dominus sit, omnia tamen possidendo nihil possidet. Mitissimi fuerunt Apostoli: & cõstituti sunt principes super vniuersam terram, quam vsque adhuc tenent. Præest etiam nunc Iacobus Hispaniæ, tenet Thomas Æthiopiam: Paulus & Petrus Vaticanum: tenent alii alias orbis partes, vt Antipodes sibi quoque esse videantur. Idem D. Francisco, Dominico, & Benedicto euenit. Beati ergo mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Habet etiam Irenæus suam huius loci expositionem. Quasi hæreditate possideatur terra in regno, vnde & substantia carnis nostræ est; & ideo mundum templum esse vult, vt delectetur spiritus Dei in eo, quemadmodum & sponsus ad sponsam. Sicut igitur sponsa assumere sponsum non potest, assumi autem à sponso potest; cùm venerit & acceperit eam sponsus: sic & caro hæc, secundùm seipsam, id est sola regnum Dei hæreditate possidere non potest: hæreditate autem possideri in regno à spiritu potest: hæreditate enim possidet, qui viuificat ea, quæ sunt mortua. Et aliud quidem est hæreditate possidere, aliud autem hæreditate possideri. Ille enim dominatur & præest, & disponit ea quæ hæreditate possidet, quemadmodum ipse velit: illa verò subiecta sunt & obediunt, & dominantur ab eo, & sub dominio sunt eius qui possidet.

Psalm. 36.
Prouer. 11.
Irenæus lib. 5 cap. 9.

8 QVartus lapis est spiritualis ædificii, esurire & sitire iustitiam: hoc est, summo studio desiderare, vt & nos ipsi, & alii omnes iusti simus; hocque illud est, quod in oratione Dominica toties repetimus: Sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra. Quæ autem alia est voluntas eius, nisi sanctificatio & iustitia nostra? Quamùis enim non

sit in po-

ſit in poteſtate noſtra, ex immundo mundum fieri: eſurire tamen & ſitire iuſtitiam, etſi totus orbis nos ridere, ac nos ſubſannare pergeret; id tamen omnibus modis velle teſtarique debemus. Quodſi non facimus, peccamus. Iuxta illud Ezechielis: Tranſi per mediam ciuitatem in medio Ieruſalem: & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me: Tranſite per ciuitatem ſequentes eum, & percutite: non parcat oculus veſter, neque misereamini, ſenẽ, adoleſentulum & virginem, paruulos & mulieres interficite vſque ad internecionem: omnem autem ſuper quem videritis Thau, ne occidatis. Pulchrè autem loquitur, eſurire & ſitire: qui enim eſurit, ſe ſaturum eſſe non iudicat: ita qui iuſtitiam eſurit & ſitit ſemper, nunquam ſe iuſtum arbitratut, ſatagit, contendit, conatur, vt pulchrè D. Hieronymus teſtatur. At quo præmio? Quoniam ipſi ſaturabuntur: hîc nequaquam; ſed vbi apparuerit gloria Dei: Satiabor, inquit Dauid, cùm apparuerit gloria tua. Hanc eſuriem & ſitim nullæ opes, voluptates nullæ, honores nulli complere poſſunt. Omnis qui bibit, inquit Saluator, ex aqua hac, ſitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Quoniam, inquit D. Chryſoſtomus, maiora erunt præmia Dei, quàm deſideria auara ſanctorum. At famem hanc & ſitim non complet philoſophia, non aula, non mundus vniuerſus. De qua ſacietate magnificè virgo ſancta: Eſurientes, inquit, impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Et longè antè auus eius Dauid: Dilata os tuum & imple bo illud. Beati ergo, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

Ezech. 9. *Pſal. 16.* *Ioan. 4.* *In Math. hõ. 9. ope. imp.* *Pſal. 80.*

QVintus lapis eſt ædificii Dei: Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur. Illud autem complectitur caput hoc, vt non tantum peccatis noſtris & aduerſis moueamur, ſed etiam alienis, ad eaque ſubleuanda parati ſimus; vt qui à maioribus miſericordia opus habemus, eandem inferioribus præſtemus. Sed quo præmio? primo & ſummo: beati miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur. Quem locum Dauid explicat: Beatus vir, qui miſeretur ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eũ Dominus. Verſabit Deus lectum eius in infirmitate eius. Conſequentur autem miſericordiam, apud Deum inprimis, apud homines deinde. Hæc eſt merces illa, quam omnes magni & ſancti concupierunt: Miſerere mei Deus, dicebat Dauid, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, ſic & alii. 9

Pſal. 40.

SExtus lapis felicitatis eſt, purum cor. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Templum enim Dei, inquit Hieronymus, pollutum eſſe non debet. Glorificate, inquit, & portate Deum in corpore veſtro. Mundum autem cor dicitur, quod non modò carnem, ſed etiam cogitationes omnes mundas & caſtas conſeruat. Vas putidum, inquit Nazianzenus, vnguenta non con ſeruat. Referunt tamen alii ad ſimplicitatem & ſinceritatem cordis illorum, qui in corde & corde non loquuntur cum proximo ſuo. Merces autem mundi cordis quæ? Viſio Dei: quam ille exoptat, qui ait: In carne mea videbo Deum ſaluatorem meũ, ego ipſe & non alius. Et ille alter: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Vt enim ſpeculum tum demum capit rerum ſpecies, inquit Chryſoſtomus, ſi mundum ſit: ſic ipſum cor mundum admittit Dei aſpectum. Tale autem cor exoptat ſibi Dauid: Cor, inquit, mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. 10

1. Corint. 6. *Iob 19.* *Pſal. 26.* *Pſal. 50.*

Septimus

11 SEptimus lapis preciosus est cælestis doctrinæ: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Pacificus autem dicitur, qui non solùm ipse pacem habet ad omnes; sed etiam eiusdem se pacis ducem & authorem, & conciliatorem facit: ita tamen, vt primùm pacem in seipso habeat. Quid prodest, inquit Hieronymus, alios pacificare, si in nostro animo sunt bella? Sed quo præmio? Illo inquam, vt filius Dei quis sit, & vocetur. Filiorum enim est, vnius voluntatis esse in domo: Qui habitare, inquit, facit vnius moris in domo. Quemadmodũ autem illi, qui pacem inter homines faciunt, filii Dei sunt: ita qui dissidia, schismata, hæreses conciliant, meritò filii diaboli dicendi sunt. Sex odit Dominus, inquit Salomon, & septimum detestatur anima eius: oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia testem, fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias. Quisquis ergo, dicebat Magnus Gregorius, patris æterni hæres esse desiderat; filius existere, pacem custodiendo, non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ; ipse profectò tanti se muneris exortem esse constituit.

Psal. 67.

Prouerb. 6.

12 VLtima obsignatio angularisque lapis felicitatis CHristianę est: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: ipsorum enim est regnum cælorum. Propter iustitiam. Nemo, inquit Petrus, vestrum patiatur vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem vt Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: ipso Domino exhortante: Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si meum sermonem audierunt, & vestrum audient. Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. &c. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Sed quo tandem fine? Quoniam ipsorum est regnum cælorum: in quo omnia regna, & iustitia.

1. Pet. 4.

Ioan. 15.

Luc. 23.

13 ATq; hi sunt fines bonorum & malorum populi christiani, qui ad tres illas principes virtutes referuntur, iustitiam, charitatem, & pietatem. Quibus propositis, ad cohortationẽ suorum confert se legislator cælestis. Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malũ aduersum vos mentientes, propter me. Nam si vera dixerint, tunc vos maledicti propter scandala & offensiones. Vt enim maledictum contemnendum est, inquit Hieronymus, quod beatitudinem creat: ita illud fugiendum, cui ipsi causam dedimus. Inter verba laudantium atque vituperantium, inquit Gregorius, ad mentem semper recurrendum est: & si in ea non inuenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum, si in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur; in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudant, & conscientia accuset? Aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent, & sola conscientia nos liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientię nostrę. Iob quoque dicit: Ecce in cælo testis meus. Si ergo testis est nobis in cælo, testis in corde, dimittamus stultos foris loqui, quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in puluerem sufflant, atque in oculos suos terram excitant; vt vnde plus detractiones perflant, inde magis nihil veritatis videant? Quisquis enim vana gloria non delectatur, blasphematus mendaciter

Libr. 8. Epist. 45.

2. Cor. 1.

In Math. hō. 9. oper. imp. daciter, non tantùm mendacia illa magnanimiter fert, ſed gaudet etiam, vt docet Chryſoſtomus. Nam qui concupiſcit quæ in cælo ſunt, opprobria non timet in terris: nec cogitat quid loquantur homines propter ipſum, ſed quid iudicet Deus de ipſo. Qui enim lætatur de laude hominis, & quantum lætatur, tantum contriſtatur: ille & de vituperatione hominum contriſtatur, & tantum contriſtatur, quantùm lætatur. Qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Vnuſquiſque vbi gloriam quærit, illic timet confuſionem. Qui gloriam quærit in terris, confuſionem timet in terris. Qui autem gloriam non quærit, niſi tantummodo apud Deum; ille non timet confuſionem, niſi tantummodo Dei. Conſidera verò, inquit idem Chryſoſtomus, poſt quot mandata idipſum locârit. Non enim hoc abſque certa ratione fecit; ſed quia voluit oſtendere, quòd niſi quis, illis, quas ſuperiùs poſuit, armatus fuerit, ornatusq; virtutibus, ad hæc nequaquam poſsit prodire certamina. Propterea de priore ſemper etiam mandato, ſequentis viam ſtruens, auream quandam nobis coronam texuit. Cùm enim quis humilis fuerit, etiam ſua omninò lugebit peccata: qui autem luget, idem & mitis erit, & iuſtus, & miſericors: at miſericors & compunctus omninò etiam puro erit corde. Qui verò talis eſt, erit etiam profectò pacificus. Porrò, qui iſta perfecerit, erit abſque dubio ad pericula præparatus, nec ad maledicta vlla prorſus terrebitur, etiamſi mala quoque mille patiatur.

NOTAE. QVo loco notandum eſt, tractaſſe hoc de finibus bonorum & malorum argumentum omnes ferè veteres ſapientes: & ita tractaſſe, vt nihil prolixiùs; ita vt differentiæ ſectarum inde natæ, videantur volumina maxima compleuiſſe. Quis enim vnquam philoſophatus eſt, inquit Tullius, non propoſitis finibus bonorum & malorum? Itaque D. Auguſtinus, ex Varonis ſententia, quingentas opiniones de ſummo bono, inter ſe diuerſas & diſsidentes recenſet. Quibus tamen diſputationibus hoc ſolum profecerunt; vt dum alter alterum confodit, ſe teſtentur omnes erraſſe, ac nihil ſolidum hac de re pronunciare potuiſſe. Itaque ipſi, vel in vado quodam, breuibusq; conſiſtentes, dum quò progrediantur non haberent, cælitus aliquem virum mittendum, qui hanc talem tantamque difficultatem explicaret, optârunt. 14

TAntò ea quæſtio difficilior fuit, quantò in maiori fuit expectatione: quãtoque magis mundus in eius cognitionem exarſerat, & erectus erat; tantò auidiùs accepta eſt à principio; mox in varias interpretationes deducta: & quam prius mundus admiratus eſt; contempſit deinde, irriſit demùm, pòſt grauiſsimè perſecutus eſt. Qui autem fuerunt filii regni, ſanguinem pro illa fuderunt. Viſa enim eſt quibuſdam noua, quibuſdam difficilis & ardua, quibuſdam ſtulta & pugnans. Noua ea viſa eſt: mundus enim quoties de felicitate diſputabat, nunquam illam ab vſitatiſsimo triplici bonorum genere diſtinguebat, animi, corporis & fortunę. Quid enim in hoc mundo præter hæc tria genera bonorũ inuenias, quod ſibi aliquis magnopere expetendum eſſe putet? Expectabat igitur mundus ſuſpenſus, dum pro aliquo certo genere bonorum, cælitùs ex mente diuina, à verbo illius, aliqua fixa & certa ſententia ferretur. Et tamen non modo commendatio, à nouo legiſlatore illorum fit vlla, ſed contraria omnia: Beati pauperes, beati qui lugent, beati qui perſecutiones patiuntur. &c. Vt autem 15

tem illis hæc ſententia viſa eſt noua, ita omnium difficillima. Difficile eſt rebus triſtibus ac aduerſis non commoueri: ſed longè difficilius illis non reſiſtere, ſed vltrò etiam occurrere, easque accerſere: amplius etiam ſi veniant, gaudere & exultare. Difficile eſt, hominem moroſum & garrientem ſufferre: at quantò difficiliùs eſt, maledicentem, improperantem, inſultantem inimicum, cùm & dixerit omne malum aduerſum nos? Sit non difficile, non odiſſe: at illi benè velle, fauere, pro illo exorare, illi benefacere, idque libenter, ex animo, corde perfectò, difficilis hæc doctrina fuit. Stulta denique ac pugnans videbatur: quid enim magis ſecum pugnat, quàm exultare ac mœſtum eſſe: lætum apparere, ac in omni miſeria hærere? Nam cùm gaudium nihil aliud ſit, quàm iucundus ac dulcis animi motus de præſenti bono; quî fieri poteſt, vt in præſenti mœrore, dolore, ac labore, gaudere, lætari & exultare aliquis poſsit; cùm hæc ita natura aduerſa ſint, vt mœror lætitię, dolor voluptati, labor ocio & quieti: vt qui hæc natura diſiuncta ratione coniungere velit, nihilo plus agat, quàm ſi det operam, vt cum ratione inſaniat. Eam igitur doctrinam ſapientia mundi primùm admirata eſt, contempſit deinde, irriſit demum, perſecuta eſt ad extremum, vt diximus. Itaque Iulianus apoſtata, vt refert Nazianzenus, Chriſtianis inſultabat, non debere illos grauiter ferre, neque his iraſci, qui eos perſequerentur; cùm præceptor ac legiſlator eorum beatam vitam dixerit, ſi illis aliquis maledixerit, & eos perſecutus fuerit.

15 RESpondet ad hæc omnia diuinus doctor, Chriſtus Dominus, tribus ſolis verbis: Gaudete & exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cælis. Nouitatem ſententię, particula cæli aufert: de quo vel nulla, vel modica, vel inter paucos cognitio fuit. Inferos autem appellabant ſemper, ſiue tu Homerum, ſiue Platonem, ſiue alios ſpectes. Difficultatem præcepti, mercede copioſa excludit. Merces enim minuit laborem. Stultitiam & pugnantiam, diuerſo reſpectu. Quæ omnia vt rectius intelligamus, hæc pauca præmittemus. Primò vnam eandemque rem poſſe eſſe bonam & malam ſimul, varia & multiplici ratione: & ideo lætitię & mœroris cauſam ſimul conſiſtere poſſe: quomodo mulier cùm parit, teſte Saluatore, & mœret ſimul & gaudet. Mœret quidem ob præſentem dolorem, vitæque periculum; gaudet, ob poſteritatem, quia naſcitur ex ea homo. Secundò illud notandum eſt, duplicem nobis ineſſe appetitum, alterum ſuperiorem, inferiorem alterum. Superior ille dicitur, qui natura ſua rationi ſubeſt, nihilque ſine illa ſtatuit. Inferior, qui ſenſui inſeruit, illique alligatus eſt. Neque enim fieri poteſt, vt eodem appetitu cibum aut potum quis deſideret, & ieiunium? Iuxta quos duos appetitus, vnus & idem diuerſa & pugnantia poteſt velle; vt cùm quis ſimul ieiunare vult, & eſurit: caſtus eſſe & vritur, quorum alterum ſuperiorem appetitum, inferiorem alterum ſequitur. Tertiò obſeruandum eſt, ſuperiorem appetitum eam vim nonnunquam habere; vt inferiorem planè extinguat, & in ſuam poteſtatem redigat, ita vt vix ſe exerere poſsit. Quod in ambitioſis rectè videre licet, quos neque eſurire, neq; dormire, neque frigere, neque dolere videas, modò propoſitis potiantur honoribus. Ex quibus præmiſsis, proxima illa difficultas de pugnantia inter ſe doctrinæ ſoluitur: Nemo gaudet & lætatur malis, ſi malum ipſum ſpectes; at propoſito ſibi gaudio, præmiis item gaudent omnes. Gaudere ſe dicebat Paulus in tribulatione, ſciebat enim modicum hoc tribulationum multum adferre gau-

dii. Gaudet aliquando miles vulnere, nauta periculo, arator æstu. Neque difficile fuit aut molestum Iacobo Patriarchæ quatuordecim totos annos expectasse Rachel: quos quidem sibi paucos visos fuisse, ipse testatur. Superior enim appetitus extinguebat inferiorem. Mirandum item non est, in asstruenda felicitate humana pauca ex humanis bonis misceri, cùm non in hac vita, sed in alia hoc brauium propositum sit; ideoque additur vox illa, In cælis. Et ita tribus vocibus tres gentilium difficultates solutę sunt. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Quod totum exemplo insigni illustrat Nyssenus. Si tum, inquit, cùm iustus Ioseph in Ægyptum vendebatur, præscius quis diuinorum consiliorum, gaudere & exultare puerum illum, sua illa præsenti calamitate iussisset; dura tum, & inhumana ea fuisset gratulatio: eadem tamen, vbi hæc consecuta sunt, quę Deus ordinauerat, verissima fuit. Quod idem in eodem sensu dictum putemus: Gaudete & exultate. &c.

16 NOtandum autem est, nunquam Euangelicos huius seculi se minus declarasse Euangelicos, idque eo loco, quo minimè oportuit, in summa felicitatis atque salutis nostræ. Cùm enim Christus Dominus disertissimis, vt nunquam aliâs, verbis dicat: Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis: isti dicunt, in omni opere bono iustum peccare; mercedem bonis operibus propositam esse nullam. Itaq; Caluinus permotus hoc loco (quod aliâs solet, vbi solutione caret) mirè obiurgat Papistas: & postea ipse nihil ad rem loquitur. Iuuat ipsum oratorem sua verba sonãtem audire: Quod Papistę in nomine mercedis ludunt, nullo negotio hic fucus diluitur: neque enim, vt somniant ipsi, mutua est relatio inter mercedem & meritum; sed gratuita est mercedis promissio. Deinde si reputamus, quàm mutilum sit ac vitiosum, quidquid bonorum operum etiam ab optimis prodit; nullum vnquam inueniet opus Deus mercede dignum. Atqui lusus iste non est, Caluine. Christus vbi dicit, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ponit meritum, addit præmium, Quoniam ipsorum est regnum cælorum, & sic de cæteris. Gratuita inquit. Atqui hæc beneficia dicuntur, non merces. Accerse puerum septem annorum, & quære, an merces cum opere sint relatiua, & disces ecclesiam vera dicere. Dicis fucum fieri: homo singularis, tu ipse fucum facis, neruos omnes virtutis incidis, vocabula confundis. Nusquam Papistę gratiam excludunt, cui primas, secundas ac tertias partes in omni negotio iustificationis tribuunt: quia & prima, & secunda, & tertia à Deo sunt; quanquam etiam, quia nobis donantur, nostra sunt: sed verbis scripturę vtuntur, sua non comminiscuntur: beneficium beneficium vocant, mercedem mercedem, vt illi quondam ficum ficum. Augustana etiam se hoc loco profert: nugatur bona opera meritoria esse, sed non vitæ æternæ, sed temporalis tantùm, nam non esset proportio. Atqui Christus contrarium docet, Merces, inquiens, vestra copiosa est in cælis. Proportio nascitur, ex Christi infinito merito. Colligit igitur se: est merces in cælis; verùmtamen respectu illius, nihil facere debemus; sed illud etiam atque etiam iactare: Si omnia fecerimus, serui inutiles sumus. Atqui hoc loco animat suos milites Imperator: Respicite brauium: Merces vestra copiosa est in cælis. Et Dauid: Inclinaui cor meum Deus ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem. Ita Euangelici isti, nihil minus quàm Euangelici: præsertim si illud Pauli addas, Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem serua-

Psal. 118.

2. Timo. 4.

ſeruaui;in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitię,quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex : non ſolùm autem mihi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Neque ſola merces, aut qualiſcunque proponitur Chriſtiano legitimè pugnanti, ſed copioſa, ſed referta, & quæ omnem humanum appetitum compleat : & in qua congregatio omnium bonorum, & excluſio malorum omnium continetur. Delectant quoſdam vetera ſtemmata, antiquæ cæræ, nobilitas generis. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Sublimis nobilitas eſt, eſſe filium Dei, hæredem Chriſti. Delectant alios poſſeſsiones, multumq; latè fuſæ hæreditates : atqui hîc vniuerſæ terræ hæreditas proponitur. Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram. Præeſſe multis & regnare, expetunt multi : hîc regnum proponitur. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Demulcent alios voluptates, lætitia efferuntur. Beati qui lugent,quoniam ipſi conſolabuntur, ipſa voluptate, quæ à Deo parente proficiſcitur, cui mundus parem non habet. Sunt quos iuuant opes & ſatietas rerum omnium. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam,quoniam ipſi ſaturabuntur. Iuuat multos fauor hominum & amor, temporeq; neceſſario ſubleuatio, Dei autem inprimis præſens auxilium : Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Philoſophi multi ſunt, amore ſapientiæ rapiuntur, omnia pulchra illos delectant, cognitionem altiſsimarum rerum expetunt. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum, qui eſt cauſa cauſarum, & ſpeculum vniuerſitatis, videbunt. Si enim regina Saba beatos dicebat viros, beatos ſeruos Salomonis, qui ſtabant coram eo ſemper, & audiebant ſapientiam eius; quantò magis felices iſti ſunt,qui Deum ipſum videbunt? Longitudinem dierum expetunt multi; noſtris vita æterna proponitur. Libertatem plerique amant; noſtris regna promittuntur. Verè igitur merces magna, merces copioſa, contrà quàm mentitur inuida hæreſis. Quodſi gratis huic tanto principi, nos, omniaq; noſtra debemus; quantò magis his propoſitis præmijs? vel quibus malis digni ſumus, qui tantam negligimus ſalutem, quorum vna lex eſt, vt diligamus inuicem?

17 VIa cæli eſt agerę bona, & mala perpeti.

18 FRendet & iraſcitur hæreſis, ſi honorificis à nobis titulis ſancti ornentur. Audiant igitur ſanctum ſanctorum, quibus titulis ſanctos ſuos ornet, & in quo honore habeat. Beatos vocat, reges cæli, filios Dei, poſſeſſores terrę, inſpectores ſummę maieſtatis, conſolatos vocat, miſericordiam conſecutos : quibus titulis nulli pleniores, nulli ſublimiores eſſe poſſunt. Matrem Dei appellat quis reginã mundi,aduocatam noſtrã,& dominam : fremit & tabeſcit hæreſis.Atqui piſcatores vocat Chriſtus, reges cæli, filios Dei. Sed vnde illis hoc,vnde hi tanti honores? Quia fecit illis Deus magna, qui potens eſt : quia pauperes, quia mites, quia pacifici, quia miſericordes, idque in omnes,omni modo : quia pœnitentes pro ſe,& toto orbe: quia caſti, quia perſecutiones perpeſsi,quia maledicta ſuſtinuerunt, verbera, cruces. Bonorum operum glorioſus fructus : quorum quia hæreſes guſtum non habent; mirum non eſt, ſi tanta præmia illis inuident : cæciq; de coloribus iudicare non poſſunt.

19 ITaque aptiſsimè in honorem omnium ſanctorum,ipſo die feſto illorum,ea pars Euangelii populo Chriſtiano proponitur. Primùm vt ſciat, in quorum cõ-

munionem sit assertus, & quibus adiunctus, nempè ad multorum millium angelorum frequentiam, & spiritus iustorum perfectorum, vt inquit Paulus. Deinde, vt non ignoremus vbi sint illi, qui tradiderunt corpora sua ad supplicia,& lauerunt stolas suas in sanguine agni: vt nos ad eandem spem, & expectationẽ vocationis nostrę armemur. Demum, vt instruamur, quos imitari, & quô ipsi contendere debeamus. Adhæc, vt pro primitiis nostris gratias æterno patri agamus, qui non despexit lutum nostrum, sed & in tantum efferre dignatus est honorem. Denique vt nos illis commendemus, illorumque precibus & meritis adiuuemur, iuxta illud: Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

Hebr. 12. *Psalm. 118.*

SENSVS EVANGELII.

FIne legis proposito, cælestis legislator ad promulgationem eius, & ad institutionem ac informationem ministrorum se confert. Quorum inprimis locum & dignitatem,quam in Ecclesia Dei habituri sint explicat,ad diligentemq; functionem, operisque sui fidelem executionem hortatur: quod si negligant, pericula proponit, tàm priuatim quàm publicè. 20

PRima igitur dignitas, ac quasi imago, ordinis Apostolici est. Vos, inquit Christus, estis sal terrę. In terra, humana natura; in sale, sapientia verbi significatur. Sale igitur Apostolicæ doctrinę, hoc est sapientia, in terra humanę carnis luxum seculi ac fœditatem compescite. Id autem cùm dixit, ad illas octo beatitudines respexit, quas ante iam recensuit, quia doctor omnibus illis virtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper; vt auaritiam libera voce castiget. Debet esse semper suspirans & lugens, siue sua siue aliena delicta; vt confundat eos, qui nec peccare dubitant priusquàm peccent, nec postquam peccauerunt, tristantur quia peccauerunt. Ideo suspiret & plangat, vt per hoc ostendat, quia grauis & periculosus est mundus iste fidelibus. Debet esuriens & sitiens esse iustitiam; vt pigros circa opera bona, vel lectionem, fiducialiter verbo Dei aut increpationis flagello valeat excitare, magis exemplo suo quàm voce. Debet esse mansuetus; vt magis indulgendo quàm vindicando regat Ecclesiam, vt magis ametur quàm timeatur. Debet esse misericors aliis, sibi autem austerus; vt sibi quidem graue pondus iustitię ponat, aliis autem leue. Debet esse mundo corde, vt non solùm se non immisceat circa negotia secularia, sed nec cogitet de mundo. Sicut enim oculus, quantò mũdior fuerit, tantò longius videt: sic & anima, quantò longius fuerit à solicitudine mundi, tantò Deo propinquior est. Cuius autem cordis oculus mundum aspicit, illius mens non potest Deum videre. Sit etiam pacificus; vt tota Ecclesia eius quasi vna sit anima. Vbi concordia non est, nec oratio illic exauditur, nec oblatio suscipitur: quia nec ibi est Deus, vbi discordia dominatur. Debet autem & paratus ad passionem esse, non vana desideria martyrij habens, sed constantiã fidei martyribus dignam. Nam quantum ad sapientes, & miles non ille paratus dicitur ad bellum, qui concupiscat exire, sed qui potens est exire. Si ergo omnibus his virtutibus fuerit ornatus; tunc est quasi optimum sal, & totus populus de illo conditur magis videndo eum, quàm audiendo. Nam prima doctrina est videre bonum, secunda autem audire. Hæc D. Chrysostomus. 21

D. Chriso: in Math. ho. 10. Ope. Imper.

SAlis autem conditiones sunt istæ, sine sale nihil sacrum est, iuxta illud Leuitici: 22

Leuit. 2.

tici: Quidquid obtuleris sacrificii, sale condies: curantur morbi sale; purgat res, & à putredine conseruat: sine sale nihil sapidum est: condimentum omnium sal est, mordax quid & exedens est, fœtoremque arcet. Sed vbi corruptum fuerit, ad nihil valet vltrà: sed ne loco quidem idoneo dignum putatur. Cuius natura est, vt vbi corruptum fuerit, in terramq; proiectum, efficiatur infructuosa: vnde quasdam vrbes legimus victorum ira sale conspersas, vt nihil ibi vnquam vtile ac frugiferum esset. Omnia ista munera & functiones salis in ordine Apostolico conspiciuntur. Nihil sine Apostolis eorumq; doctrina in Ecclesia Dei est sanctum, nihil Deo gratum, quidquid dicat hæresis. Curatus est orbis terrarum doctrina Apostolica, purgatus ab idolis multiplicibusque vitijs, ac erroribus infinitis: ab eodẽ sale conseruatur, ne putrescat, ne corrumpatur, ne sordeat. Et Christi quidem Domini primò & præcipuè virtutis fuit, liberare mundũ à putredine peccatorum: vt autem non ad illa iterum reuertatur, Apostolorum curæ esse debebat ac laboris. Quod idem de luce paulò inferius intelligendum est. Ego quidem lumen accendi; vt verò perseueret ardens, vestri profectò erit studij, non propter vos ipsos modò, verùm etiam propter illos, qui eadem luce potientur, vobisque ducentibus viam veritatis inuenient. Demamus Apostolicam doctrinam: cogitate quãtum mundus sorderet? quę hæreses non suborirentur? Vita & moribus condierunt mundum; effecerunt, vt tormenta iucunda essent & martyria; vt gauderent homines & exultarent, quãdo iudicantur esse digni, pro nomine IESV aliquid pati. Mordax præterea fuit Apostolica doctrina: non respexit carnẽ & sanguinem: per reges & Imperatores carpentum egit. Prædica verbum, inquit Paulus, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa. Sed quantò maior est dignitas Apostolici ordinis, quam salis natura designauit; tantò si corrumpatur, si euanescat, nihil illa viliùs, nihil contemptiùs: loco, vbi consistat digna non est.

2. Tim. 4.

23 NOtatur autem à D. Chrysostomo hos ipsos Apostolos, non ad duas vrbes aut decem, vel viginti, neque ad vnam missos esse gentem, sicut mittebantur prophetæ; sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totumque mundum, & hunc varijs criminibus oppressum. Vos estis sal terræ: illius, inquam, Catholicæ Ecclesię, quam hæresis condemnat. Quorum Dauid illud insigne Epinicion canit: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.

Psal. 44.

24 PRoposita dignitate salis, proponitur periculum eiusdem. Non dicit autem, si corruptum fuerit, aut si in venenum mutatum, tum demum illud obnoxium præsenti legi futurum: hoc enim ne ominari quidem voluit Saluator: sed si tantùm euanuerit, hoc est, si sapientiam & doctrinam dereliquerint, si condire ac curare desierint, si saporem bonæ famæ & existimationis amiserint, si calorem charitatis exilem habuerint, si bona spiritualia extinxerint. Nam illud, si improbi & impuri fuerint facti, si ad ambitionem, auariciam, dominatum, luxum item & libidinem omnia sua retulerint, si mundo scandalo & offensioni fuerint, si prauas & erroneas doctrinas seminarint; tum ipsi huiuscemodi sali pœna quæ cogitari posit non inuenitur.

25 PRoponuntur autem duæ grauissimæ, quæ infatuatum sal sequuntur, cala-

mitates. Prima, quòd eiicietur foras: quo quidem foras, nihil est acerbiùs, nihil tristiùs. Foras, à visione Dei, cum quo nusquam malè, sine quo nusquam benè: foras à numero sanctorum angelorum: foras à communione sanctorum: foras à donis cælestibus, quò ne eiiciatur, Paulus deprecatur Deum: Timeamus, inquit, ne forte relicta pollicitatione introëundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Secunda calamitas est, conculcari ab hominibus: vtinam autem non à dæmonibus. De qua conculcatione propheta. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Quę cõculcatio vereor ne hoc seculo nos infatuatũ sal sequatur. Quis enim nos non contemnit, non calcat? quis non officium se facere Deo arbitratur, qui nobis damnum dederit? Non proponitur autem nobis ignis & gehenna: quia ad filios, qui amore ducuntur oratio est; quibus à re amata abesse summa infelicitas est: non ad seruos, qui timore & flagris reguntur.

Hebr. 4. *Malach. 2.*

26 SEcundam dignitatem Apostolici ordinis, princeps ipse & magister proponit. Vos, inquit, estis lux mundi. Præstans & eximia res & dignitas Apostolum & lucem esse: sed & plena negotio & periculo. Christus est lux vera, inquit Origenes, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: ex cuius lumine illuminata Ecclesia, etiam ipsa lux mundi efficitur, illuminans illos qui in tenebris sunt: sed & Apostoli, quos nunc lucis nomine compellat: Ex plenitudine enim eius acceperunt omnes.

27 MVltæ autem conditiones sunt lucis. Dat esse & videri rebus: manifestat omnia, & non manifestatur ab alio: pellit tenebras: purgat omne pestilens & immundum: res est cælestis, media inter corpus & spiritum: subitò omnia peruadit atque illuminat, idque vsque ad centrum terræ, vt doctis placet: res est pulcherrima, & pulchra omnia facit, pulchritudinemq; omnem aperit; res preciosissima, pupilla mundi, delectabilis, & sine qua nihil iucundum ac delectabile, iuxta illud Tobię: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? custodit & conseruat omnia: nam sine luce, custodia nulla: lux senescit nunquam: lux cedit aliquando tenebris, non tamen ab illis vincitur; debiles oculos perstringit ac lædit: lux spargit radios vbique, inuidet nulli, ne ingrato quidem: lux continet imaginem Dei, ex quo quantò plus haurias, tantò plus honores. Ex quibus lucis adiunctis, alia quidem sunt, quæ soli summę primæque luci conueniunt Christo Domino legislatori ipsi: alia autem cum ipsis promulgatoribus communicantur. Propria sunt: illuminare: Erat lux vera, quę illuminat omnem hominẽ. Subitò, & in instanti omnia peruadere: Sicut, fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem. Pulcherrimũ esse: Speciosus enim forma præ filiis hominum. Custodire & gubernare omnia: Nisi Dominus custodierit ciuitatem. Senescere nũquam, præsentem adesse vbique, imaginem patris obtinere. Communia autem sunt hæc, purgare à tenebris, à corpore recedere, & ad spiritum accedere, cedere aliquando & non vinci, perstringere oculos debiles, spargere vbique radios.

Tob. 5. *Matth. 25.*

28 NOtandum, Christum Dominum dicere, Vos estis lux mundi; negare Euangelistam Ioannem, qui de præcursore sic: Non erat ille lux, sed vt testimonium per-

um perhiberet de lumine. Quid igitur dicemus? Fatemur neq; Ioannem, neq; Apostolos fuisse originalem & radicalem fontis lucem, quæ à seipsa oriretur, & quę vera & nō adumbrata lux esset, omniaq; adiuncta, vt diximus, lucis haberet. Fuit tamen & Ioannes, fuerunt & Apostoli, lux, vt radii, vt riuuli, vt ppagines aliunde illuminatæ, & quę partem tantùm lucis, non totam lucem continerent.

29 FAlsò docet hoc loco Caluinus: Deum non esse prodigum suorum titulorum. Prodigus quidem non est, sed liberalis & munificus est, cùm omnes propemodum titulos suis tribuat, & hunc peculiarem lucis. Qui tamen titulus magis metuendus, quàm affectandus. Magna dignitas: sed periculum etiam magnum, non dico in eo, si extinguatur, non si tenebrę fiat, si accendat, si cœcos faciat; sed in hoc solo, si non luceat, hoc est si munus suum non exequatur: si in candelabro non sit, hoc est, si non resideat: si in pluribus locis lucere velit, cùm vni illustrando non sufficiat: si non in candelabro, hoc est, fronte & oculis populi, sed sub modio sit. Quid autem sit modius, exponit D. Augustinus, ac post Augustinum V. Beda: Sub modio lucernā ponit, quisquis lucē commodis temporalibus obscurat & tegit. Super candelabrū verò, qui se ita ministerio Dei subiicit, vt superior sit doctrina veritatis, quàm seruitus corporis. Modius igitur auaricia est, quæ nunquam cælum spectat: omnes virtutes, si quæ sunt, obscuras facit, omnibus iniuriam facit, mentem animumque virilem effœminat.

OBseruare autem hoc loco licet, peccata omissionis in re magna non minora esse, quàm commissionis: qualia sunt suffocatio donorum Dei, aut abusus. Tollite, inquit CHRISTVS Dominus, ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Vnde Paulus: Væ mihi, si non Euangelizauero: quid si sacramenta non administrauero? quid si hostiam viuentem non obtulero? quid si non visitauero?

Matth. 28.
1. Cor. 9.

30 TErtium adiunctum seu epitheton amplissimi Apostolici ordinis, eos ciuitatem esse in monte positam, quę omnibus exposita patet. Sunt autem ciuitatis quinq; munera præcipua: ciues continere primùm; ab hostibus deinde tueri, ferarumque insultu; in omni pace & disciplina ciues retinere; omni rerū necessariarū copia & commoditatibus prouidere; ornamentum denique regionis cuiusque conseruare. Illa enim regio insignis est, quę ciuitates insignes plurimas habet. Habet hæc omnia cœtus Apostolicus: intra muros legis diuinę nos continet, ab incursu mundi carnis ac diaboli, immaniumque ferarum nos tuetur, vitę modum ac rationem tradit, verbo & sacramentorum vsū nos alit & reficit, in omnium gentium ac sectarum oculis incredibile rerum humanarum ornamentum est, vt qui viderint eos dicant: Isti sunt, semen, cui benedixit Dominus. Et illa: Quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Vocatur autem hic cœtus, vrbs: non in valle vitiorum, non in collibus idolorum posita, sed in monte, propter Christum, in quo est fundata: & propter cælestem ac à rebus terrenis separatam conuersationem. Conuersatio enim nostra, inquit Paulus, est in cælis; propter claritatē quoq;, splendorē ac lucem: Sic luceat, inquit, lux vestra, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis: ne aut Lutherus, aut Caluinus, aut Picardi mentiri audeant, ciuitatē istam obscuram esse inuisibilem, soli Deo cognitā.

Isa. 61.
Romano. 10.
Phil. 3.

NOtandum esse & alias præstantissimas, eiusdem cœtus per vniuersam scripturam, notas: vt potè vocantur cæli, Paulo interprete: Cæli enarrant gloriam Dei. Mirabilis autẽ est magis Dominus in istis cælis, quàm in iis, quos oculis aspicimus. Nam in magnis apparere magnum, nihil mirum est: at in paruis, piscatoribus inquam, tanta rerum molimina voluere, hoc diuinę potentiæ fuit. Secundò dicuntur montes: Fundamenta enim eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Ideo autem montes, quia à terra remoti: Ecce, inquiunt, nos relinquimus omnia, & secuti sumus te: Montes, quia clari & illustres: non potest enim ciuitas latere supra illos posita. Montes denique, quia sunt limites & præsidium populi Christiani: Montes enim in circuitu eius. Tertiò flumina irrigantia, & lætificantia ciuitatem Dei. Quartò, vocantur portę cæli, per quas ingreditur rex, & sacerdos, & populus. Duodecim memorat Ezechiel: nam & hic numerus Apostolorum fuit. Quintò, videntes appellantur, vt qui in locum prophetarum successerint, iuxta illud: Ecce ego mitto ad vos prophetas & sapientes & scribas. His enim oculis populus Dei videat oportet. Quibus cùm non videat hæresis, nec curiositas huius seculi; ideo cœca est, & si omnia se videre putet. Sextò, testes, clauigeri, iudicesque regni, iuxta illud: Et eritis mihi testes in Ierusalem & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ: Et, Tibi dabo claues regni cælorum: Et, Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Septimò, adiutores Dei dicuntur, ministri Dei, dispensatores mysteriorum eius. Paulus: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et alio loco: Adiutores Dei sumus: à quibus qui non accipit, fur & latro est. Octauò, dicuntur angeli Dei, amici sponsi, præpositi, mediatores: Angelo Ephesi ecclesię scribe, inquit Ioannes: hoc est, Episcopo. Amicus sponsi vocatur Ioannes. Obedite præpositis vestris, inquit Paulus. Et in alio loco: Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quę sunt ad Deum; vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Adde illa: Pastores, cùm apparuerit princeps pastorum, inquit Petrus, percipietis immarcescibilem glorię coronam. Patres item: Quamuis, inquit, decem millia pædagogorum habeatis, in Christo: sed non multos patres. Patres ob amorem, quo nullus est maior, quia extensus; æquus, quia in omnes; appreciatus, quia ante omnia: ob prouidentiam. Præter illa, inquit, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum: ob hæreditatem: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. Nos volumus nostro occasu omnia occidere. Rectores deinde: Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Decimò, dicuntur columnæ & fundamenta Ecclesiæ Dei. Cùm cognouissent, inquit, gratiam quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse. Et alio loco: Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide CHRISTO IESV. Insignes tituli sunt isti, sed simul periculosi. Hos tamen Apostolis Dei inuidet Caluinus; remque totam, vt potest, oratione extenuat. Quod inquit, proprium est doctrinæ, ad personas transfertur, quibus commissa est eius administratio. Quod quàm verè & ad rem dicat, contextus Euangelij ipse docet. Nam si hæc verba, Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi, non ad personas, sed ad doctrinam referenda sunt: tum & illa quæ sequuntur, salem euanescere, eiicique foras, & conculcari

Marginal notes: Rom. 10. Psal. 86. Mat. 19. Psal. 124. Ezech. vlt. Matthæi 23. Act. 1. 1. Corint. 4. 1. Corint. 3. Apoca. 2. Hebr. 3. Heb. 5. 1. Petr. 5. 1. Corint. 4. 1. Cor. 11. Psal. 44. Actor. 20. Galat. 11. Eph. 2. — 31

cari ab hominibus, non de personis, sed de doctrina intelligenda essent. Quod quam ineptum & putidum sit, quis non videt? Aut illud ad doctrinam quomodo referri potest: Sic, inquit, luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est?

32 NOtandum, falsò & peruersè ex hoc loco liberum arbitrium auferre velle Caluinum tali argumento. Si ex bonis operibus nostris debet glorificari Deus, Dei ergò sunt opera, liberum arbitrium nullum, Hoc eodem modo nos argumentabimur. Ex omnibus bonis nostris animi, corporis & fortunæ glorificari debet Deus: Ergo nulla bona sunt nostra, non fortunæ, non animi, non corporis. ô præstantem dialecticum, hominem acutum, Euangelij acumen & veritatem. Atqui non exaudit homo insensatus CHRISTVM ipsum vocare opera nostra, Vt videntes homines opera vestra bona, glorificent Deum, autorem & largitorem illorum: sed quia nobis donantur, glorificant patrem, qui in cælis est, qui talia donat.

33 MVrmurant quidam hos tam magnificos titulos in Apostolis desiisse. Atqui verbum Domini manet in æternum: atqui Euangelium vni seculo conscriptum non est: atqui Paulus his iisdem titulis, eos vocat & insignit: atqui inposterum vniuersa sancta Ecclesia Catholica, Patres vniuersi, & quod maius est, res & functiones ipsæ: & Matthias pòst in Apostolatum Iudæ succesit, vt illud Isaiæ impleretur: Pro ære adferam aurum. Et Dauidis: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Videant autem etiam atq; etiam illi, qui tantos honores conferunt, in qua damnatione sint, si eos temerè, aut (quod maius est) precio conferunt: videant qui eos honores ambiunt, primumq; accubitum in nuptijs CHRISTI petunt, ne illud audiant, Amice quomodo huc intrasti? cede meliori. Sed & illi videant, qui iam consecuti sunt, quomodo, & qualiter eos ordines gerant & sustineant, ne illud pòst exaudiant: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum.

Isa. 60. *Psal. 44.* *Mat. 22* *Psal. 49.*

SERIES EVANGELII.

34 FIne legis proposito, promulgatoribus eius denunciatis ac instructis, difficultatem, quæ maxima in hoc genere esse videbatur, dissoluit atque explicat bonus magister. Difficultas autem illa fuit, lege alia opus non esse, cùm Dei lex sancta & immaculata extet, quæ immutari non potest; cui nulla humana lex aut derogare, aut abrogare potest; à qua qui diuersam legem non modò ferre velit, sed etiam contra illam delinquere, aut verbum vllum dicere, hic blasphemus, Deo contrarius, deniq; inimicus meritò dici deberet. Hanc igitur difficultatem prius explicat. Non eo modo & ratione se in mundum venisse, vt legem soluat, sed vt legem adimpleat; ne putent omnium rerum conuersionem futuram, quę omnes quidem pios, & omnis nouitatis inimicos ab Euãgelii studio auerteret, leues autem & turbulentos in legis contemptum adduceret (nam & populus & sacerdos, iam tum legis leuissimam rationem habere videbantur) & ne Manichæorum, Marcionistarum, Gnosticorum in posterum confirmari videretur error, qui legem veterem malam, & à Deo malè latam mentiebantur, & ne Scribis & Pharisæis calumniandi relinquatur locus vllus.

Notan-

NOtandum. Solui legem Dei iſtis modis: ſi contra illam delinquatur: ſi abrogetur: ſi contraria illi ſufficiantur. Nihil horum fecit Dominus: nam nec peccatum fecit, & dolus non erat inuentus in ore eius: nec abrogauit legem, ſed laudauit eam potius, ad eamque omnes aduerſarios ſuos remiſit, ex illa telis depromptis omnes aduerſarios confecit: Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud patrem: eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Nec legi diuinę quidquam vnquam contrarium, aut dixit, aut fecit: Quis, inquit, ex vobis arguet me de peccato? 35

Ioan. 8. *Ioan. 5.*

ADimpletur autem lex diuina multis modis. Primùm, vita & moribus: quale eſt illud. Si vis in vitam ingredi, ſerua mandata Dei. Deinde, vbi corpus mortuum legis, mortua litera, ſpiritu Dei viuificatur, iuxta illud Ieremiæ: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam. Tertiò, vbi quæ per Prophetas de aliquo prædicta ſunt, opere & rebus geſtis eius implentur, de quo prædicta erant. Quomodo de Ioanne illud: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini. Vltimò, vbi figuræ in res ipſas conuertuntur, quemadmodum pictor, vbi adumbrationem & delineationem coloribus perficit, non dicitur eam adumbrationem ſoluiſſe aut perdidiſſe, ſed ſimpliciter perfeciſſe. Omnibus his modis CHRISTVS Dominus legem perfecit: vita & moribus inprimis. Decet, inquit, nos implere omnem iuſtitiam. Multas deinde perfectiones & conſumationes addidit. ſpiritu viuificante legem vegetam viuentemque reddendo. Prophetias omnes compleuit, iuxta illud Euangeliſtarum: Hæc autem facta ſunt, vt adimplerentur ſcripturę: vſque ad illud vltimum verbum, Conſummatum eſt. Figuras & vmbras, rebus ipſis ac veris coloribus illuſtrauit: vnde in morte eius, velum templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Quæ autem naturalis legis fuerunt, ea omnia remanſerunt. Iudiciaria quidem non tam ſublata ſunt, quàm Rep. illa Iudaica extincta, ipſa conciderunt: ſed de his diſputabunt docti. Nos D. Chryſoſtomum audiamus. Chriſtus Dominus omnem legem impleuit tribus modis. Vno quidem, quia nihil ex legitimis ipſe transgreſſus eſt. Nam de omni à ſe lege completa, audi quid dixerit Ioanni: Sic enim decet implere omnem iuſtitiam. Iudæis quoque dicebat. Quis ex vobis arguet me de peccato? Rurſus verò diſcipulis: Venit, inquit, princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Olim autem etiam Propheta prædixerat, quia peccatum non fecit. Vno igitur iſto legem impleuit modo. Alio verò, quia per nos quoque idipſum facit. Hoc eſt quippe mirabile, quia non ſolùm legem impleuit ipſe; ſed idem iſtud nobis quoque facere donauit, quod Paulus ſignificando dicebat: Quoniam finis legis Chriſtus ad iuſtitiam omni credenti. Et peccatum illum damnaſſe dixit in carne: vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus. Et rurſus: Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit. ſed legem ſtatuimus. Quia enim ſtudebat lex hominem facere iuſtum, atque ad hoc inueniebatur infirma: veniens Chriſtus, & per fidem certiſsimum modum iuſtificationis inducens, voluntatem legis impleuit. Quod enim illa per literam non potuit, hoc per fidem ipſe confecit: propterea quoque dixit: Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Tertio modo per ipſa præcepta, quæ erat daturus. Non enim interitus priorum, ſed augmentum potius, & implementum erant, ea quæ dicebantur à Chriſto: illius quippe ſententiæ qua dicitur, Non occides: non interemptio 36

Matth. 19. *Ieremiæ 31.* *Iſa. 40* *Mat. 3.* *Matth. 28.* *Mat. 3.* *Ioan. 8.* *Ioan. 14* *Romano: 10.* *Rom. 3.*

ptio,sed adimpletio magis, atque munitio est, dicere, non irascaris: omniumq; similiter cæterorum.

37 NOtat idem Chrysostomus differentiam inter doctrinam eam, quæ antecedit, & quæ iam consequitur. Siquidem ibi præmia his,qui virtutem perficerent, ordinauit, paulò pòst non facientibus supplicia comminabitur. Propter quod ibi quidem dixit, quia mansueti hæreditabunt terram: dicet verò quòd qui fratrem fatuum vocet, reus efficitur gehennæ ignis. Et ibi quidem, quoniam mundo corde videbunt Deum: paulò pòst,quòd verus adulter sit,qui fæminam aspiciat intemperatè. Et ibi pacificos filios appellauit Dei, pòst verò discordes aliundè deterret: Ne fortè tradat te,inquiens, aduersarius iudici. Sic & lugentes, & persecutionem ferentes,superius vocat beatos; in consequentibus verò his,qui non ea ingrediuntur via,perditionem minabitur: in qua vtiq; illi sunt, qui latam viam spaciosamq; frequentant. Sed & quod dicetur, Non potestis Deo seruire & mammonæ; huic videtur æquale, quod ait: Beati misericordes, & qui esuriunt & sitiunt iustitiam.

38 REddit rationem superioris dicti, se non venisse soluere legem, sed adimplere. Sumit autem eam rationem ex natura diuinæ legis, quæ omnino immutabilis & inabrogabilis est. Cælum, inquit, & terra (quamùis multorum opinione immutabilia sint) prius transitura sunt, quàm vel minima pars sacræ legis abrogetur. Et quantum ad homines quidem,potest illa aliquando negligi, supprimi, ac latere: natura tamen sua in sensu spiritus, & veritate sua, perpetua & sempiterna est. Perfici igitur potest, solui non potest. Aufert saluator hoc loco vno verbo Aristotelicam philosophiam, de cæli æternitate. Cælum, inquit, & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

39 PEriculosum est inter præcepta Dei gradus constituere,& alia quidem maiora, alia minora, siue æqualia putare: & alia quidem declinare, in alia autem præcipitem delabi. Qui soluerit vnum de mandatis, minimus vocabitur in regno cælorum. Et:Qui offenderit in vno, factus est omnium reus.Periculosum est item,aliquid ex sacra scriptura immutare,aut corrigere, cùm vnum iota,quę est minima portiuncula legis,sit autoritatis eius, sicut tota lex. Amen, inquit, dico vobis, donec transeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant; omniaq; legis præcepta ad periculum deducuntur, si vnum mutes, & vno immutato, cætera infirmantur. In quo execranda est hæreticorum licentia, qui integras epistolas Canonicas, & integra capita Euangelistarum, plusquàm censoria nota, ex canone sacrarum literarum sustulerunt,illius quod contra ecclesiam falsò sæpiùs proferunt immemores: Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto:quod etsi principaliter ad suam Apocalypsim referat Ioannes; tamen ad reliquam scripturam ob eandem causam rectè potest referri. Quod dictum hæresis ineptissimè ad traditiones refert.

Iaco. 2.

Apocal. vlt.

40 EX superiori doctrina infert, quasi corollarium quoddam,diuinus legislator; per quod futuros suos prædicatores monet ac cohortatur ad omnem vitæ integritatem; vt moribus potius quàm verbis, legis diuinæ prædicationem obeant:

eant: Qui, inquit, soluerit vnum de mandatis istis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum. Beatitudo enim perfecta est in cœlis (loquamur sic cum Hieronymo) quæ docueris sermone, opere complere. Nihil autem minimum censere fas est, de quo præcipere dignatus est cælestis legislator, dicebat idem Hieronymus. Minimus, inquit, vocabitur in regno cælorum: vel fortasse, inquit Augustinus, ibi non erit, vbi non nisi magni esse possunt. Nec tantũ in cælo, sed & in Ecclesia, qui voce docent, vita autem & factis destruunt. Qui enim docuerit & fecerit, ipse magnus vocabitur. Melior enim est homo inquit Ecclesiasticus, qui minuitur sapientiâ, & deficiens sensu, in timore, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem altissimi. Pulchrè hoc loco Gregorius Nazianzenus:

Eccl. 19.

Vel non doceto, vel doceto moribus:
Hac ne trahas manu, repellas altera.
Verbis egebit, sanctius viuens, minus.
Pictor tabellis comprobatur editis.

Dialog. lib. 3. cap. 37.

SIC alter Gregorius ille Magnus in suis Dialogis: Scimus, inquit, quòd venerabilis vir Sanctulus ipsa quoque elementa literarum benè non nouerat, legis præcepta nesciebat: sed quia plenitudo legis est charitas; legem totam in Dei ac proximi dilectione seruauit: &, quod foris in cognitione non nouerat; ei intus viuebat in amore: &, qui nunquam fortasse legerat, quod de redemptore Ioannes Apostolus dixit, quoniam sicut ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos debemus pro fratribus animas ponere; tam sublime Apostolicum prçceptum, faciendo magis quàm sciendo nouerat. Comparemus, si placet, cum hac nostra indocta scientia, illius doctam ignorantiam. Vbi hæc nostra iacet, ibi illius disciplina eminet. Nos de virtutibus vacui loquimur, & quasi inter fructifera arbusta positi odoramur poma nec manducamus: ille virtutum fructus capere nouerat, quamuis hos in verbis odorari nesciebat. Chrysostomus quoque: Qui docet & facit quod docet, vere ille docet: qui autem non facit quod docet, non alium docet, sed seipsum condemnat. Et melius est facere, & non docere, quam docere & non facere.

D. Chryso. in Math. Hom. 10. op. imp.

SERIES EVANGELII.

41 ABsoluto procemio legis suæ diuinus doctor, in quo finem legis suæ proposuerat, promulgatoribus eius laudatis, ac instructis, prima ac summa difficultate sublata, ipsam legislationem ac perfectionem aggreditur. Ostendit autem non cuiusuis officij has leges esse, sed officij illius perfecti, quod Græci κατορθώματα vocant, quale sibi scribarum ac pharisæorum turba falsò tribuebat; quorum alij scientia, alij vitæ integritate elucebant. Nisi inquit abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum, hoc est philosophorum, & in lege doctissimorum; & pharisæorum, hoc est religiosorum ac perfectorum, quorum omnis iustitia foris est, intus friget; non intrabitis in regnum cælorum. Maiora vobis præmia proponuntur: sed labores etiam maiores. Illis regnum terræ promittebatur: vobis regnum cæli proponitur. Iustitia autem pharisæorum, quæ fuerit, paulò pòst explicabit Dominus: Ieiunio bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Scoriam hanc vocat Caluinus: Christus iustitiam. Nam si hæc scoria est simpliciter, qualis profectus erit: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum? Perbellè Nazianzenus:

Donum Deo gratissimum, mores pij,
Nil dignius feres, feras vt omnia,

Quod

Quod pauper offert, ipse idem fac offeras.
Stipem meretricis Deus non accipit.

42 IN quo abundare debeat iustitia nostra, docet vetustissimus Irenæus. Primò quidem non tantùm in patrem, sed & in filium eius iam manifestatum credere: hic est enim, qui in communionem & vnitatem Dei hominem ducit. Pòst deinde, non solùm dicere, sed & facere: illi enim dicebant, sed non faciebant. Et non tantùm abstinere à malis operibus, sed etiam à concupiscentijs eorum. Et propter hoc Dominus pro eo quod est, Non mœchaberis, nec concupiscere præcepit: & pro eo quod est, Non occides, neque irasci quidem: & pro eo quod est decimare, omnia quę sunt pauperibus diuidere: & non tantùm proximos, sed etiam inimicos diligere: & non tantùm bonorū datores & communicatores esse, sed etiam aduersus eos, qui tollūt nostra gratuitò donatores. Tollenti enim tibi tunicam, ait, remitte & pallium: & ab eo qui tollit tua, non reposcas: &, quemadmodum vultis vt faciant vobis homines, facite eis; vt non quasi nolentes fraudari contristemur; sed quasi volentes donauerimus, gaudeamus; gratiam magis præstantes in proximos, quàm necessitati seruientes. Et, Si quis te, inquit, angariauerit mille passus, vade cum eo alia duo; vti non quasi seruus sequaris, sed quasi liber præcedas, aptum te in omnibus & vtilem proximo præstans; non illorum malitiam intuens, sed tuam bonitatem perficiens; configurans temetipsum patri, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Hæc ille.

Iren. libr. 4. cap. 2.

43 INest hoc loco multum terroris: Nisi abundauerit iustitia vestra plus, quàm scribarum & pharisæorum. Quid, si ne consequatur quidem quis iustitiam? quid si illam oppugnet? Ieiunabant illi bis in sabbatho, nos inebriamur: decimas dabant, nos rapimus: non erant raptores, non adulteri, non iniusti, nos plerunque hæc omnia.

44 NEgat hæresis iustitiam nostram vllam esse: ait Dauid. Iudica me Deus secundùm iustitiam meam. Et alio loco: Retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam. Ezechiel similiter: Si auerterit se iustus à iustitia sua. Et Christus Dominus: Attendite, ne faciatis iustitiam vestram coram hominibus. Et hoc loco: Nisi abundauerit iustitia vestra. Est autem hæc ipsa iustitia, de qua dicimus, ne calumnietur hæresis, Dei inprimis, vt puta, dantis. Quid enim habemus, quod non acceperimus? Est item nostra, qui accipimus: Suscepimus, inquit scriptura, Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.

Psal. 7. Psal. 17. Ezech 3. Matth. 6. Psal. 47.

45 CVm fontes sint & origines actionum nostrarū, tres partes animæ, (Plato vocat τὸ θυμικὸν ἐπιθυμητικὸν, καὶ τὸ λογικὸν) ab eo quod maximè in nobis ferum est, & inhumanum orditur legis perfectionem sanctus legislator: vt potè ab eo, quod maximè pugnat cum charitate, cuius ipse maximus autor & assertor fuit: irascibili, inquam, facultate. Ordo autem & gradus perfectionis legis hic est: Tenebat lex Mosis manum tantùm, & à prauo opere arcebat. Non, inquit, occides. Linguam non item, oculum, cor non ita diligenter. At lex Christi à radice incipit: semina ipsa euellit, á corde, inquam, lingua, oculo. Nam iis non rectè præmunitis, frustra manus aut pes tenetur: iis fibris non eradicatis, infelix semper lolium, & steriles dominabuntur auenæ. Ex corde enim, inquit

 Saluator,

Mat.15 Saluator, prodeunt malæ cogitationes, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritię, nequitię, doli, impudicitię, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia.

46 FVndit autem hoc loco Caluinus sapientia verba: negat Christum legislatorem esse: neque hoc loco legem perfici: Euangelium suprà legem nihil habere: Scribarum & Pharisæorum tantum commenta hoc loco refutari. Quod ne fingere videamur, ipsius theologi audire verba lubet. Decepti fuerunt multi veterum, qui putârunt hanc esse legis ἐπανόρθωσιν ac Christum suos discipulos in altiorem perfectionis gradum extollere, quam potuerat Moyses crassum carnalemq; populum, qui vix discendis elementis idoneus erat. Ita inualuit opinio iustitię initium traditum olim fuisse in lege: perfectionem verò in Euangelio doceri. Atqui nihil minus propositum Christus habuit, quam aliquid mutare vel nouare in legis præceptis. Illic enim Deus semel fixit viuendi formã, cuius nunquam eum pœnitebit. Sed cùm lex adulterinis commentis corrupta foret, ac in profanũ sensum detorta; Christus à talibus eam corruptelis vindicat; ac ostendit genuinũ eius sensum; à quo desciuerant Iudæi. Et infra: Facessat igitur error ille, defectus hîc à Christo corrigi. Neque enim fingendus est Christus nouus legislator, qui ad æternam patris sui iustitiam aliquid addat; sed tanquam fidus interpres audiendus est, vt sciamus qualis sit lex, quorsum tendat, & quousq; pateat. Et Theologus quidẽ hæc. Christus autem Dominus sic: Non veni soluere legem, sed adimplere. Quod quid aliud sibi vult, quam perficere? De scribis interim & pharisæis verbum nullũ. Legis verba ponuntur: Non occides, non mœchaberis, nõ periurabis. &c. Pulchrè igitur Hieronymus: Fit innocentiæ gradus celsior, & perfectionem fides sumit. Et Hilarius: Legi addit plura, nihil detrahit. Nam & trigono tetragonus aliquid addit, sed non demit: neque facultas rationis, vegetatiuæ aut sensitiuę facultati: sic legem animalem lex spiritus non extinxit, sed perfecit. Hoc verò fecit, inquit Chrysostomus, vt auditorem ad sublimiora progredi præcepta cunctantem acrius incitaret: vt si quispiam doctor dicat puero negligenti: Nescis iam quantum temporis in syllabarum meditatione consumpseris? Tale igitur aliquid etiam significat, antiquorum commemoratione facta, ad doctrinam illos euocat celsiorem, ac si diceret: Habuistis sufficiens omninò tempus ista meditandi, iamque oportet vos ad sublimiora succendi.

47 ORditur ergo legislator. Dictum est antiquis: non aliâs certè, quàm in lege: Non occides: hoc est manus à patranda cæde tenebis. Qui autem occiderit, reus est iudicio. Ego autem dico vobis, etiam irascendum non esse: hoc est, cor rectum & humanum habendum. Quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus est iudicio. Ira enim viri, iustitiam Dei non operatur: & iras funditus non extirpatas, cædes ac vulnera consequi oportet. Iracundus, inquit scriptura, vbi nõ est adiutorium, elidet te. Et: Virum stultum interficit iracundia. Et proinde Iustinus Philosophus & Martyr: Irascendum est, inquit, si fieri potest, nunquam. Nam hæc est quædam species insaniæ. Quod si quando ira incumbit, vtendum est hac ad seruandum proximum: nam qui rationem ei non adhibet, & seipsum & proximum odio prosequitur; se perturbans, & illum afficiẽs molestia. Scriptum est enim: quòd quisquis irascitur fratri suo temerè, reus erit iudicio.

Eccl. 19.
Iob 5.

iudicio. Vt autem ira extirpetur, os custodiendum ideo addit. Qui, inquit, dixerit fratri suo Racha; hoc autem est verbum contemptus, non maleuolentiæ, verbum mediũ inter iracundiam, & manifestum probrum, verbũ spernentis & auersantis, dignus est concilio: non qualicunq; sed iam publico concilio, quale fuit Ierosolymis συνέδριον: hoc est quasi comitium quoddam, ex omnium ordinum hominibus collectum, quorumcunque grauissimorum negotiorum causa: quale de Christi morte fuisse legimus. Quàm diu enim lingua non tenetur, tam diu odiorum causa manet: odia autem cædes consequuntur. In concilio igitur, vt maiores causæ cognoscebantur; ita & maiores pœnę infligebantur. Qui autem dixerit Fatue; quod verbum maleuolentiam quandam ac detractionem significat (nonnulli enim Fatue, conuicium esse dicunt, exprobrans naturę vitia: quemadmodum Racha contumeliam exprobrantem malos mores) reus est gehennę ignis. Gehennam autem locum Ierosolymis proximum fuisse tradit Ieremias his verbis: Ædificauerunt excelsa Topheth, quæ est in valle filii Ennon, vt incenderent filios suos, & filias suas igni: quæ non præcepi, nec cogitaui in corde meo. Ideò ecce dies venient, dicit Dominus, & non dicetur amplius, Topheth, & vallis filii Ennon: sed vallis interfectionis: & sepelient in Topheth, eò quòd non sit locus. De quo etiam plura idem Propheta cap: 19. Iudæorum quoque doctores eundem locum fuisse tradunt, quo cadauera mortuorum cremanda proiiciebantur: vallem ad radicem montis Morię, vbi prius Iudæi filios, & filias suas Moloch idolo æreo offerebant: in cuius igne, liberos suos ponebant: ibique in amplexu crudelissimi idoli liquescebant, & exurebantur, quorum voces miseræ ne exaudirentur à matribus ac reliquis cognatis, omni genere musices opprimebantur: ideoque locus iste Topheth à tympanis vocatus fuit. Quam abominationem Iosaphat primus rex sanctissimus sustulit: eamque crudelitatem vt exprobret saluator Iudæis, toties similitudine vti solet gehennę: sed vt & nos terreat. Quid enim immaniùs est, quàm in manibus diaboli liquescere, nunquam tamen exuri?

Ieremiæ 7.

48 NOtandum esse variam hoc loco lectionem, quia omnis qui irascitur fratri suo reus est iudicio: quidam enim addunt εἰκῆ, hoc est sine causa: alii simpliciter legunt. In quibus hæc videtur inesse differentia; quòd ij, qui D. Matthæum Hebraicè legerunt, non addunt εἰκῆ: ibi enim scriptum fuisse videtur verbũ Hebræum HARA, quo significatur affectus iræ grauior: quam sententiam secutus est antiquus interpres, ipseque D. Augustinus & Beda. Qui autem legerunt D. Matthæum Græcè, illi apposuerunt εἰκῆ, hoc est sine causa. Verbum enim Græcum ὀργὴ affectum non semper vitiosum significat: ideo oportebat addi sine causa. Ira enim cum causa suscepta, consiliũ est, & mater disciplinę. Hanc autem lectionem secutus est D. Chrysostomus, Euthymius, Theophilactus. Iustę autem iræ causæ sunt instructio, disciplina, correctio, zelus spiritus: ob quas si quis irascatur, mereri potius eũ, quàm delinquere putant patres: quomodo Petrum & Paulum iratos fuisse legimus. Qui autem propter priuatam iniuriam irascitur, aut propter damnum, vanamque gloriam, vel suspicionem inertem; hic frustrà irasci credendus est. Vt enim humores, vtiles & necessarii sunt in corpore; ita & affectus ordinati, qui illis respondent, erunt vtiles & necessarij.

OBbſeruant hoc loco S. Patres, dum prophetę locuti ſunt, eos ita ordiri ſolitos: Hæc dicit Dominus: hæc dicit Deus veſter: Os Domini locutum eſt. Non ita loquitur filius, ſed tanquam ipſe legiſlator, iuxta illud Gregorij Theologi: αὐτὰρ ὃγ υἱὸς κοσμοθέτης, νωμεῦστε, πατρὸς ἀσθένος, ἤδεινόημα. Audiſtis, inquit, quia dictum eſt antiquis: ego autem dico vobis oſtendens diuinam vim & naturam: & eos quidem ſeruos fuiſſe, aliena legatione perfunctos, ſe autem filium & hæredem vnius naturæ & eſſentiæ cum patre, qui omnia quæcunq; habet pater, habeat; quæ iubet, iubeat. Et ideo non dixit: Audiſtis, quia dictũ eſt à patre; ſed ſimpliciter, Quia dictum eſt: ne aliquid à patre diſtinctum ſibi tribuat. Cùm autem antiquos nominat, legem ſenuiſſe docet. 49

QVod ſi ea pœna decernitur, iudicis viuorum ac mortuorum decreto, in eos qui fratres ſuos vocant Racha: quanto maiore pœna illi digni ſunt, qui proteruè & contumelioſè faciunt Rachas, hoc eſt ſcurras ac moriones, & ex ſtultis inſanos? in quo reges ac principes maximè delinquere ſolent: & eò magis, qui ſeipſos, aut turpis lucri gratia, aut exigui cibi & potus ridendos propinant. Homo enim imago Dei eſt, in adoptionem filij Dei aſcitus, os de oſsibus, caro de carne eius, ſanguine eius reſperſus: templum Dei, inſtrumentum laudis eius, vas ſanctum: cui condolendum eſſet potius, quàm eius inſaniæ indulgendum, aut eius infirmitates ridendæ. Abuſus eſt aliquando vaſis templi Balthaſar Rex, & interiit: abutuntur iſti templo & domicilio Spiritus ſancti. Si autem contumelioſa compellatio Racha, aut Fatue, tantam meretur pœnã: quantò magis alia maledicta, execrationes, blaſphemię, temeraria iudicia, opprobrii acceptiones aduerſus proximum ſuum? Optat igitur Salomon, ne vanũ verbum excidat ex ore illius. Et Paulus præcipit: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat. Omnis enim ſermo vanus qui dicitur, immundo ſpiritu dictante profertur, dicebat Chryſoſtomus. 50

Eph. 2.
Homil. 11. Oper. Imper.

NOtandum, accepiſſe ex hoc loco occaſionem erroris, Picardos primùm, Lutherum demum aliquando. Quis enim hominis illius inconſtantes ſententias conſtanter referre poſsit? Neminem occidendum eſſe aiunt, neque in bello, neque à magiſtratu, neque alia vlla occaſione. Et hoc quidem veriſsimum eſt, hominem mortalem in alterius hominis vitam, ius & poteſtatem nullam habere: neque quenquam cuiquam occidere licere, ſed ipſi ſoli Deo. Dominus enim mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit. Vnde lex, Non occides: id eſt non dediſti vitam, ne auferas. Ex priuilegio tamen & cõmiſsione, hoc facere homo poteſt. Priuilegium autem hoc duplex eſſe ſolet: vel particulare alicui certę perſonæ, vt Abraamo in filium, Phinees in fornicatorem, & aliis quibuſdam paucis: vel publicum, quale eſt magiſtratus priuilegium: Non patieris, inquit, viuere maleficos ſuper terram. Qui per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias; ab altari meo euelles illum. Neque enim, vt inquit Paulus, ſine cauſa gladium portat: ſed ad defenſionem bonorum, & terrorem malorum. Quod idem de bellis iuſta ex cauſa ſuſceptis, intelligendum eſt: quale illud eſt: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo. Neque tamen aut ſemper, aut ex arbitrio ſuo magiſtratus hoc priuilegio vti debet: ſed in his locis & caſibus tantùm, in quibus illi definitum & circumſcriptum eſt: hoc eſt, in crimine blaſphemię, falſæ prophetiæ, homicidij 51

Exo. 22.
Exodi 21.
Rom. 3.
Exod. 32.

homicidij voluntarii,parentum contemptus,adulterii, falſi teſtimonii. Nam de furtis, præſertim ſimplicibus,non ita facile auſim pronunciare. In cauſis autem ſuperius poſitis, ſi magiſtratus commiſsioni ſatisfacere, mandataque Dei exequi non vult, mortaliter peccat, vt qui Dei mandato non pareat. Nos vel in homicidio abundare iuſtitiam noſtram volumus: iuxta illud Polonicum ſtatutum: Nos tamen rigorem illum temperamus.

Herbort fol. 107. B. ſtatuto 4.

52 NOtandum, Racha dictionem, ex Hebræa lingua certam interpretationem habere non poſſe,cum Euangelio Matthæi Hebraico germano careamus: & incertum ſit, quibus litteris Hebraicis hæc dictio ſcribenda ſit. Ac prima quidem litera R certa eſt, ſed ſecunda conſonans incerta & varia: tres enim modi ſcribendi occurrunt. Primum ſequitur D. Hieronymus, qui literam Q ſcribens,vacuum interpretatur: Hoc tamen dubium facit,non ſolùm quod vacui appellatio,parum apta conuicio leuiori, aut probro eſſe videatur: ſed quod hanc etiam vocem in tali forma & ſignificatione,non modò Hebræa lingua,ſed ne Chaldæa quidem agnoſcat: vacuum enim RIQ vel RIQA, non RAQ, vel RAQA vocant. Alter ſcribendi modus literam K, cui CH propinquum eſt, habet: eoque modo ſcripta dictio RACH, tenerum aut mollem ſignificat. Nec magnum eſt probrum aut vituperium; hoc enim nomine ipſe quoque Dauid filium ſuum Salomonem, ſenatui populoque ſuo commendans appellat, nempè propter teneram ætatem ac iuuentutem. Et alioqui molle cor,quod eſt timidum, paſsim in ſacris literis dicitur. Tertium modum ſecutus eſt quidam Hebræus, qui Euangelium Matthæi in Linguam Hebræã tranſtulit, quod Io. Tilius,Epiſcopus Briocenſis, edidit Lutetiæ: literam enim AIN habet, vt legatur, ſecundùm modernam pronunciationem RAA: veteres tamen loco literæ AIN aſpirationem denſiorem interpoſuiſſe videntur, quod in aliis quoque dictionibus paſsim agnoſcitur. Significat autem dictio malum vel prauum: quanquam ambigua eſt, vt interdum paruum, vel parem, ſocium, vel etiam paſtorem ſignificet. Hic vltimus modus magis ad rem facere videtur. Sed hac in re integrum ſit ſuum cuique iudicium. Equidem Racha, leuius vituperium ſignificare; Fatue autem grauius,ſenſus ipſe indicat: & illud exprobrationem vitioſorum morum, quę tamen vtilis eſſe poteſt; hoc autem exprobrationem vitiorum naturæ, quæ nec laudem, nec vituperium merentur: ac proinde non tantum inutilis, ſed etiam grauis prorſus videtur eſſe contumelia.

53 CVm autem Iudæi,Phariſæi præſertim,atque ſcribę templum Domini tertio quoque verbo appellarent, altaria item, victimas, ſacerdotia, decimas atq; omnem externum cultum, in hiſque omnem ſuam ſpem & fiduciam collocarent; minuit hanc opinionem legislator. Sancta quidem & plena deuotionis eſſe hæc, nihil tamen profutura docet, niſi quis primò reconcilietur fratri ſuo: neque enim poſſe habere Deum patrem, qui non habeat proximum fratrem. Si ergò offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius, reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum: ac ſi diceret, Fruſtra ſumptum ac laborem ſuſcipis, niſi reconciliaris fratri tuo: interrumpatur cultus meus, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi eſt, fratrum reconciliatio. Et quamuis ſubdurius hoc præceptum eſſe videatur; nihil tamen lætius, nihil amœnius, nihil cum maiore exultatione coniunctum eſt. Cùm enim

SERIES EVANGELII.

 grauiſsimè

grauiſsimè Dominus comminatus eſſet, de iis quæ apud nos quotidiana ſunt, & à quibus vix aliquis liber eſſe poteſt,morbiq́ue grauitatem auxiſſet.deſperaſſet forte omnis caro, niſi præſens remedium cæleſtis adhibuiſſet medicus. Dixiſti Racha, reus es concilio: dixiſti Fatue, reus es gehenna, periiſti. Vade igitur reconciliare fratri tuo: & ſic neque iudicio, neque concilio, neque gehennæ obnoxius eris.

DVas cauſas affert D. Chryſoſtomus, propter quas ita quaſi non differendam reconciliationem fieri iubeat. Primùm, quòd oſtendere ſcilicet voluerit, quia honoret maximè charitatem, & hanc acceptiſsimum eſſe ſacrificium ducat: abſque iſta verò, nec illud profectò ſuſcipiat. Deinde, quò irrefutabilem quandam neceſsitatem reconciliationis imponat. Qui enim iuſſus eſt, non prius munus offerre, quàm reconcilietur offenſo: etiamſi non ob proximi charitatem, ſaltem ne ſacrificium maneat imperfectum,currere ad contriſtatum debet, inimicitiasq́ue diſſoluere. Audiant ergo, inquit idem Chryſoſtomus, qui ſacris myſteriis initiati, cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt. Audiant etiam illi, qui nondum initiati ſunt. Nam ad ipſos quoque ſermo iſte habet aliquid commune: Offerunt namque & ipſi munus & hoſtiam, orationem dico, & eleemoſynam. 54

QVanta ſit neceſsitas reconciliationis, quantaq́ue vis & efficacia his grauiſſimis argumentis, docet Saluator. Primùm,quòd eam cultui ſuo anteponit, eumq́ue deſerendum eſſe potiùs cenſet, quàm vt non reconciliemur fratri. Gratæ, inquit, mihi ſunt hoſtiæ, grata munera; ſed longè gratior fraterna charitas. Vade igitur reconciliare fratri tuo: & in hoc abundet iuſtitia tua, ſupra iuſtitiam ſcribarum & phariſæorum. Secundùm, quod ſe placari & amicum nobis fieri poſſe negat, niſi nos prius inter nos amici efficiamur. Nemo enim inter diſſidentes & pugnaces fidus amicus eſſe poteſt. Aut enim vni adhærebit, & alterum odio habebit: aut vnum odio habebit, & alteri fauebit. Tertiùm, quòd nullum ſit negotium tantum,nulla cauſa, quæ nos à reconciliationis munere reuocare poſsit. Nam ſi quid eſſet, tum maximè cultus diuinus: tamen & hic ipſe cedere debet. Vade, reconciliare. Quantum autem iſte nos amat, quanti nos facit, qui cultui ſuo noſtram dilectionem anteponit? Rectè igitur Paulus: Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. 55

1. Corint. 13.

REconciliationis iſte modus eſt: Concepiſti prauum affectum erga aliquem, depone illum, indue bonum: maledixiſti, benedic: damnum dediſti, reſtitue: defraudaſti,compenſa,iuxta legem Dei. Si percuſſerit quiſpiam oculũ ſerui ſui aut ancillæ,& luſcos eos fecerit;dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Qualis præceſsit offenſio, inquit Chryſoſtomus, talis debet ſequi reconciliatio. Si cogitatu offendiſti, cogitatu reconciliare; iuxta illud Dauidis: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Si verbis offendiſti, verbis reconciliare, quod fecit Aaron, vt paulò pòſt videbimus. Sin operibus aliquem offendiſti; puta alicuius pecuniam fraude abſtuliſti,redde ei quę abſtuliſti, & pœnite.quod Zachæum feciſſe legimus: Domine, inquit,ſi quem defraudaui,reddo quadruplum. Quòdſi tu ipſe læſus es; tunc quidem vt depreceris opus non eſt: condonare tamen culpam debes, vt liberiùs dicas illud: Et dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quòd 56

Exo. 21

ſi amplius

ſi amplius ipſe læſus, ad amorem & pacem reuoces proximum; imitatus es patrem cæleſtem, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & qui vltrò ad amicitiam & reconciliationem ipſe læſus nos prouocare ſolet. Conuertimini, ad me,& ego conuertar ad vos. Rogatus autem veniam, caue ne neges :hac enim ratione Dei honorem & ſacrificia Deo debita impedires: Ille enim munus ſuum non offert ad altare, niſi tu dimiſeris.

57 FOrmula autem reconciliationis,ex lege hæc eſt. Obſecro Domine,ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtultè commiſimus. Vtitur hac formula Aaron ad Moſen fratrem ſuum,contra quem murmurauerat cum Maria ſorore ſua, pauloq; contumelioſius ſe geſſerat. Vtuntur & fratres ſimili ad Ioſephum,nomine patris mortui: Obſecro vt obliuiſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati atque maliciæ; quam exercuerunt in te: nos quoq; oramus, vt ſeruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc.

Numer. 12.

58 ANnotandum item eſt, in populo Dei eſſe debere altaria,& per cōſequens ſacrificia ac munera:proinde & ſacerdotes, & templa;quę quis iuxta hoc Saluatoris dictū relinquere debet & reconciliari fratri ſuo. Quod non apud Catholicos tantùm,ſed apud Hęreticos etiā fuiſſe,cùm ex multis locis veterū patrū,tùm præcipuè ex autore operis imperfecti euidenter apparet. Quomodo,inquit,dicere illū poſſum non eſſe chriſtianū; quem video Chriſtum confitentem,altare habentem, ſacrificium panis & vini habentem, ſacrificium panis & vini offerentem,baptizantem, ſcripturas ſanctorum legentem, omnem ordinem ſacerdotij habentem? Sed quemadmodum ſimia hominis habet membra, & per omnia hominem imitatur; nunquid propterea dicenda eſt homo? Sic & hæreſes, omnia eccleſiæ habent & imitantur myſteria, ſed non ſunt eccleſiæ.

In Mat. ho.19

59 CVm autem multi ſint, qui vim fugiant, pugnaces non ſint, pacem externam ament; lites tamen amplectuntur, ius libenter perſequuntur, ſummo iuri incumbunt, litigare, ac dicas ſcribere, vitam putant in eoq; ſe peccare non arbitrantur, cùm ius res quædam diuina, Deoq; grata eſſe videatur: non damnat hæc Dominus, nec prohibet; eorum tamen ſecuritatis & tranquillitatis cauſa, mutuę deinde charitatis, eos dehortatur, ne lites alant, ſed in ipſa via cū aduerſario conueniant, amicè monens: Eſto conſentiens aduerſario tuo citò, cùm es in via cum illo. Cuius ſuæ admonitionis tres ciuiles vtilitates proponit. Primùm, quòd hac ratione ſanctam charitatem fraternam conſeruabunt: deinde, quòd pericula iuris euadent; lictores, carceres, adminiſtros effugient: denique, quòd eis non erit neceſſe ad minimum quadrantem ſoluere, ſed per arbitrium multa decidi poſſunt de ſumma. Et hæc quidem antiqui patres ſimpliciſſimè: ſed & ipſa verba Saluatoris docent: Ne forte tradat te aduerſarius iudici, & iudex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi,non exibis indè,donec reddas nouiſsimum quadrantem. Hunc in modum interpretatur hunc locum Chryſoſtomus,Theophylactus,Euthymius.Mihi tamē & modus ille non diſplicet, vt hoc loco per viam vita præſens intelligatur,per aduerſarios ij quos læſimus, & qui contra nos aliquid habent: vt ita moneat Saluator; vt omne negotium in hac vita conficiamus, & conueniamus cum ijs, dum hîc ſumus; cùm poſt mortem nulla ſit redemptio, omniſq; condonationis & ſatisfactionis abſciſa ſit occaſio: ne hic ipſe aduerſarius noſter, ſiuę eius iniuria, tradat

SERIES EVANGELII.

tradat nos Deo iusto iudici, Deus inhumano ministro diabolo, diabolus in æternum carcerem coniiciat, vbi nulla redemptio est.

NOtandum autem, eandem doctrinam fuisse D.Pauli, de litibus non persequendis, cuius illa verba sunt: Iam quidem omninò delictum est in vobis, quod iudicia habeatis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Non alienus ab hoc præcepto Christi, vt scilicet conueniamus cum proximo in via, fuit mos ille antiquus Polonicus, vbi viri nobiles, reus & accusator, missis turbis procuratorum atque stipatoribus, vno curru ad iudicia vehebantur: ac plerunque in eodem curru, priusquam ad tribunal venirent inter se conueniebant. Quo loco, quam excusationem illi adferunt, qui se omne tempus perdituros putant, si aliqua subsellia omittant: qui sexcentas dicas vno tempore conscribunt: qui vocem, linguam, studium omne, huic operę vendiderunt: qui artem litium ducendarum docent: qui nouos progressus iurgiorum tradunt; eoque nomine magni & esse, & haberi volunt? Si fieri potest, quantum ex vobis est, pacem cum omnibus hominibus habete. 60 1. Corint. 6.

PLusquàm malitiosè hoc in loco insultat viris doctissimis Caluinus, nullamque partem calumniarum relinquit, impudentiam, fucos insulsos obiicit, qui ex hoc loco, Donec reddas nouissimũ quadrantem, purgatorii ignem colligunt. Qui (vt de ipso proposito nihil dicam) illorum quos reprehendit, sensum non percipit: quod ex eius verbis illustre est. Aduersarium, inquit, fingunt diabolum, atque fideles suos illi beneuolos esse iubent. Ergo vt purgatorium suum inueniant Papistæ, diaboli amicos ac fratres esse oportet. Mitto hanc sententiam fuisse antiquorum, quam Hieronymus hoc loco reprehendit. Sed quid hoc ad eos, qui ex hoc loco purgatorium colligunt, qui totam rem in hac particula, donec, ponunt? Fundit deinde sapientia verba doctor euangelicus. Nã si purgatorium semel ingressus, nunquam indè exibit, donec soluerit nouissimum quadrantem; sequitur irrita esse, quæ vocant, pro mortuis viuorum suffragia. Neque enim alios, inquit, admittit Christus, qui satisfactione sua debitorem absoluant: sed disertè ab vnoquoque solutionem eius, quod debet, exigit. Quod si inutiles sunt Missæ & reliqua piacula; quantumùis ferueat ignis purgatorius, frigebunt tamen sacerdotum & monachorum culinę, quarum in gratiam tanto studii ardore pro illo pugnant. Vbi primùm homo vanus principium petit: aut potius mentitur, contra illum articulum fidei: Credo sanctorum communionem. Non admittit, inquit, alios Christus, qui satisfactione sua debitorem absoluant. Atqui Deus, quinque illas ciuitates, propter decem iustos, si in eis inuenti fuissent, deleturum se negauit. Sit autem de monachorũ ac sacerdotum culinis quod lubet; quid de Dionysio Areopagita, Athanasio, Ambrosio, Augustino, Gregorio, Bernardo, Damasceno, quorũ culinę non fumabãt, qui pro cura mortuorum integros libros scripserunt? Verùm Caluini caput fumat. Perditam autem eloquentiam, in præiudicium veritatis comparatam. 61

AB irascibili facultate ad ἐπιθυμητικήν, id est concupiscibilem se confert: ac quemadmodum superius omnes radices & origines iræ aufert; ita nunc similiter omnia semina & origines cupiditatis & libidinis præcidit. Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis: hoc autem est, omnem fœditatem facti 62

fugies,

fugies, libidinem omnem auersaberis. Ego autem dico vobis, non à fœdo tantùm facto abstinendum esse, sed oculos etiam ipsos custodiendos, & cor ipsum communiendum & obsignandum. Quamdiu enim oculus cautè non custoditur; tamdiu porta libidini patet, cor in periculo est: Ex corde enim procedunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo; nempè assensu, delectatione, voluntate. Neque simpliciter dixit, qui concupiuerit: potest namque etiam aliquis, inter secreta montium residens, concupiscere: Sed qui, inquit, viderit mulierem ad concupiscendum: id est, qui concupiscentiam, videndi curiositate sibi ipse collegerit, quique nullo omnino cogente, quiescenti animæ feram subitò immiserit. Hoc enim non iam naturæ est, sed propriæ omninò desidiæ: quod certè olim etiã in veteri lege prohibetur: Omni homini, inquit sapiens, noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Inuerecundum itaq; coërcet aspectum, eumque ante opus tollit; ne quandoque in ipsam quoq; incidat actionem. Sicut cùm cultrum teneri videmus à puero; etiamsi nondum eum vulneratum indè esse cernamus; verberamus tamen, ac sæpè minantes denunciamus, ne quando illum rursus attingat: ita hoc loco diuinus legislator facit. Neque enim propterea tibi Deus oculos effinxit, vt per illos ad animum adulteria transmittas; sed vt creaturas eius aspiciens, mireris autorem.

Eccles. 42.

63 ASpectum varij variè interpretantur: ac alij quidem pro omni curiosa inspectione, vt Euthymius: alii pro ea, quę delectationẽ aliquã adfert, vt Theophylactus: Hieronymus autẽ, Augustinus, Beda tribus modis speciem pulchrã aspici posse dicunt. Vno modo, sine omni motu, quomodo Salomon aspexit Betsabee matrem suam, ad se venientem: alio modo, cum aliqua cupiditate & titillatione, quam propassionem vocant; quomodo aliquando vniuersi principes Troianorum aspexerunt Helenam, & abire passi sunt: tertiò cum peccandi assensu, quam passionem ipsi dicunt, quomodo senes Susannam, Dauid Betsabee; si amplius non processissent. Primum modum dicunt necessitatis, secundum tentationis, tertium peccati. Qui, inquit, viderit ad concupiscendum, mœchatus est eam in corde suo: huic enim non voluntas peccati deest, sed occasio, cùm facere disponit. Si enim posset, statim committeret. Nam quòd scelus non admittit, hoc non illius virium est, sed gratiæ Dei, quæ aufert occasionem. Ne quis autem existimet hæc, de aliena vxore tantùm; ideò generale nomen mulieris accipit, Omnis qui viderit mulierem, siue liberam, siue obligatam, siue custoditam, siue prostitutam: ne solum adulterium prohibere videatur.

64 FVndit hîc verba charitatis plena nouus Stoicus Caluinus, cuius tumorem placet audire. Nimis crassa est & supina Papistarum hypocrisis, qui concupiscentiam negant peccatum esse, donec totum cor assentiatur. Sed nil mirum est, ita extenuari ab illis peccatum, quando socordes, & prorsus stupidos in vitiis suis reputandis esse oportet, qui iustitiam operum meritis adscribunt. Magnifica verba. Hoc primum falsum est, Papistas hoc dicere: Primę notę patres Hieronymus, Augustinus, & alii hoc affirmant, quos ab illo Papistas nominari, gaudemus & accipimus; fuerunt enim. Deinde & hoc falsum est, socordes esse, qui

ſe, qui iuſtitiam meritis adſcribunt: cùm vel inprimis eos maxime vigilantes eſſe oporteat, præ his, qui alienis plumis ſe commendare velint. Quod ſi ſocordes eos vocat, qui iuſtitiam meritis adſcribunt, tum in hoc genere reponat Ioannem Baptiſtam, qui dignos pœnitentię fructus agere monet: reponat Paulum dicentem: Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero nihil ſum: reponat D. Iacobum, qui clariùs ex omnibus: Si quis, inquit, auditor eſt verbi, & non factor; hic comparabitur viro conſideranti vultũ natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Sed hæc mittamus. Poſtremò & hoc cõtra Apoſtolicam doctrinam dicitur, concupiſcentiam eſſe peccatum, cùm non modò peccatum non ſit verè & propriè, ſed ne mala quidem omnis, vt docet Paulus. Mortificate, inquit, membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immundicitiam, libidinem, concupiſcentiam malam; ac ſi præſumeret eſſe aliquam bonam. D. autem Iacobus expreſsè concupiſcentiã non eſſe peccatum, dicit: Vnusquisque, inquit, tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus; deinde cõcupiſcentia cùm conceperit, parit peccatũ: peccatũ verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Nam ſi concupiſcentia eſſet peccatum, tum hac eadem ratione omnes alii affectus eſſent mali; quod magis Stoicum quàm Chriſtianũ eſt. Sed & ſenſus peccata eſſent, quia & ii ipſi ſunt cauſa peccatorũ. Qui viderit, inquit Saluator, mœchatus eſt. Concupiſcentia igitur exercitiũ potius quoddã eſt & pugna, agon atq; arena, quę æquè virtutis ac peccati, æquè victoriæ vt rei perditæ, æquè coronæ, vt pœnæ cauſa eſse ſolet. Nam ſi concupiſcentia vocatur aliquando mala aut peccatum; hoc fit propterea, quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, vt ſanctum Concilium Tridentinum definit. Ita auctoritate ſua fucum facit hominibus homo vanus.

Coloſ. 3. *Iacob. 1.* *Seſſ. 5. decreto de origina. peccato.*

65 NOtandum, magnum eſſe innocentiæ inſidiatorem oculum. Hinc illud apud Ieremiam: Oculus meus deprædatus eſt animam meã. Et, Aſcendit mors per feneſtras veſtras. Et illud Iob: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.

Trenor. 3. Ieremiæ 9. Iob 31.

66 EX oculi inſidiis capta occaſione legiſlator ad omnẽ declinationem ſcandali nos hortatur. Eſt autem ſcandalum, lapis offenſionis in via & vita: pedem lædit in via, conſcientiam in vita. Ad omnem igitur vitæ cautionem cohortatur. Si te, inquit, oculus tuus ſcandalizat: ac ſi diceret, graue tibi videtur oculum cuſtodire, ne intuearis mulierem: atqui tantum eſt periculum gehennę, vt ſi te ſcandalizet oculus tuus, non tantùm auertendus eſſet, ſed etiam eruendus. Non ſit igitur graue & moleſtum auertere, ſi te ſcandalizauerit. Si te, inquit, oculus tuus dexter ſcandalizat, hoc eſt quãuis res aut perſona, ita pręſtans, ita chara, ita pulchra, ita neceſſaria, ita cognata eſſet, vt eſt oculus tuus dexter; tamẽ tibi abiicienda erit. Intelligit autẽ Euthymius per oculum amicum, vel amicam charam, quæ nos ad malum prouocet: per manum autem dextram miniſtrum, aut famulum valde neceſſarium, vt eſt manus dextra, ſi cauſa ſunt ſcandali & peccati. Eſſet autem abſciſſio membrorum vtilis, ſi & cordis eſſe poſſet exectio. Cùm enim concupiſcentia efficientiæ comparetur, damnum corporis eſt otioſum, relicto voluntatis inſtinctu. Quod ſi oculus dexter aut manus abiicienda eſt, vt dicit Hieronymus, quantò magis ſiniſter, in quo nihl ineſt commodi, præter peccatum & ſcandalum? Loquitur autem planè emphaticè: Erue, abſcinde, quod non poteſt eſſe ſine magno dolore, & vitæ aliquando periculo, quod vitalibus ſublatis euenire ſolet. Nec dicit, ſepara abs te, ſed abiice, tanquam

ce, tanquam rem inimicam & aduersam remotissimè à te proiicias; vt ad illam non possis, nec illa ad te redire: nec ad tempus tantùm pro Paschate, sed perpetuò, omni modo separationis: vt ea quæ abscinduntur, & quę nunquam iterum adhærere possunt. Quo præmio? Expedit enim tibi, vt pereat vnum mēbrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animę autem suę detrimentum patiatur? Quod idem de societatibus & collegiis intelligendum esse docet D. Basilius. Dicto hoc, inquit, Saluatoris monentur antistites, vt eos à societate fratrum alienent, qui sunt mali, contumaces, & inobedientes. Clementia enim illa, qua quis aduersum istiusmodi homines vtitur, stultę illi Heli indulgentiæ & facilitati assimilis est, qua præter Dei voluntatem erga filios suos ille vsus fuisse animaduertitur.

67 NOtandum autem est, commune esse hoc præceptum viris ac mulieribus. Caput siquidem mulieris est vir, teste Paulo: & quod capiti iubetur, toti corpori, ac omnibus membris similiter præcipitur: quod viro, mulieri item. Vnde mulieres, quæ se eo fine comunt, vt placeant alienis viris, etiamsi inquit Diuus Chrysostomus, non placeant, tamen obnoxię sunt; quia pararunt venenum, quo aliquis extinguatur, etiamsi nemo biberit.

68 SI ille obnoxius, qui visum tantùm nō custodit; quid ille, qui concubinam inducit? quid si συνεισάκτην, qua etiamsi non abutatur, aspectus tamē & sermonis causa domi foueat? Quid mimię, comœdię, chorea, saltus, amplexus, oscula, fuci, ignes? Quid ille aulicismus, in quo adolescentuli, virgines in templum ducunt, deducunt ad altare, pòst in palatium, manus & brachia non inuitis illis præbentibus: pòst in thalamum fortasse, vrbanitatis specie? Taceo vlteriora: omnia ista ex malo sunt: Lex domini immaculata, conuertens animas, sapientiam præstans paruulis.

69 SI formas placeat intueri, animi pulchritudinem potissimum intuendam esse, monet D. Chrysostomus: Veniat in mentem tibi, inquit, quomodo candida facies interiori rubro pertincta, cùm pudoris affectus animam inuasit, varietate coloris suauissimam reddit faciem: sicut etiam contra impudens animus quauis fera faciem exhibet ingratiorem. Nihil enim est formoso animo formosius, nihil iucundius: nam corpora quidem absq; dolore amari non possunt, animi autem pura synceraque voluptate amantur. Cur igitur regem omittis animum, & ad præconem stupes? cur philosopho spreto, interpretem nimia cupidine ardes? oculos perspexisti formosos, quære quo animo reguntur: quem si turpem inueneris, oculos quoque despice.

70 A Concupiscentia vaga ad matrimonium se confert legislator: virum ac vxorem mira breuitate & veritate instruit & informat. Virum quidem ea ratione, vt primò talem sibi vxorem reperiat, cum qua sibi perpetuò vsque ad mortem iucundè & amicè viuendum sit. Quod ita efficiet, si non tam dotis aut familiæ, sed ne formę quidem, quàm educationis, morum & honestatis in ea deligenda rationem habuerit. Deinde vt ita cum illa viuat, tanquam cum eo amico, quem semper amicum, nunquam inimicum habiturus sit, quam pro parte corporis sui habeat, cui omnia credat, cum qua omnia communia habeat, quæ omnium aduersarum rerum socia, sed & solatium sit. Deinde eodem

SERIES EVANGELII.

dem modo vxorem instruit, vt proprium virum amet, eique inseruiat, & ab omni fornicationis suspitione sit alienissima; cùm hæc vna sit causa, cur eam dimittere liceat, nec ab alio accipi posit. Tum verò, vt ita se erga maritum gerat, tanquam alterũ nunquam habitura. Nam qui eam duxerit, mœchatur cum ea.

In Mat. hō. 31. Op. imper.

71 MOyses dederat facultatem dimittendę vxoris, dato libello repudii. Quod ex tali occasione ortum esse docet D. Chrysostomus. Quando primum Moses filios Israël eduxit de Ægypto, genere quidem erant Israelitę, moribus autem Ægyptii. Propter quod more Gentilium contingebat, vt vir odio haberet vxorem. Et quia dimittere illam non permittebatur, paratus erat interficere eam; aut si non interficiebat propter timorem legis, tamen assiduis cruciatibus affligebat. Ideo iussit dari repudium: non quia bonum erat, sed quia remedium erat mali peioris: ne dum facere malum vetantur, facerent peius. Concessit quidem Moyses diuortium, inquit Hieronymus; sed auferens homicidium. Erant enim Iudæi ad vxores & liberos occidendos effusi. Quod tamen neque simpliciter fieri lex iusserat; sed vt, quicunque dimitteret, librum repudii coniugi daret, ne ius haberet ad illam iterum reuertendi; sed nihilominus hæc nuptiarum saltem figura remaneret. Nisi enim præcepisset istud, & sine repudii libro hanc quidem expellere, illam verò ei liceret accipere, deinde reducere priorem; plurima fuisset secutura confusio: omnibus videlicet maritis alternis vicibus eiectas sæpè receptasque ducentibus, essetque adulterium omninò manifestum, propter quod non paruam consolationem repudii librum reperit. Erat autẽ liber repudii, quem γραμματεῖον ἀποθετικον vocabant, vnoq; verbo ἀποστάσιον nominamus, eo nomine conscriptus; ne eo amplius ad eum vxor redeat, indeque aliqua confusio oriatur, si fortè aliam maritus vxorem duxerit.

72 PErficit legem hanc Deus & legifer noster. Ego autem dico vobis, nullo modo vxorem cuiquam dimittendam esse, excepto adulterio. Repudiatur autem fornicationis causa, ne virum prostitutæ pudicitię societate polluat, inquit, Hilarius. Meritò abiicitur mulier, quæ per fidem coniugium violauit, inquit Hieronymus. Et quidem ea pœna, vt omnis reatus & culpa adulterii, quam post diuortium repudiata commiserit, in ipsum refundatur maritum, siue vaga maneat, siue alteri nubat. Omnis, inquit, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat. Ita criminis adulterii admonens, tam eum, qui sine causa propriam repudiat vxorem, quàm eũ qui ab alio repudiatam ducit, pacem coniunctorum constrinxit, magisque necommitteretur adulterium curauit. Qui enim suam non abiicit, sed amat potius, alienam nequaquam concupiscet. Similiter & qui ab alio repudiatam prohibetur ducere, suam non facilè repudiabit. Sed cur adulteratur, qui dimissam accipit? Quia dat occasionem, vt leuissimè nuptiæ colantur: deinde, si alter illam non acciperet, inquit Theophilactus, rediret ad virum fortasse, & pareret illi: Christianus autẽ pacificus esse debet. Sed de his plura 19. cap.

73 NOtanda autem hoc loco est Caluini in Deum patrem omnium misericordiarum inhumana calumnia: quam, ne quis orationem nostram calumnietur, licet eiusdem verbis apponere: In qua plusné sit crassę ignorantiæ (vt ipse de Catholicis loqui solet) an impietatis, & vtrum aliquod euangelicum habeat verbum

verbum, iudicet æquus iudex, rem per ſe malam oratione augere nolo. Nam leges, inquit, politicæ, interdum ad hominum mores flectuntur: Deus verò legem ſpiritualem ferendo, non reſpexit quid poſsint, ſed quid debeāt homines. Ideoque illic perfecta integraque iuſtitia continetur, quantumuis eius præſtandę facultas nos deficiat. Ergo leges politicæ ſunt humaniores diuinis, quæ nihil præcipiunt niſi quod poſsis? Sed neque hæc oratio ex primo poſteriorum eſt, quæ ſequitur: Tametſi mutuo conſenſu iungunt ſe vir & vxor; Deus tamen nodo illos aſtringit indiſſolubili, ne poſtea liberum ſit diſcedere. Nam ſi hoc ex conſenſu vtriuſque, religionis & caſtitatis cauſa fiat, idque verè & ex animo; tunc hoc ipſum pium & poſsibile eſt, quod in Ioſepho & Maria factum videmus, & poſtea in multis regibus & principibus.

74 NOtandum eſt, illum, qui contra Chriſti mandatum repudium dat, quatuor committere iniquitates. Primam, quia, quantum ad Deum, exiſtit homicida: ſecundam, quia dimiſit non fornicantem: tertiam, quia fecit eam adulterari: quartam, quia & accipiens eam, fecit adulterium. Nihil autem horum committitur, vbi ſeruatum fuerit Chriſti mandatum.

75 VBi autem ſunt multæ lites & multa iurgia, ibi multa iuramenta, multa periuria, & nominis diuini vanæ compellationes. Huc igitur ſe confert Saluator. Et quemadmodum paulò ante conſuluit & hortatus eſt, ne quis iura & lites perſequatur; ita nunc (longè tamen diligentiùs & arctius) monet & hortatur; vt quantùm in nobis eſt, quantùm poſſumus, ab hac iurandi conſuetudine abſtineamus. Dictum eſt antiquis: Non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua: ego autem dico vobis, non iurare omninò. Nam & ipſe Moyſes legem ferens, prædixit venturum prophetam, qui hæc perfectiùs traditurus eſſet. Prophetam, inquit, de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus; ipſum audies. Et paulò pòſt: Prophetam, inquit, ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quę loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam.

SERIES EVANGELII.

Deuter. 18.

76 NOtandum, primò periurium nihil aliud eſſe, quam vbi quis natura mendax in re falſa, ſummam & primam veritatem Deum, ſibi teſtem inuocat; ac in ſocietatē erroris ac mendacij cui ſubiacet, accerſit; ac nomine ſancto abutitur.

77 NOtandum ſecundò, multas ob cauſas & Moyſen, & Chriſtum Dominum, cùm periuria, tum iuramenta prohibuiſſe: partim propter amplitudinem nominis diuini, quod ſanctum & terribile eſt, & quod in terra benedictum eſſe debet: partim, quòd veritatis cognitio difficilis, & planè in hac vita impoſsibilis ſit. Deus autem ſumma & prima veritas eſt, omnis perfidiæ vltor, & veritatis præſes: partim, quia iuramentum extrema probatio errorum & miſeriarum humanarum eſt, & ideò ſanctum, rarum & metuendum ſit oportet; tanquam vltima rerum humanarum meta, norma & regula: partim, quòd ſæpius iuranti impoſsibile vel difficile eſt non peierare. Ideo veritas ipſa Chriſtus, autor & amator ſalutis noſtræ, nominis paterni vnicus vindex monet & hortatur, vt quicunque cælo propior eſſe velit, omnino non iuret, has quas diximus ob cauſas. Non mandat, non iubet, ſed monet & hortatur: ſi tamen neceſſe ſit, & conditio vitæ ferat, non prohibet. Et hæc eſt illa cauſa, quòd tot millia ho-

minum, relicto mundo, eremum ac deserta secuti sunt. Et iuramentum quidem natura sua sanctum & bonum est, contrà quàm Anabaptistæ iudicant, pars cultus diuini est. Iuxta illud Deuteronomij: Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Et illud Dauidis. Laudabuntur omnes qui iurant in eo. Vt autem tale sit, tribus comitibus opus habet: veritate, iustitia, & iudicio: iuxta illud Ieremiæ: Iurabis, viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iustitia. Peierare autem, est res pessima & exitiosissima. Et ideo ipse Deus omnipotens sæpiùs per seipsum, cum maiorem se non habeat, iurare solet: & ipse Saluator eodem modo. Paulus item & Petrus, & alij sancti iurant; non per se quidem, sed per dominum. Sed hoc illorum est, quibus aut natura sua, aut Spiritus sancti euidenti præsentia, veritas certa & explorata est.

Deutero. 5. *Psal. 62.* *Ieremiæ 4.*

79 CVm Iudæi viam fictam & falsam inuenire voluissent, qua & nomen Domini non acciperent in vanum, & periuria effugerent; non per Deum quidem, neq; per nomen sanctum, per cælum tamen, terram, ciuitatem sanctam, caputq; suum iurabant: vt ita & Dei maiestas suam conseruaret dignitatem, & fidei ratio constaret. Sed ne hanc quidem viam Saluator approbat, sed illam potiùs ne iuretur omninò. Causam autem affert. Quia etsi directè hoc loco nomen Domini & maiestas eius non prophanetur, indirectè tamen hoc idem fit; cùm per hæc iuretur respectu Dei, quia per cælum iuratur, quòd thronus eius est: per terram, quia scabellum pedum eius est: per ciuitatem sanctam, quia ciuitas magni regis, hoc autem est Dei: per caput autem nostrum, quia creatura eius est. Deus enim solus inuocatur, productis in medium opificijs, gloriæ eius symbolis: nulla siquidem est pars mundi, cui Deus non inscripserit gloriæ suæ notam. Itáque ab omni superflua iurandi licentia abstinendum, siue directè, siue indirectè. Summa illa est, qui facilè iurat, aliquando fortasse peierabit ob iurandi consuetudinem: qui autem nullo modo iurat, nunquam peierabit.

80 MAgna incommoda hoc genus per creaturas iurandi consequuntur. Primò, quòd sic honor Dei ad creaturas transferatur, cùm prima religio sit, per Deum iurare: habetur enim id, per quod iuratur, pro prima veritate, id est Deo. Hinc illud D. Chrysostomi: Quicquid illud est, per quod quis iurat, deificat illud. Deinde, quòd idololatria hæc sit manifesta. Qui iurat, inquit Hieronymus, per aliquem; aut veneratur, aut diligit eum, per quem iurat. Quod quid aliud est, quàm ignorato aut neglecto opifice, religionem operibus impartiri, vt inquit Hilarius. Itáque per aliud quid iurans, creaturas resq; creatas honore & obsequio diuino prosequitur.

81 DIcit igitur Christus Dominus: Dico vobis: non iurare omninò, non solùm per nomen Dei, sed neque per cælum, quia ipse hoc implet. Ego, inquit, cælum & terram impleo: quia thronus eius est, & propter illum honoratur, non per seipsum: ac omnis eius dignitas ad eum refertur. Neque per terram: quia scabellum pedum eius est, & ideo honor eius honori diuino inseruit. Neque per Hierosolymam: quia ciuitas magni regis est, teste Dauide. Neque per caput nostrum: licet enim caput nostrum sit, inquit Euthymius, non tamen opus nostrum: quod ex eo manifestum est; quia non possumus vnum capillum, aut album facere, aut nigrum.

Quod

QVod igitur mediũ erit, aut quę ratio faciendę fidei? Illud vnum, vt populus Dei linguam suã ita adsuefaciat veritati, vt sit illorum sermo, Est, est, Non, non: quia inter Est, & Non est, patens est materia fallendi, inquit Hilarius. In fidei simplicitate viuenti, iuramento opus non est. Sic igitur suos instruit, vt ita seruorum suorum sermo institutus sit; vt nunquam de illis, quod contrarium dixerint, probari possit; vt non exeat mendacium vnquam de ore illorum; vt omnis sermo fidelis pro iuramento sit. Ita enim futurum est, vt affirmatio eorum, omni sit certior iureiurando: & negatio itidem. Nam amplius quod est, ex malo est; non tam à diabolo, vt quidam interpretatur; huic enim nihil tribui creatum potest; sed hominum praua educatione, mentiendi consuetudine, fallendi vsu. Non dicit autem iuramentum esse malum, sed ex malo: est enim pars cultus diuini recognoscens eius veritatem, rerum item humanarum prouidentiam, ac cogitationum humanarum inspectionem: sed si non ex leui causa suscipiatur, vt diximus. Iurandi ergo religione opus non erit, quibus semper Est, est, Non, non: ac omnis eorum sermo, & opus in vero est.

82 QVòd si necessaria iuramenta hoc loco condemnantur, quid superflua? quid omnis nominis Dei vana vsurpatio, atque verbi illius prophanatio?

83 SEd forte dices, inquit Chrysostomus: Quid faciam? non mihi credit nec vult credere nisi iurauero. Acquiesce magis pecuniam perdere quam salutem. Preciosior tibi videatur anima sua, quam res tua. Si rem aliquam perdideris, viuere potes, si Deum perdideris, quomodo viues?

In Math. hõ. 12. ope. imp.

84 SVmma causa est, vt sincerè & bona fide inter nos contrahamus. Fons enim iuramentorum est perfidia, ex hominum vitijs manans, & sermones flexiloqui, quos Græci vocant λοξίους. Candor & constantia facit fidem.

85 NOn iurare, & iuramentum petere, ad idem peccatum pertinet: quomodo enim ad id, quod tu fugis, fratrem tuum induces? si tamen fratris amator es, & nõ magis pecunię.

86 NOtandum idem etiam de votis sentiendum esse; vt neque temere instituantur: &, si instituta sint, nunquam soluantur. Vouete, inquit, & reddite: Vota mea reddam domino coram omni populo eius.

87 DVcit in altum cælestis magister, cuius singuli progressus, sunt singuli perfectionis gradus. Dixit superiùs, iudicia non esse persequenda: dixit non esse iurandum: amplius progreditur, talionem non esse referendum: iniuriam non modò non vindicandam esse, sed summa etiam accepta iniuria, paratum & obfirmatum esse debere, ad aliam longè maiorem, Dei & proximi causa, ferendam; nouam patientiæ virtutem, quam mundus hactenus ignorabat, docens: Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo & alia duo. Dubium autem non est, ex superioribus, quæ hîc dicit, non ad literam, sed ad sensum referenda esse: quomodo illud: Si te scandalizat oculus tuus, erue illum: sic & hoc loco: Si quis te percusserit in dextram maxillam: Nam si ad literam intelligas hæc, hoc esset ignem ferro fodere, & crabrones irritare. Sensus

SERIES EVANGELII.

Vide Augu. epistol. 5.

igitur est: Ita animum obfirma, Deique timore confige; vt vna iniuria accepta, sis ad maiorem accipiendam, si opus sit, paratus: nouisque tolerandis persecutionibus te pares, ne resistendo finis vnius calamitatis, sit alterius initium. Nec in vno genere iniuriæ ita sis obfirmatus, sed in omnibus alijs, quæ vel ad corpus referri solent, vel ad facultates & fortunas, vel ad opera nostra. Siue igitur quis colaphum inflixerit, præbe illi & alteram maxillam, quod ad corpus pertinet: siue quis tunicam accipere velit, quod ad fortunas refertur, dimitte illi & pallium: nec pudeat Christi causa nudum esse, qui tua causa toties denudari voluit: modò pacem & charitatem alas, Deum non offendas, mentis tranquilitatem conserues: siue quis te angariauerit mille passus, quod ad laborem pertinet, pare, plus etiam quam postulat frater. Hanc doctrinam Apostolorum temporibus vsitatam fuisse, Paulus Corinthijs scribens testatur: Sustinetis, inquit, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Notat D. Basilius circa hæc verba: si quis te angariauerit, mille passus, vade cum illo & alia duo; exigere à nobis Dominum subiectionem & obedientiam. Quod etiam facere videtur Apostolus, qui monet, vt subiecta simus inuicem in timore Christi; & supportantes inuicem, in charitate Christi.

2. Cor. 11.

Ephes. 5

Ephes. 4.

88 QVi petit à te, da ei, si potes: & volenti mutuare à te ne auertaris. Mutuũ dare iubet, non tamẽ sub vsuris. Similis enim est pecunia vsuraria aspidis morsui. Sicut enĩ qui ab aspide percutitur, quasi delectatus vadit in somnũ, & sic per suauitatem corporis moritur: sic & qui accipit sub vsuris, pro tempore delectatur, quasi qui beneficium accipit: & sic per suauitatem beneficij non sentit quod captiuus efficitur. Nam sicut venenum aspidis latenter per omnia membra discurrit, & corrumpit; sic vsura per totas facultates eius discurrit, & conuertit eas in debitum. Sicut enim fermentum modicum, quod mittitur in multam farinam, totam conspersionem corrumpit, & trahit illam, & facit illam totam fermentum; sic cùm vsura in domum alicuius intrauerit, totam substantiam eius ad se trahit, & conuertit in debitum.

D. Chryso: in Matth. Hom. 12 Op. Imper.

89 NOtandum, cum iubet dare & mutuare omni petenti, differentiam hominum eum notare, non numerum: nam singulis, & diuites si semper darent, semper dare non possent, inquit Hieronymus: nam in numero omnibus dare, ipsius solius est, qui dixit, dandum esse omni petenti. Sed intelligit omni petenti, siue ille amicus, siue inimicus; siue fidelis, siue infidelis; siue pecuniam quærat, siue aliud subsidium.

90 VSuram, vt quidam putant, intelligi beneficium, aut humanitatem, absurdum est. Atqui aliud illi putarunt qui dixerunt. Quid est fœnerari? est hominem occidere, & ille qui furem quidem tripli, vsurarium autem quadrupli condemnare iubet. Nam si gratis iubemur dare, quantò magis nihil accipere?

91 NOtandum, omne iniuriarum genus Christum Dominum persecutum esse, siue corporis, siue facultatum, siue operæ: præter famæ & existimationis: quæ si vera est, lædi non potest: vel si scandalum paratura est, num vindicari ac defendi eam oportet, an planè famæ mendacia ridenda? Vna autem est hæc via tranquillitatis nostræ, vnica & verisima medicina omnium repellendarum

darum iniuriarum. Hæc enim videntes homines, qui modò digni sunt compellatione hominis, non modò non infligent plagam alteram, vt inquit Euthymius, sed de priore quoque resipiscent & reconciliabuntur: at si restiteris, exasperabuntur magis ac irritabuntur. Sic & pallium nemo à porrigente accipiet, restituet etiam potius & tunicam: quod aliquando in beato CANTIO vita & eruditione inclyto huius nostræ Cracouieñ. Vniuersitatis sancto, probatum est. Hinc illud D. Chrysostomi: Iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur. Sed neq; Diabolus tantum de vulnere humani corporis gaudet; quantum in vulnere animæ delectatur. Ideo enim excitat aliquem qui te percutiat, vt dum tu excitatus repercutias eum, pecces; & vno ictu vulneret ambos. Ideóq; si repercusseris, in prima quidem facie illum vicisse videris, re vera autem à Diabolo victus es. Et putas quia te satiasti de illo, verè autem Diabolum satiasti de te. Si autem non repercusseris, ab homine quidem victus videris; Diabolum autem vicisti.

D. Chriso: in Math. ho. 12. Ope. Imper.

92 FEcit hoc primùm legislator, qui cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè. Irenæus. Ipse hoc, inquit, fecit in cruce, intantum diligens humanum genus, vt etiam pro his qui se interficerent postularet. Ieremias de bono viro vt exponit Hieronymus. Dabit, inquit, percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs. Dauid magnificè de se: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Quæcunque autem ille, inquit Chrysostomus, dinumerat meritò se pati debere, si reddiderit retribuentibus sibi mala: sciant christiani omnia illa passuros, si reddiderint retribuentibus sibi mala. Nam & casuri sunt ab inimicis suis inanes; & persequuturus est inimicus animas eorum, & comprehensurus, & conculcaturus in terra vitam eorum, & gloriam eorum in puluerem deducturus.

Iren. li. 3. cap. 20.

In Math. hõ. 12. oper. imp.

93 CHaritatis legem concludit vltimò dilectus Dei patris filius Christus Dominus, epilogum totius legis facit: obsignat plusquam aureo sigillo æternum memoriale populo Christiano. Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos. In quo sigillo, omnia quæ hactenus sunt dicta, concluduntur. Qui enim diligit inimicum suum, Racha non dicet, Fatue non dicet, vxorem non ducet alterius, tribunalia non turbabit, oculum & dentem alienum non repetet. Hoc autem amplius addit ad ea, quæ dicta sunt, quòd omnia illa extrinsecus esse possint, aspectuiq; humano imponere, cùm tamen pectus flammis odij, inuidiæ & vindictæ ardeat. Fontes igitur incendij extinguuntur, fomes aufertur: charitas in centrum cordis reuocatur. Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum: ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros. Prauè Iudæi nomen proximi intellexerat, pro solo amico ac beneuolo, cùm nusquam in lege hoc dictum fuerit: sed proximus tuus ille est, in quo communem naturam recognoscis: quem os ex osse, carnem ex carne reputas. Quid enim magis proximum esse potest, quàm tu tibi ipsi, qui teipsum in altero tanquam in speculo recognoscis? Neque verò in ore nostro solo id apparere vult; sed magis in manibus eorum, qui amantur. Et benefacite, inquit, eis, qui oderunt vos. Quòd si superbi, contumeliosi, contumaces erunt,

SERIES EVANGELII

vt nihil à vobis accipere velint, beneficioque vestro deteriores fiant, vos orate pro illis, vt Deus corda illorum emolliat, vobisque amica reddat. Noua hæc philosophia, nulli philosophorum vsitata, philosophia cæli, non terræ.

NOn ignorabat autem cæli sapientia, subduriora hæc futura, superbo ac ignauo luto nostro: cui graue est non tantùm inimicos amare, sed amicis etiam sinceram conscientiã seruare. Magno igitur ac nouo beneficio, magnum proponitur exemplum & præmium. Vt sitis, inquit, filii patris vestri, qui in cælis est. Quàm multũ laborant plurimi, vt aut Homero, aut Aristoteli, aut Demostheni, aut Ciceroni similes fiant, aut Catoni, aut Scipioni. Quòd si aliquid earum rerum consequuntur, Deum immortalem, quantum efferri solent & superbiunt? At qui diligit inimicos suos, est filius patris qui in cælo est. Magnum est esse filium regis: sed maius filium Dei: nec qualemcunque filium, sed similem patri; non natura, sed similitudine, amando videlicet inimicum: ita similem, vt ex facie & rebus gestis, facilè quis primo cognoscat aspectu, te filium esse huius patris. Nihil autem magis honorificum est filio, quàm imitari bonum patrem: & nullum alium magis amat pater, quàm talem filium, in quo similitudo & imago patris relucet. Atqui hoc soli consequuntur ij, qui amant inimicos suos. Hic est frater Christi, qui inimicos suos amauit, ac pro iis in cruce deprecatus est. Nihil autem magis est proprium Dei, quàm illos amare, qui eum fugiunt, vel offendunt etiam: Quod communissimo & vulgatissimo exemplo demonstrat filius. Qui solem suum oriri facit, super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Quę res, etsi frequẽti vsu vulgaris effecta est; eiusmodi tamen est, vt sine illa ne diem quidẽ vnum, genus humanũ consisteret: hac enim omnia generantur, nutriuntur, augentur, ac perficiuntur. Quid autem tali præmio & mercede faciendum non sit, si millies etiam moriendum esset? Præcepta igitur illius grauia non sunt, quia merces copiosa. 94

NOtant autem hoc loco patres sancti, Iustinus primùm. Iesum iussisse diligere etiam inimicos, quod & per Isaiam dudum prolixè prædicatum fuerat. Verba Isaiæ sunt hæc: Audite verbum Domini, qui tremitis verbum eius: dicite, Fratres nostri estis odientibus vos, & abominantibus propter nomen Domini. Glorificabitur Dominus, & conspicietur vobis lætantibus: ipsi verò pudefient. Notat deinde D. Irenæus: Deum, qui solem suum oriri facit omnibus benignè, & pluit super iustos & iniustos, iudicaturum eos, qui ex æquo benignitatem eius percipientes, non similiter secundùm dignationem munerationis eius conuersati sunt; sed in deliciis & luxuriis versati sunt aduersus beneuolentiam eius, adhuc & blasphemantes eum, qui tanta beneficia in eos fecerit. Notat tertiò D. Chrysostomus: Vidisti nempè, inquit, quantis ad perfectionem gradibus ascenderit: & quemadmodum nos ad ipsum virtutis cacumen eduxerit. Considera verò ab exordio eos recensens. Primus est gradus, ne prior iniuriam ordiâre. Secundus, vbi est iniuria capta, ne tu illam eodem pacto propellas. Tertius, ne par pari referas, sed quiescas. Quartus, vt etiam præbeas te ipsum ad iniuriam sustinendam. Quintus, vt etiam ad maiora te præbeas, quàm vult ille qui fecit. Sextus, non odisse à quo ista perpeteris. Septimus, etiam diligere lædentem. Octauus, beneficiis quoque eum afficere. Nonus, etiam Deum pro aduersario deprecari. 95

Isaiæ. 66

Sed

96 SEd & illud notandum est, Deum inimicos suos peccatores, & iniustos vocare, amicos autem qui mandata eius seruant.

97 TErgiuersatur hoc loco in mercedis nomine Caluinus: & nunc beneficium, nunc mercedem vocat. Sed nihil est quod illum tantopere sollicitum habeat. Est & beneficium & merces: sed priùs beneficium, quàm merces. Beneficium, quia Deus sua dona in nobis coronat: quia vltrà condignum hoc est meritum. Quę enim proportio adoptionis in filium Dei, similitudinis paternę, cùm modica inimici dilectione, vt simus filii patris nostri qui in cælis est? Merces autem, quia operis causa adhibetur: & ideo non est causa, cur Caluinus mundum turbet & charitatem.

98 PRimus legislator ipse, hac ipsa patientię via incesit; qui in tempore crucis suæ, non matris prius, non dilecti discipuli, non alterius cuiusquam mortalium mentionem fecit, quàm inimicorum. Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt: quod primum crucis verbũ est. Idem Stephanus fecit: idem tot myriades sanctorum. Trita hæc via est sanctis. Si autem non modò inimicos non diligimus, sed ne amicos quidem verè & sincerè; sed neque benefactores, & eos nonnunquam, à quibus prognati sumus; tum hæc quidem iniquitas tanta est, quę cum nulla comparari posit.

99 NOtandum, specimen hoc loco charitatis & patientiæ edere voluisse in præcepto perfectionis, Caluinum. Ad opus præceptum reuocat, ac ita præclarè in monachos aliosque ministros Ecclesię inuehitur. Sed placet illum charitatis verba fundentem audire: quis enim in hoc genere loquacior? Hæc inquit, monachis, & similibus rabulis causa fuit, vt fingerent hæc fuisse Christi consilia, non præcepta, quòd hominum viribus metiebantur, quid Deo & legi ipsius debeant. Interim verò non puduit monachos perfectionem sibi arrogare, quòd seruandis consiliis vltrò se obstringerent, quàm fideliter præstent: quod titulo tenus vsurpant, nunc dicere omitto. Quàm verò de consiliis præposterum sit insulsumque commentum, primò indè patet, quia non sine Christi iniuria dicitur, suasisse ipsum discipulis, non pro imperio mandasse, quod rectum erat. Deinde plusquam insulsum est, libera facere charitatis officia, quæ ex lege pendent. Tertiò dicendi verbum, quod denunciare ac præcipere hoc loco significat, perperam consulere exponitur. Postremò, sancire quod necessariò præstandum est, probatur; dum addit continuò pòst, Vt sitis filii patris vestri, qui in cælis est. Et disertè hæc ille fortasse, sed falsè. Nam primum hoc falsum est, aliquẽ catholicorum præceptum hoc de diligendis inimicis inter consilia retulisse, cùm talis pactio apposita sit: Si dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis pater vester celestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus; nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Sed multa ille, vt & alii omnes hæretici, ex non scriptis & dictis allegant, teste Irenæo. Deinde falsum est, monachos sibi perfectionem arrogare. Disputat diuus Thomas, vtrum monachus ad perfectionem obligetur: concludit, ad solum conatum perfectionis obligari illos. Monet tamen Christus Dominus, & eo corollario concludit, vt simus perfecti, sicut pater noster perfectus est: non quidem

 simpliciter,

ſimpliciter, quoniam ſolus filius eam perfectionem conſequi poteſt; ſed quantum natura capax eſt: non ad æqualitatem referens, ſed ad ſimilitudinem. Et hæc quidem ille temerè, illud autem mendaciter, conſilia Chriſti à mandatis non diſtingui, ac nihil Chriſtum conſuluiſſe, ſed præcepiſſe omnia. Nam hæc diſtinctio primò ex ipſis Chriſti verbis colligitur. Quærebat adoleſcens modū quo ſaluus eſſe poſſet: reſpondet Dominus: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut teipſum. Amplius aliquid quærit: refert illud conſiliū, Vade & vende omnia, ſi vis perfectus eſſe, & da pauperibus. Sed Paulus in forma loquitur: De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do: tanquam miſericordiam à Domino conſecutus, vt ſim fidelis. Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam. Deinde nemo eſt ex veteribus, qui hæc non diſtinxerit. O doctorem ſyncerum! ô veritatem Euangelicam!

1. Corint. 7.

MVlti præcepta Dei imbecillitate ſua metientes, inquit Hieronymus, non ſanctorum viribus æſtimantes, putant eſſe impoſsibilia quæ præcepta ſunt: quę non ſolùm ego impoſsibilia, ſed multum etiam poſsibilia dico, iucunda etiam & grata, ſalutaria autem inprimis: ac non ſolùm futurę vitæ, ſed huic etiam accommodata ac pernecessaria. Quid enim hac lege agit aut commendat ſanctiſsimus legislator noſter, quàm amorem fraternum, quo nihil amabiliùs, nihil ſuauiùs, nihil iucundiùs eſſe poteſt: quo ſano & integro, ceſſant bella, conticeſcunt tumultus? Quid aliud commendat & tuetur, niſi primùm vitam noſtram, ne immeriti occidamur, ne contemnamur, ne vel verbo lædamur, niſi fortunas noſtras, ne vel aſpectu cupido offendamur. Quæ autem dilectio, quæ ſuauitas maior eſſe poteſt, quàm quod dilectionem noſtram, exiſtimationem noſtram honori ſuo anteferat, longè noſtra integra ſibi gratiora eſſe oſtendat omni ſuo honore: planeq; profiteatur ſe inimico noſtro amicum eſſe nolle, niſi nobiſcum reconcilietur, niſi nobis ſatis faciat: inimicis verò noſtris inimicum ſe eſſe. Nos autem quoties inimicos eius amicos & fideles, amicos autem inimicos & hoſtes reputamus? Lex igitur Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Iuſtitię Domini rectæ letificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Timor domini ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi: iudicia domini vera, iuſtificata in ſemetipſa. Sed nos ad alia tranſeamus.

100

Pſal. 18.

Caput VI.

SERIES EVANGELII.



AD ſummum verticem virtute, charitate, & perfectione adducta, nunc eius inutiles ramos, vitioſas propagines, quæ illi adnaſci ſolent, ſtoloneſque, vanam, inquam, gloriam, oſtentationem, iactantiam amputat, agrumque virtutis purgat. Neque enim ſola recta & iuſta facienda eſſe, dicebat Ariſtoteles, ſed etiam iuſtè & rectè, hoc eſt debito modo, ratione ac fine. Primùm igitur hoc in genere omnis iuſtitię, quę pro tota virtute hoc loco ſumitur, facit; deinde in eius partibus.

1

ATtendite, inquit, ne iuſtitiā veſtram faciatis corā hominibus vt videamini ab eis. Ponit præceptū primum: deinde cauſam. Præceptum, Attendite ne iuſtitiam corā hominibus faciatis. Cauſam, alioquin mercedem non habebitis apud patrem

2

patrem vestrum, Dicit autem, Attendite, hoc est cum magna cautione videte, tanquam à fera quadam pessima & astutissima, quæ latenter insidiatur, & iucundè in animum influit, cauete. Est enim ambitio vitium astutum, virtuti proximum & adhærens, neque illud simplices quosdam & rusticanos sequitur, sed sapientes plerunque, ac quos bonos viros nominare solemus. Vltimum hoc vestimentum deponit sapiens: inter ieiunia, eleemosynas, orationes se immiscet, indeque incrementum sumit. Attendite igitur: state in custodia.

3 IVstitiam nostram vocat, ad differentiam eius, quæ Dei est, quomodo Dauid: Iudica me Deus, secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam. Iustitię enim Dei, vti cælum à terra, ita à iustitiis nostris distinguuntur: tam quę nobis in baptismo, primaq; vocatione tribuuntur; quàm quę nos cælitùs consequuntur, omnibus diebus nostris. Vocat item iustitias nostras, vt illis adhæreamus, ac vt modernos Caluinistas, Lutheranos refutet, qui negant vllas iustitias esse nostras, præter quasdam imputatiuas. Attendere autem iubet, ne illas corã hominibus faciamus. Vitiat enim virtutes affectatio ostentationis.

4 NOtandum autem, non simpliciter dici coram hominibus: nã hoc ipsum pugnaret cum præcedenti doctrina: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est: vt & ipsi ad similia prouocentur. Sed dicit, vt videamini ab eis, hoc est eo fine, vt videamur, laudemur, in cælum feramur. Atque ea mens, id consilium si fuerit: melius est non facere, quàm propter homines facere. Qui enim non facit, etsi in cælo non inuenit, vel super terram nihil perdit: qui autem propter homines facit, & in terra perdit, & in cælo non inuenit: estqué mercenario malo persimilis, qui intra tempus locationis suę comedit omnes mercedes suas; cùm autẽ tempore completo recesserit, nudus egreditur. Sic ergo vacuus vadit ad Deum, qui mercedem omnium bonorum suorum accipere desiderauit in seculo. At si eo fine omnia fiant, vt ad glorificandum patrem homines conuertantur, tunc hac ratione non modò non peccatur, sed sanctè fit: ac quot homines indè conuersi fuerint, tot merita exoriuntur. Hoc eodem modo, si tuba canatur, peccatum est, si eo fine vt videaris: meritum, si vt alios prouoces ad pietatem, aut conuoces, quale illud apud prophetam: Canite tuba in Sion. Pulchrè igitur ex Chrysostomo Theophylactus: Si coram hominibus omnibus etiam facias, neque tamen vt videaris, non peccas, imò mereris. Si autem vel intra parietes, modò vt cognoscaris, peccas, cares mercede: mentem enim vel punit, vel coronat Dominus.

5 SEd quo damno ostentatio fit? quia mercedem non habet apud patrem, qui in cælis est, quem non respicit; sed apud homines, quorum approbationẽ quærit. Mercedis autem nomen idq; cælestis toties inculcatur, vt noui Euangelii ora obstruantur ac pudefiant. Quam tamen mercedem Ecclesia Catholica donum esse confitetur, quia Deus in nobis sua dona coronat, datque gratiam pro gratia. Toties autem inculcat patris cælestis nomen, vt patrem in cælis habentes terrena despiciamus omnia, & huiusmodi patre dignè conuersemur.

6 QVæ autem causa est, cur tantopere vanam gloriam hominumque iudicia

dicia non à Christo Domino tantùm, sed à philosophis ipsis etiam declinare iubemur? Mitto illud, non virtutem, sed causamvirtutis apud Deum mercedem habere: hoc dico, si quis vanæ gloriæ hominumque causa officium facit, tantisper illud facere, quantisper inspectorem & laudatorem habet: qui si absit, statim ad ingenium redire. Eodem modo tantisper à vitio declinare, quöad rescitum iri putauerit. At vbi se latere arbitratur, omnia deinceps sibi licere putare. Cùm autem inspector atq. laudator non semper adesse possit: vel si adsit, non semper laudare, vel propter ignorantiam, vel propter iudicij exiguitatem posit: vel si posit, tamen aut propter inuidiam, aut propter contentionem, aut propter maleuolentiam, vel aliquid aliud laudare nolit; ibi agentis manus labascere. Et ideo præclarè ille: Vbi seruimus oculis hominum, Deum non constituimus vitę nostræ acceptorem & approbatorem. Addo, quod hic ipse, qui talem sibi vitæ suę & actionum suarum finem constitu it, inspectorem inquam & auditorem, nunquam tranquillo animo esse poterit, metuet semper, ad quosùis famę rumusculos exanimabitur. Nam cum hominum iudicia sint incerta, inconstantia, maligna aliquando; ille quoq; cum sua felicitate in horas mutetur oportet. Euenit enim plerunq; vt hic, qui te hodie opusque tuum laudabat, ac in cælum ferebat; idem aliqua mutata circumstantia, iterum deprimat ac deiiciat: imò si aliquid præclarum gesseris, pro laude & gloria, dedecus & reprehensionem, infamiam nonnunquam ac mortem referas. Ita nunquã esse potest illic firma stabilisue animi trãquillitas aut fida statio, ad quam nos saluator cohortatur: quę, si Patri cælesti, salutiq; nostrę, liberis mẽtibus seruiamus, conseruari poterit. At qui Deum ipsum sibi proponit, qui illum tanquam finem vltimum sibi constituit, qui omnem mercedem laborum suorum in sinu eius reponit: cùm ab eo nunquam abesse posit, & eum semper inspectorem habeat; delinquet nunquam, retrò pedem non referet, opus vrgebit: eum enim finem sibi proposuit, qui nunquam mutari potest, apud quem fixa & certa sunt omnia: securus amorum suorum & mercedis, metuet nunquam, gaudebit semper, quietum ac placidum sensum sequetur: illi soli liber, vacuusque cura seruiet, illo se oblectabit, eam culcitram capiti suo subiiciet, dicétq; confidenter: Reposita est spes mea in sinu meo.

NOtandum, offendere vel in primis, in omni doctrina, Euangelicorum aures, mercedis nomen: idq; eius, quæ in cælis est, cùm de bonis operibus fit mentio, quasi verò non Euangelij potius quàm cuiusquam mortalium sint verba. Nec vident homines stulti, eam totam orationem ad eos, qui Christum secuti sunt, proque illo vitam & sanguinem profusuri erant referri: qui inprimis pactum æterni parentis cum mortalium genere præsupponunt, meritum deinde pasionis & mortis Christi quasi certissimum remedium & medium salutis; tertiò gratiam primam, quasi formam quandam, in qua vocati & sanctificati sumus: vltimò condictum, & opus, & denarium, qui non tam merito operis, quã beneuolentiæ & promisionis æterni patris par est, non sine tamen opere: nam ijs qui tota die otiosi stant, operi se nunquam accingunt, nullum pretium numerari legimus. Hæc Christianæ doctrinæ elementa sunt: hæc in catholica ecclesia toto anno prædicantur: hæc omnibus festis designantur: hæc cæremonijs adumbrantur: pedem christianus non profert, quin aliquam significationem eorum non testetur: omni deniq; ætati, ordini ac conditioni hominum

7

minum ſunt notiſsima. Quę ſi non vbique inculcamus, clamant catechiſtę iſti, hæc negligi. Atqui hæc in populo chriſtiano primò nota ſunt, cum lacte hauſta, in ſuccum & ſanguinem conuerſa, axiomata prima: quę qui non ſumat, hic chriſtianus non ſit: lac primum, nutritio prima. qua cauſa, ne ſemper pueri ſint, ne ſemper lacte indigeant; hæc paucis repetere, ac quaſi in limine huius doctrinę commemorare volui; ne ſemper eadem repetere, in conſequenti doctrina neceſſe habeam.

8 A Toto ad partes tranſit, ac eandem iactantiam & vanam gloriam in omnibus declinandam eſſe docet: potiſsimum autem in iſtis tribus primis bonorum operum capitibus, eleemoſyna, oratione, & ieiunio: partim quòd iis peculiariter oſtentatio adnaſci; partim, quòd diabolus hoc loco ſuos laqueos plerunque extendere ſoleat: quod in phariſæo cum publicano orante apparuit, qui omnes partes oſtentationis in hoc triplici genere compoſuit: Ieiuno, inquit, bis in Sabbatho, decimas do omnium quę poſsideo: & cætera.

9 AB eleemoſyna igitur orditur, quæ neſcio quid ſpecioſius habet: Cùm igitur facis eleemoſynam, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt. Solebant ſiquidem hypocritæ captandæ auræ popularis cauſa, in compita exire; atque ibi tuba canere: ſpecie quidem vt conuocarentur homines, re autem ipſa, vt iudicia hominum excitarentur. Nam vana gloria vanitatis ſuæ conſcia, ſemper neglectu gloriæ ſe tegere ſolet; ac inde aliam vanitatem quærere. Nam & iſti prætextum ſpeciem & quaſi pallium quoddam improbitatis, egentium conuocationem, habebant: re autem ipſa canebant tuba, vt viderentur ab hominibus liberales, benefici, ac in proximos miſericordes.

10 HYpocrita autem nomen ſcenæ eſt, qui perſonam aliam habet, & alterius gerit, vt cùm Irus ſit, Creſum agat. Inde igitur ſumpta ſimilitudine, hypocritę illi dicuntur, qui alii ſunt, & alii apparere volunt: alienam perſonam induunt; vt probi, Deique cultores eſſe videantur: & vt inquit Euthymius cum auariſsimi ſint atque rapaciſsimi, liberales tamen & munifici plerunque videri volunt. Nihil autem miſerius eſt, quàm perſonatum ſemper incedere. Quam perſonam Dominus Deus, vbi minimè velimus, detegere ſolet: in extremo autem iudicio, omnibus planè in totius orbis aſpectu detrahetur, vt nudata plumis alienis cornicula moueat riſum. Difficilis eſt virtus, dicebat quidam eorum qui foris ſunt, ſed difficillima diuturna eius ſimulatio. Decidit hæc perſona facilè, plerūq; vbi nolis. Præſtat igitur eſſe quàm apparere dicebat Plato: imò & faciliùs. Plus inferno ſe odiſſe, dicebat Homerus, eum hominem qui aliud agat, aliud ſimulet. Ideo totius iniuſtitiæ nullam capitaliorem eſſe dicebat homo Romanus, quàm eorum, qui cùm maximè fallunt, id agunt, vt boni viri eſſe videantur.

11 AMen amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam: hoc eſt humanam: quia non Dei mercedem, ſed ſuam, inquit D. Hieronymus, ſecuti ſunt.

12 TE autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Senſus eſt: ita ab omni oſtentatione abſis, vt ſi fieri poſsit, neſciat manus ſiniſtra (quę neſcio quid ſiniſtrum ſignificat, hoc eſt humanæ laudis delectationem)

onem) quid facit dextera, quæ intentionem præcepti Dei implendi designat. Multò autem magis, vt, si effici possit, te ipsum lateas, vt quid agas nescias, ne efferaris, ne superbias, ne tibi aliquid magnum tribuas, vt sit eleemosyna tua in abscondito. Satis certus rectè factorum est thesaurus, ipsa recte factorum obliuio. Quia sicut aurum, vestemq; pretiosam cum in publico ponimus, plurimos ad insidias prouocamus: si verò ea recondamus atque occulamus domi, in tuto cuncta seruabimus; sic sunt etiam diuitiæ virtutum, si eas in memoria quasi venales assiduè portemus, irritamus Dominum, armamus hostem, & inuitamus ad furtum. Sæpè enim fit, vt homines non tam Deo, quàm sibi ipsi sacrificare videantur.

ET pater qui videt in abscondito, cui conspicua sunt etiam quæ in tenebris sunt, à quo etiam sepulta videntur; hic reddet tibi, qui more patris gaudet, videns bona opera filiorum. Neque te desertum, aut locus solus terreat, habes theatrum in latebris: pater id videt in abscondito: nec solus videt, sed cum Cherubim & Seraphim, cum tota triumphanti ecclesia; cuius tamen solius oculus habendus sit pro amplissimo theatro: neque solùm videt, sed potest etiam reddere. Et modus quidem faciendæ eleemosynę hic est. 13

NOtandi autem sunt hoc loco stimuli, qui nos ad eleemosynam faciendam vrgere debent. 14

PRimus, exemplum cælestis parentis: Qui dat escam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum: in quem oculi omnium sperant, qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione. 15

SEcundus stimulus: Filii eius benignitas mira, qui seipsum tradidit pro nobis, ac omnia nobis donauit, corpus, animam, spiritum, vitam: ac quotidie donat, carneq; sua & sanguine suo reficit, qui sua à nobis in persona suorum mendicorum mendicat, quod ipse testatur: Quam diu fecistis vni de his minimis fratribus meis, mihi fecistis. Qui enim diuitem honorat, propter personã ipsius honorat eum: qui autẽ pauperem honorat, propter personam Christi honorat. 16

Mat.25

TErtius stimulus, quòd ipsi omnia accepimus, perpetuique mendici sumus. Quid enim habes, inquit Paulus, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Mendicitatis autem nostrę quotidianę formula illa est: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra. 17

1. Corint. 4.

QVartus stimulus, quòd graui ære alieno præmimur, quod alio modo persolui non potest, nisi eleemosyna: Date, inquit, & dabitur vobis. Peccata, inquit Propheta, eleemosynis redime. Sicut aqua extinguit ignẽ, ita eleemosyna peccatum, quam secundum baptismum Augustinus vocat. 18

Daniel.4.

QVintus stimulus, quia tota via cæli, & iudicii formula ex eleemosynis cõstat. Et pater cælestis, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et illud: Venite benedicti patris mei: esuriui enim & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus & operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. 19

Sextus

20 SExtus stimulus, quia hæc est felicitas nostra, posse alijs prodesse, beneuolentia æterni patris, qui dare nos potius voluit, quàm petere, abundantes quàm egentes esse.

21 SEptimus, quia magnò redimeremus postea hæc, quæ nunc paruò comparare possumus. Cogita inquit Chrysostomus, quanti te redimere iustum esset, ne tristissimam simul & iustissimam sententiam iudicis audias: Discede à me. Et illam: Serue nequam & ignaue. Et illam: Auferte ab illo talentum. Et illam: Ligatis pedibus eius & manibus. Et illam: Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Non noui vos. Quanta item pecunia compararet libenter quis, vt illam vocem audiat: Venite benedicti patris mei. Et illam: Serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui, recumbe cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum.

22 OCtauus, quia non nostra damus, sed mutuata, communia omnibus, & quæ nobis, nolentibus ac volentibus, aliquando relinquenda sunt, idque cum magno dolore. Vnde grauiter D. Gregorius. Sciant, inquit, sollicitè, quod ea, de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est: & idcircò alimenta quoque omnibus communiter profert. In cassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant: qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur: quia tot penè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cùm quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis credimus: non nostra largimur: iustitiæ debitum potius soluimus, quàm misericordiæ opus implemus. Et Lactantius: Deus, inquit, communem omnibus terram dedit, vt communem degerent vitam; non vt rabida & furens auaritia sibi omnia vendicaret; nec vlli deesset, quod omnibus nasceretur.

3. Pastoral. adm. 22.

Lib. 5. Diuin. Instit. cap. 5.

23 NOnus, quia dispensatores rerum sumus, non Domini: cuius dispensationis nobis aliquando grauis reddenda erit ratio, vbi illa tuba intonuerit: Redde rationem villicationis tuæ; ita vt vbi maiora sint dona, ibi rationes crescant donorum.

24 DEcimus, quia in fratres & proximos nostros conferimus, imò in carnem de carne nostra, in os de ossibus nostris: vnde Propheta, Si videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

Isa. 58.

25 VNdecimus, quòd temporis & diei nostri mali fiducia hæc est: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Beatus, qui miseretur super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.

Mat. 7.
Psal. 40.

26 DVodecimus, quod hic imber est fortunarum nostrarum: inde vbertas agrorum, plenitudo cellarum. Et pater, inquit, tuus reddet tibi. Vnde qui hæc negant pauperibus, illud prophetæ exaudiunt: Seminastis multum & intulistis parum. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exufflaui illud.

Agæ. 1.

27 TRedecimus, quia eundem portum miserijs nostris paramus, si in easdem inciderimus calamitates. Neque enim præsenti credendum est fortunæ, cùm

Matth. 7. quid serus vesper ferat incertum sit: & quæ vultis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.

QVartus decimus, exempla sanctorum, Iob, Thobiæ, Ioannis Eleemosynarij, Paulini, qui seipsum pro redemptione captiuorum dederat. Inprimis autem principum Apostolorũ, qui post iunctas dextras orbis conuersionis, pauperum tamẽ primam curam esse habendam, sanctè sibi pollicentur. Quod ipse Paulus ad omnem posteritatem scripto suo obsignauit. Cum cognouissent inquit gratiam, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, & nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem: tantùm vt pauperum memores essemus. Et hæc quidem de stimulis eleemosynæ. 28

Galat. 2.

SERIES EVANGELII.

AB eleemosyna ad orationem se transfert, in qua eodem modo ab omni ostentatione & vanitate abstinendum esse docet: solumque Deum eius inspectorem & auditorem constituendum; vt inclusa pectoris oratione oremus, cùm Deus non verborum, sed cordium auditor sit: tantoq; magis, quantò ea pluribus tentationibus exposita sit; & quantò periculosius in hoc genere delinquatur, vt potè in sacrificio, quod soli Deo debetur. Dupliciter autem in hoc genere peccatur. Primùm hypocritarum illius seculi more, qui in synagogis ac biuijs orabant, vt viderentur ab hominibus: quem modum saluator excludit. Cùm, inquit, oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis & angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus. Non eritis, inquit, sicut hypocritæ; tanquam comœdiam quandam & tragœdiam in oculis populi potius, quàm Dei agentes. Nam hæc putida nominis diuini prophanatio est: & isti recipiunt ab hominibus mercedem suam, quia visi sunt, & laudati: habent quòd quæsierunt. Quam mercedem omnes sancti deprecabantur, pœnam in hac vita accersentes. Hîc, inquit, seca, hîc vre, vt in æternum parcas. Qui, inquit Dauid, placent hominibus, confusi sunt, quia Dominus spreuit eos. Et: Si hominibus placerem, seruus Christi non essem, inquit Apostolus. Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum, qui videt in abscondito. Intra, inquit Hieronymus, inclusa pectoris tui. Non occulta domus, inquit Hilarius, sed cordis nostri cubiculum ingrediamur, vt clauso mentis nostræ secreto, securiùs orare possimus. Cubiculum siquidem mens est, inquit Euthymius, pulcherrimum cogitationum domicilium. Ostium verò claudendum est, hoc est sedes sensuum, oculi, aures, per quas ingrediuntur malæ cogitationes, quæ virtutum prædantur diuitias. Quanquam ne cubiculum quidem, vbi commodè fieri potest, excluditur. Solus enim locus orationi priuatæ est peraccommodatus, quem Christus Dominus semper quæsiuisse videtur. Causa autem eius rei est: Pater tuus videns in abscondito, reddet tibi in manifesto. Si, inquit, spectatores quæris, si te iudex delectat, habes pro omnibus Deum ipsum: si verò & homines habere cupis, contemplatores habebis etiam hos, tempore præconij, ac retributionis præmij: nec multos solùm, sed omnes; nec homines tantùm, sed & angelos & archangelos, omnesq; cælestes virtutes. Quòd si nunc manifestas bona opera tua; & præmium quod expectabas à Deo perdis; & homines ipsi te condemnabunt, tanquam inanis gloriæ appetitorem. Cùm ergo liceat & mercedem bonorum operum accipere, & publicè coram tot tantisq; prædicari, si paulutum sustineas, quomodo 29

Psal. 52.
Gal. 2.

non

non omninò ſtultum ac irrationabile erit, vtriſq; his excidere, & præſenti theſauro illud commutare. Et hoc quidem primo modo, ſecuti hypocritas plerique peccabant. Secundo autem modo ethnicorum imitatione, prolixitate orandi: nam ethnici ob diffidentiam, arbitrantes Deos ſuos non audire, niſi magnis clamoribus excitarentur; neq; ita facile parere, niſi multis verbis perſuaderentur, totos plerumq; dies magno clamore orare ſolebant: non tam attendentes quid dicerent, ſed quantum dicerent. Propterea, cùm Sacerdotes Baal deos ſuos clamarent propter ſacrificia comburenda, deridens eos Helias dicebat: Clamate voce maiore. Deus enim eſt,& forſitan loquitur:aut in diuerſorio eſt,aut in itinere,aut certè dormit,vt excitetur. Quam eandem prolixitatem notat alicubi Cicero: Qui totos, inquit,dies precabantur & immolabant; vt ſui liberi ſibi ſuperſtites eſſent, Superſtitioſi ſunt appellati. Hanc eandem ſuperſtitionem, vt & ſuperiorem, aufert Dominus: Orantes, inquit, nolite multum loqui, ſicut ethnici: putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur. Nolite ergo aſsimilari eis: ſcit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis.

3. Reg. 18.

30 NOtandum autem verbum Græcum eſſe βαττολογεῖν, quod non tam prolixitatem orationis exprimit, quàm ineptias, garrulitatem ſuperfluam, ac putidam repetitionem. Similis locus eſt Leuit. 5. Anima quæ iurauerit, & protulerit labijs ſuis, vt vel malè quid faceret vel benè; & idipſum iuramento & ſermone firmauerit, oblitaq; poſtea intellexerit delictum ſuum:agat pœnitentiam pro peccato ſuo: vbi loco,Protulerit, in Hebræo eſt verbum,batha, quod propriè temerariam & inconſideratam locutionem ſignificat. Idem habetur in Pſal. 105. vbi Moſis delictum commemoratur, & interpres loco eius poſuit: Et non diſtinxit, in labijs ſuis. Vnde βατταρισμὸς Græcis dicitur, indiſtincta & inconcinna vox, qualis eſt puerorum, vt docet Theophilactus. Cauſam autem reddit Saluator, cur hanc garrulitatem remoueat: ſcit enim pater veſter cæleſtis, priuſquam etiam oretis, quæ vobis vtilia & neceſſaria ſint: qui non tàm verborum,quàm cordium auditor eſt. Nam dij gentium aures habent, & non audiunt, ipſi omnium rerum egentes & deſtituti. Cùm autem dicit, quid opus ſit vobis, illud innuit, neceſſaria tantùm à Deo petenda eſſe, non etiam ſuperflua; quibus ille inſeruire non ſolet: quod quondam vidit & fecit Salomon: Diuitias, inquit, Domine & mendicitatem ne dederis mihi; ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria. Superflua petere βαττολογία eſt: nam & parentes, ſuperflua petentes, filios obiurgant & caſtigant.

Prouer. 30.

31 ET hæc quidem Dominus. Hæretici autem à Domini ſenſu diſsidentes ſerui,ob ignauiam & maliciam, longè alia. Fuerunt, qui inde colligebant,omninò orandũ non eſſe; ſcire enim patrem cæleſtis, quibus opus habeamus: iniuriamq; patri cæleſti facere illũ, qui ea proponat,quæ ipſe longè melius nouit, quàm nos. Reſpondet huic calumniæ Hieronymus,nos nõ narratores eſſe ſed precatores: aliud eſt enim narrare ignoranti, aliud à ſciente petere: in illo indicium eſt,in hoc obſequium: ibi fideliter indicamus,hîc miſerabiliter obſecramus. Et parentes rectè ſciunt,quibus liberi opus habeant: rogari tamen volũt, vt amentur & colantur. Reſpondet item Euthymius Græcus: Verùm ſi nouit, quibus nobis opus ſit, cur hæc omninò ab eo poſtulamus? Planè non vt ipſum

doceamus, sed vt demonstremus, quòd eum habemus educatorem ac Dominum, vtq; ab ipso solo pendentes, facilius eum flectamus, qui spes est salutis & prouidentiæ nostræ: tanquam pater; & nouit quibus nobis opus sit, & tribuere paratus est, quæ necessaria sunt & vtilia: exigit tamen, vt ob dictas causas nos illa petamus. Summa igitur totius causæ est, nos Deum orare, non vt eum instruamus, sed vt nos ipsos ad orandum & quærendum excitemus: curas nostras apud eum deponamus, nostrasq; necessitates in eius sinu recondamus, ad eum in necessitatibus nostris recurramus: deinde vt testimonium tàm nobis, quàm alijs præbeamus; ab eo vno nos quidquid bonorum est sperare & expectare. Crassè autem errant, qui cùm rectè videant Christum clarè vt oremus præcipere, eiusq; rei rationem præscribere; tamen ipsi dicunt orandum nō esse. Hinc deiecti ad alia se præsidia conferunt: præscientiam diuinam immobilem esse, & ideo quæ alicui decreta sunt, immutari non posse: ac proinde orationi nullum relictum esse locum: quandoquidem consilium Domini stat, & omnis voluntas eius fiet: & verbum Domini manet in æternum. Sed & hoc, quod isti dicunt, vanū est. Vt enim in sempiternum, arcano eius consilio, fines rerum omnium fixi & definiti sunt; ita & media finium consequendorum. Definitum fuit Ioseph gubernatorem Ægypti futurum; sed si à fratribus venditus fuisset. Pollicetur Dominus Dauidi successionem seminis; sed ita, si custodierint filij eius testamentum suum. Eodem modo, Si mandata mea seruaueritis, bona terræ comedetis. Aperit ille manum suam, & implet omne animal benedictione; sed mediante oratione. Sic enim ipse legem fixit: Petite, & accipietis.

Isa. 46.

32 ALij autem orandum esse censent, sed paucis, ne multiloqui videamur: sed hoc vanum est: Nam & Israel tamdiu vincebat, quamdiu Moses orabat. Itaque cùm defecissent manus eius, Aaron cum Iosua illas fulciebant. Et attenuatos esse suos oculos suspicientes in excelsum, testatur Ezechias. Et ipse saluator erat pernoctans in oratione Dei. Et in horto non prius orare desiit, quàm sanguineum sudorem excussit: in cruce itidem bonam partem Psalterij eum recitasse, Paulus ipse, tum cæteri sancti tradunt. Paulus eodem modo: Petrus itidem in suo cænaculo. Nam quomodo ille prolixiorem orationem damnat, qui semper orare, & nunquam desistere iubet? Iactantia, ostentatio, vanitas excluditur tantùm, garritusque & murmur sine sensu. Illud tamen sancti patres laudant, vt non tam prolixa quàm frequens sit: & pauca loquentes, immoremur orationi. Qua eadem de re fuit doctrina Salomonis: Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonē coram Deo: Deus enim in cœlo, & tu super terram: idcircò pauci sint sermones tui.

Eccl. 5.

33 ALii ex eodem loco in solo conclaui orandum esse, vbi nemo videat, colligunt: sed & hoc erroneum est. Nam si quis conclaue non habet, quid faciat? Et de templo scriptum est, & Dominus repetiit, Domus mea, domus orationis vocabitur. Et: In Ecclesiis benedicite Dominum. Et iterum: Adorate Dominum in aula sancta eius. Et: Ioannes cum Petro ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et Paulus in omni loco nos manus ad Deum leuare iubet. Sed vbique vanitas & iactantia aufertur: magisque ad conclaue cordis, quàm domus reiicimur: potius quærendum esse secessum, quàm appetendam

hominum

hominum frequentiam. Contingit, inquit Euthymius, sæpius in ecclesia, ac inter plurimos orare, nec tamen peccare, quando non ad ostentationem oratur: & contingit in cubiculo clàm orantem peccare, quando vana gloria quæritur, quando quis sibi multùm placet: Deus enim qui vbique est, facti respicit finem. Quinimò publica oratione delectatur Dominus, testandæ nostræ fidei ac gratitudinis causa; vt recognoscatur communis pater, ac Dominus omnium; vt & nos mutuò recognoscamus fratres, sub vno parente, ac ita faciliùs pro nobis exoremus. Deinde, quòd à multitudine vim sibi inferri gaudet: qualis illa Moysis fuit: Dimitte me, dicebat Dominus, vt irascatur furor meus. Et Iacob luctatur cum Deo, non alio credo modo, quàm oratione. Tum propter mutuam orationis prouocationem, vt alios nostro exemplo incitemus, ad idē agendum. Quemadmodum enim ex pluribus lignis facilius ignis excitatur, quàm ex vno; & ex pluribus carbonibus, quàm ex singulis: ita faciliùs deuotio accenditur, vbi plures deuoti sunt. Habet tamen & solitudo sua commoda.

34 MIrum autem est, quàm libenter Caluinus CHRISTI dicendi modos immutet. Nam cùm Christus dicat: Et pater cælestis, qui videt in abscondito, reddet tibi: ille sic: Satis declarat Christus, cùm dicit mercedem rependi precibus nostris: quidquid mercedis nobis scriptura promittit, non debitū esse, sed gratuitum. Atqui non hoc, hîc, & superius loquitur Dominus: sed prouocat mercede ad purè & sincerè orandum. Falsum item dicit, in Papatu præcipuam esse virtutem loquacitatem: vbi nihil dicitur, neque canitur, quod vel ex sacra scriptura, vel ex sanctis patribus depromptum non sit: & vbi sic vniuersę preces in horas dispositæ sunt; vt nullum tædium, nulla satietas subrepere possit. Cùm præsertim nos Christus Dominus ad perpetuam orationem inuitet: Oportet orare & nunquam desistere. Et similiter Paulus: Sine intermissione orate. Et in Actis, pro Petro oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum. Qui loci ita intelligendi sunt, quomodo illud Dauidis ad Miphiboseth: Comedes panem in mensa mea semper. Et illud: Psallam Deo meo, quamdiu fuero: id est locis, & temporibus suis. Illi vbi vnam cantilenam & alteram ex triuio cecinerint, abeunt. Ego certè eos canentes aliquando, orantes nunquam me vidisse memini.

35 NOtandum cum Chrysostomo. Ex clamosa oratione nasci hæc tria mala. Primum. Qui clamosè orat, non credit Deum vbique esse, & absconsa audire. Ideo dupliciter Deum honorat, qui absconsè orat: primùm quia orat: secundò quia credit eum absconsa audire, sicut & audit. Secundum autem malum, quòd mysteria secretarum petitionum tuarum, quas fortè non oportebat alterum scire, præter te & Deum, in auribus bonorum hominum & malorum audienda committis: & non solùm non audiris à Deo, quia indisciplinatè orasti; sed adhuc ab hominibus derideris, quibus absconsa tua manifestasti. Tertium verò malum, quia clamosè orans, iuxta te alterum non permittis orare. Vocibus enim tuis rapis sensum illius ad tuos sermones, & ideo non solùm non exaudiris, quia malè oras; sed adhuc peccatum colligis, dum orare alios non permittis. Sic ergo ora, sicut audisti in libro Regnorum Annam orantem, quæ figuram portabat ecclesię, de qua dictum est: Labia quidem eius mouebantur, vox autem eius pœnitus non audiebatur.

Series Evangelii.

Exclusis erroribus ac vitiis orationis, formam & exemplum rectè orandi magister ponit; vt ea vitia, de quibus dixit, proposita forma orationis excludat, ac magis demonstret. Non vt hæc tantùm oratione precemur; sed vt habito orationis fonte & fine, ab ipso intelligentiam precationum hauriamus, inquit Euthymius. 36

Notanda autem sunt hoc loco quatuor. Primò, formulam orandi, Deo placentem inuenire, humanum non esse. Itaque veteres philosophi, Pytagoras, atque adeò Plato, vnum solum à Deo petendum esse docuerunt: bonum inquam. Quod autem istud sit bonum, solum Deum rectè nosse arbitrabantur. Erant quidam, qui in templum ingressi tacebant; profitentes, se nescire, in hac rerum incertitudine, quid peterent. 37

Notandum est secundò, cum Deo immortali, non nisi verbis conceptis, & ab ipso Deo profectis loquendum esse: quod pulchrè notat in libro de vsu Psalterij Athanasius. Nam si coram mortali iudice non est dicendũ quidquam, nisi ex concepta formula; quantò magis cum Deo, qui Rex est, & iudex viuorum & mortuorum? 38

Tertiò notandum, orationem Dominicam hancque orandi formulã tanti esse, vt ea Hebræi vtantur etiam aliquando: non propterea, quòd à Christo profecta sit; sed quòd ex omnibus prophetis & lege tota profecta esse videatur. 39

Quartò obseruat D. Basilius, in veteri ecclesia non fuisse moris hac formula precandi, propter eius maiestatem ac dignitatem, vti; nisi aliqua pręmissa pręfatione, ac veniæ postulatione. Quod idem in omnibus liturgiis patet: & quod hactenus in ecclesia fieri videmus. Oremus, inquit sacerdos: Præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati, audemus dicere. Quasi non oraturi ea formula, nisi ipse præcepisset: non ausuri, nisi ita instituisset. De qua & nos fortasse plura dicturi fuissemus, nisi nos Hilarius monuisset, alios vberiores fontes eius sacramenti esse. De orationis, inquit, sacramento, necessitate nos commentandi Cyprianus vir sanctæ memoriæ liberauit. Quanquam & Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit: sed consequens error hominis, detraxit scriptis probabilibus autoritatem. Sed & Gregorius Nyssenus. Proinde post tantos, ipse paucis rem explicabo. 40

Notandum. Fingere hoc loco Caluinum contra vniuersi orbis consensum, non iubere Christum suis verbis orare; sed tantùm ostendere, quò nam vota nostra precesque nostras referre debeamus. At Christus contrà: Sic, inquit, orabitis vos. Et: Cùm oratis, dicite: Pater noster. 41

Series Evangelii.

Cuius tam eximiæ orationis procemium, tribus solis verbis constat. Pater noster, qui es in cælis. Pater, instruit in fide, spem erigit, accendit charitatem, terret, cautum facit. Si ille pater, tu igitur filius: & filius quidem Dei, frater & cohæres Christi. Si pater, non potest obliuisci filiorum suorum. Si pater, non dabit pro pane lapidem, pro ouo scorpionem. Si pater, fiducialiter & cum magna spe ad illum accedendum. Si pater, amandus ante omnia, honorandus ante omnia. Si ego, inquit apud Malachiam, pater sum, vbi est honor meus? et si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Si enim non castigat, 42

pater

pater non est. Pater est, ergo cautè & reuerenter cum eo agendum. Pater est, cælestem igitur cognationem recognoscamus, ac quo munere digni habiti sumus, expendamus: puta diuina adoptione. Cunctis vnam atque eandem nobilitatem donauit Deus, cùm dignatus est omnium pater vocari. Curemus igitur, vt tali parente dignè conuersemur: de similitudine patris, vt quàm simillimi ei simus, cogitemus. Estote, inquit, perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est. Qui enim prauè viuens vocat Deum patrem suum; & Deo, & sibi-ipsi mentitur.

43 CVm autem dicimus, Noster, recognoscimus nos mutuò inter nos fratres esse; omnes communiter ab vno solo Deo adoptatos: vt de hoc communiter, inquit Euthymius, colloquentes, ob humilia non extollamur, neque aduersus fratres nostros, vel cogitemus quippiam, vel loquamur, vel faciamus; sed pro nobis inuicem deprecemur.

44 ADdimus autem, in cælis, vt cælum aspiciamus, cùm ibi sit pater noster: & terrena despiciamus omnia: & eò ascendere per virtutum scalas festinemus, vbi est pater noster: Iuxta illud Prophetæ: Demonstrabo tibi patrem tuum, & domum patris tui. Dicentes autem, Deum esse in cælo; nequaquam ipsum in cælo conclusum circumscribimus: nec enim loco capi, aut circumscribi potest. Nam vbique dicitur esse Deus: maximè autem in locis dignioribus, quòd ipsius magis susceptibilia videantur. Propter hoc igitur Deus in cælo esse dicitur, quia illud purissimum est: in quo sunt astra, virtutes, ac turmæ sanctorum, quibus datur requies. Pater est in cælo: patrem igitur aspiciant liberi, patrem sequantur, terram oderint, in nulla re terrena confidant, cælitùs auxilium expectent, ibi omnes spes & desideria sua recondita habeant. Simul autem eius potentiam hac particula explicamus; vt dum omnia eius imperio subesse, mundum & quidquid in eo est, manum eius continentem, virtutem eius vbique diffusam, prouidentiam eius cuncta ordinantem recognoscimus; certam spem concipiamus, nihil illum non posse quod velit. Vnde certissimam fiduciam concipiamus, non irritas preces nostras futuras. Intelligunt alii in cælis, in iustis, & sanctis, iuxta illud: Qui in sanctis habitat: sed hæc aliò spectant.

45 HÆc igitur præfatio est magni operis, magnæ causæ: causa ipsa sequitur. Postquàm eos nobilitatis admonuit, ac doni cælitùs accepti, postquàm illis æqualitatem inter fratres honoris ostendit, & vtilitatem charitatis inseruit, postquàm eos & abduxit à terra, & cælo prorsus affixit; informat nunc bonos liberos, vt prius ea precentur, quæ patris sunt, deinde quæ sua. Liceat enim nobis humano more de iis rebus loqui: quandoquidem & ipse pater cælestis, eiusq; vnigenitus, sic nostram infantiam balbutire vult. Sed & Moyses prima tabula ea præcepta complexus est, quæ ad Deum spectant: secunda, quæ ad nos ipsos.

46 PRimùm igitur precantur filij ea, quæ imperii & amplitudinis paternę sunt. Regni autem & imperii & dignitatis illæ sunt partes.

47 PRimùm maiestas, & nominis amplitudo. Hoc igitur in primis votis exoptandum. Sanctificetur nomen tuum: non in te, dicit Hieronymus, sed in no-

bis: cùm patris tantùm ſit nomen, tanta dignitas; vt ad eam nihil addi poſsit, nihil ex ea detrahi: & propter quod nos omnia petere ſolemus, iuxta illud: Et non derelinquet Dominus populum ſuum propter nomen ſuum magnum. Si enim propter nos blaſphematur, ridetur, ac traducitur; ſanctificetur etiam in nobis, & inter nos, hoc eſt, clarum & illuſtre reddatur, quod per ſe, & natura ſua eſt ſanctiſsimum, quod ſempiternis temporibus ab angelis & archangelis clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ſanctificatur: & cui ſua ſanctitas ſemper conſtat: quod in ſe ſanctum eſt, in nobis illuſtretur; vt videntes homines bona opera noſtra, glorificent te patrem qui in cælis es: facque nos ſanctos, vt in nobis nomen tuum ſanctum ſit: Et hoc quotidie, inquit Auguſtinus, vt imploremus, opus eſt, vt qui quotidie delinquamus. Precamur autem, vt ſanctificetur nomen eius, hoc eſt, vt cognoſcamus omnes, quæ ſit eius ſapientia, bonitas, iuſtitia, potentia, & quidquid in eo eſt virtutum. Sit igitur nomen eius benedictum, ex hoc nunc & vſq; in ſeculũ: ſit laus eius, ſecundùm nomen eius.

48 SEcunda dignitas magni Regis, eſt, regni ac finium prolatio, multarum gentium ſubiectio. In multitudine populi, gloria regis, inquit Salomon. Hoc igitur precantur liberi patri: Adueniat regnum tuum: id eſt doctrina euangelica, & religio Chriſtiana per totum orbem fundatur; illudque impleatur, quod filius tuus vnigenitus prædixit: Prædicabitur euangelium hoc regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus: ad meditationem vitæ cæleſtis perducantur omnes: omnia ſchiſmata, hæreſes, quæ regnum tuum turbant, infringantur: iura gentium conterantur: & corda ſynagogæ miteſcant: in vnoquoque noſtrum tu regnes Deus, & non regnet peccatum in mortali corpore noſtro. Vel ſaltem tempus illud aliquando adueniat, quo filio tuo ſubiiciantur omnia, tibiq; ille ſubiiciat regnũ integrum; vt quod petimus agnoſcentes, præparati ad tuum occurſum ſimus; & ſublatis omnibus impedimentis, ſub imperium tuum redigamur, manuque tua modereris omnia. Quæ omnia ad certa capita reuocat D. Hieronymus. Generaliter petitur pro totius mundi regno, vt diabolus in mundo regnare deſinat: vt in vnoquoque regnet Deus: & ne regnet peccatum in mortali hominum corpore. Simulque attendendum, quòd grandis audaciæ ſit, & impuræ conſcientiæ, petere regnum Dei, & iudicium Dei non timere. Cùm autem regnum Dei petimus, noſtrum petimus, nobis inquam à Deo promiſſum, & Chriſti ſanguine quæſitum; vt qui ſeculo ante ſeruiuimus, poſtea Chriſto donante regnemus.

49 PRecantur tertio loco filii iuſtitiam patris, hoc eſt, vt ex voluntate & placitis, decretis & arbitriis eius fiant omnia. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra: vt quomodo inquit Hieronymus, inculpatè ſeruitur tibi in cælis; ita & nos tibi in terra ſeruiamus homines: vt ſimiliter voluntati tuæ pareamus, placidè & ſine repugnantia; omnibuſq; teſtemur mortalibus, nobis odio ac triſtitię eſſe, quidquid tuę voluntati aduerſum cernimus: ſimileſq; efficiamur hac in parte miniſtris tuis, qui faciunt voluntatem tuã in cælis, ſanctis, inquã, angelis.

50 PEtitis paternis, ad ſua ſe referunt liberi: ea, inquam, quę adiicienda ſint, petunt ea, quæ corpori ſunt neceſſaria & animæ. Et ea quidem, quæ corporis ſunt, obiter valdeque tenuiter. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:

vt oſten-

vt ostendant se nullis superfluis indigere; vt demonstrent se ciues Dei esse,quibus mundus hic diuersorium sit, in quo sola leui panis refectione quadam opus est; vt tanquam catelli comedamus de micis patris nostri; vt qui nobis vitam hanc dedit, tueatur & foueat: nam & operarius cibo opus habet: vt item agnoscamus eius paternam bonitatem ad minima quæq; extendi, contrà quàm iudicârunt superbi philosophi. Vocat autem panem ἐπιούσιον, quod Lucas Euangelista interpretatur τὸ καθημέραν quotidianum: hoc est, qui in diem satis sit: vt quotidie orare opus habeamus: vt recognoscamus nos hîc non habere ciuitatem manentem,sed futuram inquirere. Stultum autem est,multum viaticum quærere, si ignores quantum itineris restet: neque alio modo debent orare ij, quibus præcipitur: Nolite soliciti esse in crastinū. At panis adest,quid ergo vltrà petitur? Ne fortuitis casibus auferatur; vt conseruetur, vt vitalis & sanus sit. Multa enim cadunt inter os & offam. Neque solùm ita orare debemus, sed & viuere, vt nihil præter necessaria quæramus: Habentes, inquit Paulus, alimenta,& quibus tegamur, his contenti simus. Hinc desinent cædes, bella, & alia nefanda. Petimus autem panem nostrum, non quia nobis iurè debeatur, qui lapide plerumque digni sumus; sed quia paterna Dei beneuolentia in nostrum vsum est comparatus.

1. Tim. 6.

51 MOdica cura in carnis necessitatibus consumpta, ad animum se referunt boni filij. Nam cùm possibile non sit, in hoc luto & cœno filios aliquando non contaminari, in patrem multa non committere; hoc igitur inprimis petunt, vt illis dimittat debita, ac ita in amore ac gratia sua conseruet: quandoquidem sola peccata sunt, quæ inter patrem & eos diuidere soleant: sine quorum dimissione nihil magnum impetrari potest. Itaque & Iob singulis diebus offerebat pro filijs & filiabus suis. Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis: idque faciebat cunctis diebus suis. Addere autem illos voluit hanc conditionem, vt ita sibi petant dimitti peccata sua, quemadmodum sibi dimittūt inter se delicta sua fratres; vt sic inter se mutuum ac debitum conseruent amorem, simulq; se peccatores quotidie cadentes profiteantur. Quæ quidem conditio docet,monet & obligat,terret etiam. Docet modum, quo Deum flectere possimus, si scilicet diligamus fratres. Monet & obligat, vt absolutionis nostræ fiduciam quasi impresso sigillo melius ratam faciamus,dimittendo inimicis nostris. Terret autem,quòd alia ratione peccata nobis dimittenda non sint, quàm si ipsi dimiserimus. Nos etiam ipsi præbemus Deo exemplum. Si tu dimittis, dimittet ille: si non, ne ille quidem: ac contra nos ipsos tacitam ferimus sententiam,si non dimittimus, non dimittendū esse. Qui autem orare nos pro peccatis & delictis nostris docuit; paternam simul misericordiam promisit & veniam. Conditionem autem adiunxit, certa nos sponsione constringens: in qua pactione, si mentimur; totius orationis nullus est fructus. Debitores autem hoc loco vocantur, non pecuniæ, aut officij alicuius; sed qui ob illatas iniurias nobis sunt obnoxij. Simile quid longè antè Ecclesiasticus docuit: Relinque, inquit, proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi, peccata soluentur.

Eccles. 28.

52 NOtauit author Imperfecti operis,multos,eò quòd nolint dare veniā peccantibus in se,fugere istam orationem. Stulti autem sunt duplici nomine. Primùm, quoniam qui non sic orat, quemadmodum docuit Christus, non est

Christi

D. Chryso: in Matth. Hom: 14. Op. Imper:

Christi discipulus. Secundò, quia nec pater libenter exaudit orationem, quam filius non dictauit. Cognoscit enim pater filij sui sensus & verba; nec suscipit quæ vsurpatio humana excogitauit; sed quæ sapientia Christi exposuit.

53 GArrit autem hoc loco Caluinus, tertiam partem pœnitentiæ satisfactionem auferens, pœnam & culpam confundens. Iam remissio, inquit, quam hîc nobis optamus fieri, satisfactionibus repugnat, quibus se mundus redimere conatur. Neque enim remittere dicitur creditor, qui accepta solutione amplius exigit: sed qui vltrò ac liberaliter iure suo cedens, absoluit debitorem. Neque hîc locum habet vulgaris illa culpæ & pœnæ distinctio: nec enim dubium est, quin debita pœnæ reatum significent. Hîc si nobis gratis remittitur, conpensationes omnes euanescere oportet. Imò confirmantur. Dimitte, inquit, nobis peccata nostra, siquidē & nos dimittimus omni debenti nobis. Oblitus est bonus doctor, quòd paulò antè dixerat Ioannes: Facite dignos fructus pœnitentiæ. Et Christus: Reconciliare fratri tuo, dum es in via cum illo: quæ omnia sine satisfactione non sunt. Nam remissionem peccati cum satisfactione pugnare, falsum est: cùm mutuò se consequantur, vnumque alterius causa sit, cùm & ipsa reconciliatio pars satisfactionis sit. Sed ne fur quidem hoc modo ad restituendum obligaretur. Verùm de hac tota materia legendum est caput 12. Numerorum.

54 CVm autem habitemus cum habitantibus Cedar, hoc est cùm prædonibus ac latronibus, qui quotidie insidiantur nobis, & laqueos parant animæ nostræ, cùm fratres simus draconum & socij struthionum, cùm increduli & subuersores sint nobiscum, & cum scorpionibus habitemus, & cùm in medio nationis prauæ & peruersæ simus, cùm deniq; colluctatio non sit nobis aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus; proinde boni filij & subditi rogant Regem suum, vt illis contra tot & tantos hostes opem ferat, neque permittat se ab illis duci in tentationem, in laqueósque illorum ac retia incidere. Neque id sine causa orant, verùm ne sibi ipsis cōfidere videantur, sed cælitùs auxilium petere, illudq; occinere: Deus in adiutorium meum intende. Et illud: Deus refugiū nostrum & virtus, adiutor in tribulationibus. Neque hoc rogant, vt non tententur, id est probentur, virtutis & fidei declarandæ causa, item exercitij: quomodo probatus & exercitatus est Abraham, Iob, Thobias: sed ne tradamur in manus inimici, & ne in eam tentationem, cui ferendæ pares esse non possumus, incidamus: vt non dicat inimicus, præualui aduersus eum: sed si tentamur; ita tentemur, vt cum tentatione simul sit prouentus, vt dicit Paulus. Nam diaboli tanta imbecillitas est, vt Domino non permittente, ne porcis quidem nocere possit, vt paulò pòst videbimus.

55 IAciunt autem duo Aloidæ superbi hoc loco, contra cælestem parentem, eiusque clementiam & bonitatem iacula, Caluinus & Beza; Deum ipsum tentationum authorem esse, indeque potentiam suam astruere. Quod ne fingere videamur, magistrum ipsum Caluinum producamus. Certum quidem est, inquit, tentari vnumquemq; à concupiscentia propria, quemadmodum docet Iacobus: sed quia Deus non modò sathanæ libidini nos permittit, vt ignem concupiscentiæ accendat; sed eo vtitur iræ suæ ministro, quoties vult homines in exitium præcipites agere, ipse quoque suo modo in tentationem inducit. Quo

cit. Quo ſenſu dicitur ſpiritus Dei malus arripuiſſe Saulum, & eodem tendunt ſcripturæ loci: neque tamen propterea Deum vocabimus malorum authorem, quoniam homines mittendo in ſenſum reprobum, non confuſam tyrannidem exercet, ſed iuſta ſua iudicia, licet arcana, exequitur. Hæc ille. Deus autem hæc: Nolo mortem peccatoris, ſed vt potius conuertatur & viuat. Et illud: Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum. Venite ad me omnes, qui onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et: Deus vult omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire. Nihil eorum Domine odiſti quæ feciſti. Perditio noſtra ex nobis eſt. Sed iſti vbique nimij ſunt, & in terrore, & in ſalute, & in perditione, & vita æterna: medium nullum ſequuntur.

Oſeæ 13.
Matth. 11.
1. Tim. 2.
Sap. 10.

56 VLtimò liberi parenti ſuo ſe commendant, ac vt illos liberet à malo precantur: nec explicant præ ſimplicitate malum, ſed ſimpliciter totam relinquunt parenti cauſam. Malum autem propriè eſt peccatum, quod ſolum naturâ ſua malum eſt, quia Deus illud non fecit, & quia malos facit, & à malo eſt, & quia omnia mala ipſum conſequuntur. Ab hoc malo, ſine Deo, liberi eſſe non poſſumus: neque enim eſt peccatum, dicit D. Auguſtinus, quod fecit vnus homo; quod non faciat alter homo; niſi Deus conſeruet eum, à quo factus eſt homo.

57 ADdunt hoc loco clauſulam Græci: Quoniam tuum eſt regnum & potentia. Quàm quidem clauſulam neque D. Lucas habet, neque veteres patres interpretantur: hoc eſt Cyprianus, Tertullianus, Auguſtinus, Hieronymus, Hilarius, Caſsianus. Et certè modicam continuationem habet. Bulgari item, Ruſsi, eadem clauſula carent. Quidquid eſt, id ex Græcorum liturgijs manauit, qui & in principio, & in fine orationis Dominicæ, excitandæ deuotionis cauſa, aliqua, quæ in ipſo Euangelij textu non ſunt, interſerunt. Et proinde nec iiſdem verbis in omnibus liturgijs hæc ponuntur: quod ex D. Iacobi, Baſilij, Chryſoſtomi liturgijs patet. Quomodo & illud: Benedicamus patrem, & filium cùm ſancto ſpiritu, in Canticum trium puerorum tranſlatũ eſt. Temerè igitur Valla, vt omnes ſolent, qui nouitates conſectantur: Bonam, inquit, orationis Dominicæ partem decurtauimus. Verùm hæc docti iudicent. In quo eodem argumento Valla, & nimij literæ Euangelij proſecutores, interrogandi nobis ſunt. Cuius Euangeliſtæ oratio Dominica nobis eſt oranda, Matthæi, an Lucæ? Nam cùm apud Matthæum ſint ſeptem petitiones, apud Lucam quinque vel ſex: promant ergo decreta, quis ſequendus ſit, illi qui eccleſiam non audiunt: vel ſuis vxoribus, quæ illis concionantur, iubeant ferre ſententiam.

58 ADditur in fine, Amen. Signaculum orationis eſt, inquit Hieronymus: quod Aquila interpretatur fideliter, nos verè poſſumus interpretari. Significat autem, inquit Beda, orationis iſtius puriſsimam veritatem, & indubitanter illis omnia conferri à Domino, quæ ritè poſtulant, ſi conditionis proximè ſequentis pactum ſeruare non negligunt.

59 REpetit vltimò, quaſi per corollarium & appendicem, charitatis amator & author, pactum & conditionem: ac etiam atque etiam repetit, ne dicamus nobis non prædictum eſſe, ac ne fruſtrà omnis labor ſuſcipiatur, cardinem & caput negotij demonſtrans. Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum;

dimittet

dimittet & vobis pater vester cælestis delicta vestra. Et iterũ, vt melius hæreat: Si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. Conferte igitur parua cum magnis. Parua quæ nobis debentur: magna & multa quæ Deo debemus. Quod si dicebant serui Naaman principi militiæ. Pater, & si rem grandem dixisset tibi propheta, certè facere debueras: quantò magis quia nunc dixit tibi, Lauare & mundaberis: quantò magis hoc loco idem vsurpare debemus, cùm ibi de sola lepra, hîc de summa salutis agatur. O misericordiam cælestem, quæ in nostra constituit potestate peccatorum veniam nostrorum. Pecora igitur sumus, si tantam non agnoscimus benignitatem. Proinde addit quidam: Nisi quotidie varia peccata nobis condonet Deus, scimus nos innumeris modis periisse: atqui non alia lege ad veniam nos admittit, nisi fratribus ignoscamus, quidquid in nos peccauerunt. Se igitur vltrò quasi deuoti animis exitio addicunt: & data opera Deum sibi reddunt implacabilem, qui illatas sibi iniurias obliuisci nolunt.

NOtat autem hoc loco D. Chrysostomus, hanc totam Dominicam orationem ad filium referri: si quidem & hic pater noster dicitur, sicut creator, procurator, prouisor, atque magister. Vos vocatis me, Magister & Domine: & benè dicitis: sum etenim. Pari modo ad spiritum sanctum potest dirigi hæc oratio. Ita profectò ad singulas personas separatim, & coniunctim ad trinam vnamq; Deitatem referri debet. Sed hæc hactenus. 60

SERIES EVANGELII.

EAndem vanitatem & ostentationem, quam in eleemosyna & oratione fugiendam esse iubet, & in ieiunio reprehendit; docens ieiuniorum profectum extra iactantiam confecti & extenuati corporis esse oportere, sed omne ieiunium in sanctæ operationis decore, animiq; syncceritate obseruandum. Vt autem ad duas præmissas iustitiæ partes hypocritæ fucis suis & personis abusi sunt, ita & in ieiunio. Nam quemadmodum in eleemosyna tuba canebant, orabant in compitis, multiloquio modum non imponebant: ita ieiunantes demoliebantur facies suas, hoc est ita componebant, vt inanes & extenuati propter ieiunium esse viderentur, siue per extensionem cutis, siue per coloris pallentis inductionem. A quo theatro tantum suos Dominus diuellit, vt non solùm id non consectentur, vt tristes esse videantur & ieiunantes; sed contrarium potius omni opere contendant, vt læti, hilares, alacres appareant; itaque ieiunio vacent, vt nihil de reliqua vitæ ratione immutent: ideoq; iubet corpus vngere oleo, faciem lauare, quod Iudæi præsertim festis & lætitiæ diebus facere solebant. Melius est enim, dicebat Chrysostomus, vt ieiunium tuũ te ostendat, quã tu ieiunium tuum. Quemadmodũ autem superius, vbi de scandalo præcipiens iubet oculum effodere, manum dexteram abscindere, non de corporis mutilatione locutus est: ita & hoc loco, vbi nos caput nostrũ iubet vngere, & lauare, non externam istam faciei vnctionem aut lotionem intelligit: nam alioquin & ieiunium suus decet habitus, iuxta illud Ionæ: Et vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere: neque hoc ipsum Christum aliquando fecisse legimus, aut aliquem ex Apostolis aliisque sanctis: sed illud potius principale cordis nostri oleo perungatur spiritus; & vt occultemus eam, quæ ieiunium consequitur, tristitiam. Si quis autem 61

In Mat. ho. 15. oper. imper.

Ionæ 3.

autem hanc vnctionem & lotionem capitis ad sanctificationem ieiunij referat, iuxta Isaiam: Lauamini & mundi estote, nihil alienum à Christi doctrina faciet. Neque enim Christus ita nos ab vna specie hypocriseos arcet, vt in aliam incidamus. Ad quam sententiam ipse Origenes proximè accedit. Faciem, inquit, tuam laua: hoc est, visionem animæ, aspectum cordis tui laua, munda ab omni contaminatione, ab omni caligine, ab omni erroris obscuritate, ab omni infidelitate ablue cor tuum Ierusalem, vt salua sis.

62 NOtandum est primùm, aduersus tria mala inuenta esse tria bona: eleemosynam, contra auaritiam: orationem, contra vanam gloriam: ieiunium, contra gulam.

In Matth: hō: 15. ope: imper.

63 SEcundo loco notandum, Christum doctorem magistrum, & legislatorem ieiunij esse, contrà quàm sentiunt hæreses. Qui enim alicuius rei modum præscribit; is eam rem præsumit, confirmat & approbat. Atqui hoc eo loco Christus Dominus facit: ex eaque causa omnes ad illud, nisi iusta ratio sit, quæ illos ab ieiunio excuset, obligantur.

64 NOtat D. Chrysostomus, maximam à nobis fieri virtuti iniuriam, si scilicet eam non propter ipsam, sed propter ærarios, funarios, & reliquum platearum vulgus sequamur.

65 OBseruandum & illud est, ieiunium ad partem cultus diuini referri: quomodo & orationem, & eleemosynam, cum quibus simul coniungitur. Hæc enim ideo maximè hypocritæ iactabant, quòd hac ratione se maximos Dei cultores esse probarent. Quæ clariùs D. Lucas de Anna: Erat, inquit, λατρεύουσα in orationibus & ieiunijs. Sciendum enim est, partes cultus diuini alias esse proprias, alias communes. Proprias, quæ nulli alij rei seruiunt, præterquam cultui diuino; quale est sacrificium, oratio, adoratio. Communes autem, quæ & si ad cultum diuinum referuntur, seruiunt tamen alteri rei, cui destinatæ sunt; qualis est eleemosyna: quæ & si ad proximi miserias subleuandas inprimis referatur; ad cultum tamen Dei secundariò pertinet iuxta illud: Honora Dominum Deum tuum ex tua substantia. Eodem modo ieiuniū, & si mortificationi carnis seruit inprimis; eo tamen Deus colitur & adoratur secundàriò. Vnde quadragesimam veteres decimam anni, quæ Deo offertur, appellârunt: & Paulus in ieiunijs multis se Deo seruiuisse dicit.

66 NOtat præterea Origenes, ieiunare nos debere non propter humanam laudem, nec propter vanam placendi cuiquam cupiditatem, quæ præterit: sed cùm ieiunamus, ex dilectione Dei, propter regnum cælorum nos ieiunare debere. Cùm autem ieiunamus, per sanctorum viam pergamus, ipsius Domini vestigia sequamur. Sic & Moyses ieiunium magnificans dicit: Ieiunaui quadraginta diebus & quadraginta noctibus, panem non manducaui, & vinum non bibi. Sic & Helias per æquale ieiunium, & tempus, illam magnificam vidit visionem Dei. Sic & Daniel ieiunans gloriatur dicens: Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum. Sic illi tres pueri, deliciosam contemnentes mensam, legumina in ieiunio sumebant, & ita flammam fornacis cincti virtute fidei extinxerūt. Sic & illi beati duodecim Apostoli, assumpto post resurrectionē Christo, euangelij prædicationē ieiunantes commendarūt mundo.

Daniel. 10.

NOtandum & illud eſt, ieiunium opus meritorium eſſe, contrà quàm mentitur hæreſis. Iuuat autẽ hoc loco fidelem,Euangelij IESV CHRISTI interpretem Caluinum audire. Verba Euangelici Doctoris hæc ſunt. Quod ieiunijs mercedem à Deo promittit, eſt locutio, ſicuti paulò antè de precibus dictum eſt. Quanquam inter preces & ieiunia magnum eſt diſcrimen: illæ enim inter pietatis officia primatum tenent: ieiunium verò per ſe opus medium eſt, non tamen ex eodem genere, quæ Deus requirit & probat, vt ſunt eleemoſynæ. Placet autem duntaxat, quatenus refertur in alium finem: nempè vt nos ad abſtinentiam exerceat, & ſubigat carnis laſciuiam, vt ad ſtudium orandi nos inflammet, vt teſtimonium ſit pœnitentiæ noſtræ, quoties Dei iudicio vrgemur. Senſus ergo verborum eſt, Deus aliquando patefaciet ſibi placuiſſe, quæ videbantur periiſſe bona opera, quòd oculos hominum fugerunt. O interpretis fidem! Autor dicit, Mercedem acceperunt: interpres negat. Chriſtus impropriè loquitur: Caluinus propriè. At quod argumentum tantum, tam ingens; vt à verbis authoris diſcedat, autoris inquam tanti? Quia hoc idẽ antea de precibus dictum eſt. Hoc idem homo ſtolide, mercedem eis deberi: quod tu eodem modo fallaci interpretatione inuertis. Deinde dicis tu, aliam rationem ieiunij & orationis eſſe: cur igitur ſimul coniunguntur? Vel ſi alia ratio, cur tu tanquam eadem ſint, inde ratiocinaris? Ieiunium medium eſſe opus dicis: at Chriſtus illud, in quo dæmonia eiiciantur. Quomodo medium, cuius legiſlator modum ponit & præceptum? hoc eſt autorem ſuum calumniari, ac ſenſum mendacijs inuoluere magis, quàm interpretari, hoc eſt Chriſtianos ab operibus bonis deterrere. Neque enim de naturali ieiunio, quod medium eſt; neque de hypocritico quod nullum; ſed de vero atque chriſtiano inſtitutum CHRISTI docet.

68 NOn tantùm autem vtcunque ieiunium meritorium eſſe dicimus, ſed in parte etiam cæleſtis præmij reponi, quod Chriſtus hoc loco docet. Cùm enim docuiſſet, eos qui vanæ gloriæ cauſa ieiunant, temporalem mercedem ab hominibus percipere: deinde infert, eum qui, verè & ſyncerè ieiunat, à patre cæleſti mercedem futuram in iudicio palàm accepturum. Quod melius ex verbis Saluatoris ipſius cognoſcere licet. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans; ſed patri tuo, qui eſt in abſcondito: & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Quæ cùm docemus; ſemper illa, quæ antè diximus, præſupponimus, miſericordiam Dei, meritum Chriſti, vocationem, pactum, primam gratiam: quod in nobis non vidit aliquando quidam hæreticus Turnowski, dum apud Sereniſsimum Stephanum Regem hac de re concionaremur, atq; in ſuo libello hæc mirè exagitat. Erubeſcit enim Chriſtianus loqui, his non vbique præſuppoſitis: & iſti non erubeſcunt, qui intelligunt rectè nos ſentire, contra conſcientiam nos calumniari.

69 NOtandum duo eſſe genera ieiunij: Priuatum vnum, quod ſibiipſi quiſq; pro neceſsitate & deuotione ſtatuit & imperat. Publicum aliud, quod de præcepto & inſtituto ſeruatur: quod vniuerſos inſtituit & docet filios ſuos eccleſia, idque ſtatis ac definitis temporibus. Vtrumque bonum ac laudabile: hoc tamen poſterius & Deo gratius & melius eſſe ſolet: partim, quia cum obedientia eſt, quæ omni victimæ anteponitur: partim, quòd communionem ſanctorũ repræſentat: partim, quòd vnitatem & fraternum amorem commendat, &

quandam

quandam harmoniam ac consonantiam totius corporis refert: partim, quòd toties in lege Dei laudatur, Deumque placatum reddit, quod in Niniue factum esse legimus, Betulia item, in Machabæis sæpius: quod statuerunt sacra concilia, docuerunt vetustissimi patres, fit hactenus consensu Christiani populi. Quod, ne fingere videamur, Leonem illum Magnum, cuius se fidem sequi Chalcedonen: Synodus professa est, audiamus. Diuinarum in, inquit, reuerentia sanctionum, inter quælibet spontaneæ obseruantiæ studia habet semper priuilegium suum; vt sacratius sit, quod publica lege celebratur, quàm quod priuata institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio arbitrio indicit, ad vtilitatem cuiusdam pertinet portionis: ieiunium verò quod vniuersa ecclesia suscipit, neminem à generali purificatione seiungit: & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vnitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium corda conueniunt; & in castris militiæ christianæ, similis ex omni parte præparatio, & eadem est vbique munitio. Fremat licèt cruenti hostis peruigil furor, & latebrosas vbique prætendat insidias; neminem tamen capere, neminem poterit vulnerare, si nullum inermem, nullum desidem, nullum inuenerit ab opere pietatis exortem. Et alibi: Quamùis, inquit, pulchrũ sit atq; laudabile, vt singula quæq; membra corporis Christi proprijs ornentur officijs; excellentioris tamen est actionis, sacratiorisq; virtutis, cùm in vnum propositum piæ plebis corda concurrunt; vt ille, cui sanctificatio nostra supplicium est, non solùm à parte, sed etiam à soliditate superetur. Cui nunc operi dilectissimi decimus mensis offertur, admonens quodammodo pro qualitate temporis sui, ne quisquam frigore infidelitatis obtorpeat; sed potius spiritu charitatis concalescat. Quoniam & per ipsa elementa mundi, tanquam per publicas paginas, significationem diuinæ voluntatis accipimus: nec vnquam cessat superna eruditio, quando etiam de iis, quæ nobis famulantur, imbuimur. Præter illam namque Apostolicam sententiam, qua homines fructu pietatis carentes, vacuis arboribus comparantur, etiam illa ficus nobis cauenda est de suæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus IESVS, sicut Euangelium refert, nihil habentem quod esuriens sumeret, perpetua sterilitate damnauit: vt intelligeremus, quoniam, qui esurientem non refouet egenum, illi denegat cibum: qui, quod pauperi est datum, sibi dixit impensum. Et alibi: Publica sunt præferenda proprijs: & ibi intelligenda est propria ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Teneant igitur obseruantiam suam obseruantiæ singulorum, & contra nequitiæ spiritualis insidias, implorato diuinæ protectionis auxilio, cælestia quisque arma arripiat. Sed Ecclesiasticus miles, etiamsi specialibus prælijs possit fortiter facere; tutius tamen & felicius dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, vbi non suis tantùm viribus certamen ineat; sed sub inuicti regis imperio, fraternis consociatus agminibus, bellum vniuersale conficiat. Minore enim discrimine plures configunt cum hoste, quàm singuli: nec facile patet vulneri, quem opposito scuto fidei, non sua tantùm, sed & aliorum fortitudo defendit, vt vbi est vna omnium causa, sit vna victoria. Hæc Leo. Nam alia ieiunij tempora instituere, quàm ab ecclesia sancita sunt, id quidem Manichæorũ fuit proprium, qui pro feria sexta diem Dominicum in honorem Solis, pro feria quarta diem Lunæ, in honorem Lunæ ieiunare solebant. Iudicet igitur Ecclesia, vtrum Socolouius cum Leone rectius senserit & dixerit, apud Serenis. Stephanum, quàm nescio quis Turnowski: iudicet scriptura, iudicet res ipsa.

Sermo. 7. de ieiun. 7. mens.

Sermon. 7. de ieiun. 10. mens.

Sermon. 4. de ieiun. 7. mens.

QVo genere ieiunij Christianam non impediri libertatem, idem sanctissimus doctor Leo docet. Apostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominum Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, ita veteris testamenti sacramenta distinxit; vt quædam ex eis, sicut erant condita, euangelicæ eruditioni profutura decerperet; & quæ dudum fuerant consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantiæ christianæ. Quamùis enim varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & otia sabbathorum cum ipsa carnis circumcisione cessauerint; manent tamen ex ipsis voluminibus, & apud nos præcepta moralia. Et cùm inde dicatur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum; Christo Domino dicente cognouimus, quòd in his duobus mandatis, tota lex pendet & prophetæ. Tantaque est sub huius geminę charitatis edicto vtriusq; copula testamenti; vt sine istarũ connexione virtutum, nec lex quenquam inueniatur iustificasse, nec gratia. Illæ quoq; partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, vt fiant, quædam interdicuntur vt non fiant, antiquæ authoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis euangelica putanda est aduersa perfectio, quia & virtutũ studia ad voluntaria incitantur augmenta, & vltiones criminum pœnitentię remedijs relaxantur. Dicit autem Dominus: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Quomodo verò abundabit iustitia, nisi superexultet misericordia? Et quid tam æquum, quídue tam dignum est, quàm vt creatura ad imaginem & similitudinẽ Dei condita, suum imitetur authorem, qui reparationem sanctificationémque credentium in peccatorum remissione constituit; vt remota seueritate vindictæ, omniq; cessante supplicio, reus innocentiæ redderetur, & finis criminum fieret origo virtutum? Quod igitur, dilectissimi, ex veteris prædicatione doctrinæ, ad purificationem animarum corporumq; nostrorum ieiunium septimi mensis adsumimus; non legalibus nos oneribus subiicimus, sed vtilitatem continentiæ, quæ Christi euangelio seruit, amplectimur. Quia in hoc potest super scribas & pharisæos Christiana abundare iustitia, non euacuando legem, sed intelligentiam refutando carnalem. 70

QVæ autem potissimum apud veteres ieiunia fuerint, & quo proposito instituta, docet idem S. Leo. Huius obseruantiæ vtilitas, dilectissimi, in ecclesiasticis est constituta ieiunijs; quæ ex doctrina sancti spiritus, ita per totius anni circulum distributa sunt; vt lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siquidem ieiunium vernum in quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus; intelligentes diuinis nihil esse vacuum præceptis, & verbo Dei ad emendationem nostrã omnia elementa seruire; dum per ipsius mundi cardines, quasi per quatuor euãgelia, incessabili tuba discimus, quod & prędicemus & agamus. 71

SERIES EVANGELII.

PRosequitur legem tranquillitatis, quam Græci εὐθυμίαν vocant, & quam vetus philosophia cùm multum quæsisset, non inuenit tamen: cuius illa summa est, vt de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Quam quidem animi tranquillitatem, cùm inprimis iræ ac iurgia, ac subselliorum persecutiones impediant, deinde libido ac domesticæ lites, inuidiæ & odia demum, vanitas deniq; ac ostentatio, 72

ostentatio, ac vana gloria: his peremptis ac refutatis, nunc postremò radicem & caput omnis solicitudinis, rixarum matrem auaritiam, eiusq; omnes fibras euellit. Immoratur autem in hoc loco diutius, quòd non ita facile animus à cura rerum terrenarum diuellatur, semperq; desperet, ac maiora quærat, nihil illi vnquam satisfaciat, & vsque ad mortem vltimaq; funera illum consectetur, ita vt quo minus viæ restet, tantò plus viatici quæratur.

73 ADmonet ergo: Nolite thesaurizare in terra: non dicit, Nolite necessaria vitæ quærere, aut ea, sine quibus vita esse non posit; sed thesaurizare, hoc est condendas opes quærere. Cuius præcepti multas causas adfert.

74 PRimùm, quòd hoc vanum studium, quòd terra non sit idoneum penu, ac cella rebus condendis: sed neque ita seruari possunt, vt non effodiantur: neq; ita intus custodiri, vt non per seipsa consumantur ac pereant. Cùm enim tria sint genera rerum, primum aurum gemmæ, & lapides preciosi: secundum argentum, æs & reliqua metalla: tertium, vestes preciosæ, pelles, aulæa: primum fures auferre possunt, secundum ærugo consumit, tertium à tineis corroditur. Ita nihil, iuxta Christi doctrinam est relictum, quod in hoc terræ penu tutum ac integrum esse posit: non tantùm ab hominibus, sed & ab alijs casibus. Quæ etiamsi absint omnia, tempus tamen ipsum edax rerum cõsumit omnia, sed & nos ipsos. Ita & si neminem eò immittas, vbi est cor tuũ; & si ipse nihil consumas, nihil demas, addas etiam; vetustas tamen insidiosa consumet hæc omnia. Irritus euadet omnis labor: vanum studium: superflua cura omnis. Thesaurizandum igitur est in cælis. Nam hîc nostra felicitas vermibus & ærugini prostituitur, furibus & prædonibus congregatur, igni ac diluuijs, bello prædæque coaceruatur. Quidquid enim pro anima nostra fecerimus, nostrum est: quod autem reliquerimus, perdidimus. Nam quod corporaliter malè congregatur, spiritualiter dispersum videtur, & perditum: quod autem corporaliter benè dispergitur, spiritualiter illud congregatum, & repositum inuenietur in cælo.

75 NOtandum, qua tandem re, & quomodo ad tam altos cæli thesauros hæc deferri possunt? aut quis tam potens vector, qui tam sublimia & longinqua itinera aggredi velit? bona opera, & hæc pauperum iumenta: pauperum hæc importantur manibus: illud iter non furem, non prædonem metuit, tuta omnia consequitur. Vbi thesaurizasse sibi beatos omnes Deum diligentes legimus. Ibi thesaurizauit sibi Abraham per hospitalitatem, Iob per egenorum miserationem, illic thesaurizauit sibi Samuel per iusta iudicia, illic Dauid, omnesque sancti, quorum vestigia sequentes, & nos omnes thesaurizemus nobis thesauros in cælo. Mentitur ergo hæresis, & duces illius, nullam esse repositam mercedem bonis operibus in cælis. Nam Caluini interpretatio nihil valet. Thesaurum autem suum in cælo reponere dicuntur, qui expediti huius vitæ laqueis, curas suas & studia ad cælestis vitæ meditationem conferunt. Nàm hîc de pauperum cura totus institutus est sermo: alioqui sensus verborũ istorum, nullus esset. Deportantur enim thesauri in cælos, per manus pauperum & egentium, qui eorum sunt custodes & defensores. Eadem doctrina fuit Ecclesiastici: Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. Et omne opus electum, iustificabitur; & qui illud operatur, honorabitur in illo. *Eccles: 14.*

SEcundum dissuasionis & præcepti argumentum, quia hac ratione potissima pars hominis, mens atque cor, quod Deo inprimis atque meditationi rerum cælestium debetur, ac minimè inquinatum & pollutum esse debuit, peruersè in seruitutem mammonæ traditur, in terra suffocatur, cœno ac fecibus terræ inquinatur, oculus purissima hominis pars atque lux ipsa: Vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum, oculus tuus, mens tua: si in stercore ac fœcibus thesaurus, ibi & cor. Quanti autem sit oculum istum, qui thesaurum sequitur purum conseruare, similitudine ex oculo purissima corporis parte sumpta, docet. Mens enim animi oculus est, lucerna totius massæ est. Sic igitur disputat cælestis dialecticus. Lucerna corporis tui, oculus est; & lucerna animæ tuæ, mens est. Si igitur oculus corporis tui fuerit simplex, benè sanus, nullis sordibus internis contaminatus, ad hæc si foris illum nihil impediuerit (existens enim intus, prohibet extraneum) tum totum corpus, cui prælucet, & cui viam commonstrat, erit lucidum. Si autem oculus corporis tui erit nequam, morbosus, puluere, festucísue occupatus, tum corpus tuum totum tenebrosum erit, nihil videbit, loco te mouere non poteris. Nam si ille oculus, qui lumen & sol esse debuit, cœcus est, cœno & luto obrutus; quantò magis corpus totum, cui videre non conuenit, quod cœcum est, quod oculos sequitur? Sic eodem modo, si mens, quæ animæ oculus est, sana, pura, incontaminata est; tota anima, cuius mens lux & magistra est, sana erit: si autem hæc libidine, ambitione, diuitiarum nubibus impedita & occupata, obcœcataq; fuerit; tum reliquã omnem vitam talem consequi oportebit. Si enim lumen tenebræ, quantò magis ipsæ tenebræ, hoc est totum corpus erit nox, & æternus horror? Si mens in terra hæret, manus & brachia cælum non videbunt; tantò minus venter, & quæ sub ventre. Quod pulchrè D. innuit Paulus: Excœcauit, inquit, Deus huius mundi mentes infidelium, ne possint videre lumen euangelij. Deum autem huius mundi auariciam vocat. Et hic quidem est contextus, & continuatio euangelij. Falsò igitur docet Caluinus, concisas hic referri sententias, nullam propriam hîc haberi continuationem: cum hæc optimè coniungant ac continuent patres.

76

2. Corint. 4.

TErtia ratio præcepti, ex communi prouerbio: neminem posse duobus dominis seruire, Deo & mammonæ. Alij putant responsionem esse ad tacitam obiectionem, qua quis dicere possit; se & sua, & Dei posse curare: sed in idem res incidit. Vt autem in omni re, stulta gentilitas numen quærebat & colebat, preter illud quod verum est; sic vt glorię Iunonem, voluptati Venerem, honoribus Iouem, sapientiæ Palladem præficiebat; ita & diuitijs Syri Mammona quendam, Græci Plutona: de quo separatam fecit comœdiam Aristophanes. Latini eodem contenti verbo, suum non quæsiuerunt. Ex quo modo sumit dicendi occasionem Christus Dominus, nos non posse seruire vero Deo & Mammonæ idolo: idq; ea seruitute, quæ est propria Deo: vt quidquid acquiras, Domini sit, sed & tu ipse.

77

NOtat autem Clemens Alexandrinus, fuisse hoc genus tormenti veterum tyrannorum, eos viuos homines mortuis corporibus sic coniungere solitos, vt ora oribus, & ita similiter simul cum ipsis longa morte putrescerent. Expressit hoc genus tormenti elegantissimis versibus Maro, in octauo libro Æneidos.

78

Mortua

Mortua quinetiam iungebat corpora viuis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus: & sanie tabeq; fluentes
Complexu in misero longa sic morte necabat.

79 Eodem crudelitatis genere vtitur diabolus, qui hominem viuum cadaueribus rerum mortuarum, opum inquam ac facultatum coniungere velit; vt ab his putridis ac liquescentibus, in dies animus ille diuinus ac immortalis putrescat & liquescat. Videmus siquidem hominem aut auariciæ, aut libidini deditum ita pallescere; vt non solùm vitæ præsentis obliuiscatur, sed & futuræ, viuusq; vidensque pereat, mortuusq; inter viuos incedat. Ab hac ergò tyrannide, ab hoc tormento, ab his cadaueribus volens nos soluere amator noster, orat & obsecrat: Non potestis, inquit, seruire Deo & mammonæ: viui esse, & cadaueribus coniungi. Quæ causa? quia nemo potest duobus dominis seruire: quia alterum pro natura, educatione, & quod caput est, gratia diliget; alterũ odio habebit, indeque illud consequetur, vt alteri, quem amat, adhæreat; alterum, quem odit, contemnat ac deserat: & Deum quidem, & reuerâ & natura sua verum dominum, diliget; diabolum verò, vt potè tyrannum, per rapinas ac insidias dominatum sibi vsurpantem, & quem ipsi principem nobis constituimus, tanquam onus quoddam graue sustinebit. Duorum enim dominorum infidelium, infidele seruitium esse dicebat Hilarius.

80 SEd quæ tandem causa est, cur ista vtriusq; domini seruitus non cohæreat? Primùm, quòd ipsi domini inter se pugnent ac dissentiant: alter siquidem ex illis mortalis est, terrenus, vitæ & sensus expers, aures habet & non audit, oculos habet & non videt, omnibus insidijs & violentijs expositus, auarus; & qui cultorem suum facilius fame enecat quàm reficit, cuius penitiores amicos fame nonnunquam ac inedia perire contingit, iuris, religionis, testamentorum proditor, iniustus, inhumanus, fallax, impostor, & quid non? alter cælestis diuinus, immortalis, mens, ratio, vita ipsa, constans, fidelis, purus, syncerus, immaculatus, liberalis, munificus, in quem sperant oculi omnium, qui dat escam omni carni, & implet omne animal benedictione, qui solem suum oriri facit super iustos & iniustos. Si ergo possibile est, simul sorbere & flare; istis pugnantibus dominis simul seruire erit possibile. Quod idẽ & ex alio capite patet, quòd vterque ex his dominis, non partem aliquam hominis, sed totum sibi vendicat. Nam & Deus Dominus, iure suo meritò nos vsurpat, vt qui nos fecit, redemit, alit, nihilq; in nobis sit, quod non eius sit, iuxta illud: Diliges Dñm Deum tuum ex toto corde tuo. Sed & Mammon item, vtpotè iniustus Dñus longè iniquius operas nostras exigit. Licèt auarum hominem videre, anxium, sollicitum, cui minus operæpretij fit, si in die laboret, nisi noctem adiungat: festi ac nefasti diei nullum discrimen: noctem in diem vertit: nunquã tàm manè domo egrederis, quin illum aliquid facere operæ conspicias: nunquam tàm serò domum redis, quin illum sollicitum reperias. Infernus, inquit Salomon, & perditio, nunquam implentur, & oculi insatiabiles. Et hic dominus, inquit Clemens Alexandrinus, acquisitu difficilis, ad seruandũ difficilior, ad vsum autem & communicationem difficillimus. Quis igitur his duobus dominis, qui sibi totum vendicant, sufficere possit? Explicat hæc omnia illud D. Pauli: Non potestis mensæ Domini partici-

Prouer: 27.

1. Corint: 10.

pes eſſe, & menſæ dæmoniorum, nempè vt ſimul ſit quiſquam & idololatra, & chriſtianus. Non benè ſiquidem conuenit arcæ Domini cum idolo Dagon. At auaricia idolorum ſeruitus eſt: partem enim eius ſpei & fiduciæ, cultus item quem Deo debebat, in eam, quæ depoſita eſt, pecuniam transfert; qua ſublata plerumq; res ad reſtim redire ſolet. Si ergo quis idololatra eſſe poteſt, poteſt ſimul & Deo & mammonæ ſeruire: ſed cùm illud impoſsibile eſt, ne hoc quidem poſsibile erit. Vidit hæc Matthæus, vidit Zachæus: & ideò quidem ille, relictis rebus omnibus, ſequitur Chriſtum. hic autem: Ecce, inquit, dimidium bonorum meorum, do pauperibus. Non dicit autem: Non poteſtis ſimul Deo ſeruire, & diuites eſſe. nam & Abraham & Iob, magnas opes habuerunt, Deo tamen ſanctè & piè ſeruierunt. Vnde illud apud Iob: Deus potentes non abijcit, cùm & ipſe ſit potens. Nunquid theſaurizare in cælis ſola nuditas aut fames poterit? inquit Hieronymus. Ille autem dicitur habere pecuniam, qui ea, cùm oportet, vtitur. Vnde nunc χρήματα, nunc κτήματα, pecuniam vocat Ariſtoteles: qui idem nihil exitioſiùs eſſe docet, quàm vbi ciues nummum, non propter vſum, ſed propter formam amant, ac ἐκ τῶν χρημάτων κτήματα faciunt. Talis enim amoris ac cupiditatis, nullus modus eſſe poteſt. Seruit autem illis pecunia, qui ea vtuntur, vt docet Plato: Optimè, inquit, & pulchrè viueremus, ſi vera de diuitijs ſententia doceretur. Ea autem eſt, quòd diuitiæ gratia corporis ſunt, corpus autem gratia animæ. Sed illud melius: Parate vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Axioma autem hoc ſummum & primũ eſt, neminem poſſe duobus dominis ſeruire: toti vitæ, & omnibus eius partibus commune eſt, ſiue tu pietatem ſpectes, ſiue virtutis exercitium, ſiue literas, ſiue rem familiarem: in republica potiſsimùm valet plurimum. Neque enim fieri poteſt, ſimul eundem voluptati & gloriæ inſeruire poſſe, publicam ac priuatam ſimul rem curare; inimicitias perſequi, ac ſententiam à perturbatione liberam dicere; omnibus placere velle, ac diſciplinam conſeruare. Inde fit, quòd ruit alto de culmine Troia. Summam autem totius iſtius loci complexus eſt Irenæus: Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ; Deum quidem confitens, mammonam autem nominans, hoc quod & eſt; non mammonam dominum vocat, dicens: Non poteſtis duobus dominis ſeruire; ſed & diſcipulos docet ſeruientes Deo, non ſubijci mammonæ, neque dominari ab eo: Qui enim, inquit, facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Quemadmodum igitur ſeruientes peccato, ſeruos peccati vocat; non tamen ipſum peccatum dominum appellat: ſic & eos, qui mammonæ ſeruiunt, ſeruos mammonæ appellat; non Deum appellans mammonã. Mammonas autem eſt, ſecundùm Iudaicam loquelam, qua & Samaritæ vtuntur, cupidus, & plus quàm oportet, habere volens; ſecundùm autem Hebraicam adiunctiuè dicitur, Mam, vel ſignificat guloſum, id eſt, qui non poſsit à gula ſe continere.

Iob 36.

QVartum argumentum eſt, quo nos à nimia cura & ſolicitudine rerum temporalium auocat, noſter œconomus, quòd habeamus alium longè prudentiorem, & noſtri amantiorem efficaciorem etiam œconomum, qui neceſsitates noſtras rectiùs, quàm quiuis noſtrûm, nouit, illiſque prouidere ſciat, & velit, & poſsit. Ab eo ergo potiùs omnia petenda, à quo ipſi vitale exordiũ ſumpſimus. Expetamus regnum Dei, illudque vitæ noſtræ ſtipendijs quæramus. Argumentum hoc, plenum pietatis eſt, & quod vnoquoque tempore in omnibus no-

81

bus nostris, magnæ consolationi esse debet: Ne, inquit, solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini: scit enim pater vester, quòd his indigeatis. Non dicit, vitam ne curetis, ne prouideatis: sed, ne solliciti sitis. quia secundùm præceptũ Domini primo homini datum: In sudore vultus, præparandus est panis, labor exercendus, sollicitudo tollenda. Sed & Iudas loculos Domini portabat: & Paulus legem figit, vt qui non laborat, non manducet. Et ipse Paulus se manibus suis laborasse testatur, ne cuiquã onerosus esset. Alioqui si omnis cura tollenda esset, tum & illud ex oratione Dominica tollendum: Panem nostrum quotidianum, da nobis hodie. Non igitur σπουδὴν, id est, studium & curam, sed μέριμναν, id est, sollicitudinem aufert, quæ sit inordinata: vt, cùm quis propter pecuniam diuinum cultum negligit, vel propter victum, vitam, & valetudinem. Deinde illam, quæ superflua, quæ plus quærit, quàm aut necessitas, aut vitæ ratio postulat. Tum præoccupatam, vt quæ longè priùs quærit, quàm tempestas quærendi postulat, cùm sufficiat diei malitia sua: & citò velle fieri diuitem, prohibeat Salomon; & talem sensum sequantur supplicia. Demùm, ne sit sollicitudo anxia, timida, & cum desperatione coniuncta, vt non dicat: Non mouebor à generatione in generationem, sine malo. Ab hac eadem sollicitudine, nos reuocat Paulus: Nihil, inquit, solliciti sitis, sed in omni oratione & obsecratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum & patrem: Omnem sollicitudinem proijcientes in eum, quia illi cura est de vobis. Cuius curæ & sollicitudini, ac prouidentiæ æterni patris, quoniam mentes nostræ pusillanimes atq; timidæ plerumq; diffidunt, de eaq; dubitant; ideò hanc eandem, æterni patris filius argumentis validissimis, ita vt nusquam aliâs, confirmat, ac omnem metum ac sollicitudinem ex mentibus nostris pellit, ac quasi sponsorem interponit.

Philip. 4.

1. Petri 5.

82 SIc igitur benignissimus filius, de optimi patris bonitate argumentatur: Qui dedit maiora ac principaliora, priusquàm nati essemus, sine omni sollicitudine nostra, qui dedit ipsum esse, dabit & viuere. Sed pater cælestis illud dedit, quantò magis & hoc adiunget. Neq; enim ista dedisset, nisi hæc eadem tueri vellet: Nonné, inquit, anima pluris est, quàm esca, aut corpus, quàm vestimentum? Si ergo pater meus dedit vobis animam, hoc est vitam; quantò magis dabit, quæ ad vitam tuendam pertinent? Si dedit corpus tàm mirabiliter contextum, quantò magis dabit & vestimenta?

83 ET sufficiebat quidem hoc argumentum veritati, pro patris clementia; sed neque nos tali argumento digni sumus: verùm & aliud, non minus verum & validum, adiungit: Si pater, inquit, vester cælestis, dat victum seruituti vestræ, quantò magis vobis dabit? Respicite, inquit, volatilia cæli, quæ vos cantu suo reficiunt, quæ neque serunt, neque nent; nónne vos pluris est? Quid nos ad hæc? Dicere possemus: Tua, pater, clementia sumus: quia illa officium suum sequuntur, te laudant, delinquunt in te nunquam: nos toties in maiestatem tuam delinquimus. Neque allegat Eliam aut Ioannem, quos cælitus Deus ipse pauit. Nam hîc multa imparia sunt, vt qui tantùm à Ioanne & Elia absumus; sed allegat volatilia cæli. Proxima ijs aliquando cecinit Dauid: Qui dat inquit, escam omni carni: qui producit in montibus fœnum & herbam, seruituti hominum.

84 AVget autem patris misericordiam & munificentiam, in res natura abiectas

ctas & momentaneas: Considerate, inquiens, lilia agri, quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quòd nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex illis. Cuius maiestate euocata regina Saba, venit ex vltimis finibus terræ, ad videndum eum, & dicebat: Verus sermo est, quem audiui in terra mea, super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni, & vidi oculis meis, & probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit: maior est sapientia, & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati serui tui, hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël. Quanta autem sit pulchritudo florum, oculorum magis quàm sermonis est iudicium, dicebat D. Hieronymus. Rectè igitur exclamat Psaltes: Domine, quid est homo, quòd memor es eius? Curat hæc parua æternus pater: non curabit hos, in quibus est imago sua, quos sanguine suo respersos cernit, quibus subiecta sunt omnia, quos ad immortalitatem creauit, quos hæredes fecit suos, cohæredes autem filij sui? Summi amoris hæc verba sunt.

3. Reg. 4. & 7.

85 NOtandum est, omnem ornatum fœnum esse. Stulta igitur ambitio hominum prodigorum, quæ nunquam vnum lilium agri exæquare potest; neque enim dicam hortense; ac ne Salomon quidem. His talibus tapetibus quater in anno mundum nostra causa ornat. Vere quidem virentes extendit tapetes, æstate flauos, in autumno varijs fructibus distinctos, albos & splendētes hyeme.

86 NOtandum autem est, hominem brutis animantibus, ab ipso authore & opifice rerum anteferri. Homo igitur, cùm in tanto honore sit, non se comparet iumentis insipientibus, nec similis fieri velit illis.

87 NOtat hoc loco author imperfecti operis: Dicendo, inquit, non laborant; viros confortat Saluator: dicendo autem; neque nent, mulieres: quoniam virorum vita seminationibus, mulierum autem, lanificio sustentatur.

88 QVartum & vltimum excludendæ sollicitudinis argumentum est: quòd absque auxilio Dei, eiusque ordine ac prouidentia, cura omnis frustrà suscipitur. Scio, inquit Hieremias, non esse hominis vias eius. Et Saluator: Quis, inquit, vestrum cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Eodem modo neque ad opes, neque ad facultates quidquam adijcere potest. Sed ne ad studia quidem sapientiam, nec ad honores, iuxta terminum ac limitem cælitùs positum. An non hoc apparet re ipsa? Videas plerosq; multum laborem suscipere, vt aliquid assequantur, neque tamen consequuntur: alios autem nulla aut exigua opera, omnia consequi, aut potiùs in manus eorū incurrere. Præclarè hoc celebrat Dauid: Vanum est vobis ante lucem surgere: Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

89 EXcludunt ergo hæc verba, omnem sollicitudinem: Nolite solliciti esse, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia gentes inquirunt, quæ vel Deum ignorant, vel prouidentiam eius negant, iuxta illud Nazianzeni: Paucam fuisse Aristotelis prouidentiam, quæ ad vniuersalia se tantùm extenderet. Quæ omnia excludens Christus Dominus:

nus: Scit, inquit, pater, ac prouidentia sua vobis adest, non tanquam dij gentium, qui os habent & non loquuntur, manus habent & non palpant: vos habetis Deum in cælo, qui quæcunque voluit fecit, & priùs quàm vos formasset scit, quibus opus habeatis. Adest voluntate, quia pater: adest facultate paterna, quia cælestis. Magna consolationis verba ista sunt. Paupertate premitur quis? scit pater cælestis: seruitute premitur quis? scit pater cælestis: tentationibus exagitatur quis? scit pater cælestis. Huc ergo confugiendum est: non sinet nos tentari, suprà quàm ferre possimus. Quis pater filijs suis non prouidet? quis sponsus sponsæ suæ? quis dominus familiæ suæ? Dabit, si necesse erit; si non dabit, necesse non fuit. Neque à me quisquam quærat, vnde daturus sit, qui eius promus & condus non fui. Dabit inde, vnde nos creauit, priusquàm essemus: vnde alit omnem carnem, aues, feras, & serpentes.

90 QVòd si nos prophanos, discordes, curiosos alit; quantò magis pios, honestos, concordes, & amicos? Nam discordiarum nostrarum causa, auariciæ item & cupiditatis, agros nostros non extendet, pluuiam vberiorem non dabit, solis sui radios non multiplicabit. Si improbos & discordes alit, quid faciet fratribus inter se iunctissimis, & amore diffluentibus, ille cuius est promissum magnificum, modò illum peccatis nostris non offendamus, modò desides, inertes, ignaui non simus; modò περισσὰ non sequamur (tantò magis fœda & turpia) modò grati simus, modò regnum Dei & iustitiam eius requiramus? Tum enim hæc omnia in parte appendicis exiguæ nobis adijcientur. Neque enim ad id nati sumus, vt bibamus, & edamus, & vestiamur; sed vt illi in omni sanctitate & iustitia seruiamus, omnibus diebus vitæ nostræ. Quod autem & quale regnum nobis quærendum sit, suprà in expositione orationis Dominicæ dictum est; quæ iustitia item eius, vt scilicet dominetur voluntas eius, sicut in cælo & in terra. Adijcietur panis hic quotidianus, quem petimus, non tam quòd opus sit, quàm vt hac petitione fateamur, ipsum esse, qui nos alit, tuetur, ac defendit; vtque ei confiteamur, talique animi gratitudine eum prouocemus.

91 NOtandum autem est, in doctrina christiana esse similem Scribæ, aut Pharisæo, aut gentili, nefas esse: quid deteriorem? quid impudentiorem? quid magis auarum? Vtiliter igitur vitæ & morum exempla proponuntur, vt saltem per horum æmulationem boni efficiamur.

92 COncludit ergo totam causam sanctus legislator: Nolite solliciti esse in crastinum; crastinus enim dies sollicitus erit sibi, sufficiet ipsi malitia sua. Hæc cura vocatur malitia, quia pœnalis est; & ad hanc pertinet mortalitatem, quã peccando meruimus. Si autem & de crastino curabimus, quando Deo seruiemus, totos nos conficientes sollicitudinibus temporalibus? Talis autem cura conceditur, quæ inter supinam securitatem, & superuacuos labores, quibus se conficiunt increduli, media est. Omnium autem curarum, quæ modum excedunt, mater est infidelitas. Ergo de futuro sollicitos nos Deus vetuit, inquit, Hilarius: incuria autem sollicitudinis relaxatæ, non negligentiæ, sed fidei est. Cur enim solliciti simus in crastinum, cùm crastinus sibiipsi sollicitus sit?

93 CRas in scripturis futurum tempus significat, iuxta illud: Exaudiet me cras iustitia mea. Et Samuel ille pythonissæ, ad Saulem: Cras, tu & filij tui mecum eritis. Malitiam autem diei hoc loco intelligit, laborem & afflictionem, & angu- *1. Reg. 28.*

& angustias, miserias, calamitates, fames, pestes, vexationes, inundationes, incendia, quæ quotidie eueniunt. Sufficit ergo nobis præsentis temporis cogitatio, labor, & sollicitudo: futurorum curam, quæ incerta est, relinquamus. Parcit nobis benignus magister, ne nos vanissimis curis conficiamus; & vt in omni animi tranquillitate & amœnitate viuamus. Etsi autem ad omnes pertinent ea Christi monita; propriè tamen & maximè ad illos referuntur, qui istam sublimiorem philosophiam iactant, & quos ille seruitio & cultui suo addictos esse vult, & quos diuisos esse Paulus non vult: Apostolos, inquam, & Apostolicos viros, homines contemplationi destinatos: quos tamen aliquando cupidiores ac magis sollicitos videmus, quàm ipse sit mundus; & quibus nihil vnquã satis sit; qui non crastinum tantùm spectant, sed totum simul æuum, vniuersamque nepotum ac pronepotum in multa secula posteritatem. Anxietatem nostram ipsa pro nobis dies sollicita depellit. Et hæc rectè perfecteque viuentium merces est; vt in nouam cælestemque substantiam, ex hac corruptibilis corporis materia, transferantur, & corruptio terrena, cælesti incorruptione mutetur. Gentium autem est infidelitatis, istiusmodi cura angi; quibus amore detentis, & corporis gaudijs occupatis, nullum, per fidem, & confessionem Dei, in cæleste regnum iter quæritur & optatur.

94 NOtat Origenes: Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesaurum super terram: hoc est, nolite defodere sensus vestros cum diuitijs in terra. Nolite recondere cor vestrum cum pecunia in perditionem, quia multa pericula in thesauris sunt, multa offendicula in humanis diuitijs; aliquando ab intro, deforis fures effodiunt mansiones, latrones resident in solitudinibus & in desertis, aliquando plures vndique circumueniunt volentes modis omnibus eripere. Alij præparant flammas, & immittunt incendia, videntes illos thesauros, & omni consilio eos deprædari excogitant. Et D. Chrysostomus eleganti similitudine illustrat: Quo enim distamus, inquit, à pueris ludendi gratia casulas ædificantibus, nos, qui ampla prætoria & clara construimus? Nihil planè. Quodsi necdum perspicimus eorum, quæ agimus vilitatem; non est profectò mirandum: nondum enim venimus ad maturitatem virorum: quò cùm venerimus, intelligemus hæc omnia esse puerilia. Nam & illa, cùm ad virilem transimus ætatem, ridere consueuimus, quæ, cùm pueri essemus, etiam studiosè credebamus esse facienda. Nam & testas & lutum sæpius aggerentes, non minus gloriabamur; quàm hi, qui certatim amplas porticus & triclinia gaudent superba construere: sed tamen peribant illa, & continuò corruebant. Verùm, vt nos pedibus ludicra illa ædificiola plerumque destruimus, ita hæc sapienti ille mente subuertit: & sicut nos, paruulos de illa flentes destructione ridemus; sic iste quoque nobis, de hac subuersione mœrentibus, ridet. Thesaurizate ergo vobis thesauros in cælo, vbi ærugo non exterminat, id est, vt inquit Origenes, diuersorum inuidia, & insatiabilis cogitatio: neque fures effodiunt, & furantur; illi nequissimi dæmones, & malè articulosi, qui innumerabilium corda effodiunt. Isti multos & magnos thesauros furantur: isti effoderunt per auiditatem cor Esau: isti sunt furati ei præclaras thesaurorum primitias, cum benedictionum donis: isti effoderunt per auaritiam Iudæ cor, & huic Apostolatus magnum furati sunt thesaurum. Propter quid? quia non thesaurizauit sibi in cælo, vbi isti supradicti fures

non

non effodiunt, nec furantur; sed super terram thesaurizauit: propter pulchritudinem argenti, totius vitæ Dominum vendidit. Isti effodiunt & nunc multorum corda, aliorum per superbiam & cupiditatem, aliorum quoque per ciborum auiditatem, vel cætera carnis desideria, quos omnes cælestibus regnis furantur: ideò, quia non in cælis thesaurizârunt sibi.

95 D. Basilius in hunc locum: Nolite solliciti esse animæ vestræ, quid manducetis. Vetuit, inquit, Dñus vnumquemq; suiipsius causa sollicitum esse. Quamobrem in suscipiendis laboribus, illud spectare vnusquisq; debet; vt per ipsum, qui in egestate sunt, subleuentur; non autem vt commodis ipse prouideat suis: siquidem hoc modo, & crimen immodicæ amentiæ effugerit, & fraternæ charitatis benedictionem à Domino inuenerit, qui sic dixit: Quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. *in Int: 42.* *Matth: 25.*

Caput VII.

1 
EIDEM sollicitudini occurrit Saluator noster hoc capite, quam superiore curare volebat: ad eandemque nos tranquillitatem reuocat, vt liberiùs Deo & nobis ipsis seruiamus & viuamus. Cùm enim duo genera hominum sint: aliud quidem quod totum in seipso curando positum est, quod nullum præter se respicit: aliud autem, quod se, resque suas negligit, se non videt, nec curat, totum in alterius cura & exàmine positum est; quod foris semper, domi nunquam habitat, secum nunquam manet; de suis securum, de alienis nimis sollicitum; genus hominum molestum, ad reprehendendum natum, morosum, curiosum, inuidum, malignum plerumque. Ad hoc igitur doctrinam suam refert cælestis magister: ac quemadmodum superius ab ea sollicitudine, quæ priuatim est, suos deterruit; ita nunc ab ea, quæ longè fœdior & nocentior est, suos reuocat. Cuius quidem generis vitij, cùm variæ partes sint: alij enim facilè de alijs iudicant, eosque condemnant: alij superstitiosi doctores & institutores esse volunt: alij doctrinas sanctas & mysteria, vbique indifferenter pandunt: alij alio genere in mores vitasque hominum, sua neglecta, animaduertunt; occurrit his omnibus Saluator, suosque monet, vt secum habitent, sibi iuxta Moysis doctrinam attendant: nam illud Delphicum: Nosce teipsum, inde sumptum est. Orditur autẽ ab eo genere, quod maximè cõmune peculiareq; est, hypocritis, sycophantis, & hæreticis, temerarijs, inquam, iudicijs atq; obtrectationibus. Vt enim quisq; est vir optimus, ita de aliis non facilè malè suspicatur: & vt quisque est nebulo maximus, ita facilè alios condemnat; atque in eodem stercore, in quo ipse hæret, alios quærit; suam maliciam alienis vitijs tegere & ornare vult. Ideò intonat hîc legislator: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Ea enim facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretanda sunt; quia incertum est, quo animo quidquam fiat: & si hoc certum; tamen illud incertum, qualis futurus sit ille, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Vnde Apostolus: Nolite ante tempus iudicare. Dubium autem non est, iudicium naturale, quod donum Dei est, hoc loco non prohiberi: sed neq; ciuile, hoc enim Dei vicarium iudicium est: non discretionis item & correctionis, de quo Paulus: Cum huiusmodi nec cibum sumere; sed iudicium temerarium, iudicium de *SERIES EVANG.* *1. Corint: 4.* *1. Corinth: 5.*

um de rebus incertis ac ambiguis, iudicium maliciosum, iudicium quod cõfundit non ædificat, iudicium quod condemnat: & quod deteriorem partem sequitur, & quod de manifestis non est. Et ideò post eam particulam: Nolite iudicare, & non iudicabimini; addit veluti commentarium quendam D. Lucas: Nolite condemnare,& non condemnabimini. nam apud Matthæum hæc in Græcis codicibus non leguntur, sed ne in Latinis quidem pluribus. Curandum est igitur,ne iudicemus temerè. Quod si fieri non potest;ne tamen statim condemnemus, ac rem dubiam in partem deteriorem interpretemur. Ponit autem vtilitatem conseruati præcepti, & pœnam admissi sceleris: Si non iudicabitis,non iudicabimini: & contrà. Id autem intelligendum est ita: Primùm, ab ipsis hominibus:deinde,à summo iudice ipso Deo,quidquid dicat Caluinus, qui frustrà hoc loco eleuat authoritatem D. Chrysostomi. Quod genus mali, cùm latissimè pateat, sanctos etiam attingat aliquando, iustis & iniustis commune sit, speciesque multas habeat; nunc querelæ, nunc zeli, nunc commiserationis,nunc obiurgationis,nunc admonitionis, nunc alterius commendationis; in quibus hic vnus finis est, proximum deprimere, seipsum efferre; sua tegere, aliena aperire; seipsum solari, alios contristare. & proinde Dauid felices illos dicit, qui non modò non detraxerint cuiquam, sed ne opprobrium quidem acceperint (id est, detrahentes audiuerint aliquos) aduersus proximos suos,quod in alio Psalmo interpretatur: Detrahentem secretò proximo suo,hunc persequebar. Perditum, hoc est, vitium ac solutum. Et ideò freni quidam huic vitio, pro nostra tenuitate inijciendi sunt; qui, vtinam mihi prius, deinde alijs omnibus, proficiant.

Psal. 100.

2 PRimum igitur frenum est: omne iudicium esse Dei, quod ille soli tradidit filio, vt qui honorat patrem, honoret & filium. Et proinde superius diximus,ventilabrum in manu filij esse. Qui igitur temerè de alio iudicat,qui condemnat; ille ventilabrum sibi assumit; hoc de manu excutit hæredis: iudicium filio Dei datum, sibi vsurpat; sed & ipse ventilabitur.

3 SEcundum frenum: eos de quibus iudicamus, seruos alienos esse; qui siue stant, Domino stant, siue cadunt, Domino cadunt: Tu autem, inquit Paulus, quis es,qui de alieno seruo iudicas? Præclarè autem Dominus Petri curiositatem repressit, interrogatus de Ioanne: Hic autem quid? Quid, inquit, ad te? tu me sequere.

Rom. 14.

4 TErtium frenum: nos ipsos ijsdem, & fortasse maioribus plerumque obnoxios esse criminibus,cùm simus ipsi à ratione factorum & dictorum nostrorũ reddenda alienissimi. Prius itaque de delictis nostris confiteamur, quàm in alijs, vllam culpam reprehendamus. Et proinde Saluator, cùm adduxissent illi hypocritæ adulteram: Qui, inquit, sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem iaciat.

5 QVartum frenum est: quòd nos plerumq; non nouimus quid simus,quid velimus, quò contendamus; & nemo est qui sciat,nũ gratia, an odio dignus sit. Vnde Seneca testatur, paucos admodum apud se constituisse, quid velle debeant: & ita nulla res est, quæ nos magis ab inquisitione rerum alienarum abducere possit, quàm hæc ipsa nostri inquisitio & cognitio.

6 QVintum frenum est: quia incerta est & obscura voluntas hominum.

Quis

Quis enim eſt, qui ingreſſus eſt in ſecretum cordis alterius? Ipſius hæc eſt propria functio, quem nihil omninò latet, & cuius oculis nuda ſunt omnia. Dei igitur naturam ſibi vendicat, qui hominum interiora noſſe vult. Sed eſto: nos de præſenti iudicare poſſe, de futuro quis nouit, quid ſerus veſper vehat? Paulus nunc perſecutor eſt, nunc martyr; nunc lapidator Stephani, nunc Apoſtolus; manè comedit prædam, & veſperi diuidit ſpolia.

7 SExtum frenum eſt: nos ipſos obnoxios eſſe graui iudicio, iudicio tremendo, quod Iob deprecatur: Quis mihi tribuat, vt inferno protegas me, & abſcondas me, donec pertranſeat furor tuus? Et Dauid: Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo Domine. Hoc igitur ſolo modo à temerè iudicandi vitio liberamur, ſi de alijs non iudicemus: Nolite iudicare, & non iudicabimini. *Iob* 14.

8 SEptimum frenum eſt: quòd hac ratione, non diuinum modò, ſed & humanum fugiemus iudicium. Nam, qui de alijs facilè iudicat, alienum etiam ſufferat iudicium opus eſt. Qua enim menſura menſi fueritis, inquit Saluator, eadem remetietur vobis: & quod vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hominem non temerè iudicantem, amant omnes, ad ſecretiſsima quæque admittunt, fugit nemo; garrulum verò omnes fugiunt.

9 OCtauum frenum eſt: eam rem pugnare cum principibus virtutibus religionis chriſtianæ, humilitate, inquam, & charitate. Cum humilitate primùm, cuius illæ, ſecundùm D. Bernardum, ſunt partes: Contemnere mundum, contemnere nullum, contemnere ſeſe, contemnere ſe contemni. Pugnat eadem obtrectatio cum charitate, quæ benigna eſt, non iudicat, cooperit multitudinẽ peccatorum. Inde obtrectationem ſequuntur iurgia, vulnera, aliquando cædes.

10 NOnum frenum eſt: quòd vitium hoc arguit morum prauitatem: vt enim quiſque eſt vir optimus, non facilè de alijs malè iudicat: arguit diffidentiam propriæ virtutis; prodit malignitatem & prauitatem animi. Vnde Dauid gaudet Deum timentes protecturum, à contradictione linguarum. *Pſal*: 30.

11 DEcimum & vltimum frenum eſt: quòd vitium hoc obligat ad reſtitutionem: hoc enim non prius dimittitur, quàm eam ipſam famam & exiſtimationem, quam alijs detraximus, reſtituerimus. Nam ſi de modica pecunia dictum eſt illud: Et ſi quem defraudaui, reddo quadruplum: quantò magis de fama & exiſtimatione, ex qua pendent cætera? Quæ res quantò eſt difficilior ad reſtitutionem, tantò magis ea abſtinere debemus, ſemper memores illius: Si frater tuus habet aliquid aduerſus te. Quo vitio, ſi abſtinere voluiſſent illi viuorũ & mortuorum iudices, Lutherus & Caluinus, non ſubiiſſent omne iudicium, & orbem Chriſtianum in eos ſcopulos non adduxiſſent. Itaq; vnus ex illis Caluinus, non valdè acerbum ſeſe huius vitij accuſatorem præſtitit, vt qui nullum genus hominum prætermiſerit, nullum ordinem, quem non cenſuerit. Addit & illam non ineptam huius loci interpretationem D. Hilarius: ne ſcilicet de conſilijs atq; operibus Dei curioſè iudicemus. Quis enim nouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? Cui rei ſi non hæretici obſecuti fuiſſent, tot hæreſes non excitaſſent. Iudicare enim de ſponſionibus ſuis vetuit: quia vt iudicia ex incertis rebus inter homines ſumuntur; ita & hoc iudicium aduerſum Deum ex ſentiendi atq; opinandi ambiguitate ſuſcipitur; quod penitus repellit à nobis, vt conſtans potius fides retineatur: quia non ſicut in rebus cæteris pec-

catum sit, perperam iudicasse; sed in his rebus tantummodo de Deo iudicio initum esse, sit criminis.

Interrog. 164 ANnotat circa hunc locum D. Basilius: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nequaquam in vniuersum interdici nobis, quominus iudicemus; sed in iudicio faciendo iubemur delectum adhibere. In quibus autem hoc seruari debeat, & in quibus non, dilucidè demonstrauit Apostolus; qui in his quidem, quæ posita sunt in libera potestate vniuscuiusque, neq; distincta à scriptura, dixerit: Tu autem quid iudicas fratrem tuum? Et item: Non ergo amplius inuicem iudicemus: in his verò quæ displicent Deo, eos reprehendat, qui non iudicent, & ipse iudicium suum in medium afferat, cùm dicit: Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, &c. Et D. Chrysostomus: Hic enim non generaliter, inquit, peccata omnia prohibuit iudicari, nec prorsus omnibus istius rei abstulit potestatem; sed his profectò solis, qui cùm flagitijs abundent innumeris, alios de leuissimis quibusq; delictis tota temeritate condemnant. Si igitur fornicatus fuerit iniquus, non ei dicam, quòd malum sit fornicari; neque corrigam increpatione lasciuiam? Corrige quidem, sed noli vt hostis, neq; vt inimicus exigens vltionem; sed vt medicus, remedia profutura conficiens. Non enim dixit: Noli cohibere peccantem: sed, Noli vtiq; iudicare, hoc est, noli effici iudex amarus. Quod certè nunc plurimi faciunt, qui si viderint Monachum habere superfluum vestimentum, legem illi Dominicam impudenter obijciunt; cùm millies ipsi aliena diripiant, & quotidie auariciæ crimen exerceant: & si eum cibo vti viderint largiori, accusatores existunt amari; ipsi quotidie crapulati atq; temulenti; ignorantes, quòd cum proprijs admissis, hinc quoque sibi congregent maius incendium, omniq́ue semetipsos excusatione denudent.

Rom: 14. Corinth: 8.

12

SEcundum genus, in aliena vita examinanda vanæ occupationis, & vtinam vanæ, & non etiam exitiosæ: vbi ille, qui ipse æger est, medicoque indiget, medicus esse vult; ac eum, qui magis sanus est, & à quo illum curari oportuit, curare vult; cœcus illuminare alterum, vt ipse benè valere & videre existimetur. Quam vanitatem pulcherrima similitudine, ab eo, qui cùm trabem in oculo habeat, eum tamen curare velit, cuius conspectum modica festuca impediuit, sumpta, illustrat. Cuius in eo duplex insania apparet: Primùm, quòd cùm ipse medico egeat, curator esse vult: deinde, quòd ipse cœcus, longeq́ue tenebris grauioribus obsitus, in alio videre velit; quod ille, & in se, & in illo melius perspicere possit: Quid, inquit, vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculis tuis non vides? Trabem curiositatis, ostentationis, vanitatis. Quem locum pulchrè interpretatur D. Hieronymus, cuius verba apponere placet: De his loquitur, qui cùm ipsi mortali crimine teneantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt, culicem excolantes, camelum glutientes. Rectè ergo & isti simulatione iustitiæ, vt suprà diximus, appellantur hypocritæ, qui per trabem oculi sui, festucam in oculo fratris aspiciunt. Quod idem pulchrè annotat D. Hilarius: Fit enim sæpè, vt assumamus nobis arguendi aliquos authoritatem, sine vllo propriæ emendationis exemplo, & medendæ cœcitatis alienæ iactantiã proferamus, ipsi in tenebris corrupti luminis constituti; cùm difficilè quenq; sit pręstare, quod exigat; & optimũ sit, exemplis potius docere, quàm dictis. Quis autem audiat illum docentem ait quidam, qui seipsum non audit?

13

Imò

Imò melius est nec docere, nec reprehendere laicum, quàm docere & reprehendere, & teipsum in reprehensione consistere: quoniam talis doctrina doctoris, non est audibilis, sed derisibilis. Tum & D. Chrisostomus: Quid miraris, inquit, si Dominus posuit hanc legem, quæ etiam à latrone seruata est, qui in cruce dicebat ad socium suum: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? protulit enim vocem, Christi omninò sententiæ consonantẽ. Quod quidem genus, cur hypocritas vocet, explicat Euthymius: Sic ille, inquit, hypocritam nominauit talem, vtpotè medici manus vendicantem, ægroti verò locum retinentem, vel tanquam prætextu religionis, alienum lapsum curiosè indagantem, sed id proposito condemnandi agentem. Si enim curandi fratris desiderio hæc agis, cura prius teipsum, qui plus illo deliquisti. Quod si temetipsum despicis, manifestum est, quòd neque illum amas: magis enim quisq; seipsum amat, quàm fratrem. Itaque non ad emendandum, sed ad condemnandum conuiciaris. Vides ergo, quòd alios curare non prohibuit, si id omninò tibi cordi est; sed admonuit, vt te prius cures, deinde illum. Medicum namque sanum esse oportet. Hæc atque similia statuit, non auertens à mutua correctione, sed propriorum delictorum negligentiam reprimens. Duplex enim condemnatio illum expectat, qui cùm magnis reus teneatur malis, leuiora aliorum mala scrutatur. Non ergo hoc loco correctionem fraternam, rem omnium saluberrimam aufert, quam ipse paulò pòst sancit: Si, inquit, in te peccauerit frater tuus: & quam Paulus tantopere asseruit: Vos, inquiens, qui spirituales estis, huiusmodi instruite, in spiritu lenitatis. D. August. verò illam inter species eleemosynæ numerat; sed illam iactabundam, morosam, malignam, insultationem potius, quàm correctionem. Quæ quidem fraterna correctio, tam corripientium inhumanitate, malignitate, ac alio respectu (quisq; enim id suadet, quod sibi sensuiq; suo vtile est, potius quàm illi cui consulitur, & magis vt confundat, quàm ædificet) quàm aliorum, qui corripi debent, impatientia & superbia in ecclesia conticuit; eóq; magis, quantò sibi quis melior aut perfectior videtur. Ego quidem mallem in aciem descendere, quàm aliquem ex his, qui perfectiores videntur & vocantur, alicuius rei vel minimæ admonere. Nam inde nihil referes, præter illa nomina inuidiarum, odiorum, præsumptionum: & quem omni æuo amicum habueris; hunc tibi vna hora capitalem reddes inimicum: & à quo antea pro angelo laudabaris; post vnicam admonitionem plusquàm publicanus efficieris. Omnia autem illa, quæ freni loco esse possunt contra temeraria iudicia, eôdem referri debent, ad imperfectorum medicorum curationes; qui quo alios iudicio corripiunt, eodem se condemnant.

Auth. imper. oper. in Matt. homil. 17.

Galat. 6.

14 Tertium caput est præsumptionis ac sollicitudinis, ex parte alterius, nihil sanctum habere; sed omnia sine discrimine rerum & personarum temerè profundere, modò aliquid ante alios scire & posse videamur. Quod itidem eodem modo, similitudine non aliena, eorum, qui aut sanctum ante canes, aut ante porcos margaritas proijciunt, refutat Dominus: Nolite, inquiens, sanctum dare canibus. Sanctum autem Dei interpretantur S. Patres: sacras literas, legem, inquam, vtramque; deinde primaria mysteria religionis christianæ, Trinitatis adorandæ, incarnationis venerandæ; sacramenta deinde, eorumq; administrationem, sacrificium missæ; sed & bona ecclesiastica.

NOtanda autem hoc loco mysteriorum Dei elogia, ea res sanctas appellari, margaritas, vera vitæ ornamenta. Canes, D. Augustinus, & porcos, intelligit contemptores: alij duo genera hominum sacra Dei contemnentium notant; canes, qui per maleuolentiam nocent, quales sunt hæretici; porcos, qui per socordiam & luxuriam, quales incontinentes christiani: hi contemnunt, illi opprimunt. Et author imperfecti operis: Canes, inquit, puto intelligendos gentiles, vel hæreticos omninò immundos; nam & propter actus suos malos immundi sunt, & propter perfidiam suam vel idololatriam amplius sunt immundi: Porcos autem, christianos carnalibus & immundis voluptatibus deditos; quoniam propter fidem quidem suam mundi sunt, propter actus autem suos sordidos, habentur immundi. Non conuenit igitur istiusmodi canibus ac porcis sanctum dare, aut proijcere margaritas, ne aut conculcent, id est contemnant, aut conuersi, in nos inuolent. Porcus, inquit Hieronymus, non accipit ornamenta, in volutabro luti volutatur; si habuerit circulum aureum, fædior inuenietur. Quidam canes volunt intelligi eos, qui post fidem Christi cognitam, sacramentaque suscepta, ad vomitum peccatorum redeunt: Porcos autem, qui necdum euangelio crediderunt, sed in luto infidelitatis versantur. Præceptis & promissis Dei, inquit Hilarius, nihil est pretiosiùs sanctiusque, quæ sanctificatis nobis, immortalitatis thesaurum largiuntur. Horum igitur sacramenta atq; virtutes, neque in gentes efferre, neq; cum hæreticis conferre permittuntur. Canes enim, de alatrandi aduersus Deum rabie, gentes sunt nuncupatæ. Porcorum verò hæreticis est nomen: quia quamuis vngulæ bifidæ sint, acceptam tamen Dei cognitionem, non ruminando disponunt. Ergo & incorporationem verbi Dei, & passionis mysterium, & virtutem resurrectionis non promiscuè nos tractare conuenit, neq; imperitè incurioseque proferre: ne ignorantiam nostram, si perfectæ scientiæ desit instructio, proterant atq; conculcent; & infirmitatem in Domino passionis irrideant; conuersiq; in nos, contradictionum aculeis imperitiam nostram fidemq; disrumpant. Hinc D. Chrysostomus suis temporibus, mysteria ideò Clausis ianuis celebrari fuisse solita: & eos, qui nondum initiati sunt, adesse prohibitos docet: non quia infirmitas mysteriorum aliqua deprehenderetur; sed quia ad participationem eorum illi adhuc qui arcebantur essent infirmi. 15

NOtandum, huiuscemodi canibus atque porcis, Lutherum primum proiecisse sanctum Dei, scripturam, inquam, sacramentorum administrationem, & alia, & conculcata esse vt videmus, & conuersos esse in eum. Sed & Antistites ecclesiarum Episcopi, ante hanc orbis christiani calamitatem huiuscemodi fortasse animantibus, ignauis & indignis administris commiserunt verbi prædicationem, curam animarum, sacramentorum ministerium: & conculcarunt illa, & conuersi sunt in illos, ministri hæreticorum facti. Huiuscemodi porcis & reliquus clerus, carnem & sanguinem respiciens, proiecit, & proijcit adhuc ecclesiastica bona; & satiati conculcant ea, tanquam aper ferus depascens, & conuersi in clerum, vitam cum sanguine poscunt. Deus respice & visita vineam istam. 16

SERIES EVANGELII.

EXclusa igitur omni sollicitudine, tàm ea, quæ circa res nostras est, quàm illa, quæ de alijs suscipitur, seipsum respicere iubet, patremque suum; ad se in omnibus recurrere, à se omnia quærere iubet: Petite, inquit, & accipietis: ne- 17

quẽ tantùm ſimpliciter petere iubet, ſed conſtanter, perſeueranter, ac quodammodo violenter: Pulſate, & aperietur vobis. Petite, inquit; quia res magnæ poſcuntur: quærite; quia non ita facilè inueniuntur: pulſate; quia non ita facilè aperitur, etiamſi oſtiarius ad ianuam ſtet, moleſtari tamen vult. Et ideò ignaui iuſtas ſocordiæ ſuæ dant pœnas; qui neceſſarijs remedijs deſtituti, remedia hæc non quærunt. Si enim, inquit D. Chryſoſt: cùm hoc ſtudio mentis acceſſeris, & dixeris, Niſi accepero non recedam; prorſus accipies; modò ſi talia poſtulaueris, quę & illum, qui petitur, dare deceat; & accipere tibi, qui precaris, expediat. Quæ verò iſta ſunt? ſi ſcilicet ſpiritualia cuncta depoſcas. Vt autem tantò fidentiùs petamus; certa ſpe impetrandi nos petere iubet: nihil enim eſt, quod nos melius ad orandum incitet, quàm certa impetrandi fiducia: ideò petere iubet, vt largiatur. Quam ſpem duobus fortiſsimis argumentis erigit. Primum, à communi omnium mortalium notione: quia qui petit accipit, qui quærit iuuenit, qui pulſat, illi aperiri ſolet. non quòd benigniſsimus pater petitiones noſtras ſæpè non præueniat, ac ignauiam noſtram beneficijs non prouocet; ſed quòd hac ratione ſtudium & affectum noſtrum erga ſe excitet. Secundum autem eſt argumentum, à minori ſumptum: Si, inquit, vos, qui eſtis mali, hoc eſt tenaces, auari, ad alioſque ſubleuandos tardi, ſi cum æterno parente conferamini, datis tamen bona filijs veſtris (malos autem vocat, propter φιλαυτίαν, omnes enim ſibi malunt quàm alteri) quantò magis pater veſter, in ſe, per ſe, ac tota natura ſufficiens, ipſa bonitas, beneficentia, liberalitas, petentibus dabit bona, ſi boni benè bona petemus? Hoc autem ita eſſe eodem exemplo indicat: Nam ſi filij bona petunt, hoc eſt panem aut piſcem, tum facilè quod petunt obtinent; ſi autem lapidem aut ſerpentem, non erit tam inhumanus pater, qui hæc largiatur: non enim ad preces noſtras, ſed ad vtilitates reſpicit. Si igitur vos, qui eſtis mali, quibus Deus particulam bonitatis & paternitatis tantùm impertiuit, (quantùm enim ad comparationem Dei, qui ſolus ſingulariter eſt bonus, omnes mali videntur; ſicut ad comparationem niuis aut ſolis, omne mundum ſordidum videtur, & omne lucidum obſcurum) noſtis, inquit, bona dare filijs veſtris; quantò magis pater veſter, qui eſt in cælis, dabit bona petentibus ſe? Nam ſi tantùm ad beneficium valent guttulæ noſtræ, quid à mari inexhauſto ſperandum eſt? Nunquid, inquit Iſaias, obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Etiamſi oblita illa fuerit infantis ſui, ego tamen non obliuiſcar tui. Quæ autem ſint iſta bona, ipſe nouit, qui dat omnibus affluenter. Notat Author Imperfecti operis: Quòd ille pulſat Deum, qui facit bona opera ante Deum oratione, ieiunijs & eleemoſynis. Sicut enim qui pulſat oſtium, non tantùm voce clamat, ſed & manu: ſic qui bona opera facit, quaſi manu pulſat Deum operibus ſuis.

Iſa: 49.

In Matth: homil: 18.

18 EXplicatis igitur ac perfectis præcipuis legis partibus, ſanctus legiſlator, epilogũ totius legis ac orationis ponit; in quo & facilitatẽ eius & congruentiam, & æquitatem ipſam breui compendio comprehendit: Omnia, inquit, quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: vultis ne iraſcantur, ne iraſcamini: vultis ne vxores, filias, ſorores veſtras concupiſcant, ne concupiſcatis: vultis ne vobis detrahant, non detrahatis: vultis vt vobis dimittant, dimittatis. Non puto autem vnum punctum, aut iota legis eſſe, quod mutua officia ſpectet, quod in hoc præcepto non contineatur. Docet ergo Chriſtus, poſſe vnumquemq;

quemq; ſibi rectè & iuſtè viuendi regulam eſſe; ſi viciſsim aliis præſtet, quod ſibi fieri exigit. Ita vanos omnes prætextus eijcit & refellit, quos ſibi excogitant homines, ad tegendam vel fucandam ſuam iuſtitiam. Regnaret enim proculdubiò inter nos perfecta æquitas, ſi idem proximis faceremus, quod nobis ab ijſdem exhiberi volumus. Dicit hanc eſſe ſummam legis & prophetarum: in hoc pendere legem ac prophetas. lex ſiquidem dixit: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: quod nihil aliud ſonat, quàm quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: radix hæc eſt vitæ & origo. Vnde manifeſtum eſt, inquit D. Chryſoſtomus, ſecundùm naturam nobis eſſe virtutem. Domeſtico ſiquidem magiſterio omnes quæ facere debeamus, agnoſcimus, & impoſsibile omninò nobis eſt, ad ignorantiæ præſidium aliquando confugere.

19 SVmma legis propoſita, ad diligentem eius cuſtodiam, & obſeruationem, propter eius difficultatem Doctor hortatur. Primùm ex parte noſtra, deinde ex parte illorum, qui nos inde abducere poſsint. Ex parte noſtra: Intrate, inquit, per anguſtam portam. Anguſta porta & arcta via, via veritatis, virtutis, honeſtatis & charitatis, diuinæ quoq; iuſtitiæ. per hanc ergo ingredi iubet Dominus, nec ſtatim ſecuros eſſe in via, niſi vbi fuerimus in porta. Viam autem & portam vocat, vt nos ſoletur, non diuturnam hanc habitationem eſſe, non permanentem domum; ſed & viam & portam, quæ facilè tranſitur, facilè ſuperatur. Diſtinguit autem viam à porta, propter ſecuritatem auferendam: quia non ſtatim, vt quis eſt in via, eſt in porta. Porta eſt expectanda, porta metuenda, ne illud audiamus: Clauſa eſt ianua. Et illud: Non noui vos. Amplius res amplificatur, propter maius ſtudium & cautelam: Lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem: via voluptatis, via ſenſus, via fidei mortuæ ſine operibus bonis. Multi autem ingrediuntur per eam; quia lata, quia facilis & expedita eſt, & facilè licet inuenire eam: At per contrarium, anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. Anguſtias huius viæ explicat D. Paulus: Alij, inquit, diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemptionem: alij autem ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & cauernis terræ. Et in alio loco: In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſuprà modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cęſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundũ maris fui, in itineribus ſæpè periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate. Pauci autem ſunt qui ingrediuntur per illam: quia & arctè & difficilè eſt inuenire eam. Latam non quærimus, nec quæſitu opus habet, ſpontè ſe offert: & errantium via eſt, nullum præbet laborem ingredientibus, indulgens eſt, nullo clauſa termino, nullo obſerata cuſtode; in qua peſsimis exemplis homines peſſumdantur. Nec perire nos putamus, dum pergimus in magna turba: abſurdum putamus, à magna multitudine abeſſe, ac ſi non eſſemus pars hominum. Anguſtam verò nec omnes inueniunt, nec qui inueniunt, ſtatim

Hebr. 11.

2. Corint. 11.

tim ingrediuntur per eam; siquidem multi, inuenta veritatis via, capti seculi voluptatibus, de medio itinere reuertuntur. Et Christi quidem hoc euangelium est: Angusta est porta, quæ ducit ad cælos. Luteri verò & Caluini illud: Lata est via ad cœlos, quia omnia gratuita sunt, quia sola fide constant, quia operi nulla merces, quia ex persuasione certæ salutis salus; quia damnari non potest, nisi qui nolit credere. Scire autem conuenit, quòd nunc angustam portã & arctam viam cælestis vitæ dixit, propter temporariam ipsius afflictionem: alibi verò suaue iugum dicit mandatorum suorum, & onus pręceptorum suorum leue, & spem æternorum bonorum. Virtus enim grauis est, propter laborum molestiam; leuis autem, propter retributionem, sensumque laboris mitigat & extenuat, futuri expectatio gaudij. Adumbrârunt hanc viarum differentiam, vel ab ipso naturali lumine edocti veteres. Vnde illud Prodici apud Xenophontem biuium: vnde illa litera Pythagoræ, discrimine secta bicorni; sed & illa Cebetis tabula huc spectare videtur. Sed hæc hactenus.

20 ET de ea quidem cautione, quæ in nobis est, dictum est in his verbis, quæ explicauimus: nunc ad eam se idem magister refert, quæ aliunde aduenit; ab illis, inquam, qui angustam viam latam, & latam angustam dicturi essent, falsis, inquam, prophetis & hæreticis: Attendite, inquit, vobis, à falsis prophetis. Quos Paulus inprimis, ac vniuersa deinceps vetustas, hæreticos interpretatur: ita vt omnia illa, quæ de falsis prophetis in veteri lege tradita sunt, siue de causis illorum, siue de signis & indicijs, siue de incommodis, quæ ex illis proueniunt, siue de iusta illorum punitione, ad illos referri rectè possint. Primùm igitur, vt ab illis nobis caueamus, Saluator docet: deinde quomodo illos dignoscamus, signis certis explicat: Vltimò, quæ mala nos consequantur, tradit; nam & luporũ capita villarum portis præfiguntur, vt rectiùs à quouis dignoscantur.

21 ATtendendum igitur primùm à falsis prophetis esse, monet, idq; diligenter: tum causam reddit, astutiam eorum, Qui veniunt ad vos in vestitu ouium; deinde crudelitatem indicat, Intus autem sunt lupi rapaces. Quod neque de Iudæis, neq; de gentilibus dictum est vnquam. Nam illi occidebant corpora, hi animas: illi cælo per martyrium pariunt, isti inferno: illi patentes & manifesti inimici sunt, hi scopuli latentes & insidiosi; quos si quis incautus in hac via attigerit, torpescit: quomodo equi luporum vestigijs insistentes torpescere solent.

22 NOn solùm autem ab ijs attendendum docet, sed & notas & signa ponit, per quæ cognosci possint, quandoquidem tam insidiosè lateant. De quibus, quia alio loco prolixiùs diximus, paucis, secuti verba euangelij, hoc loco dicemus.

23 PRimum igitur signum est, hæreticos ac falsos prophetas vltrò venire, non mitti, non vocari: Currebant, inquit Dominus de falsis prophetis, & ego non mittebam eos. Et nunc Saluator: Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos: veniunt & non mittuntur. Momorderat hæc oratio Caluinum hoc loco: ideò huius ipsius missionis & vocationis rationem extenuat. Cæterùm ostendit, inquit, hic locus, pro nihilo esse ducendos titulos; imò ne ipsam quidem vocationem magnum habere momentum.

Ierem. 14. & 23.

24 SEcundum signum est, eos venire ad suos domesticos turbandos; ad eos qui

qui foris sunt, pedem non inferre: Qui,inquit, veniunt ad vos. Nemo vnquam ex falsis prophetis veteris testamenti, aut ad regem Persarum, aut Lacedæmona, aut Athenas, aut ad populum Romanum se contulerat; sed ad suos tantùm, quos nomine Dei sui se decepturos arbitrabantur. Sic nostri falsi prophetæ in Thraciam nunquam, in Iudæam nunquam, in Americam se nunquam conferunt: domi turbant, suos infestant, scripturæ nomine abutentes; quod tamen lupi non faciunt, qui in suis sedibus natalíq; solo, nunquam prædam quærunt, alienos agros infestant. Tentarant tamen aliquando quidam ex Gallis, ac in littus Indicum se exposuerant; neq; tamen diuina permisit prouidentia, sua ab hominibus prophanis inquinari noualia.

TErtium signum est, quòd pellibus ouium abutantur, id est, specie & forma piorum christianorum (hi enim Christi sunt oues) domesticos, homines pacis, amicos se esse pollicentur; miram humilitatem & mansuetudinem in principio præ se ferunt; item vocem balantem, pacem, tranquillitatem, vellera, lac promittentes, adipem & pinguedinem pollicentur: ecce verò lupi apparent. 25

QVartum signum est, fructus eorum quibus dignosci possunt; quos ego non alios statuere possum, quàm eos qui luporum sunt. 26

PRimùm igitur lupi cœcos pariunt catulos, vt & canes. Sed & isti: quid enim apud illos cœcum non est, siue mores & politiam spectes, siue bonas literas, siue hoc ipsum, de quo maximè agitur, verbum Dei? 27

SEcundum munus luporum est fascinare oues, hoc est, ita oues disponere, vt ipsæ fascino deceptæ obmutescant, spontè lupos sequantur, ac in fauces nõnunquam spontè incurrant. Sic & isti. 28

TErtium luporum est studium, somno ac negligentiæ pastorum insidiari, absentiæ autem maximè; canes oderunt, sublatos esse velint. Idem facit hæresis: pastorum negligentiæ & somno insidiatur, non residentes appetit, doctores & magistros sublatos esse cupit. 29

QVartum adiunctum lupi est, dispergere gregem: cùm enim vniuerso gregi parem se non esse videat, hoc vnum & summum esse putat, vt dispergat illum. Hoc autem ea ratione facere solet: ramum arentem arripit, ac magno impetu obijcit: vbi est perterritus grex, dispergitur; ille rapit. Hoc idem facit hæresis: primùm ab eo quod catholicum est, omni modo & arte auellere vult. Facit autem eodem modo, putre aliquod aridumque cleri vitium arripit, gregi obijcit: grex ad factum exhorrescit, illi rapiunt, & fugiunt. 30

QVintus luporum fructus est, deuorare, vt nihil quod vtile est relinquat, præter vngulas, ossa, cornua: sed & hæresis, præter Iudaismum & Arianismum, vbi sanam doctrinam deuorârit, nihil relinquit. 31

SExtum, luporum differentiæ sunt multæ, humaniores alij, sæuiores alij, pugnant etiam secum, deuorant se inuicem: illud tamen commune omnibus, ouibus & pastoribus insidiari, greges legitimorum dominorum discerpere, sanum nihil relinquere. 32

SEptimum eorum est, ex insidijs prædam aggredi, vitalia appetere, in equis quidem collum, nam calces metuunt; in bobus armum, nam cornua suspecta habent. Sed & hæresis hoc idem facit: fidei & charitatis hostis est; cornua, calces, 33

ces, hoc eſt, magiſtratum legitimè conſtitutum metuit, fugit, confœderationes expetit. Itaque & lupi nihil magis metuunt, quàm lapides: & hæretici legem illam Leuitici: Et lapidabit eum populus vniuerſus. *Leuit. 24.*

34 OCtauum, lupi famelici ſi cibo carent, terra & putri arbore veſcuntur: ſic hæretici, vbi à ſcriptura deſtituuntur, veterumque patrum authoritate; ad vitia hominum & conuitia ſe conferunt.

35 NOnum, lupi prægnantibus mulieribus potiſsimùm inſidiantur: hæretici item illi mulieri parturienti, in Apocalypſi, inſidias ſtruunt, Eccleſiæ, inquam, ſanctæ: Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura; vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret. *Apoc: 12.*

36 DEcimum, lupi ſpeciem quandam humilitatis præ ſe ferunt, cùm iumenta ex luto extrahunt, idque cum periculo caudarum ſuarum; eo tamen fine, vt deuorent. Narrat hoc venuſtè Aelianus: Si boui, inquit, qui in profundam inciderit paludem, lupi interuenerint, extrinſecus ei terrorem faciunt, eundemq; periculi denunciatione agitant, non extra paludem eum permittentes egredi; quem diu multumque ſe contorquentem, & huc illuc verſantem, ſuffocari cogunt. Tum maximus natu luporum in aquam proſiliens adnat, & bouem cauda mordicus arreptum extrahit. Peragitur autem hæc extractio ſerie quadam: Nam lupum primum, ſecundus ſimiliter cauda apprehenſum trahit, ſecundùm tertius; hunc quartus, & ita deinceps ad poſtremum vſque, qui extra aquam eſſe ſolet; itaq; extracto boue epulantur. Hoc eodem modo hæretici, Catholicos item ex luto vitiorum extrahere ſe profitentur, officium mutuum præſtant, caudis coniunguntur; vltimò tamen extractum iumentum deuorant. *Lib: 8. ca: 14*

37 VNdecimum, comeſta à lupis partim veneno inficiuntur, partim omni ex parte inſipida ſunt. Sic ea quæ hæretici tradunt, partim venenum ferunt, partim frigida & inſulſa ſunt.

38 DVodecimum, hoc ſolùm bonum habent lupi, quòd cùm cætera omnia abſumpſerint, in ſe ſæuiunt, ac ad extremùm ſeipſos deuorant. Quod pulcherrimè deſcribit Aelianus: Lupi, inquiens, natura immanes & crudeles ideò exiſtimandi ſunt, quòd inter ſe vorant, ad hunc modum mutuas ſibi molientes inſidias. Eos enim ferunt Aegyptij primò in orbem circumagi, deinde excurrere: & cùm ex vertigine currendi & caligine, eorum aliquis lapſus fuerit, in eum humi ſtratum cæteri omnes facto impetu ipſum laniant. Hoc quidem facere ſolent, cùm venationis facultate deſtituuntur: ita enim præ fame, omnia nugas putant. Idem & hæretici faciunt: Vbi enim Catholicos vincere non poſſunt, in ſe conuertuntur, ſeipſos vertigine quæſtionum curioſarum conſumunt. Quod omni malo conuenire docet Ariſtoteles: cuius ea natura eſt, vt primùm cum virtute pugnet, poſthac ſecum; quomodo auaricia primùm cum liberalitate, deinde cum prodigalitate pugnat.

39 TErtium decimum, roſtra luporum veneficiis obſiſtunt: ſic ora hæreticorum impudica, plerumque refutandorum errorum cauſa ſunt, ſed & vitiorum corrigendorum. Sed de eo ſigno quod ex natura luporum ſumitur ſatis.

40 QVintum ſignum eorum eſt, cùm ſpinas & tribulos proferant, vuarum & ficuum germinationem ſibi vſurpare. At non poſſunt ſpinæ & tribuli eccleſiaſticos

sticos fructus proferre. Sed quid proferunt? Vulnera, tribulationes, & cætera mala. Quemadmodum enim spina & tribulus ex quacunq; parte illam conspexeris, habet aculeos: sic & seruos diaboli, ex quacunque parte consideraueris, iniquitatibus pleni sunt. Si loquitur, indoctè loquitur: si tacet, malè cogitat: si irascitur, insanit: si patienter agit, tempus expectat nocendi, & opportunitatem considerat quando noceat: si malè agit, non erubescit: si benè facit, ad vanam gloriam propter homines facit. Quomodo proferat bonum fructum, cuius radix diabolus est? Sub arbore bona, & bestiæ & animalia requiescunt: sub spinis autem nullum animal requiescere potest, nisi tantummodo serpentes. Sic iuxta fideles homines, & boni & mali homines pacem habere, & accipere possunt: iuxta autem infideles homines nemo potest pacem habere, neque requiescere in eis, nisi tantummodo serpentes, id est dæmones, qui habent cubilia in pectoribus eorum.

40 SExtum signum est, venditatione & vsurpatione nominis diuini sese commendare. Vnde illud veterum pseudoprophetarum: Hæc dicit Dominus, cùm id Dñus perneget se dixisse. Et nostrorum, Hæc dicit scriptura: cùm nusquam id clarè, & iuxtà sensum veterem dicat scriptura. Atqui verum est illud: Regnum cœlorum sola verborũ officia non obtinent: neq; qui dixerit, inquit Hilarius, Domine, Domine, hæres illius erit. Quid enim meriti est, dicere Domino, Domine? Nunquid Dominus non erit, nisi fuerit dictus à nobis? & quæ officij sanctitas est, nominis nuncupatio; cùm cælestis regni iter obedientia potiùs voluntatis Dei, non nuncupatio repertura sit. Verbis blandis, mollibus & ad decipiendum accommodatis abuti, plurimos populos subijcere nihil valere docet scriptura. Contingit enim plerumque, vt optimè loquantur, qui pessimè affecti sunt: cùm nihil doctrina sine opere, neque opus sine doctrina in pastoribus magnum sit. In illo, inquit, tempore dicent, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, Quia nunquam noui uos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem. Et hæc quidem signa sunt eius pestis, quæ ex hoc loco pro tenuitate nostra elicere potuimus. Plura autem ex Apostolica doctrina, alio in loco notauimus.

Matth: 7.

Oratione pro congnos: fals: prophetis.

41 ILlud autem quod dicit Saluator: Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque bona malos, pulcherrimè explicat Hieronymus: Quæramus ab hæreticis, qui duas inter se contrarias dicunt esse naturas, si iuxta intelligentiam illorum, arbor bona malos fructus facere nusquam potest, quomodo Moyses & alij? Et D. Chrysostomus: Quid igitur, inquit; Nunquamné homo bonus in malum versus est, aut malus rursus in bonum? atqui multorum omninò in diuersa mutatio talia nobis abundè ministrat exempla: Christus autem non dixit impossibile esse malum ad meliora conuerti, nec bonum negat in deterius posse transire; sed quia quandiu maliciæ affixus est, bonum vtiq; fructum non possit afferre. Nam transire quidem ad virtutem cùm sit malus potest; sed nunquam bonum affert fructum, quamdiu in malicia perseuerat.

Cap: 8. in Matthæum.

42 ACcipio autem non inuitus à Caluino, quod hoc loco posuit, si modò ipse secum consentire velit. Falluntur, inquit, meo iudicio, qui hoc ad vitam restringunt. nam cùm sæpè fucosa sanctimonia, ac nescio quibus etiam austerioris vitæ lar-

tæ laruis se venditent pessimi quiq; impostores, valdè incertum esset hoc examen. Fateor quidem hypocrisin tandem patefieri, quia nihil difficilius est, quàm virtutis simulatio. Verùm Christus tam iniquo & simul obscuro iudicio doctrinam suam subijcere noluit, vt æstimetur ex hominum vita. Monet igitur Saluator, vt non moueamur non tantùm nominis diuini compellatione, non mollibus istorum verbis; sed ne dæmoniorum quidem eiectione atq; miraculis, cùm & hæc possint præstare: neque tamen in eo negotium est, neque illis assentiendum est, qui hæc faciunt: Multi, inquit, dicent mihi in illa die: Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dęmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Nempè considera, inquit D. Chrysostomus, quemadmodum se quoque introducat latenter. Postquam enim totam absoluit concionem ad populum, meritò iam se iudicem esse, & Deum verum demonstrat. Prophetare autem, in nomine Christi, est eius authoritate & ipso duce fungi docendi officio. Prophetare autem & virtutes edere, inquit Hieronymus, & dæmonia eijcere, interdum non eius meriti est, qui operatur; sed vel inuocatione nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum, qui inuocant, & vtilitatem eorum, qui vident & audiunt, conceditur: vt licèt homines despiciant signa facientes; tamen Deum honorent, ad cuius inuocationem fiunt tanta miracula. Nam & Saul, & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent; & Pharao & Nabuchodonosor somnijs futura cognoscunt. Et in Actis Apostolorum filij Sceuæ videbantur eijcere dæmonia. Sed & Iudas Apostolus, cum animò proditoris, multa signa inter cæteros Apostolos fecisse narratur. Et D. Hilarius: Etiam nunc pseudoprophetarum fraudulentiam, & hypocritarum simulamenta condemnat, qui gloriam sibi ex verbi virtute præsumunt, in doctrinæ prophetia, & dæmoniorum fuga, & istiusmodi operum virtutibus: atque hinc sibi regnum cælorum pollicentur. quasi verò eorum aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt: & non omnia virtus Dei inuocata perficiat; cùm doctrinæ scientiam lectio afferat, dæmonia Christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio; vt bonum velimus, malum omne vitemus, totoque affectu præceptis cælestibus obtemperemus, ac talibus officijs cogniti Deo simus; agamusque potiùs quod vult, quàm quod potest. Pulchrè autem totam causam concludit Irenæus: Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Qui enim tales sunt, in patrem quidem & filium dicunt se credere: nunquam autem meditantur eloquia Dei, quemadmodum oportet: neque iustitiæ operibus sunt adornati; sed porcorum & canum assumpserunt vitam, immunditiæ & gulæ, & reliquæ incuriæ semetipsos tradentes.

Lib. 5. cap. 8

44 CVm igitur demonstrasset, neque in fide sola, neq; in vestitu ouium, neq; in sola inuocatione ac compellatione nominis diuini, neque in mollitis & compositis verbis spem salutis esse, neque in miraculis & virtutibus; quæ non modò aliquem saluare non possunt (sunt enim gratis data, non gratum facientia) sed neq; illum ipsum cui gratis donata sunt; nunc docet, quid sit illud, quod summam contineat salutis: ac caput euitandorum errorũ, & hæreticarum imposturarum esse debeat, ostendit; omnemque legem ac legislationem concludit. Est autem illud, audire scilicet verba, quæ hîc & alibi dicta sunt; sed non audi-

re tantùm, verùmetiam opere complere: Omnis ergo, inquit, qui audit verba mea hæc, & facit ea; aſsimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Nullum enim Deus probat, quem fidei probitas non commendat. Pulchrè autem hūc locum explicat Hilarius: Senſus, inquit, eſt ſuperioribus iunctus. Obiurgans enim pſeudoprophetarum iactantiam, & hypocritarum figmenta, per comparationis exemplum, perfectæ in ſe fidei hominem exponit. Quòd is, qui verba ſua & audit & facit, ſuper petram ſit ædificatus; & fundamento ſtabili firmoq; incidentium tempeſtatum impetu non poſsit diſſolui.

[45] ATque hic eſt ſcopus totius ſalutis, hoc centrum totius doctrinæ, hic vmbilicus totius corporis, quem hæreſis videre non poteſt, ſed neque ſuperſtitio, quidquid præſumat ac polliceatur, quidquid affirmet. Verbum Domini manet in æternum. Quod verbum? hoc ſcilicet: Qui audit & facit verba mea; ſimilis eſt viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuprà petram; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina eius magna. Quàm magna? Sicut enim domus, quæ habet validum fundamentum, ſi pars aliqua parietis vel tecti ceciderit, ruina eius magna non erit; quia poteſt fieri, vt iterum reparetur: ſi autem fundamentum eius caſum fuerit paſſum, hinc eſt ruina eius magna: quia tota venit deorſum. Sic & Chriſtianus, ſi aut fornicatus fuerit, aut adulteratus, aut homicidiū fecerit, cecidit quidem, tamen ruina eius magna non eſt: quia iterū per pœnitentiam ſurgere poteſt, ſicut Dauid: ſi autem de fundamento fidei aliquid fuerit paſſus; id eſt, ſi præuaricatus fuerit, & ad Gentiles, aut hæreticos tranſierit; tunc eſt ruina eius magna, quia totus funditus ruit. Et doctrinæ quidem chriſtianæ hæc ſumma ratio eſt.

[illegible] hor Im-
[illegible] ecti ope:
[illegible] Mat:hō:20

[46] NOtandū, magnū meritū eſſe iuſtitiæ, magnā vim bonorum operū, magnā vim virtutis. Sicut mons Sion in æternū nō commouebuntur: veniant licet venti & cęteræ procellæ verborum, & diſputationes vanitatis & infirmitatis: quæ arenæ non cohærenti comparātur, in qua nihil fixum, nihil diuturnum manere poteſt: ex qua iuxtà Irenæum, funiculum non nectas: Ciuitas Dei, in petra; ciuitas mundi & diaboli, in arena: qua de re totos 24. libros ſcripſit Auguſtinus.

[47] VIdetur autem hoc loco Saluator Catholicam domum cum domo hæretica conferre: quarum hæc ſine fundamento erigitur, illa benè fundata ſuprà firmam petram: Super hanc petram Dominus fundauit Eccleſiam: ab hac petra Apoſtolus Petrus nomen ſortitus: ſuper huiuſmodi petram non inueniuntur veſtigia ſerpentis: de hac & propheta loquitur confidenter: Statuiſti pedes meos ſuprà petram. Prior ventis & procellis impulſa, vel fluctibus ad ſcopulos illiſa, concidit: poſterior autem firmiter reſiſtit, obuiamq; periculis progreditur.

[48] COncludit deinde hunc totum ſermonem Euangeliſta: Et factum eſt cùm conſummaſſet IESVS hæc verba, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum & Phariſæi.

riſæi.

risæi. Interpretatur hæc verba Hieronymus: Illi enim tanquam serui legis ea docebant populos, quæ scripta sunt in Moyse & prophetis: Iesus verò, quasi Deus & Dominus ipsius Moysis, pro libertate voluntatis suæ; vel ea quæ minus videbantur, addebat in lege, vel commutans prædicabat in populos, vt suprà quoque legimus: Dictum est antiquis: Ego autem dico vobis. Descendit autem CHRISTVS Dominus de monte: Sed & nos quoque iuuat fessos sub monte quiescere, supplices precantes, vt nobis & valetudinem confirmare dignetur, & reliqua nos prosequi faciat.

NOTARVM EVANGELICARVM IN MATTHÆVM LIB: II.

Caput VIII.



1 DIXIMVS EAM, QVAE PRIMVM PROFERTVR, DOCTRINAM, sine signis & miraculis parum aut nihil momenti habere; neq; quenquam sine his ad illam sequendam obligari: docet hoc idem Saluator, qui in monte tradita doctrina, ad signa & miracula se confert, quę septem vno die continuò edit; ita vt suum progressum & incrementa habeant. Quorum omnium is scopus, summa, & finis est: huius Doctoris & Legislatoris non præsentis tantùm, sed & absentis, oris, & manus, imò voluntatis ipsius ac cogitationis, eam vim esse; vt illi vniuersa natura, omnesque eius partes pareant: siue illa humana, siue angelica, siue animata, siue sensus expers sit: & ideò hunc ipsum Doctorem & legislatorem, rerum omnium creatorem esse, verum Deum de Deo vero, per quem facta sunt omnia, contra omnem Iudaicam & Arianam perfidiam.

2 ORditur igitur à curatione humani generis, cui curando cælitus medicus ab æterno patre, iuxtà vaticinia prophetarum missus erat: ideóque descendente eo de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Quæ nimirum in montem ascendere nequaquam poterant: quia quos delictorum sarcina deprimit ad mysteriorum sublimia, nisi abiecto onere scandere minimè valent. Idcircò & filij Israël primitùs ascendere in montem non poterant ad obuiandum Deo: quia Aegyptiaca grauati conuersatione præpediebantur; sed solus Moyses ascenderat, & pauci cum eo seniorum Israël. Occurrit illi leprosus, seiunctus à turba, vt cui ex lege inter homines conuersari non licuit: agnoscit Dominum & medicum, accedit ad genua, vt D. Marcus docet: proijcit se in faciem, vt Lucas: adorat vt vno verbo Matthæus, salutem à Saluatore petit: Domine, si vis, potes me mundare. est enim potestas tua, vt illi non solùm hæc lepra mea, sed vniuersa natura parêre sit obligata: & credo, quia omne quod bonum est, vis; ignoro autem, si bonum est mihi, quod desidero. hoc autem planè non dubito, sed potiùs credo: quoniam si bonum est mihi, & tu vis, potes me mundare, mihi ad beneficium, tibi ad laudem, videntibus ad miraculum & proficiendi

doctrinam. Qui de voluntate rogat,inquit D. Hieronymus,de virtute non dubitat. Petit autem religiosè, Domine, si vis, potes me mundare: petit humiliter sordes suas agnoscens; petit prudenter loco & tempore suo, vbi Christum magis solum, à turbisque remotum vidit, facti quidem facultatem,suam autem necessitatem complexus. Omnibus ijs respondet bonitas Christi, iubendo facultati, tangendo miseriæ eius consulens. In qua miseria duæ partes erant, morbus & contemptus: nemo enim cum leproso conuersari,nemo illum tangere audebat. Iubendo ergo aufert morbum,tangendo contemptum. Extendit itaque Iesus manum, & quanta sit vis potentiæ suæ docet; vt dextera Domini faciat virtutem; dicit se velle, & ille omnia consequitur: Volo, inquit, mundare: volo, benignitatis est; mundare, potentiæ. Volo, mundare. In hoc enim in mundum veni; vt ægros & perditos saluos faciam. De facultate nihil dubites: Verbo Domini cæli conditi sunt. Mundare: confidens profiteris, quia ego possum, & si volo fit; ideò volo, mundare. Magnificè credis, magnificè mundaris; plenissimè profiteris, plenissimè lætificaris. Idcircò autem, vt notat D. Chrysostomus, non dixit,mundus esto, sed,volo mundus esto; vt non iam vltrà illius opinionem, sed Domini voluntatem sanitatis munus sequatur. Et certè tot signa & talia operatus, nunquam aliâs hoc verbo præterquam hoc loco vsus refertur, Volo; vt de potestate sua opinionem & leprosi firmaret, & populi. In Volo, ostendit pietatis clementiam; in Mundare,maiestatis suæ potentiam. Volo, dicit propter Photinum: imperat,propter Arium: tangit,propter Manichæum. Curat autem ad voluntatem tantùm suprà omnes sanctos. Confestim mundatur lepra eius, vt tangitur leprosus manu: & inuenta est, inquit Origenes, manus domini non lepram, sed mundum tetigisse corpus. Nec mirum, contactu suo nos Christum Dominum non dedignari,cùm carnem nostram suscipere dedignatus non sit: nec modò brachium suum extendit ad nos de cælo, sed ipse totus descendit nostra causa, idque vsq; ad inferos, vt essemus caro de carne eius. Prohibet, ne cuiquam dicat: quid enim necesse erat sermone prædicare, quod corpore proferebat? inquit Hieronymus. Etsi autem vanæ gloriæ causa, beneficia conferenda non sint: nam hæc cauponatio officiorum esset: ille tamen qui accepit, meminisse debet. Iubet demùm leproso, vt ostendat se Sacerdotibus. Primùm, inquit,Hieronymus, propter humilitatem, vt sacerdotibus honorem deferre videatur. Erat enim lege præceptum, vt qui mundati fuissent à lepra, offerrent munera sacerdotibus. Deinde, vt leprosum mundatum videntes, aut crederent Saluatori, aut non crederent. Si crederent, saluarentur; si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul, ne, quod in eo sæpissimè criminabantur, legem videretur infringere. Addit autem in testimonium illis, hoc est in accusationem, atque in redargutionem eorum, qui me legis esse aduersarium mentiuntur; atq; adeò in testimonium, quod tibi à me omnia facta sint.

Leuit: 13. NOtandum autem: legem lepræ hanc fuisse. Homo, in cuius cute & carne ortus fuerit color, siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga lepræ; adducetur ad Aaronem sacerdotem,vel ad vnum quemlibet filiorum eius: qui cùm viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute & carne reliqua; plagæ lepra est, & ad arbitrium eius separabitur. Et paulò inferiùs: Quicunq; ergo maculatus fuerit lepra, & se-

& ſeparatus eſt ad arbitrium ſacerdotis, habebit veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ſe ſordibus clamabit: omni tempore, quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.

4 CVm autem omnia quæ fecit Dominus extrà, ſignificent aliquid eorum quæ nobiſcum aguntur intus; ideò quid hæc ipſa lepra velit, diſputant patres: & plerique eorum per lepram deſignari dicunt peccatum, vel propter eius deformitatem & pudorem, qui inde ſequitur; vel propter nauſeam, quæ inde concipitur; vel quòd latiſsimè pateat, atq; diffundatur; vel propter curandi difficultatem, nec ſine ſanguine. In hoc tamen lepra peccato melior eſt: quòd ſi quis à lepra ſanatus fuerit, & quæratur, num leproſus eſſe velit denuò, reſpondebit, Nequaquam: at non idem hæreticus & peccator. Deinde, ſi quis quærat, quanti redimere velit, ne leproſus ſit; reſpondebit, Omni facultate ſua: non idem peccator & hæreticus, quibus pedem promouere curandi delicti cauſa, graue & difficilè videtur; imò obturant aures ſuas, tanquam aſpides ad vocem incantantis. Si quis denique roget, an ad lepram redire velit, aut quo pretio, reſpondebit, Nullo: at peccatores toties ad idem reuertũtur volutabrũ.

5 NOtandum. Quamùis lepra ſignificet peccatum, maximè tamen inter omnia hæreſim: idque eas ob cauſas.

6 PRimò, lepra non tum, nec ibi naſci ſolet, cùm & vbi apparet; ſed cùm in epate concipitur: nam epate corrupto, ſanguis deprauatur: tum demùm temporis ſucceſſu totum vlcus in faciem prodit. Sic & hæreſis, non tum cùm publicè apparet, concipitur; ſed primùm conſcientia multis vitijs deprauatur, humores multi concipiuntur, hæreſis demùm in faciem prodit, multoſque inficit.

7 SEcundò, lepra eſt varia, partem ſanæ cutis habet, partem infectæ. Sic hæretica doctrina, partim veritatem oſtentat, partim erroribus inquinata: vt ſub ſpecie ſanitatis peſtem inducat.

8 TErtiò, lepra eſt morbus maximè contagioſus, ipſius Dei iudicio contaminans, non tantùm homines, ſed & pecora, amplius parietes, & res inanimatas. Vnde ob nullum morbum homines ſeparari iuſsit, præterquam ob lepram. Hæreſis ſimiliter. Attendite vobis à falſis prophetis. Et Ioannes: Huic, ne aue quidem dixeritis.

9 QVartò: Leproſi de populo Dei ſegregabantur, in vrbibus non manebant, qui leproſum tetigiſſet immundus erat: ſic & hæretici antiquitùs primò excommunicabantur, deinde in inſulas deportabantur, vltimò de medio auferebantur. Hîc Confœderationis nullus eſt locus.

10 QVintò, iudicium lepræ, neque ad reges, neq; ad magiſtratus, neque ad populum ſpectabat, ſed ſolùm ad ipſos ſacerdotes: vnde & iſte ad ſacerdotem remittitur. Eodem modo & hæreſis ad ſolos ſpectat ſacerdotes.

11 SExtò, difficillimè curatur lepra, præſertim inueterata, & non niſi tota temperatura hominis immutata, fontibuſque ac officinis ſanguinis correctis, ac facultatibus naturalibus ad mediocritatem reuocatis: ſed & hæreſis eodem

modo: vitia explodantur priùs oportet, Reſpublica corrigatur, legum authoritas valeat.

SEptimò, lepra per veſtimenta diſciſſa, caput denudatũ, cognoſci debebat: ſed & hæreſes per ſciſsiones & diſcordias cognoſcuntur: quantumuis enim in eo coueniant, quòd Eccleſiæ obſint; inter ſe tamen conuenire non poſſunt: & capite certo carent, vultum autem habent ſpecie pietatis tectum. 12

NOtandum. Vt lepra ipſa ſignificat peccatum, hæreſim autem inprimis: ita etiam ea omnia, quibus lepra nunc à Chriſto curatur, deſignare ea, quibus peccatum & hæreſis curari ſolet. Deſcenſus Chriſti de monte, deſignat Chriſti in mundum aduentum: verbum Chriſti, quo leproſus curatur, fidem & doctrinam Euangelicam, contactus viſibilis, ſacramentorum vſum: ſacerdotes, ad quos leproſi remittuntur, ſacerdotes nouæ legis adminiſtros: acceſſus leproſi ad Chriſtum, diſpoſitionẽ & ſtudiũ ad iuſtitiam: confeſsio iſtius, confeſsionem noſtram: curatio leproſi, iuſtificationem noſtram. Remittuntur autem peccatores ad ſacerdotes, non vt (quod Caluinus docet) munditiem illis denuncient, ſed vt aut remittant, aut retineant peccata; ſoluant, aut ligent. Hic enim eſt modus dicendi ſcripturæ. Neque igitur acceſſus ad Chriſtum iuſtificabat leproſum: ſed neq; peccatorem; niſi vtrique dicatur, Volo mundare. Non igitur illud ſtatim iuſtificat, quod ad iuſtitiam eſt neceſſarium, ſed omnia ſimul ſumpta. Ita à neceſſarijs ad iuſtitiam, bona eſt conſequentia negatiuè. Non credit: ergo via ordinaria non ſaluabitur. non baptizatus eſt: ergo non ſaluabitur. non agit pœnitentiam: ergo non ſaluabitur. Affirmatiua non item: Credit, baptizatus eſt: ergo ſaluabitur. 13

NOtandum, carnem Chriſti, quemadmodum eo tempore, quo in mundo conuerſatus eſt, ita cùm nobis nunc in ſacramento datur, ea eſſe & fuiſſe puritate; vt omnia purget, quæ diſpoſita ſunt; ſanctitatem impertiatur omnibus, quæ ad eam accipiendam idonea ſunt; inquinetur autem re nulla. Itaq; Eliſæus leproſum tangere noluit, legem & infectionem metuens; ſed ad Iordanem Naamanem lauandum mittit: Chriſtus & à lege, & ab omni periculo liber, hunc leproſum tangit, & curat. Faceſſant igitur curioſæ quæſtiones, conſcientias hominum perturbantes, de illis contumelijs & iniurijs, quæ ratione viſibilium ſpecierum corpori Chriſti accidere poſſunt, vel propter maliciam, vel propter negligentiam. Fuit enim eius virtutis corpus Chriſti, vt vſq; ad extremam fimbriam vi curandi præditum fuerit, atq; etiam nunc fit; purgaretque omnia potiùs, quàm ab illis inquinaretur. 14

NOtandum, melius eſſe vitia ſua aperire, quàm virtutes ſuas iactare: nam qui morbos ſuos aperit, curari vult: qui virtutes, laudari. Itaq; laudatur leproſus, quòd ſuam leprã apud medicũ non occultârit; quod eodem modo peccator facere debet. Dixi, inquit Dauid, confitebor aduerſus me iniquitatẽ meam Domino, & tu remiſiſti impietatẽ peccati mei. At Chriſtus facta ac miracula ſua taceri iubet, ne laudes humanas quærere videatur. Gratiarum tamen actio, vbique locum habet, gratitudiniſq; ſignificatio. Quamuis enim ei id prohibetur, gratias tamen agit. Quam quidem gratiarum actionem, non ſine dono eſſe debere, Saluator docet, qui iubet ſe ſacerdotibus oſtendere, & donum offerre. 15

Notan-

16 NOtandum, negare hæc omnia, quæ ad authoritatem ſacerdotum pertinent, contra omnium veterum conſenſum, Caluinum: vt & illud temerè dicit, quidquid honoris datum erat antiquis ſacerdotibus, nunc vnum Chriſtum ſibi vendicare. Ad quam rem confirmandam nullum adfert verbum. At Paulus docet, translatum eſſe ſacerdotium, non ſublatum: nam Chriſtum Dominum nos fontem omnis honoris dicimus, cui nihil accedat, nihil decedat vnquam. Et Chriſtus illud clarè diſcipulis manifeſtat: Sicut miſit me pater, ita & ego mitto vos. Et: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate euangelium; hoc eſt, legem meam. Quid autem eſt aliud, legis diuinæ cuſtodem eſſe, quàm ſacerdotem? Labia, inquit, ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem ex ore eius requirent. Quid eſt eſſe ſacerdotem, niſi paſtorem? Vnde illud de ſacerdotibus: Paſcite, qui in vobis eſt gregem. Ad Petrum autem ter magnificè: Paſce oues meas: Paſce agnos meos. Præclarè igitur mentitur Caluinus, qui nullum ſacerdotium viſibile in eccleſia eſſe dicit: nam hæc, quæ dicta ſunt, ex ſcriptura facilè legenti patent.

17 QVanta ſit virtus præſentis vbi demonſtraſſet, docet deinde, quanta ſit facultas, poteſtas, & omnipotentia etiam abſentis. Accedit Centurio, qui militum turbæ in Capharnaum præerat, vbi ſolebant legiones Romanæ Auguſtorũ habitare, quæ armata manu Iudæos, ac totũ ferè orbem in fide & obedientia tenebant: acceſsit Centurio, primus fructus ex Gentibus, externus generatione, ſed mente domeſticus, militum princeps, ſed plus angelorum gaudium; rogans, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Rarum puerum, & raris dotibus fuiſſe, ex ea cura Domini apparet. Iacet, quod miſeriæ eſt: paralyticus, quod longè miſeriùs eſt: malè torquetur, quod maximum. Pollicetur Dominus ſe venturum: Ego veniam & curabo eum. Ego ad Abraham veniens ſenilem Saræ ſanaui vterum, in ſenectute eis Iſaac filium donans: ego & nunc veniens ad te, curabo eum. Reſpondit ille, ſe non eſſe dignum, vt intraret in domum ſuam; ſed nec opus eſſe, cùm ſufficiat, vt dicat verbo, & ſanatum iri ſeruum: cuius ſola voluntas ſuffecit ad curandum leproſum: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Alienigena ſum, gentilis miles, gladio accinctus, ſanguinem fundens, ad prælium exiens; & ob hoc non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed tantùm dic verbo: verbum tuum effectus eſt, opuſque conſummatum. Quamobrem dic verbo, oſtende abſens corpore quòd preſens ſpiritu conſummare potes: vbiq; indeficiens præſentia, vbiq; preſens tuus aſpectus. Idcircò ego acceſſu & introitu tuo indignus ſum, & iſte infirmus ſola verbi tui viſitatione indiget. Et tu igitur, quicunque Chriſto nomen dediſti, inquit Origenes, quando ſanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & ſanguinem Domini; tunc Dominus ſub tectum tuum ingreditur. & tu ergo humilians temetipſum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum. Vbi enim indignè ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti. Neque ſolùm hoc dicit, ſed argumento probat ſe longè inferiorem eſſe, vt qui ſub poteſtate aliorum conſtitutus ſit; habeat tamen ſub ſe milites, quibus quidquid imperârit, faciunt: Nam, inquit, & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. Rara vox apud magnos, Homo ſum; & tantò rarior, Sub poteſtate ſum conſtitutus. Quam igitur

SERIES EVANGELII.

ille se supra milites suos potestatem habere dicit; eandem Christum, quem supra omnia agnoscit, vt verum Deum, supra omnem creaturam habere confitetur; omnesque morbos illi parêre, vitam deniq; ac mortem ipsam, idq; à maiori, confirmat: Si mihi homini subiecto potestati subijciuntur; quantò magis tibi, qui nulli es subiectus, & qui es supra omnia? Milites autem Christi hoc loco intelligit, morbos, vlcera, vulnera, languores, debilitates, mortes: quia hæc omnia Deo seruiunt contra insensatos. Si ergo mihi, ob modicam principatus dignitatem, parent mei milites; tibi, penes quem omnis potestas est, qui viuificas & mortificas, deducis ad inferos & reducis, quomodo non parebunt? Soluat hæc impietas Ariana: aut demonstret locum, de quo aliquando quid simile dictum sit, eum sub potestate non esse, & omnia illi parêre. Præclarè hoc loco D. Chrysostomus: Tu verò illud etiam mihi perpende, quo pacto demonstrauit, quòd etiam morti tanquam seruo dominari posit, & imperare vt Dominus. Cùm enim dixerit, dico, veni, & venit, ac vade, & vadit: illud profectò significare voluit; quòd minimè poterat in quenquam mors peruenire, si Iesus ei abscedere iusserit. Vides fidelem hominem? Itaque non sine causa ipse Saluator miratur eam fidem, & laudat, ac toti Israël præponit. O charissime amice, compellat Centurionem Origenes, veritatis te admiratur Dominus, & tuam indeficientem magnificat fidem; quomodo de tenebris gentium processit lumen tantum, qualiter de errore Deum non cognoscentium tanta manifestata est iustitia, & ex ore stultorum idolis seruientium tam lympida effulsit fides? Fidem in eo, quòd credidit ex gentibus, paralyticum à Saluatore posse sanari: Humilitatem, quòd se iudicauit indignum, cuius tectum Dominus intraret: Prudentiam, quòd intra corporis tegmen, diuinitatem latentem videret; sciens non id sibi profuturum, quod etiam ab incredulis videbatur; sed id, quod latebat intrinsecus. de qua prudentia hoc etiam ait: Nam & ego homo sum, sub potestate constitutus. addit & bonitatem, Author imperfecti operis: quia pro salute serui sic sollicitè festinabat, quasi non damnum pecuniæ, sed salutis passurus in morte illius: Puer, inquit, meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Audiant & intelligant serui: Sicut enim habent domini, quod imitentur in Centurione, propter misericordiam; sic habent & serui, quod imitentur in puero, propter synceritatem. Putas enim qualis erat ille puer, vt sic amaretur à Domino? Secundùm dilectionem domini mensurate fidem serui: nec enim possibile erat, vt sine pretio bonorum morum tantam sibi dilectionem domini comparasset. Domini ergo seruis debent amorem propter eorum naturam: serui autem debent dominis suis timorem, propter ordinationem diuinā. Et in seruis Christus amatur à dominis; & in dominis Christus timetur à seruis. Meritò igitur vt dixi, tale testimonium filij dei refert: Amen dico vobis, id est, verè & firmiter dico, non inueni tantam fidem in Israël. Gentes filium Dei me inuocant omnipotentem, vnigenitum confitentur, Dominum asserunt, diligunt, & sicut benè omnia dispensantem adorant: & Israël me non cognouit: & populus hic me non intellexit: ideóque me Beelzebub & Samaritanum appellant, & peccatorem existimant. Iairus in Israël Princeps pro filia sua me petens non dicit, Dic verbo; sed veni, ait, velociter, antequam moriatur filia mea. Nicodemus, doctor in Israël, de fidei sacramento audiens, ait: Quomodo possunt hæc fieri? Maria & Martha me nimium diligentes dicunt: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus frater meus; tanquam dubitantes, quòd vbiq; velox

In Matthæū hom. 22.

lox non posset esse mea potentia. Propterea dico vobis, quia non inueni tantam fidem in Israël, sicut in isto alienigena. Fides igitur huius Centurionis, norma & regula est magnæ fidei.

18 CVm se ergo hoc seculo hæresis à fidei magnitudine commendet, expendamus paululum, quæ sit magnitudo fidei, & quæ eius partes: iuxta quam de magnitudine fidei disputemus, & ad eam veram fidem reducamus. Fides ergo magna dicitur: Primò, quia magna & difficilia credit: secundò, quia multa credit: tertiò, quia argumenta & euidentias non quærit; quod ad modũ & rationẽ credendi refertur, quia sine curiosa inquisitione credit: quartò, ex parte circumstantiæ eorum, qui credunt: quintò, iuxta illa quæ concomitantur fidem: sextò, quia constanter & firmiter credit. Iuxta has omnes conditiones magna est fides Centurionis. Credit magna & difficilia, absentem curari posse; credit quæ non videt, hominem pauperem Deum esse, vitæ & mortis, morbi ac sanitatis dispensatorem. Credit multa, Deum hominem, Mesiam, Medicum, Saluatorem, absentem curare posse, verbo omnia tenere. Ad id argumenta habet nulla: aduentum oblatum spontè, non acceptat: præsentiam non desiderat: nihil præter verbum & imperium expectat. At quis homo? gentilis, aulicus, miles, qui legem non vidit, prophesas non legit, Christi natiuitatem, aduentum, non cognouit; & cuius tempore vel nulla, vel pauca admodum gesta sunt miracula, plus credit, quàm audiuit. Credit constanter & firmiter; mittit primùm eos, qui se puerumque suum commendent: ipse deinde venit, nec causam agere desinit, quousq; rem conficiat. Habet fidem, multis comitatam virtutibus: charitate, quia pro seruo laborat: humilitate, quia se indignum Christi præsentia iudicat: fiducia, prudentia, discretione. Ita quidem omnes rectæ fidei partes in Centurione elucent: quarũ nulla in hæreticis, qui se tantopere in fide efferunt, apparet; credunt nihil, nisi quod vident aut experiri possunt, pauca quædam credunt, alia non. Vnde illæ voces: In hac parte cum Ecclesia sentio, in alia non: hoc placet, illud displicet: signa & argumenta curiosè exquirunt: Nisi videro, nisi tetigero, sæpius inculcant: semper scripturas scrutantur, legunt, disputant; nunquam tamen ad perfectionem scientiæ perueniunt: de sententia facilè deducuntur, vt quid hoc anno credant, facilè scias; quid futuro, non ita facilè: ex errore in errorem commigrant: fidem mortuam sine charitate, humilitate, prudentia, discretione sequuntur. Itaque Centurio magnã, isti propemodum nullam habent fidem. Meritò igitur Centurionem hunc Hilarius principem esse gentium crediturarum docet. Cùm autem Christus Dominus dicit, maiorem fidem se in Israël non inuenisse, non intelligit de præteritis patribus, Abraham, Isaäc: neque enim dicit, Non fuit; sed non inueni: sed neque ad omnes præsentes, sed eos solùm, quos ipse conuerterat: neq; Ioannes, neq; mater excluditur, qui prius crediderunt, quàm ille natus fuit. Nam Apostolos partim ab illo superari docti putant. Quod si non audeamus fideliorem illum putare quàm Apostolos, ita testimonium Christi intelligendum esse, docet author imperfecti operis, quòd vnumquodq; bonum hominis, secundùm quantitatem personæ illius laudatur. Puta si rusticus aliquod verbum sapienter loquatur, philosophus multò amplius sapienter: in modico sermone sapientiæ rusticus plus laudatur, quàm in magno philosophus: quoniam rusticum dicere aliquid sapienter, magnum est; philosophum autem dicere sapienter,

Ad Rom: 4. Ioan: 12. Lucæ 2. Matth: 15. & 17. Gen: 15. Ioan: 4. Marci 12.

ter, non eſt mirum. Aut ſi puer aliquid aſtutè loquatur, dicimus, ſatis ſapiens puer: ſi autem vir perfectus ſapienter loquatur, non laudatur quaſi ſapiens; non quia puer plus ſapiat quàm perfectus; ſed quantum ad comparationem ætatis ſuæ ſapientior videtur eſſe, quàm ille perfectus: ſic & in Centurione dictum eſt, In nullo tantam fidem inueni in Iſraël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaäc, & Iacob, in regno cælorũ. Non dixit, inquit Chryſoſtomus, multi gentium, ſed multi ab Oriente & Occidente: quo ſanè gentes voluit deſignare; non tamen audientes perinde offendit: inuolutum enim erat dictum. Neq; hac ratione tantummodò, nouũ vt videbatur, atq; inauditum hunc docendi modum lenit; verùmetiam, quia cæleſte regnum non ſuo nomine, ſed ſinum Abrahæ appellauit: quæ appellatio, etſi erat ignota illis, attamen non poterat non excitare, & quaſi mordere Abrahæ nomine in medio allato. Et Chriſtus quidem in hunc modum extulit fidem noui ſui confeſſoris; vt gloria ſit & honor omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Caluinus autem ad extenuandũ omnem ſublimitatẽ natus, ſiue illa in Chriſto, ſiue in matre eius, ſiue in ſanctis inueniatur, Arij ſpiritu ſic eandẽ fidem extenuat: Atq; hæc ratio, inquit, multos interpretes compulit, vt Chriſtum putarent Centurionis elogio celebrari, tanquam verum & vnicum Deum. Mihi autem videtur, pius vir, cùm de raris & planè diuinis Chriſti operibus certior factus eſſet, ſimpliciter Dei potentiam in illo apprehendiſſe. Aliquid etiam haud dubiè de promiſſo redemptore audierat. Licèt ergo nondum diſtinctè intelligat, Chriſtum Deum eſſe manifeſtatum in carne; ſic tamen perſuaſus eſt in eo manifeſtari, illique impoſitum fuiſſe hoc munus, vt Dei præſentiam miraculis demonſtret. Ita quod Dei proprium eſt, non tranſcribit ſuperſtitioſè in hominem, ſed quod diuinitus ſit mandatum Chriſto reputans, ſolo verbo ſanare ſeruum ſuum poſſe credit. Hæc interpres: illa magiſter. Magiſter primam fidem in Iſraël vocat: interpres extenuat, ac in ordinem redigit. Hæc ad dignoſcendos ſpiritus pertinent, quemadmodum & hoc, quod paulò pòſt ſequitur. Volebat aliquid in laudem fidei matris Dei dicere: Deum immortalem, quàm frigidè, quàm Neſtorio proximè. Iuuat elogium diſerti viri audire. Si colligemus omnes fidei partes ſaltem eo præcellit Mariæ fides, quòd ſe ex ſpiritu ſancto grauidam fore credidit, vt filium Dei vnigenitum pareret: deinde quòd filium ex ſe natum complexa eſt, tanquam factorem ſuum, mundiq; totius opificem, & vnicum redemptorem. Non ſimiliter Elizabet: Vnde mihi hoc, quia mater Domini mei venit ad me? Ecce enim vt inſonuit vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.

NOtandum, fidei magnæ arcana magna credi; vaſi puro & capaci, precioſa vnguenta. Magna fuit fides Centurionis, magna igitur illi reuelantur, de reprobatione Iudæorũ, de vocatione gentium, de præmiis bonorum, de pœnis malorum, de Eccleſiæ Dei propagatione ac vniuerſalitate, eam ſcilicet ab ortu ad occaſum colligendam eſſe, quæ ſumma & prima fidei noſtræ arcana ſunt. 19

IMprobi non ſolùm igne vrentur, ſed etiam frigore atque algore torquebuntur: Filij regni, inquit, eijcientur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Stridor ſiquidem calorem non ſequitur, ſed frigus & dolorem. Si autem fletus oculorum eſt, inquit Hieronymus, & ſtridor dentium 20

oſſa

oſſa demonſtrat: vera ergo eſt corporum, & eorundem membrorum, quæ ceciderunt, reſurrectio. Tenebræ autem ſemper interiores, non exteriores: ſed quoniam qui à Domino expellitur, lumen relinquit; idcircò exteriores tenebræ nominatæ ſunt.

21 NOtandum, falſum eſſe hoc loco axioma Caluini, Niſi hæc verbo defertur authoritas; vt ſtatuamus, ſimul ac Deus verbo locutus eſt per miniſtros, remiſſa nobis peccata; noſq; reſtitui in vitam, tota ſalutis fiducia concidit. Quid enim ſi diſpoſiti non fuerimus? quid ſi miniſter ſuos ſenſus pro verbis Dei obtrudat? quid ſi aſſentetur? quoties verò Iudæi audierunt, & eiecti ſunt, & alij in eorum locum ſuffecti? Quemadmodum & nunc filij regni vocantur, qui tamen eijciendi ſint foras.

22 TErtium miraculum eſt. Venit Ieſus in domum Petri, cibum accepturus, videt ſocrum eius iacentem, & febricitantem, & tangit manum eius, & dimiſit eam febris, & ſurrexit & miniſtrauit eis. In quo miraculo apparet differentia & excellentia curationum Chriſti, ab illis curatoribus, qui vel ab arte, vel à natura proueniunt: illi enim curant morbos, ſed non ſtatim, ſed ſenſim & pedetentim; Dominus curat ſubitò. Illi poſt ſe aliquid malum relinquunt, ſaltem diuturnum languorem & debilitatem; hic ſimul & valetudinem, & robur, & agilitatem reſtituit: quod in Petri ſocru nunc videre licet. Natura, inquit Hieronymus, hominum eiuſmodi eſt, vt poſt febrem magis laſſeſcant corpora; & incipiente ſanitate ægrotationis mala ſentiant. Verùm ſanitas, quæ confertur à Domino, totum ſimul reddit; nec ſufficit eſſe ſanatam, ſed vt ἐπίτασις fortitudinis indicetur, additum eſt, & ſurrexit & miniſtrabat eis.

SERIES EVANGELII.

23 NOtandum hoc loco, ſæpè propter bona opera, ſtudiaque pietatis, ab hominibus diuinitùs morbos auferri, vitamq; eorum prorogari, ac pauperũ cauſa reſtitui; quod ſocrui Petri nunc accidiſſe videmus, quæ propter Chriſti ac diſcipulorũ miniſterium conualeſcit, & poſtea Tabithę. Hoc idem pulcherrimè Iob explicat: Appropinquabit corruptioni anima, & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo angelus loquens, vnum de millibus, vt annunciet hominis æquitatem; miſerebitur eius, & dicet: Libera eum, vt non deſcendat in corruptionem.

Iob 33.

24 NEque verò illud nimis vrget, Petrum Apoſtolum primis temporibus vxorem habuiſſe: quia in principio prædicationis Chriſti ſocrum habuerit. Quaſi verò hæc vxor, aut mori non potuerit interim, antequam munere prædicationis Petrus fungeretur: aut à Petro relinqui? ipſum certè Petrum dicentem legimus: Ecce nos relinquimus omnia, quid ergo erit nobis? Sed quid ad rem, ſiue habuerit, ſiue non?

25 SEquitur quartum miraculum, aut potiùs miraculorum congeries. Cùm enim demonſtraſſet Saluator noſter, quantum ſubiecta ſit ſibi humana natura, omneſq; miſeriæ humanæ; nunc quantũ ſibi dęmonia pareant, oſtendit. Veſpere inquit, facto, obtulerunt ei multos dęmonia habentes: & eijciebat ſpiritus verbo, & omnes malè habentes curauit; vt impleretur quod dictum eſt ab Iſaia propheta: Ipſe infirmitates noſtras portauit. Omnes iſti, inquit Hieronymus, non manè aut meridie curantur, ſed veſperi, quando ſol occubiturus erat, quando granum in terra mortuum, vt multum fructum ferat.

SERIES EVANGELII.

Notan-

NOtandum autem est ex hoc loco, dæmonia spiritus esse, (sic enim hoc loco appellantur) contrà quàm sentit Psellus, & qui eum sequuntur, qui corpora esse arbitrantur. Adducit autem, ad rem verisimilem faciendam, locum Isaiæ: quem pulchrè interpretatur Euthymius. Sed Matthæus de corporalibus languoribus ac morbis, metaphorico verbo loquitur. Isaias verò languores & morbos peccata appellauit, quæ Christus sumere ac portare dicitur, in modum victimæ. Nam animal, quod pro peccatis ad victimam producebatur, quodammodo peccata omnium in seipsum suscipiebat, ac portabat: & populum quidem his liberabat, ipsum verò propter hæc iugulabatur. Pulchrè autem propheticum dictum transumpsit Euangelista. plurimi siquidem languores & morbi corporales à peccatis oriuntur; sicut in progressu docebimus, nihilq; vetat hæc quoque vocari peccata. 26

DVm hæc fiunt, hominesque ad singula facta obstupescunt, ecce vnus ex illis, qui tantis operibus intererant, se in discipulum illi tradere voluit, primus ex Scribis, hoc est, doctis ac philosophis illius gentis & seculi. Qui videns qualia signa faceret Dominus; ac eadem se posse facere existimans, ac inde quæstũ grauem sperans: vt hoc genus hominum, etsi perneget, facere solet: genus hominum vitæ commodæ & quietæ assuetum, habitumq; in honore, famis & inopiæ, rerumq; aduersarum insuetum & crucis impatiens: compellat Christum Dominum: Magister, inquit, sequar te quocunque ieris. Crucem non cogitat: vult quidem Christum sequi, sed mollem & amœnam vitam somniat, & lauta hospitia, prolixasque cænas. Per spinas ambulandum est, qui Christum sequi velit. Fidei affectio non interroganda est, sed sequenda, inquit Hilarius. Cuius vanitatem Christus Dominus videns, ac quantum fallatur animaduertens, longè suam doctrinam à lucris & quæstibus abesse, ab honoribus longè remotiùs, à voluptatibus autem remotissimè, ostendit miti & humana obiurgatione; indicans ipsum doctorem & magistrum, cuius caput Deus est, non habere vbi caput suum reclinet: & vulpes quidem foueas suas habere, aues nidos, formicas & locustas specus; se autem non habere, vbi caput reponat suum: philosophus autem extra telorum iactus militare vellet, atque ex aliena mensa lautè & liberaliter in otio pasci. Ac si dicat: Putas, vbi me secutus fueris, te opes aliquas collecturum, honores & gloriam quæsiturum, iucundo otio fruiturum, cùm videas meipsum domo carere? Cogita ergo, quæ sit futura conditio discipuli mei. Hoc autem cùm dicit, non vetuit se sequi, sed docuit, quod sequens non inuenturus esset lucrum, quod quærebat, dicit Euthymius. Cæterum ille intelligens, quòd cognitus esset, ac proposito frustratus, siluit. 27

FIlium autem hominis seipsum vocat, confirmans quod verè & non phantasticè sit incarnatus, vt quidam suspicantur, hominem dicens nunc matrem suam. Nam ἄνθρωπος homo vocatur, non tantùm vir, sed & mulier. Præclaram verò vetustissimus martyr Iustinus de hoc nomine quæstionem instituit: Quoniam, inquit, Dominus seipsum perpetuum filium hominis, masculino non fœminino genere nominat, ideóque conantur infideles ostendere eum natũ esse ex coniugali coniunctione, quoniam hominis nomen sit viri, non fœminæ, quibusnam rationibus inane maledictum hoc refellemus? RESPONSIO. Si ex coniugali coniunctione natus fuisset Dominus, non dixisset Scriptura, vt putabatur 28

batur filius Iosephi. Nam, putabatur, de ijs, qui ex cõiugali coniunctione nascuntur, dictum esse non potest. Iam verò propter vnam obscuram curtamque vocem, euertere omnes illas voces, quæ apertè tradunt Christum ex spiritu sancto, & Maria virgine natum, absurdissimum est. Ad euertendum autem eorum vanum conatum, huiusmodi rationibus vtemur. Si quia non dixit, se Christum filium hominis fœminæ, propterea non est filius hominis fœminæ: sequitur, vt quia non dixit se filium alicuius hominis, non sit filius alicuius hominis: quòd si non est alicuius hominis filius; necesse est, vt neque hominis sit filius. Item, si quemadmodum filius Eli dictus est Ioseph secundùm legem, citra coniugalem coniunctionem? Huius enim causa ita rem moderata est diuina gratia; vt virgo desponderetur viro, qui duos patres habuerat; vnum secundùm naturam, ex connubiali congressu; alterum secundùm legem, sine connubiali congressu: in illius generatione adumbrans Christi generationem, qui ex spiritu sancto natus est filius Dei, ex vxore autem Iosephi, filius Ioseph. Spiritus sanctus inuadet te, & virtus supremi inumbrabit te: itaque quod ex te nascetur sanctum Domino, vocabitur filius Dei. Enimuerò, si quod natum est ex vxore Eli, filius est Eli secundùm legem Dei; multò magis ex vxore Iosephi, Deo ita volente, filius est Iosephi citra coniugalem congressum. Hæc Iustinus.

SERIES EVANGELII.

29 HVnc alius ex populo secutus se offert, ac eum se secuturum pollicetur: sed prius veniam sepeliendi patris poscit. Addit tertium Lucas, qui eandem voluntatem magistro offert, sed petit vt priùs valedicere suis possit.

30 NOtandum, ex hac doctrina, pulcherrima doctrinæ christianæ principia colligi. Primùm ingratum illum seruum & discipulum esse Christo, qui illum spe lucri & honoris sequitur. Quod pulchrè explicat Hieronymus: Ostenditur, inquit, nobis, & ob hoc scribam repudiatum, quòd signorum videns magnitudinem, sequi voluerit Saluatorem; vt lucra ex operum miraculis quæreret: hoc idem desiderans, quod & Simon Magus à Petro emere voluerat. Talis ergo fides iuxta sententiam Domini condemnatur, illíq; dicitur: Quid me propter diuitias & seculi lucra cupis sequi; cùm tantæ sim paupertatis, vt ne hospitiolum quidem habeam, & non meo vtar tecto?

31 SEcundò notandum, nihil tantum debere esse apud nos, quod nos à Christi doctrina ac imitatione reuocare possit, iuxta Paulum: Quis nos separabit à charitate Dei? non gladius, non persecutio, sed nec parentes. Oportet quidẽ parentes colere, sed Deum magis.

32 TErtiò notandum, qui Deo & Christo non viuit, eum viuentem mortuum esse. Ideò nunc dixit, Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

33 NOtandum quartò, ex hoc loco D. Chrysostomum nos docere: Nullo momento temporis caduca hæc, etiamsi necessaria videantur, spiritalibus anteferenda esse.

34 NOtandum quintò, in examine eorum, qui ad Ordines accedere volunt, finem & scopum eorum imprimis expendendum esse, & diligenti trutina examinandum.

SExtò notandum, cultum & seruitutem Dei, dimidium hominem non admittere, totum poscere: Diliges, inquit, Dñm ex toto corde. Et Paulus: Qui vxorem habet, diuisus est. Itaq; hic ne suis quidem valedicere permittitur. 35

SEptimò, neminem accipientem manu aratrum, & respicientem retrò aptum esse regno Christi. Euenit hoc vxori Loth, quæ Sodomam respexit: euenit Luthero, & alijs hoc nostro seculo multis. Væ illis, inquit Theophylactus, qui cùm Monachi facti sunt, ad secularia reuertuntur. 36

OCtauò notandum est, non habere nos hîc ciuitatem manentem, sed futuram inquirere: quandoquidem caput nostrum, neque nidum, neq; foueam habuerit: ergo nudi nudum sequamur Christum: Omnis conuersatio nostra sit in cælo, inquit Paulus. Talem decuit esse paupertatis magistrum; talem discipulum esse oportet eum, qui cælestia appetit: ne conuertatur ad terrena, néue reiectis viuis mortua inquirat, nec suprà Deum honoret parentes. Cessare enim debent omnia, quæ hominibus debentur, vbi Deus sibi impendi iubet operam. 37

NOtat hoc loco Hilarius: Quomodo, inquit, mortui mortuos humabunt? Primùm igitur in se ostendit, perfectam fidem nulla secularis in alterum officij religione esse deuinctam. Deinde inter filium patremque infidelem ius paterni nominis non relinqui: Non igitur obsequium humandi patris negauit, sed addendo: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; admonuit non admisceri memorijs sanctorum mortuos infideles. Mortuos autem eos esse, qui extra Deum viuunt: & idcircò mortua mortuis officia relinquenda, vt mortui sepeliantur à mortuis: quia per Dei fidem viuos viuo adhibere oporteat. 38

SERIES EVANGELII.

A Dæmoniorum eiectione, ad eas res quæ sensu carent, se refert Euangelista; vt ostendat eam vim esse huius ipsius verbi, in rebus etiam sensu carentibus, ventis, inquam, & procellis maris, quæ nulla spe, nullo metu Deo parêre solent; vt ad verbum eius moueantur & commoueantur; vt hic ipse qui imperat, Dominus maris terræque esse demonstretur. Ascendit igitur in nauiculam, in puppi super ceruicali obdormit, sequuntur eum discipuli eius. Corpore dormiebat, deitate verò concitabat & conturbabat mare, & iterum complacabat. Et ecce motus magnus, eo iubente & mouente, in mari factus est: ita vt nauicula operiretur fluctibus. Cuius signum quondam in Iona Propheta præcesserat. qui cæteris periclitantibus, ipse securus in puppi dormiebat; & suscitatus, ac in mare proiectus, salutem attulit: dogmaque datur ecclesiis, intra quas verbum Dei non vigilat, eas naufragari. Non quòd Christus in somnum relaxetur; sed quòd somno nostro in nobis dormire dicatur. Et accedunt ad eum discipuli eius, dicentes: Domine, salua nos, perimus: Et vt alius Euangelista dicit: Præceptor non est tibi curæ, quòd perimus? Et vt Lucas: Præceptor, perimus: eam fiduciam habentes, quòd solo verbo placare posit mare; relinquentes in omne tempus Apostolicis viris exemplum, quô confugere debeant in summis & extremis ecclesiarum suarum naufragijs. Increpat diffidentes Dominus seruos, creator creaturam: Quid timidi estis, inquit, modicæ fidei? quasi dormiat, aut dormire posit, qui custodit Israël, aut quasi dormiens saluare non posset, qui maximè vigilat, cùm dormire videtur. At ille surgens increpauit ventum & tempestatem aquæ; & cessauit, & facta est tranquillitas. Decet, inquit, 39

Orige-

Origenes, magnum magna & miranda facere : ideò paulò ante magna accinctus potentia magnificè conturbauit profundum maris ; & nunc iterum in eo ipſo oſtendens ſuæ magnificentiam maieſtatis, tranquillitatem magnam fieri iuſsit. Hoc ideò vt nimium conturbati Apoſtoli magnificè exhilarati lætarentur. Dixit autem illis : Vbi eſt fides veſtra ? Et vide humanitatem;infideles non vocat, ſed modicæ fidei. Nam quatenus ad Chriſtum recurrunt, fidem demonſtrant; quatenus ſe, illo præſente, ſiue dormiat, ſiue non dormiat, perituros exiſtimant, modicæ ſunt fidei. Priùs igitur illorum tempeſtatem animorum componit, deinde maris : Imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Quod futurũ ante prænunciauerat Dauid : Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ & timuerunt, & turbatæ ſunt abyſsi. Et longè antè hoc idem Sibylla cecinerat : τοὺς ἀνέμους παύσει τε λόγῳ στώσει δὲ θάλασσαν μαινομένην ποσὶν εἰρήνῃ πίστει τε πάτησας. Oportebat autem illos magnum timoris ſenſum comprehendere, vt etiam ad magnæ potentiæ illius ſenſum peruenirent, & maiorem de eo fidem acciperent. Permittit autem Deus multis de cauſis eam in Apoſtolos trepidationem, talemque metum : ne tot tantiſque miraculis viſis ſuperbiant : ne quod præcipui in nauem ingreſsi ſunt efferantur: vt exerceantur in ferendis tentationibus: vt magis in fide confirmentur, & cognoſcant ſuam infirmitatem, & ad eum recurrere neceſſe habeant;vt quaſi orbis aliquando athletæ, ad metus & trepidationes inſtruantur, tanquam mundi gubernatores ad procellas tentationum ferendas animentur. Porrò homines admirati ſunt dicentes : Qualis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei ? Hanc dominici verbi virtutem, & eorum, qui in naui erant admirationem, olim ſanctus Dauid prædixerat : Qui deſcendunt, inquit, mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo : Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ : & exaltati ſunt fluctus eius. Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius, & lætati ſunt quia ſiluerunt. Neque tamen diſcipulos hæc dixiſſe, ſed alios eos, qui in naui erant, teſtatur Hieronymus. Neq; enim de quoquam retroactorum ſeculorum ſimile quid dictũ legerant, vel audierant. Nam & Moyſes in virtute virgæ, vi cælitùs demiſſa, diuiſerat mare : & Helias ictu melotæ Iordanem tranſiit. Audiant autem has voces Ariani, & erubeſcant, ad ſéq; redeant: Quis eſt hic, cui mare & venti obediunt ? Intelligimus, inquit Hieronymus, hoc loco, quòd omnes creaturæ ſentiant creatorem. Quas enim increpauit, & quibus imperauit, ſentiunt imperantem : non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, ſed maieſtate conditoris, quæ apud nos inſenſibilia, illi ſenſibilia ſunt. Et de nauicula quidem hæc hiſtoria eſt ; myſteria autem illa.

Pſalm : 76.

Pſalm : 106.

40 NOtandum primò : Per nauiculam veteres omnes eccleſiam deſignauiſſe. Iam Apoſtolorum tempore Clemens Romanus ad Iacobum fratrem Domini : Similis namque eſt ſtatus omnis eccleſiæ, magnæ naui, quæ per vndoſum pelagus diuerſis è locis & regionibus viros portat, ad vnam potentis regni vrbem properare cupientes. Sit ergo nauis huius Dominus, ipſe omnipotens Deus ; gubernator verò ſit Chriſtus. Tum deinde proretæ officium Epiſcopus impleat, presbyteri nautarum, diaconi diſpenſatorum locum teneant : hi qui catechizant, nautologis conferantur : epibatis autem, totius fraternitatis multitudo ſimilis ſit : ipſum quoq; mare, hic mundus habeatur : ventorum verò varietates & turbinum, diuerſis tentationibus conferantur : perſequutiones, tribu-

lationes, & pericula fluctibus exæquentur. Terreni verò spiritus, qui vel de torrentibus, vel de conuallibus spirant, pseudoprophetarum & seductorum, seu prauæ doctrinæ verba ducantur: promontoria verò, & loca confragosa, hi qui in potestatibus seculi sunt iudices, & pericula minantur & mortes. Dithalassa verò loca, quæ duplicibus vndæ fallacis æstibus verberantur, dubijs mente, & de repromissione veritatis nutantibus conferantur, atque his, qui irrationabili fidem nostram ratione discutiunt. Hypocritæ autem & dolosi, pyratis similes habeantur. Iam verò rapidus vortex, & tartarea Charybdis, & saxis illisæ naufragia, ac mortiferæ submersiones, quid aliud æstimanda sunt, quàm peccata? Restat igitur, vt hæc nauis cursu prospero tuta posit portum desideratæ vrbis intrare, ita Deo precem fundere nauigantes; vt mereantur audiri. Audiri autem à Deo ita demum merebitur quis, si orationes ipsæ bonis moribus, & bonis operibus adiuuentur. Sed ante omnia, quietè & silentio epibatæ (id est laici) in suis vnusquisq; resideant locis; ne fortè per inquietudinem, & inconditos inutilesque discursus, si passim vagari cœperint, vel ab officio suo nautas impediant, vel in alterum latus per inquietudinem eorum nauis pressa demergatur. Nautologi de mercedibus commoneant, & nihil omninò, quòd ad diligentiam & disciplinam pertinet, diaconi negligant. Presbyteri velut nautæ aptent singula ad instructionem nauis diligenter, & instruant, quæ in suo tempore requirenda sunt. Episcopus tanquam proreta, vigilanter & sollicitè gubernatoris verba custodiat Christi. Saluator Dominus gubernator ecclesiæ suæ, diligatur ab omnibus; & ipsius solis præceptis ac iussis credat & obediat omnis ecclesia. Deo quoq; indesinenter supplicetur à cunctis de prosperitate ventorum; vt nauigantes omnem tribulationem & omne periculum superent, tanquam mare profundum mundi istius & vitæ humanæ pelagus nauigantes, in quo esuriendum sit & sitiendum: nuditatem quoq; ferendam, morbos etiam corporis & ægritudines tolerandas: insuper & hominum insidijs ac dolo sæpè laborandum, quippè qui dispergendos se nonnunquam nouerint, sed aliquando etiam congregandos: vomitus quoque & sugillationes ferendas, quum ex confusione peccatorum & reiectione criminum, velut malè congregati in visceribus fellis, iactura facienda est; & abijcienda prorsus è corde omnis, intrinsecus quæ latet, amaritudo peccati; si qua fortè ex desiderijs iniquis, velut ex cibis noxijs, congregata est. Quam vtique cùm euomuerit quis & abiecerit, ingentis ægritutinis liberabitur morbo; si tamen post vomitum, quæ ad sanitatem pertinent, sumat. Idem sentit Clemens Alexandrinus, qui ecclesiam Dei non lembo, qui ex vno integro ligno constat, sed naui ex multiplici genere lignorum, velorum, remorum, rudentium constanti, quæ omnem conscensorem recipit, præter latronem & piratam. Idem Origenes, idem Ambrosius. Hilarius autem sic venustè: Vt autem nauicula Christi ecclesiam designat; ita procellæ, & venti, ipsas calamitates, tribulationes, persecutiones, quibus toto hoc peregrinationis suæ tempore vexatur, discruciatur, iactatur: quibus etsi illa iactabatur & feriebatur semper, siue in lege naturæ, siue in lege scripta, siue sub euangelio; submersa tamen non est. Nunquam defuit Abeli suus Cain, nunquam Iacobo Ismael, nũquam Iosepho iniqui fratres, nunquam Moysi suus Core & Abiron, nunquam Dauidi suus Absalon, Christo Domino Iudas & pharisæi. Quamuis enim semper tot procellas pertulit; nunquam tamen iactari magis cœpta, quàm vbi primùm eam Dominus conscendit, in eáq; dominari cœpit, cuius rei hæc nauicula, quam interpretamur, signum & figura fuit. NO-

41 NOtandum ſecundò, iactationum iſtarum & procellarum varias ſemper extitiſſe ſpecies, varia genera. Mitto illa communia idola ac dæmones, Aſtrologos, magos, diuinos, illa perpetua improborum erga probos odia; hæc magis proxima & ſingularia accipio.

42 PRimus ventus fuit veterum poëtarum, quos antiqui theologos vocabant, qualis fuit Muſæus, Orpheus, Linus, Heſiodus, Homerus, figmenta & fabulæ, in quibus diabolus, quædam religionis noſtræ arcana, vt illa eleuaret, ac eis fidem detraheret, illaque contaminaret, adumbrauit; qualia illa erant, quæ ad generationem deorum, ad aſſumptiones ſpecierum pertinebant; illa item quæ ad virginitatem, ieiunia, & alia myſtica arcana pertinebant. Turbabat hic ventus primis temporibus non parum eccleſiam. Refert hæc vberiùs Iuſtinus Apologetico 2. Cyrillus 12. in Ioan. cap. 20. Euſebius lib. 2. cap. 2. Auguſtinus & alij.

43 SEcundus ventus eſt, inanis philoſophiæ, quæ longè antè, quàm res noſtræ ſtetiſſent, impugnabat ea, quæ in poſterum in eccleſia magnam fidem habitura erant, animæ immortalitatem, corporum reſurrectionem, Dei prouidentiam, ac gubernationem, rerum præſertim ſingularium. Itaq; Tertullianus alicubi philoſophos patriarchas hæreticorum eſſe dicit.

44 TErtius ventus eſt, ſynagogæ obſtinatio, & pertinax rei chriſtianæ expugnandæ ſtudium; quod tantò plus valuit, quantò magis in eorum vitula arabatur, ex eorumque principijs omnia demonſtrabantur. Refert Iuſtinus Martyr, in quamcunq; prouinciam proficiſcebantur Apoſtoli, eòdem duodecim præſtantiſsimos doctores legis mitti ſolitos, qui ex lege, prophetis & pſalmis eos confutarent, quibus Apoſtoli maximè nitebantur, & quæ fundamenta conuertendorum populorum habebant: eoſque legis, quam docebant, præuaricatores & ignaros eſſe arguerent; ac ea quæ illi docerent, à lege alieniſsima eſſe demonſtrarent. Et hi quidem venti ex antris & cauernis humanæ ſapientiæ prodibant: quos ſimplices piſcatores verbo Dei ac ſimplicitate ſua ſuperârunt.

45 QVartus ventus fuit, regum atque principum terræ, de quo illud: Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Qui primùm aperta vi, per omnia tormenta, omnes cruciatus, carnifices, omnes ignes, feras, equuleos, per quadringentos propemodum annos, decem continuis perſecutionibus eam perſecuti ſunt; donec confectis tormentis, feſsis manus conciderunt. Ceſsit ferrum, ignis extinctus, cataſtæ fractæ, carnifices defatigati, illis canentibus: Quis nos ſeparabit à charitate Dei, num perſecutio, an gladius? Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Quæ pulchrè Seuerus Sulpicius his verbis deſcribit: Diocletiano & Maximiano imperantibus, acerbiſsima perſecutio exorta, quæ per decem continuos annos plebem Dei depopulata eſt, qua tempeſtate omnis ferè ſacro martyrum cruore orbis infectus eſt: quippè glorioſa in certamina ruebatur, multoque auidius tum martyria glorioſis mortibus quærebantur, quàm nunc Epiſcopatus prauis ambitionibus appetuntur. Nullis vnquam bellis magis mundus exhauſtus eſt; neque maiore vnquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum ſtragibus vinci non potuimus. Quæ omnia longè prolixiùs explicat D. Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 21. Et vi quidem

aperta hoc illi fecerunt; occulta autem fraude, & quasi ex insidijs posterioribus temporibus illa: vbi diabolus illis persuaserat, non alia ratione illos firma imperia habituros, opes, patriam; nisi cum antiquis idolis coniungerentur, prisca numina reuocarent. Refert hoc Basilius epistola 71. Refert Theodoretus lib. 1. cap. 1. Fuerunt venti isti ex antris potentiæ, quos ecclesia Dei superauit magnitudine patientiæ suæ.

46 SExtum genus ventorum, aut potius scopulorum latentissimorum & maximè exitiosorum. Cùm enim animaduertisset diabolus eam vim Christi esse regni, ac in tantum illud excreuisse, vt illi nullo modo palam nocere posset; clam & ex insidijs illud aggreditur; ac primum in locum idololatriæ hæreses inducit, deinde ipsorum sacerdotum & cultorũ hæreticos, qui vultu quidem & specie se amicos profitentur, re autem ipsa pestes & labes nocentissimæ sunt; foris oues, intus autem lupi rapacissimi. Quæ ars mirum in modum diabolo successit: quod enim neq; philosophorum astutia, neque synagogæ pertinax studium, neque tyrannorum tormenta, carnifices, cruces potuerunt; hæc ipsa blandæ vulpeculæ astutia effecit. De quo vtroq; genere præclarè Origenes: Scitis, inquit, quomodo sæpius consilia infidelium commota sunt aduersus veram & firmam ecclesiam, aliquoties hæreticorum, aliquoties paganorum, quam comminantes & conterentes huius principes mundi, per omnia perdere se ecclesiæ filios arbitrabantur: sed surgens Dominus increpauit ventos dæmonũ, & omnes euanescere fecit audaces aduersarios fidei, magnamque pacem & tranquillitatem dedit Ecclesiæ suæ.

47 SEptimum genus procellarum, falsi fratres, hypocritæ & sycophantæ, qui vultu Christum simulant, premunt alta mente scelus: & verbis quidem eum affirmant, at factis negant, iuxta illud: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt: qui regnum cæleste iactant, in terra autem toti demersi sunt; qui non in pectore, sed in labijs habent sanctitatem: & vnde alios maximè deterrent, in eo ipsi luto hærent: in alienis vitijs lyncei, in suis talpæ: qui cùm maximè fallunt, tum se viros bonos haberi maximè cupiunt. Superat hos ecclesia vera in Christum fide, syncerітate & veritate: illisque D. Pauli verbis: Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit.

48 NIhil autem huic naui magis nocet, nihil magis aduersum est, quàm peccatores, atque peccata ipsa. Hæc enim non iam amplius iactant, non impellunt, non inclinant nauem: sed simpliciter, tanquam lapides quidam inutiles, aut magna vis arenæ, demergunt ac in profundum detrudunt: iustos remissos faciunt: in scandalum inducunt: iniustos à conuersione & pœnitentia reuocant: Iudęos ac gentiles in sua pertinacia conseruant: Christi nomen inter gentes malè audire faciunt: ecclesiam pudore suffundunt: diuinas aures, ne ecclesiam suam audiant, obstruunt: oculos, ne sint super eam intendentes, claudunt: pia pectora torquent & excruciant; dum fratres ac membra sua in certam perniciem trahi vident: aduersa super iustos etiam, ac vniuersam ecclesiam, & tribulationes congerunt. Ab his igitur maximè cauendum, maximaque contentione ea fugienda sunt. Vt autem hæc vniuersa nauicula his fluctibus agitatur & impellitur; ita & singula eius membra, singula tabulata. Pars nauis istius nõ

eſt, quæ partem tempeſtatis iſtius non ſuſtineat. Hæc omnia quidem, primò Chriſtus Dominus gubernator ſuſtulit, deinde principes illi remiges Petrus & Paulus: In labore & ærumna, inquit Paulus, in fame & ſiti, in ieiunijs multis. in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, &c. *2. Corinth: 11.*

49 NOtandum tertiò, quæ tandem cauſa eius tempeſtatis, tantæ vexationis? Deus né? At is cuſtos eſt, Saluator, virtus, refugium, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Diabolus né? At ille damnatus eſt, mancipium eſt. Quis igitur? an vterque ſuo modo, Deus & diabolus? Nam & præſentis tempeſtatis Chriſtus Dominus videtur eſſe cauſa, & ventus, & procella. Solet enim diabolus & ventis & procellis abuti; vt principibus, & tyrannis, qui per ventos & vndas deſignantur. Vtraq; igitur hæc cauſa eſt, quamùis diuerſo modo & fine: Deus permittit, & dat imbelli & impotenti diabolo poteſtatem; diabolus autem adfert improbam voluntatem, & exequendi ſtudium, propter odium in Deum & homines; & aliorum accendit, atq; violat prauas voluntates: quod in beato Iob apertè eueniſſe legimus. Eſt igitur & Deus & diabolus tantorum malorum cauſa. Deus, qua parte bona ſunt: diabolus, qua parte mala: alter permittit, alter perficit. Vt autem diuerſo modo iſtæ ſunt cauſæ; ita & diuerſo fine. Diabolus vt confundat, perdat, à Deo auertat; quomodo D. Iob, volebat per vxorem perdere: Latro enim non venit, niſi vt furetur; Deus vt probet, ſeruet, ad ſe redire faciat.

50 NOtandum quartò, quo fine, aut qua cauſa hæc tam dura, clemens pater, inimico permittat? Multas ob cauſas per omnem modum.

51 PRimum ad expianda peccata, proter quæ aduerſa euenire ſolent. Quamùis enim eccleſia ſit ſancta, immaculata, ſine ruga & macula; in hoc tamen puluere & fecibus mundi, non eſt poſsibile, quin non aliquando inquinetur, & ſub ſole hoc non decoloretur. Non peccat ad mortẽ; quotidie tamen dicit: Dimitte nobis debita noſtra. Formoſa eſt; fuſca tamen, decolorauit illã ſol, conſperſi ſunt pedes eius: & ideò quemadmodũ veſtis purgatur à tineis & puluere, virga & baculo; ſic tribulationes purgant & excutiunt eccleſiæ vitia. & proinde orat: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Ea eſt enim labes peccati, teſte Auguſtino & Cypriano, vt ea quotidie in ſanctis viris martyrijs & perſecutionibus expietur, vt primùm incipiat iudicium à domo Dei.

52 SEcunda cauſa eſt, ad ſanctificationem Dei eccleſiæ; quæ in eo eſt, vt adhæreat ſponſo ſuo ſemper, vt illud occinat: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. & illud: Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio illius. Zelotes ille eſt, hoc eſt, amoris perfecti, & non communicati. Et ideò non vult ſponſam ſuam vagari poſt greges alienorum. Permittit fulgura, procellas, quæ compellant ſponſam ad ſponſum; vt auxilium petat, vt illud occinat: Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. & hoc noſtrum: Domine, ſalua nos, perimus. Nam & liberi tum demum in ſinum & complexum ſuorum parentum ruunt, vbi aliquid periculi & metus externi adeſt; ad quam rem dedita opera parentes territamenta comparare ſolent. itaq; Sapiens: Qui diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, vt lætetur in nouiſsimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia. Quod nunc in Apoſtolis metu perculſis videmus. hinc illud: Imple, Domine, faciem eorum ignominia, & quærent te. & illud: Cùm percutiebat eos, reuer- *Eccle: 30.*

tebantur, & diluculò veniebant ad eum. Quod pulchrè Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, & alij patres explicarunt.

53 TErtiò, immittuntur hæc mala, ob discretionem bonorum à malis, purgationemque ecclesiæ, vt notat Augustinus. Nam, cùm ecclesia sit area, habens & triticum & paleam, frumentum & zizania, corpus bonis succis ac prauis humoribus temperatum; venti isti tribulationum ac procellarum ventilabrũ sunt, quod paleam á tritico disiungit; medicamenta sunt, quæ malos humores à bonis succis distinguunt. Iis igitur ingruentibus, facilè se quisq; prodit extra, qualis intus fuerit. Nam in pace & quiete omnia permiscentur. Tempestas gubernatorem probat, bellum militem, res aduersæ amantem Deum, iuxta illud: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, permansissent nobiscum. Quod in hoc hæresum exortu abundè apparuit: qui viri boni & graues fuerunt, manserunt in area; qui leues & vani, secuti hæreses, & in dies deteriores euaserunt. vnde illud sponsi: Surge aquilo & veni auster, & perfla vineam meam. *Cant: 4.*

54 QVemadmodum autem hæc talis medicina purgat, ita & probat, quantum inter fideles sit fidei, quantum spei, quantum charitatis. Nam & nunc non prius apparet, quanta hæc fuerint in Apostolis, quàm ista tempestas orta fuit. Sequebantur illi Christum, præsenti vbique aderant, à publicanis & peccatoribus accipiebantur: at tempestate instante turbantur, in horto fugiunt, alij abnegant. At non eodem modo S. Iob, qui tanquam palma, onere pressus, se erexit: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factũ est: sit nomen Domini benedictum. Ideóque Deus benedixit nouissimis Iob, magis quàm principio eius. Sed & ipsi Apostoli confirmati ex alto: gaudentes ibant à conspectu Concilij, quòd digni essent habiti, pro Christi IESV nomine contumeliam pati.

55 IMmittuntur item isti venti & procellæ, exercitij ac certaminis causa; ac per consequens, coronarum ac præmiorum: Neq; enim, inquit Paulus, coronabitur, nisi qui legitimè certauerit; vt accipiat sponsa coronam læticiæ pro luctu, sertum exultationis pro cinere. Cùm autem nihil magis deceat sponsam, quàm ad mensam sui sponsi esse, indumentis eius indui, eum sequi, sub eius corona incedere, eius trabea ornari: mensam igitur & calicem suarum tribulationum & angustiarum illi apponit & propinat: corona spinea, suæ victoriæ insigni, decorat: trabea suæ virtutis induit; vt his gemmis, his margaritis conspicua sit; & cognoscatur ab omnibus & singulis, hanc sponsam eius mariti esse.

56 SEd non minor est causa tantorum certaminum gloriatio Christi, & sanctorum eius; vt ostendatur principibus & potestatibus mundi huius, angelis item & spiritibus beatis, mundique rectoribus tenebrarum istarum, Iudæis ac Gentilibus, Arianisq;, multiformis gratia Dei in sanctis eius, regimen item & gubernatio, iuxta illum celebrem cantum: Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Quemadmodum enim magnus Imperator, fortes milites legionis suæ, quibus confidit, educit spectandos in aciem; ac in eos, hostes, quæ velint, experiri iubet; similiter bonus miles loricam, arma, scutum suum telis exponit, vt experiatur quantum valeant: scit enim non cessura: eodem modo Christus

ſtus Dominus ſummus Imperator, fortis armatus extendit legionem ſuam; arma ſua omnibus telis inimici ſui exponit, vt quid poſsint experiatur. Rectè enim nouit, legionem iſtam non fugituram, arma & clypeum non ceſſurũ. Odor iſte eſt ſanctorum. Et quemadmodum aromata, niſi trita vel accenſa non olent; ita ſanctorum vitæ in tribulationibus & anguſtijs dant ſuauitatem odoris, iuxta illud Sapientis: Et certamen forte dedit illi, vt vinceret, & ſciret, quoniam omnium potentior eſt ſapientia. Et hæc eſt gloriatio ſanctorum, in conſpectu Dei & mundi. *Sapien: 10.*

57 VLtimò, permittit Deus hæc mala, propter accenſionem deſiderij vitæ futuræ: Hæc enim mala, quæ nos premunt, dicit Auguſtinus, ad Deum nos ire compellunt; futura ſpectare iubent, præſentia contemnere. Quomodo parentes filios ſuos ab externis regionibus fame & inopia rerum domũ reuocant; vt ingemiſcant illis verbis: Quare incolatus meus prolongatus eſt? & vt ad parentes reuertantur, dicentes illud: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Nam reuera libenter rebus terrenis affigimur, nimiſque hoc nos delicatum diuerſorium tenet, atq; amara eſt mortis memoria homini pacem habenti in diuitijs ſuis.

58 SEd & ſuperbiæ noſtrę deprimendæ atque humilitatis inſerendæ cauſa, vt rectè cognoſcamus, nos in via eſſe, non in patria, non habere ciuitatem manentem, ſed futuram inquirere. Nam illud admodum periculoſum eſt: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua: Bonum igitur mihi, quia humiliaſti me: Domine, ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me. *Pſalm: 72.*

59 NOtat ad extremùm Author Imperfecti operis, eſſe & aliam ſeculi nauem, non Dei, id eſt collectionem hæreticorum, quæ ſibi nomen huius eccleſiæ vendicat. Aduerſus quam diem iudicij futurum Iſaias manifeſtè declarat: Dies, inquit, Domini Sabbaoth, aduerſus omnem contumelioſum & ſuperbum. Et paulò poſt: Aduerſus omnem nauem maris, id eſt, omnem eccleſiam hæreticorum, de qua alibi idem Iſaias retulit: Dirupti ſunt, inquit, funes tui, quæ non valuit arbor tua, inclinauerunt vela tua, & non laxabunt vela tua. Nauem verò hanc maris eſſe dixit, quia huiuſmodi eccleſia non Dei eſt, ſed ſeculi: quæ licet habere in ſe prædicationem dominicæ crucis videatur; inualidam tamen hanc eius arborem oſtendit: quia vbi non eſt veritas fidei, infirma crucis aſſertio eſt. Vnde inclinata & laxata vela eius ſunt oſtenſa, quod nullo flatu ſancti Spiritus diriguntur. Et ideò huiuſmodi nauis, hoc eſt, eccleſia hæreticorum amiſſo veræ fidei gubernaculo, dominantibus aduerſis ſpiritibus, in naufragium mortis æternæ demergitur, quæ gubernari à Chriſto Domino non meretur. *Homil: 23.* *Iſa: 33.*

60 AB inanimatis & ſenſu carentibus, ad dæmonia atq; adeò bruta animantia iterum ſe refert, atq; in ijſdem potentiæ ſuæ vim exerit atque demonſtrat: Occurrunt ei duo dæmoniaci ex monumentis exeuntes. Neq; enim præ ſæuitia inter homines manere poterant, ſed intra ſepulchra, quæ more veteri ante vrbem extrui ſolebant, vagabantur: dæmoniaci verò illi ſæui erant nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam. Et ecce clamârunt dicentes: Quid nobis & *SERIES EVANGELII*

bis & tibi Iesu fili Dei? Audiant Ariani testimonium dæmonum, & audiant se deteriori conditione esse, quàm fuerunt dæmones. Non voluntatis autem, inquit Hieronymus, ista confessio est, quam præmium sequitur confitentis; sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos; velut si serui fugitiui post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur: sic & dæmones cernentes dominum in terris repente versari, ad iudicandos se venisse credebant. Præsentia Saluatoris, tormentum est dæmonum. Ridicule putant quidam, dæmones scire filium Dei, & diabolum ignorare, eò quòd minoris maliciæ sint quàm ille, cuius satellites sunt: cùm omnis scientia discipulorum ad magistrum referenda sit: & tam dæmones, quàm diabolus suspicari magis filium Dei, quàm nosse intelligendi sunt. Nemo enim nouit filium, nisi pater. In sepulcris autem libenter morantur dæmones, inquit Euthymius, prauam opinionem hominibus immittere volentes, quòd mortuorum animæ dæmones fiant, & circa propriorum corporum monumenta remaneant, imò quibusdam adhæreant. Sed nequaquam id orthodoxo persuadebunt. Si enim hoc verum esset; nullo modo cruciatus diues rogasset Abraham, vt Lazarum mitteret in mundum, quo fratribus suis significaret, quæ circa se gerebantur; sed ipse per seipsum hoc eis indicasset. Venisti ante tempus torquere nos: aut illud de quo postea dictum est: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras: aut extremi vniuersalis iudicij, paratum diabolo & angelis eius. Quæ omnia ex prophetijs & prædictionibus, dæmonibus, non erant obscura: supplicant igitur. Quæ est, inquiunt, nostra potentia, si ad tuam conferatur? tu es enim ignis, quem nemo ferre potest: nos fænum & puluis, qui facilè incenditur. Erat autem non longè ab illis grex procorum pascens, dæmones autẽ interrogabant eum dicentes: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum. Quod cùm illis permissum esset, mox illi exeuntes abierunt in porcos, vt suffocatis suibus, exacerbarentur incolæ Geraseni, aut in eum irruerent. Pulchrè autem hoc in loco notat Hilarius: Videntes, inquit dæmones, sibi iam non locum in gentibus relinqui, rogant; vt patiatur se habitare in hæreticis, quibus occupatus, totus in mare impetu rapido per præceps grex coactus est, in cupiditatem scilicet secularium, dæmonum præcipitantur instinctu, in aquis multis, id est cum reliquorum gentilium infidelitate morituri. Et ecce magno impetu abijt totus grex in præceps, & submersi sunt in aquis, pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem, nunciarunt hæc omnia, quæ Deus fecerat: & ecce tota ciuitas exiuit obuiam Iesu, & viso eo rogabant eum, vt transiret à finibus eorum. Non de superbia, inquit Hieronymus, hoc faciunt, vt nonnulli arbitrantur, sed de humilitate, qua se præsentia Domini indignos iudicabant; sicut & Petrus in captura piscium, cadens ad genua Saluatoris ait: Exi à me, Domine, quia vir peccator sum; timoris potiùs causa, ne illis aliquid deterius eueniat. Cùm non ignoraret autem Christus, quid tentarent dæmones, permittit tamen; non vt illis complaceat, sed dispensatoriè alia intendens. Primùm, vt discant hi, qui liberantur, quot & quales habuerint inhabitatores; deinde, quòd atrociora in illis exercerent, quàm in porcis, nisi etiam in eo, quod tyrannicè agunt, à Deo impedirentur, non permissi facere, quæ volunt. Cuilibet enim manifestum est, quòd homines magis, quàm irrationalia oderunt; cùm etiam irrationalia propter homines perdere statuunt, & per illorum perditionem his inferre tristitiam. Tertiò, vt mors porcorum omnibus confirmaret,

ret, exiſſe dæmones. Et vide ſapientiſsimam Saluatoris cogitationē dęmonibus oppoſitam: nam nocere volentes, magis ipſi nocumentum acceperunt. Siquidē Chriſti potentia apparuit, & illorum imbecillitas ac malicia deprehenſa eſt.

61 FAcilè autem CHRISTVS Dominus eas regiones relinquit, vbi magna eſt porcorum copia, hoc eſt hæreticorum & immundorum; dæmoneſque ibi libenter morantur.

62 NOtandum autem, non omnem confeſsionem de Chriſto meritoriam eſſe; ſed eam ſolam, quæ ex charitate, ac ex libera, & non extorta fide prouenit.

63 NOtandum item eſt: omnes obſeſſos eum interitum conſecuturum eſſe, qui nunc porcos conſequitur; niſi peculiari quadam ratione à Domino defenderentur, quinimò grauiorem. Quia ſi porcos odio hominum tam miſerè vexant; quantò magis ipſos homines vexarent, ſi illis permiſſum eſſet? ſed & in hominibus immundis & impuris, non humaniùs ſe gerunt, quàm in iſtis porcis.

64 NOtandum tertiò: ex eo, quòd legionem ab homine expulit, & in porcos ire, eoſque in abyſſum mittere conceſsit, id colligere D. Gregorium quòd abſque conceſsione omnipotentis Dei, nullam malignus ſpiritus contra hominem poteſtatem habeat, qui in porcos intrare non potuit, niſi permiſſus. Refert ſimile exemplum de quadam ſanctimoniali fœmina. In Spoletana enim vrbe, puella quædam iam nubilis, cuiuſdam primarij filia, cæleſtis vitæ deſiderio exarſit, eique pater ad viam vitæ reſiſtere conatus eſt; ſed contempto patre, conuerſationis ſanctæ habitum ſuſcepit. Qua ex re factum eſt, vt eam pater ſuæ ſubſtantiæ exhæredem faceret, nihilque ei aliud niſi ſex vncias vnius poſſeſsiunculæ largiretur. Eius verò exemplo prouocatæ, cœperunt apud eam multæ nobiliores generis puellæ conuerti, atque omnipotenti Domino dedicata virginitate ſeruire. Quadam verò die Eleutherius Abbas vir vitæ venerabilis, ad eam gratia exhortationis atque ædificationis acceſſerat, & cum ea de verbo Dei colloquens ſedebat: cùm repentè ex eodem fundo, quem in ſex vncias à patre perceperat, cum xenio ruſticus venit. Qui dum ante eos aſsiſteret, maligno ſpiritu correptus cecidit, fatigarique nimijs ſtridoribus, atq; balatibus cœpit. Tunc ſanctimonialis fœmina ſurrexit, atque irato vultu magnis clamoribus imperauit, dicens: Exi ab eo miſer, exi ab eo miſer. Ad cuius vocem mox per os vexati diabolus reſpondit, dicens: Et ſi de iſto exeo, in quem intrabo? Caſu autem iuxtà porcus paruulus paſcebatur: Tunc ſanctimonialis fœmina præcepit, dicens: Exi ab eo, & in hunc porcum ingredere. Qui ſtatim de homine exiuit, porcum quem iuſſus fuerat inuaſit, occidit, & receſsit.

Lib: 3. Dial: cap: 21.

65 D. AVGVSTINI PRIMA QVAESTIO. Quod deſcendens de monte, poſteaquam præcepta illic diſcipulis & multitudini dedit, leproſum ſtatim, extendens manum ſuam, curat: ſignificat eos, qui de illis implendis dubitant, ſuo auxilio ab huiuſmodi varietate mundari.

66 QVAESTIO SECVNDA. Quod Dominus dicit leproſo mundato: Vade, oſten-

ostende te sacerdoti,& offer munus pro emundatione tua,sicut præcepit Moyses,in testimonium illis: híc videtur approbare sacrificium, quod per Moysen præceptum est, cùm id non receperit ecclesia. Quod ideò iusisse intelligi potest, quia nondum esse cœperat sacrificium Sanctum sanctorum, quod corpus eius est. Nondum enim in pasione obtulerat holocaustum suum, quo sacrificio confirmato in credentibus populis,templum ipsum euersum est; vbi illa sacrificia offerri solebant. Hoc autem factum est secundum prophetiam Danielis: Non enim oportebat auferri significantia sacrificia, priusquàm illud quod significabatur confirmatum esset, attestatione Apostolorum prædicantium, & fide credentium populorum.

QVAESTIO TERTIA. Quod Dominus dixit Scribæ qui eum sequi voluit: Vulpes foueas habent,& volucres cæli tabernacula; filius autem hominis,non habet vbi caput suum reclinet: intelligitur miraculo Domini commotus propter inanem iactantiam eum sequi voluisse, quam significant aues. Finxisse autem discipuli obsequium: quæ fictio,vulpium nomine significata est. Reclinatione verò capitis, humilitatem suam significat, quæ in illo simulatore ac superbo, non habebat locum. 67

QVAESTIO QVARTA. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Mortuos hîc non credentes dixit: mortuos autem suos, qui nihilominus sine fide de corpore exirent. 68

Caput IX.



MISCETVR MIRACVLIS DOCTRINA, ET MIRACVLA DOCTRINæ: & quemadmodum ad superius caput miracula, quæ ad corpus referri credebantur, Euangelista retulit; ita in hoc capite ea miracula refert,quæ simul animo & corpori seruiunt: vt illud demonstretur, hunc ipsum tantarum rerum opificem, non minus corporum quàm animorum Dominum esse. Habet autem hoc speciale caput istud, quòd ipsius quoq; Euangelistæ, qui hæc scribit, miraculosam conuersionem continet. Venit igitur in ciuitatem suam, Nazaret intellige, vnde Nazarenus dictus est, alij Capharnaum interpretantur. In Bethleem enim natus, in Nazaret educatus, Capharnaum quasi domicilium fixum habuit. Et ecce offerunt illi paralyticum iacentem in lecto. Offerunt, quia ipse ambulare non potuit: offerunt imò per tectum, vt Marcus ait, demittunt propter turbam. Per paralyticum autem, gentium vniuersitas offertur medenda, inquit Hilarius. Videns autem fidem eorum: quamuis nihil obstat, quin vtrorumque intelligatur, tamen non tam eius, qui curatoribus opus habuit, quàm illorum, qui eum attulerunt. Dicit paralytico: Confide fili: fili siue per creationem, siue per fidem. Simulque causam morbi indicat, & remouet: Dimittuntur, inquiens, tibi peccata tua. ecce quidam ex Scribis intrà se dixerunt: (nam palam ausi non sunt)Hic blasphemat: Deus enim solus est, qui sic loquitur: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Quas cogitationes cum tanquam verus Deus scrutator cordium vidisset, infert: Vt quid cogitatis mala in cor- 1

la in cor-

la in cordibus vestris, ipsi blasphemi? Nec dicit tantùm, sed & dicti sui duas rationes adfert. Primam tacitè, vbi demonstrat se cogitationes eorum nosse: ac si diceret: eadem virtute & potentia, qua cogitationes vestras noui, dimittere hominibus peccata possum. Ex vobis intelligite, quid paralyticus consequatur. Aliam rationem adfert, à signo visibili ad rem inuisibilem; à cura corporis, probat curam animi. Et minus quidem hoc natura est, quod ad probationem adfert; maius tamen hominibus videtur: quia peccatorum remissio, parum sensum mouet, & parum eam homines curant. Disputat autem Dominus à rebus notioribus, & vt illis videbatur maioribus: Quid, inquit, faciliùs est dicere, remittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula? non quidem reuera: nam prius magis difficilè est, nempè remittere peccata; sed quò ad sensus hominum, & quò ad præsentem vtilitatem, homines ea minus curant: Vt autem sciant, filium hominis habere potestatem remittendi peccata; dixit paralytico: Tolle grabatum tuum; vt non tantùm sanus, sed & validus esse videâre. Tolle, ait, lectum tuum; vt quod fuit testimonium infirmitatis, sit probatio sanitatis: Vade in domum tuam; ne christiana fide curatus, in vijs Iudaicæ perfidiæ iam moreris. Non credentibus, inquit Irenæus, quæ ab eo fiebat, remissioni, Pharisæis Christus dicebat: Vt sciatis, quoniam potestatem habet filius hominis remittere peccata. & cùm hoc dixisset, iussit paralyticum hominem tollere grabatum, super quod iacebat, & ire in domum suam: propter hoc quidem efficit confundens incredulos, & significans, quoniam ipse est vox Dei, per quam accepit homo præcepta, quæ supergressus est, & factus est peccator: ex peccatis enim paralysis subsecuta est. Peccata igitur remittens, hominem quidem curauit; semetipsum autem manifestè ostendit, quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus Deus; remittebat autem hæc Dominus, & curabat homines; manifestum est, quoniam ipse erat Verbum Dei, filius hominis factus, à patre potestatē remissionis peccatorum accipiens, quomodo homo, & quomodo Deus: & quomodo homo, compassus est nobis; tanquam Deus, misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori nostro debemus Deo. hæc Irenæus. Quid est faciliùs dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula? Inter dicere, & facere, inquit Hieronymus, multa distantia est. Vtrum sint paralytico peccata dimissa, solus nouerat qui dimittebat: Surge & ambula: tam ille qui consurgebat, quàm hi qui consurgentem videbant, approbare poterant. Fit igitur carnale signum, vt probetur spirituale: quanquam eiusdem virtutis sit, & corporis, & animæ vitia dimittere: & datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque euenire corporum debilitates. Et idcircò forsan dimittuntur priùs peccata; vt causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Et Hilarius colligit mysterium, eiusque ordinem: primùm remissionem tribuit peccati; dehinc virtutem resurrectionis ostendit: tum sublatione lectuli infirmitatem ac dolorem corporibus decuit abfuturū: postremò, reditum in domū propriam: hoc est in paradysum credentibus esse redhibendum, ex quo Adam parens vniuersorum peccati labe dissolutus excesserat. Videntes autem turbæ timuerunt. Opus istud admiratio potius consequi, non metus debuit; sed manet etiamnum ordo mysterij, vt veritati pręsentium, futurorum species adiecta sit dictorum & factorum. Domini virtutem turbæ timent. Magni enim timoris res est, non dimissis à Christo

Lib. 1. cap. 17.

peccatis, in mortem resolui: quia nullus sit in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. Et glorificauerunt Deum, qui tantam dedit potestatem hominibus. Conclusa sunt omnia suo ordine, & cessante iam desperationis timore, honor Deo redditur, quòd tantam dederit hominibus potestatem; sed soli hoc Christo erat debitum, soli de communione paternæ substantiæ hæc agere erat familiare. Non ergo hoc venit in admirationem, quòd posset ista: (quid enim non posse Deus crederetur? alioquin laus de vno homine, non de pluribus extitisset:) sed delati Deo honoris hinc causa est, quòd potestas hominibus hac via data sit per verbum eius, & peccatorum remissionis, & corporum resurrectionis & reuersionis in cælum.

2 NOtandum est autem primò: magnum pietatis officium esse, infirmos curare, eorumq; necessitatibus ac miseriis inseruire & misereri. Fidem hanc Dominus respicit, laudat & remuneratur. Iudicij futuri hæc est regula, Infirmus eram, & visitastis me. Neque autem hoc officium visitationis infirmorum est, eos conuenire: nam hoc aliquando molestiam infirmis parit; sed potiùs eorum molestias cognoscere, ijsque consulere, quod isti faciunt. Ferunt humeris suis paralyticum: & quoniam non possunt appropinquare præ turba, nudant tectum alienum, positumque paralyticum demittunt, Domino præsentant, & commendant.

3 SEcundò notandum est: Charitati nihil difficile esse, nihil inuium, nihil clausum: peruia omnia, aditus faciles, fores non semper quærit, tecta, tegulas rumpit, parietes suffodit, modò proximo prosit, illique tempore opportuno opem ferat, excusationes nullas quærit, oblatas repudiat: quomodo inimicitijs, odijs, rancoribus omnia clausa, omnia obserata, ac mille seris obstrusa, sexcentis molibus opposita & impedita.

4 TErtiò notandum est, maliciam & curiositatem hominum, falsasque de Christo opiniones, plerumque illustrandæ illius doctrinæ, eiusque augendæ gloriæ causam esse. Nisi enim Scribæ & Pharisæi intra se malignè cogitassent, ac blasphemiam Christo obiecissent, nunquam Saluator tam euidentibus argumentis, aut tam insigni miraculo, diuinitatem suam in omne posterum tempus asseruisset. Idem in hæresibus euenit: ideò eam veritatem, quam extinguere volunt, illustrant & declarant; neque tamen, vt & isti aliquam laudem, sed potiùs pœnam & obiurgationem merentur.

5 QVintò notandum est, duobus validissimis argumentis, contra omnem Pharisaicam & Arianam impietatem, hoc loco Christum Dominum diuinitatem suam demonstrare. Qui scit cogitationes hominum, Deus est. Tu solus nosti corda hominum. &: Scrutans corda & renes Deus. & apud Paulum: Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Sed Christus nouit cogitationes Pharisæorum; sic enim inquit Euangelista: Cùm vidisset IESVS cogitationes eorum. Verus igitur Deus, verus καρδιογνώστης est. Secundum argumentum sic colligit Hilarius: Nemo potest dimittere peccata, nisi solus Deus: ergo qui remittit, Deus est: quia nemo remittit, nisi Deus. Deus in homine manens, curationem homini præstabat, & nulla ei agendi

2. Par: 6.
Psal: 7.
1. Reg: 16.
1. Cor: 2.

gendi aut loquendi erat difficultas, cui ſubeſt totum poſſe, quod loquitur. Infirmitates ſanare, etiam ſanctorum eſt: peccata dimittere, ſolius Dei. Eſt & tertium, quod ex hoc loco elici poteſt, diuinitatis Chriſti argumentum; quod tamen eleuat ſuo more Caluinus: Solius Dei eſt, intueri alterius fidem. nam homines ea ſola vident, quæ extra ſunt; atqui Chriſtus Dominus iſtorum reſpicit fidem: verus igitur Meſsias & Deus eſt.

6 NOtandum ſextò contra Anabaptiſtas: Fidem alienam alijs prodeſſe, ſi ſuam, non aliquo vitio ſuo, ſed imbecillitate aut defectu, habere non poſſunt. Quod in paruulis euenit, quos in fide parentum ac ſuſceptorum baptizamus. Neque tamen illud cum Caluino docemus, eam fidem à parentibus naturali quadam origine dari; ſic enim ille inquit: Idem de ſingulis fidelibus ſentiendum euenit, quòd parentes Dei gratiam fide ſua ad liberos & nepotes propagant, etiam antequam naſcuntur: hoc enim ſoli filio Dei proprium fuit, vt ſanctus naſceretur, & paucis quibuſdam alijs, Ieremiæ, atque Ioanni baptiſtæ. nam de cæteris illud legimus: Eramus naturâ filij iræ. *Ephe: 2.*

7 NOtandum ſeptimò: Fidem alienam nobis prodeſſe, & ad ſanctorũ communionem pertinere. Ergo non minus ſpes & charitas, & alia bona opera nobis prodeſſe poſſunt; ſi modò ea in ijs miremur, laudemus, atq; etiam ipſi imitari velimus. In quo genere ſe inueniri Dauid profitetur: Particeps ego ſum omnium timentium te. Primùm illud de fide, concedit & ipſe Caluinus: poſteriora negat, nulla conſequentia.

8 NOtandum octauò: Etſi vi & natura ſua proprium eſt ſolius Dei peccata dimittere, iuxta illud: Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me: tamen vi participata & communicata, vicaria & adminiſtratoria competit etiam ſacerdotibus miniſtris Dei, non tantùm, vt inquit Caluinus, dimiſſa à Deo denunciare aut teſtari; ſed etiam dimittere, iuxta illud: Quorum dimiſeritis peccata, dimittentur eis.

9 NOtandum nonò: hanc ipſam turbam, hoc ipſum prophetico quodã ſpiritu vidiſſe; daturum ſcilicet aliquando Deum eam gratiam hominibus, vt & ipſi peccata condonare poſsint. Sic enim ſcribit Euangeliſta: Turbæ autem quæ videbant, admiratæ ſunt & glorificauerunt Deum, qui dediſſet eam poteſtatem hominibus. Et turbæ quidem rerum ignaræ, ſpiritu quodam Dei, pro hac ipſa poteſtate glorificauerunt Deum. Quàm multi chriſtiani, contemnunt alij, negligunt alij, impugnant etiam alij. Sed ità plerumque fit, vt quæ Scribæ & Phariſæi, hoc eſt, ſacerdotes & philoſophi blaſphemant & rident; ea turbæ mirentur, ac pro his glorificent Deum.

10 NOtat hoc loco venerabilis Beda, quinq; differentias cauſarum, ob quas mortes & cæteræ miſeriæ homines vexare ſolent, pro quibus in hac vita corporis moleſtijs affligimur: aut ad augenda merita per patientiam; vt B. Iob: aut ob cuſtodiam virtutum; ſicut Apoſtolo Paulo datus eſt ſtimulus carnis, ſiue angelus ſathanæ colaphizans, ne magnitudine reuelationum extolleretur: aut ad corrigenda peccata; ſicut Maria ſoror Aaron, propter temeritatis verba lepra percuſſa eſt: aut ad gloriam Dei; ſicut infirmitas Lazari, non ad mortem, ſed pro gloria Dei fuit: aut ad inchoationem æternæ damnationis, quod reproborum eſt proprium; ſicut Antiochus & Herodes præſenti miſeria cunctis oſten-

debant, se passuros esse perpetuò in gehenna. Vnde dicitur: Duplici contritione contere nos.

SERIES EVANGELII

SEcundum miraculum est capitis noni, Matthæi conuersio: quæ etsi ab alijs inter miracula non recensetur; mihi tamen miraculum maximum esse videtur, & propriè tale, quod maximè omnipotentiam diuinam demonstret. Quid enim magis diuinum, quàm ex peccatore iustum, ex auaro liberalem, ex publicano Apostolũ & Euangelistam efficere; vt esset primo exordio in Christo gratiæ non modò testis & præco, sed & testimoniũ & typus, idque efficere vno verbo, eodẽ momento, quod ipse literis mandare non erubescit. Videbatur etiam gentilibus, Porphyrio, Iuliano, ea res perabsurda, indéq; coarguebant vel imperitiam historici mentientis, vel stulticiam eorum, qui statim secuti sunt Saluatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti; cùm tantæ virtutes, tantáque signa præcesserunt, quæ Apostolos, antequàn crederent, vidisse dubium non est. Certè fulgor ipse ac maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Si enim in magnete lapide & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos & stipulas, & festucas sibi copulent; quantò magis dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos volebat? Animæ ista curatio est, mentis resurrectio, quæ ipsius Dei vi & virtute efficiatur oportet. Non miraculũ igitur est hoc tantùm; sed magnum miraculum, aut maximum potiùs. At cæteri Euangelistæ propter reuerentiam & honorẽ Matthæi, noluerunt eum nomine appellare vulgato; sed dixerunt, Leui: duplici quippè vocabulo fuit. Ipse autem Matthæus, secundùm illud, quod dicitur à Salomone: Iustus est accusator sui in principio sermonis: & in alio loco: Dic tu peccata tua, vt iustificeris: Matthæum se & publicanũ nominat; vt ostendat legentibus nullum debere desperare salutem, si ad meliora conuersus sit; cùm ipse de publicano in Apostolum repentè sit mutatus. Post miraculum, dat occasionem doctrinæ inuidia Scribarum & Pharisæorum, qui abducere ab eo volentes discipulos, inquiunt: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Ingressus enim erat Dominus in domum Matthęi, & cum publicanis conuersabatur, vt & Matthæum honoraret, & seipsum bonitas ipsa familiarem præberet, nihil peccatoris causam, nihil opprobria illa peccatorum veritus. Lumen enim non metuit tenebras, radij solis sordes. Publicanos autem duplici ex causa oderant Iudæi, primùm, quòd hoc genus hominum sine alterius iniuria & offensione esse non posse arbitrabantur: secundò, quòd idem genus hominum cum gentilibus commiscebatur, ab illisq; vectigalia redimebat, Romanos amabat, quos ipsi Iudæi tanquam dominos ac libertati suæ insidiantes, gentis suæ inimicos meritò oderant; & omnes illos, cum quibus eis aliquid erat familiare, suspectos habebant. Ibat autem Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet dicendi, & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos. Denique cum frequenter pergere ad conuiuia describatur, nil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit: vt & humilitas Domini, eundo ad peccatores, & potentia doctrinæ eius, in conuersione pœnitentium demonstretur, quomodo Matthæum dum vocauit, in eius mentem ingressus recubuit.

VT autem mel in deserto de petra eduxit Dominus, & oleum de saxo durissimo:

riſsimo: ita hoc murmur iſtorum de vera petra, Chriſto Domino, elicit duo axiomata ac propoſitiones omni melle dulciores, omni oleo molliores. Quorum primum cauſam aduentus filij Dei in carnem docet, qui debilium & labentium baculus eſt, pereuntium & naufragantium portus. Non opus eſt, inquit, benè valentibus medico, ſed malè habentibus: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Multos hæc ſententia ab Orci ipſius portis reuocauit: multos de cœno peccatorum erexit: multos naufragos ſaluauit. Fuit hæc eadem doctrina Pauli: Fidelis, inquit, ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus venit peccatores ſaluare, quorum primus ego ſum. Et alio loco: Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis. Quod axioma grauem illam quæſtionē auferre videtur: Vtrùm ſi Adam non peccaſſet, Chriſtus carnem non aſſumſiſſet. Clarè enim dicit, ſe peccatorum cauſa veniſſe. Tolle ergo morbos, tolle vulnera, dicebat Auguſtinus, nulla reſtat medicinæ cauſa. Item ſcribas & phariſæos damnat, qui iuſtos ſe exiſtimantes peccatorum & publicanorum conſortia fugiebant, illud præ ſe ferentes, ſe medico opus non habere, cùm lethaliter decumberent. Secundum autem axioma dulciſsimum eſt. Euntes, inquit, diſcite, quid eſt, miſericordiam volo non ſacrificium. Sacrificijs nitebatur Iudæa, miſericordiam eiuſque opera negligebat. Nomine ſacrificij omnem externum cultum deſignat, & Dominus, & propheta; quemadmodum & miſericordiæ nomine, omnia benignitatis & humanitatis officia in proximos. *Oſeæ 6.*

13 NOtandum eſt autem primò, ad omnem functionem inprimis Dei vocatione opus eſſe. Grauiter enim fert Dominus, vbi quis ſe ingerit, curritque non miſſus: Et, Nemo ſibi aſſumat honorem, inquiebat Paulus, niſi qui vocatus fuerit à Deo, tanquam Aaron.

14 NOtandum ſecundò, Dei vocationi ſubitò parendum, quod nunc facit Matthæus. Et longè ante Iſaias: Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij. Neſcit enim tarda molimina Spiritus ſancti gratia, dicebat Ambroſius.

15 NOtandum tertiò: qui Chriſtum in Apoſtolatu ſequi vult, illum debere relictis omnibus Chriſtum ſequi, fratribus, nepotibus, honoribus, opibus relictis. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.

16 NOtandum quartò: præterita peccata non nocere, ſi non placent præſentia: & non tantùm ad ſalutem conſequendam, verùm etiam ad magnas & ſublimes dignitates non obeſſe: quomodo Matthæo nihil obfuit, quòd publicanus fuerat, ad id, vt Apoſtolus & Euangeliſta eſſet; neque Paulo, quòd perſecutor; neque Petro, quòd ter negârit; neque Thomæ, quòd incredulus fuerit; ſed neque Auguſtino, quòd Manichæus; neque Iudæ quidem, quod tradiderit; ſi ad ſe redire voluiſſet, aut potius ad Dominum.

17 QVintò notanda ſunt pericula & incommoda, quæ eos ſequi ſolent, qui non expectata vocatione, in aliquod munus ſe ingerunt, & ordiuntur telam, ſed non in nomine Domini.

18 PRimum igitur abſurdum eſt, hoc ipſum eſſe ordinationem diuinam, ac prouidentiam anteuertere, clauum ac gubernacula ex manu Dei quodammodo eripere; vt non id fiat, quod propheta iubet: Iacta ſuper Dominum curam

ram tuam,& ipſe te enutriet: neque id quod precamur, Fiat voluntas tua; ſed hoc potius, vt quod nos velimus, hoc fiat, & ille velit: Hoc eſt omnem ſufficientiam in ſe transferre: hoc non eſt diligere Dominum in corde ſuo, & lingua ſua mentiri illi, Fiat voluntas tua.

SEcundum incommodum, quòd is talis omnem eccleſiaſticum ordinem inuertit & perturbat. Quæ enim à Deo ſunt, ordinata ſunt: qui autem ordinationi Dei reſiſtit, Deo reſiſtit. Si enim omnia membra caput, vbi manus? vbi pedes? Nunquid omnes, inquit Paulus, Apoſtoli, omnes prophetæ? virtuti, pietati, eruditioni, omnis præcluditur aditus: differentia idoneorum ab eis, qui idonei non ſunt, aufertur omnis. Qui enim ſe ipſo in acquirendis honoribus vtitur teſte, inquit Auguſtinus; ſtulto & vaniſsimo teſte vtitur. 19

TErtium periculum eſt,non facilè hunc talem felicem ſucceſſum functionis ſuæ ſperare poſſe. Cùm enim illud veriſsimum ſit, Sine me non poteſtis quidquam facere; profectò qui ſine illo cæpit,non poteſt cum illo perſequi aut finire. Et cùm ad omnes functiones, ſiue illæ ſint ſpirituales, ſiue temporales, ſupernis auxilijs quibuſdam opus ſit; proinde, quos Deus ipſe vocat & diligit, ſolet, & quodammodo ex congruo tenetur, ad eam functionem rectè obeundam, ſpecialia illis auxilia dare. Quemadmodum illi, qui ſe ingeſsit,aut turbauit, nihil tale dare obligatur, nihil ſpeciale illi debet. Neq; enim iſti piſcatores, iſti publicani profeciſſent, niſi Dominus adiuuiſſet illos, niſi cooperatus fuiſſet: iuxta illud, Illi autem, inquit,profecti, prædicauerunt,vbique Dño cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Et Paulus: Neque, inquit, qui rigat, neque qui plantat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Videmus, quid nunc fiat, quò eccleſia deducta ſit. Principes reipub. in eccleſiaſticis functionibus præſidere videmus, magnis familijs, doctrina excellenti, eloquentia ſumma, prudentia vſuque rerum maximo, opibus immenſis, clientelis infinitis; proficitur tamen parum, aut nihil: in vanumque laboramus. Cur ita? Ordimur telam, ſed non in nomine Domini. Quàm timidi ſimus, quàm nihil audeamus, quantum nullo perſequente fugiamus, quid referam? neque enim dicere audemus: Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. 20

QVartum, quod hoc genus hominum id minimè conſequitur, quod maximè ſpectare ſolet, fidem, authoritatem, dignitatem, tam apud eos,qui conferunt, quàm apud eos quibus præſunt: quæ tria ſunt maxima magiſtratus ſolatia & ornamenta. Carent publico teſtimonio, carent & honore, qui à libera & ſpontanea hominum voluntate promanat. Cùm nemo ſit, qui ignoret, eos non iudicio, ſed aut neceſsitate, aut importunitate, aut precario, aut cognatione, aut quod turpiſsimum eſt, pretio in eos locos euectos eſſe. Honor ſiquidem,in quo liberum abeſt iudicium & ſenſus,nullus eſt: quinimò in locum honoris ſuccedit dedecus, in locum fidei contemptus, in locum authoritatis neglectus,in locum laudis detractio: & qui antea ſub titulo viri boni clarus & honeſtus fuit; & hoc ipſo, quem turpiter comparauit ſimul & amiſit, honore, infamis euadit: ſemperque illud conſequitur, vt quem antea omnes amabant & laudabant,exemplum & parabola ciuitatis ſit,digitóque monſtretur, illudq; de eo occinatur: Cur ſpolieris, habes non cur metuaris ab hoſte? nempè fructum ambitionis, inuidiæ & infamiæ referens. 21

Vltimum

22 VLtimum & summum malum, iudicium intolerabile, & quod excusationem nullam recipit. Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Sic istis dicetur, eos tot populos, tot ecclesias, tot animas, sua perdita ambitione perdidisse. Si enim ille, qui vocatus est ad nuptias, ea tantùm de causa, quòd vestem nuptialem non habuit, ligatis pedibus & manibus in tenebras exteriores conijcitur; quid iste, qui non vocatus ad nuptias venit, qui primum accubitum vi aut precio occupat, qui plerumque digniorem se, ex illo deijcit & deturbat? Quos quidem omnes, Deus nonnunquam permittit eos honores consequi; vt inde maiorem damnationem consequantur. Concludamus igitur totam hanc, Magni Gregorij verbis, causam, qui de suo Mariniano sic: Magnam, inquit, confidentiam habeo, quia omnipotens Deus, qui eum dignatus est suo gregi præponere, & ad interiora illum curanda exacuet, & ad exteriora gerenda gratiæ suæ pietate confortabit. Sed quia post longa quietis otia eius, vt prædiximus, nouitas proculdubio perturbatur; peto, vt cùm venerit, tempestatum secularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum quietis inueniat, & de vestræ bono charitatis hilarescat. Quantum verò vobis cum illo conuenire valeat, citiùs cognoscetis, quia ad Episcopatum venit inuitus. hæc Gregorius. Quo in vitio sunt duo genera hominum. Primum hæreticorum doctores & ministri, qui nulla legitima vocatione expectata, sese in Apostolicũ munus ingerunt: qui vel hoc Apostolico loco conuincuntur, eos ex Deo non esse, quia ab illo, neque per illum ipsum, neque per debita media sunt vocati. Secundum genus catholici, modum ambitionis statuere nescij, tanquam eius rei non aliquando stricta ratio illis apud iudicem reddenda sit. Quanquam plerumq; ad pœnam, & ipsorum, & populorum, Deus regnare permittit, vt flagellum sint, & flagello pereant. Propter peccata enim populi permittit Deus regnare hypocritas.

Grego. epist. 89. lib. 4.

23 SEd quandoquidem tantum periculi est, non expectata Dei vocatio, in huncq; locum multi illidunt; multaque homini imponere solent; & multi sibi falsò assentantur: quæ tandem signa erunt discernendæ veræ vocationis, ab ea quæ falsa est, & cum tentatione coniuncta? An fortasse ista?

24 PRimum igitur signum, idque euidentissimum erit, si non intercedit aliquod peccatum mortale; quandoquidem peccatum parit iram Dei, quæ cum gratia naturâ pugnat, nemoque simul Deum & iratum & propitium habere potest. Odio enim est Domino impius & impietas eius: eaque est Dei potentia, vt nullis improbis medijs ac remedijs ad sua dona largienda egeat. Si quis igitur sibi conscius est, in aliquo honore acquirendo peccati mortalis; sciat vocationẽ ex Deo non esse: quæ enim conuentio Deo cum Belial, luci cũ tenebris?

25 SEcundum signum, si intentio honorem adeuntis recta est. Recta autem erit, si ad laudem Dei, & vtilitatem proximi refertur, si non respicit carnem & sanguinem: Si enim oculus tuus est lucidus, totum corpus erit lucidum; sin oculus nequam, totum corpus tenebræ. Nam cùm in omni magistratu duo sint, munus & res muneris; munus voco negotium & functionem, qualis est in Episcopo docere ac regere ecclesiam Dei; regis, iudicio ac armis, populos sibi cõmissos,

missos, defendere : res autem muneris, honor, dignitas,& præmium,quæ magistratum consequi solent : qui priore parte omissa, posteriorem hanc sequitur; huius oculus nequam est, huic ostiarius Spiritus sanctus ostium non aperit, hic fur est & latro. Talis fuit Scriba, & philosophus ille, de quo paulò antè diximus, quem Christus à contubernio suo exclusit : talis Simon magus, cuius pecuniam Petrus in perditionem ei esse iubet; hic cauponari,non prædicare euangelium vult.

Tertium signum est, qui eo modo, vt par est, & apud quos conuenit, & per quos oportet honorem quærit. Si igitur genere, si familia, si ad extremũ pecunia (qua iniquum est, quod virtuti debetur tentare) medijs ad rem consequendam vteris : si plebem, multitudinem, si mundanas potestates, sollicitas : si matrem, si puerum, si puellam, si hæreticum aut schismaticum, aduocatum quæris; Deus his talibus patronis non adiungit se aduocatum,qui omnia decenter & ordine suo solet facere. 26

Qvartum signum est, si is,qui aliquam petit dignitatem, sentit se ijs præsidijs & ornamentis ac instrumentis instructum esse, quibus opus est ijs, qui illi loco dignè præesse possint. Nam si ijs carent, & tamen præesse volunt, Deum tentãt,miracula sine causa quærunt : ac si quis cœcus ducem videntium se prębere velit, festucam de alterius oculo eijcere, qui in suo trabem non videat : vt si quis Episcopatum desideret, legem autem Dei non norit : si quis iudicis officium affectet, leges autem ignoret : si imperator esse velit, qui miles nunquam fuit: si miles sine manibus. Qui igitur his caret,det locum melioribus,Deum nõ tentet. Solet quidem diuina maiestas,eis, quos ad aliquod munus vocat,priùs gratiam & dona ad eam rem optimè perficiendam dare : quomodo Moysen ad educendum populum suum missurus, priùs in omni Æthyopum & Ægyptiorum doctrina instructum esse voluit : Sic Danielem, liberatorem ex captiuitate Babylonica facturus, & omnibus doctrinis instruxit : sic duodecim Apostolos triennio toto ipse docuit. Quæ qui habet, non recuset laborem, talenta non suffodiat : qui non habet, habentis locum non occupet, pulchrè in suis stet, aliena non appetat. 27

Qvintum signum est, cùm nulla vel minima humana cura humanisq; medijs, præter spem & expectationem munus offertur. Quid magis spretum Moyse, pecora soceri sui pascentis? quid magis Dauide, post fœtantes ambulantis? quid magis remotum ab Apostolatu, quàm Paulus? quis minus Euangelista, quàm Matthæus teloniorum computator? Nam & parentes libentiùs filijs suis tribuunt, de quibus minus sollicitos vident, quàm quæ ambitiosè petunt. 28

Vltimum signum est, si quis in nouam dignitatem euectus,euadit in alium hominem : hoc est, si ex molli & dissoluto, fit grauis & constans : si ex superbo, humilis : si ex auaro, liberalis : si libenter & cum fructu officium suum exequitur. Neq; enim dona Dei possunt in quoquam esse otiosa. Sic enim de Saul Propheta: Insiliet in te spiritus Domini,& prophetabis cum eis,& mutaberis in virum alium. & de Dauid : Immutauit ei Deus cor aliud, & venerunt omnia signa hæc in die illa. Quod idem in D. Paulo apparuit : laboraui plus cæteris. In hoc item Matthæo, quem interpretamur,qui statim relictis omnibus secutus est Christum. Quod idem in nostro rege Stephano aliquando vidimus. 29 *1. Reg. 10.*

Et hæc

Et hæc quidem ſunt ſigna vocationis: quæ etſi ſingula fallere poſſunt;omnia tamen ſimul ſumpta, nunquam fallunt: magis tamen laudabile ſemper fuit, magnos honores & dignitates fugere, quàm obſtinatè & inſtanter perſequi, illiſq; ſe vltro offerre. Fecit hoc Moyſes: Obſecro, inquiens, Domine, non ſum eloquens. Fecit Ieremias: Ah ah ah Domine Deus, ecce neſcio loqui. Fecêre primaria lumina eccleſiæ, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, fecit Gregorius Magnus: alij ſe membris neceſſarijs truncabant: alij mortes præſentes impetrabant; nunc turba ruunt. Sed de Matthæo, eiuſque vocatione ſatis.

26

SERIES EVANGELII.

13 DAnt deinde nouæ doctrinæ occaſionem Ioannis Apoſtoli, vt ſuperiùs Phariſæi dederunt: quanquam hoc idem alij Euangeliſtæ, iiſdem Scribis & Phariſæis aſcribunt. Videbant Ioannis diſcipuli Chriſtum Dominum, cum peccatoribus atq; publicanis manducantem: videbant item diſcipulos, qui ab illo nunquam ſeparabantur. Vel igitur ex æmulatione, vel ex curioſitate, vel ex ſanctimoniæ ſuæ iactantia, quærunt: Quare nos & Phariſæi ieiunamus, diſcipuli autem tui non ieiunant? Phariſaicum hoc fuit fermentum, non Ioannis caſta doctrina. Sequitur igitur cæleſtis inſtitutio: ſequuntur roſæ ex ſpinis decerptæ. docet Chriſtus Dominus, ſe ſponſum cæleſtem eſſe, eccleſiam ſanctam ſponſam ſanctam. quod clariùs Paulus explicat: Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Filios autem ſponſi vocat Apoſtolos: Tempus enim incolatus atque conuerſationis, tempus nuptiarum atq; deſponſationis; indeq; colligit iniuſtum & inconueniens eſſe, filios in die deſponſationis patris ſui lugere, aut ieiunare, cùm pòſt tempora luctus & ieiuniorum multorum conſequantur. Quæ omnia conſentanea ſunt doctrinæ præceptoris iſtorum Ioannis: Qui, inquit, habet ſponſam, ſponſus eſt. De quo ſacro ſpiritali connubio Apoſtoli procreati ſunt, qui neque lugere, neq; ieiunare debebant, quàm diu ſponſum præſentem habebant. Docet igitur magnam differentiam eſſe inter diſcipulos eius & Phariſæos; euangelica præcepta, & veteris legis: nec ſimul legem & euangelium retineri poſſe; quod duplici ſimilitudine demonſtrat. Primùm pannos veteres cum nouis non facilè cohærere, maioremque ſciſſuram facere; vtpotè alia firma & robuſta, alia attrita & facilè dilabentia. Sic eodem modo vaſa vetera, vina noua non ferre, vtpotè quæ facilè vas rumpant; vaſis item veteribus accommodatiora eſſe vetera, vtpotè quietiora, minuſque exhalantia. Lex ergo euangelij, Apoſtoli, Apoſtolica vita, nouus pannus, vinum nouum: vaſa vetera ſunt ſynagoga, lex, Phariſæi item, qui maiorum deprauati traditionibus, ſynceritatem mandatorum Dei ſeruare non poterant; attritis pannis, vaſis veteribus & debilibus coniungi non poterant. Quanquam per nouos pannos hoc loco infirmos Apoſtolorum animos quidam recentiores ſignificare velint; ſed aliter veteres ſentiunt. Fusè illam doctrinam perſequitur Paulus, in tota illa epiſtola, quam ad Galatas ſcripſit, eoſque obiurgat, quòd iſtos pannos, hæc vina, Euangelium, inquam, Apoſtolicamque doctrinam cum lege veteri denuò conſuere volebant: O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit? Quod idem de ieiunijs chriſtianis, vnde hæc doctrina orta, atque Iudæorum, ſentiendum eſt.

27

28

29

14 NOtandum eſt autem primùm hoc loco, Chriſtum eccleſiæ Dei eſſe ſponſum, eccleſiam autem eius eſſe vnicam ſponſam. Impiè igitur ac nefariè agere hæreti-

hæreticos, qui ſpiritualis fornicationis & adulterij, hoc eſt idololatriæ illi notam inurant; magis autem ipſi ſponſo, qui ſuam ſponſam eò idololatriæ, infamiæ patiatur peruenire, contra illud: Non dormitabit neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël.

NOtandum ſecundò, Apoſtolos eſſe & dici nunc fratres Chriſti, nunc filios, nunc amicos ſponſi, quanquã filij ſponſi, ſiue thalami nuptiarum, Hebraica phraſi, pro conuiuis nuptiarum hoc loco vſurpati ſunt: & ideò honore & veneratione digniſsimos, vt fratres, vt filios, vt amicos ſponſi; quos, qui non honorat, Patris, Filij, & ſancti Spiritus amicus non eſt, ſponſum ipſum contemnit. Atqui hoc impiè & nefariè facit hæreſis. 15

NOtandum tertiò, ante tempus iudicandum non eſſe; quod nunc turpiter Ioannis diſcipuli faciunt. Vitandum item hoc loco, ne leui de cauſa atque prætextu, diſcordias internas ſeminent improbi & aſtuti homines: præſertim cauendum ne ob ritus externos, ſcindatur fidei conſenſus, & rumpatur charitatis vinculum. 16

NOtandum quartò, pannos nouos aſſutos veteribus eſſe hæreſes, quæ noua veteribus ſe aſſuere profitentur; & aſſuerent ſi quidem poſsibile eſſet, partemque nouitatis, partem antiquitatis præ ſe ferunt: & ideò decreto Chriſti plus lacerant, quàm conſuunt, plus nocent, quàm proſunt eccleſiæ. 17

NOtandum quintò, eccleſiam Dei poſt ſponſi ſui in cælum aſcenſum, arcta & frequentia ieiunia ſeruare, & inſtituere debuiſſe, vtpotè ſponſo ablato: quod hæreſis non videt, ſed tanquam præſente ſponſo, larga & effuſa eſſe vult. Atqui iam non hoc idem fiebat, poſt diſceſſum Chriſti, temporibus Pauli, Sed in ieiunijs multis, &c. 18

NOtandum ſextò, etſi ieiunium ſit res ſancta, & Deo grata: tempus tamen ſuum habere deberet. quod nunc Ioannis diſcipuli atque Phariſæi non vident, quibus ſe hæretici adiunxerunt. Ideò grauem Chriſti reprehenſionem referunt, iuxta illud veteris Salomonis decretum: Tempus, inquit, gaudij & luctus. Notat item hoc loco Hieronymus: Nonnulli putant, idcircò poſt dies quadraginta paſsionis ieiunia debere committi; licet ſtatim dies pentecoſtes, & Spiritus ſanctus adueniens, indicent nobis feſtiuitatem. Ex huius occaſione teſtimonij Mantanus, Priſcilla, & Maximilla, etiam poſt pentecoſten faciunt quadrageſimam; quòd ablato ſponſo, filij ſponſi debeant ieiunare: Eccleſiæ autem conſuetudo, ad paſsionem Domini & reſurrectionem, per humilitatem carnis venit; vt ſpirituali saginæ ieiunio corporis præparemur. Iuxta tropologiam autem ſciendum, quòd quàm diu ſponſus nobiſcum eſt, & in lætitia ſumus, nec ieiunare poſſumus, nec lugere. Cùm autem ille propter peccata à nobis receſſerit, tunc indicendum ieiunium eſſe, tum luctus recipiendus. 19

NEc illud tamen omittendum eſt, D. Hilarium hæc ad vſum corporis & ſanguinis Domini in ſacramento referre: In fide, inquit, reſurrectionis ſacramentum panis cæleſtis accipitur, & quiſquis ſine Chriſto eſt, in vitæ cibi ieiunio relinquetur. 20

Series evangelii.

SEquitur deinde tertium & quartum miraculum penè permiſtum, in quo Dominus demonſtrat, ſe eſſe mortis & vitæ, morborum ac languorum noſtro- 21

rum

rum Dominum, non tantùm aliqua parte sui, sed etiam vestimentorum suorum, atque adeò vmbræ suæ. Accedit princeps vnus (Iairum, Marcus cum Luca vocat) adorat eum : Domine, inquiens, filia mea modò defuncta est; sed veni, & pone manum tuam super eam, & viuet. Si defuncta est, ergo hic, quem petis, est vitæ & mortis Dominus. Etsi enim nemo ex principibus dicitur credidisse in illum, hoc est, sponte, vt fit; istum tamen necessitas & mors coëgit. Sequitur ergò Dominus seruum, inimicum amicus, creaturam creator, medicus ægrum, ad miraculum edendum. Quod dum facit, ecce alterius miraculi occasio se offert, beneficia beneficijs cumulantur. Ecce, inquit Euangelista, mulier, quæ sanguinis profluuium patiebatur, totis duodecim annis, accessit, & fimbriam eius tetigit. Accedit autem non domi, non in vrbe : quia iuxtà legem vrbibus excludebatur hoc genus hominum, quod tali genere morbi laborabat; sed in itinere; vt dum ad alium curandũ vadit, & ipsa curetur : neq; vt tangatur petit, hoc enim lex prohibebat : fluentemque sanguine, qui tetigisset immundus erat. Hoc igitur quærit, non vt tangatur, sed vt tangat. Accedit ergo furtim retrò, metu simul & fiducia plena, tangit fimbriam vestimenti eius. Si tetigero, salua ero; vario affectu : nam & latere se posse credebat, quod iniuriæ fuit; & ab ignorante curari, quod magnæ fidei. Prodit ergo vtrumque Saluator : quærit, sciens quis eum tetigerit : virtutem ex se prodisse affirmat : quassatum calamum non confringit, sed consolidat potiùs. Confide filia, fides tua te saluam fecit. In eo quòd iam credidisti, salua facta es : Et salua facta est mulier in illa hora. Confidere autem eam iubet, vt quæ illum timebat, tanquam ea quæ furaretur gratiam : nam sine fide tactus non profuisset. Ita alteri salus, dum alteri differetur, collata est : & quod Israëli parabatur, gentium plebi datur. Curata αἱμοῤ-ῥοοῦσα, prosequitur salutem. Saluator sequitur Iairum, principem synagogæ : domum eius venit, inuenit omnia funeri parata, tibicines, quos Græci αὐληταὶ vocant. (cantabat mœstis tibia funeribus, inquit ille, gentile solatium planctus, manibus præsertim innuptis) vnde & hanc innuptam, & turbam tumultuantẽ, quæ funus expectabat, eam recedere iubet, vtpotè quæ tantum miraculum & mysterium resurrectionis, vt videret, indigna fuit; vt quæ authorem eius indignis ludibrijs rideret : Filiam non esse mortuam docens, sed dormire Deo, cui omnia viuunt : apprensa eius manu, vtpotè cuius mors apud eum somnus erat, retraxit ad vitam. Surgit puella, fama spargitur per totam vrbem.

22 QVærit hoc loco Iustinus : Si in lege, qui mortuum tangebat, impurus iudicabatur, quasi aliquid illicitum faciens : & nos mortuos, & eorum sepulchra abhorremus; cùm mortuus & in vetere, & in nouo testamento impurus appelletur : Nónne Christus contra legem fecit, qui Iairi filiam resuscitans, manu prehenderit? nam etiamsi illa tandem reuixerit; tamen mortuum erat corpus, cùm tangeretur. RESPONSIO. Corporum cadauera & eorum sepulchra, abhorrentur propter fœtorem, quem exhalant, non propter mortem. Si enim tantùm propter mortem abhorrerentur; non liceret mortuorum corporum animalium partibus vti ad vsum viuentium; vt corijs, & cornibus, & pilis, & bile, & adipibus, & carnibus; quæ quia mortua sint, nulla ratione negari potest. Quòd si mortua sunt, & tamen propter vtilitatem quæ inde percipitur, non abhorrentur; absurdissimum est ea pura existimari propter vtilitatem quam afferunt : sanctorum verò martyrum corpora & sepulchra à

gentibus

chra à gentibus abhorreri, cùm ea tueantur homines, ab insidijs dæmonum, morbosq; curent, arte medica incurabiles. Neque verò quidquam fecit Dominus, quod vel veteri vel nouo testamento esset contrarium: nec enim sub lege erat, cùm mortuam illam, de qua in quæstione dictum est, suscitauit. Nam à baptismate exorsus est Dominus regimen euangelicum, quod erat extra legis obseruationem: ideóq; non est contaminatus tangendo mortuo. Secundùm nouum testamentũ verò, ea sola polluunt hominem, quæ mala ex corde prodeunt: at mortuum tangere, non polluit hominem.

NOtandum est autem, magna hæc esse, quæ hîc fiunt; sed longè maiora vetustissimorum patrum sententijs Hieronymi & Hilarij designari: principem istum legem & Patriarchas significare; puellam hanc, synagogam languentem, ac sub iugo decumbentem. Christum igitur Dominum, verum curatorem & saluatorem, à Patriarchis & Prophetis multis votis & desiderijs exoptatum, in mundum descendisse. Verùm cùm populus iste atque synagoga minus se gratam præstitisset, gentilitatem ipsam, non vocatam, neq; electam, illi occurrisse, magna gratitudine ad se curandum prouocasse, ac indignitate sua professa, salutem impetrasse, iuxtà illud: Vobis quidem oportuit primùm prędicari verbũ; sed quoniam indignos vos iudicastis salute, conuertimur ad gentes. Quibus sanatis & curatis, iterum eandem synagogam ad vesperum sanandam esse demonstrat. Pulchrè itaque Hieronymus: Vsq; hodie puella iacet in domo principis mortua: & qui videntur magistri, tibicines sunt, carmen lugubre canentes. Turba quoque Iudæorum, non est turba credentium, sed turba tumultuantium. Et nisi prius mundatæ fuerint manus Iudæorum, quæ sanguine plenæ sunt, synagoga eorum mortua non resurget. Huc tota tractatio de vocatione gentium, ac repudiatione Iudæorum referri potest, de qua Ambrosius præclarè inter cæteros: huc magna pars epistolæ Pauli ad Romanos. 23

NOtandum secundò, virtutem diuinitatis IESV Christi non tantùm ad omnes eius partes, sed & ad vestimenta se extendisse, ad omniaque ea, quibus eam communicare voluerit: quod clariùs post cap. 4. apparebit, quod ita D. Hilarius explicat. Est autem in simplici intelligentia magnæ virtutis Dominicæ admiratio, cùm potestas intra corpus manens, rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, eiusque in vestium fimbrias diuina operatio procederet. Non enim diuisibilis, aut comprehensibilis erat Deus, vt corpore clauderetur. 24

NOtandum tertiò, eandem nunc vim in sacramento corporis & sanguinis Domini inesse, quæ tum inerat, & quæ communicata fimbriæ fuit, & per quam αἱμοῤῥοοῦσα curata fuit. Vnde illud: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Sed si ea vis inest, cur tam exiguus fructus in ijs, qui sæpè ad illud accedunt, apparet? An quia indigni accedimus: ideò, inquit Paulus, inter vos multi infirmi, & dormiunt multi: an quia sine hoc munere deteriores essemus: an quia Dei est in eo genere aliquid certi statuere? 25

NOtandum quartò, eandem vim corporibus sanctorum atque ossibus eorum tribuere, quam nunc tribuit Christus Dominus fimbriæ suæ. Vnde sudaria & semicinctia Pauli multos curasse, testatur Lucas: vmbramq; Petri sanasse plurimos. Ossa sanctorum pullulabunt, inquit Sapiens; quod pulchrè explicat in 26

cat in aliquot locis Basilius. Sed quid mirum Christi fimbriam,& Apostolorum linteamina hæc efficere; si multò pòst caligula simplicis monachi Honorati,fide Libertini,mortuum ad vitam reuocarit? Libertinus enim Fundensis monasterij Præpositus, quodam tempore pro causa monasterij Abbatis iussu,qui Honorato eius magistro successerat, Rauennam pergebat. Pro amore verò eiusdem venerabilis Honorati, quocunq; Libertinus ibat, eius semper caligulam in sinu portare consueuerat. Itaque dum pergeret, accidit vt quædam mulier extincti filij corpusculum ferret. Quæ dum seruum Dei fuisset intuita, amore filij succensa, iumentum eius per frenum tenuit, atque cum iuramento dixit: Nullatenus recedes, nisi filium meum suscitaueris. At ille inusitatum habens tale miraculum,expauit petitionem illius,iuramenta declinare mulieris voluit, sed nequaquam præualens, animo hæsit. Considerare libet,quale quantumq; in eius pectore certamen fuerit. Ibi quippè pugnabat inter se humilitas conuersationis,ac pietas matris: timor, ne inusitata præsumeret: dolor,ne orbatæ matri non subueniret. sed ad maiorem Dei gloriam vicit pietas illud pectus virtutis, quod ideò fuit validum, quia deuictum: virtutis enim pectus non esset, si hoc pietas non vicisset. Itaque descendit, genua flexit, ad cælum manus tetendit, caligulam de sinu protulit, & super extincti pueri pectus posuit. Quo orante, anima pueri ad pectus redijt, quem manu comprehendit,ac flenti matri viuentem reddidit, atque iter, quod cœperat, peregit. Hæc D. Gregorius lib. 1. Dialog: cap: 2. Et item lib. 3. cap. 15. Eutychius, qui prædicti Florentij viri Dei in via Domini socius fuerat, magnis post mortem claruit in virtute signorum. Nam cùm ciues vrbis illius de eo soleant narrare miracula, illud tamen est præcipuum, quod vsque ad hæc Longobardorum tempora, omnipotens Deus per vestimentum illius assiduè dignabatur operari. Nam quotiens pluuia deerat, & æstu nimio terram longa siccitas exurebat,collecti in vnum ciues vrbis illius, eius tunicam leuare, atque in conspectu Domini cum precibus offerre consueuerant. Cum qua dum per agros pergerent exorantes, repentè pluuia tribuebatur, quæ planè terram satiare potuisset. Ex qua re patuit, eius anima quid virtutis intus, quid meriti haberet, cuius foris ostensa vestis iram conditoris auerteret.

44 NOtandum quintò, inanimatis quibusdam rebus Deum impartitum eam gratiam, quæ fimbriæ eius adfuit. Ecclesiastici scriptores scribunt, hanc eandem ἀιμοῤῥοῦσαν, sempiternæ memoriæ causa,statuam æneam Christo erexisse in basi ænea. Effecisse autem diuinam virtutem,vt in eodem loco herba excresceret, quæ vbi summam attingebat fimbriam simulacri, ad sanandos omnes morbos idonea esset. Inuidit id malignus Iulianus, & sustulit: sed & ipse sublatus est. Quòd si hæc adumbratio miraculi tantùm voluit; quid de cruce sancta, quid de spinea corona, quid de clauis dicemus? Rumpatur licèt hæresis, scribunt hæc Eusebius, Sozomenus, & Nicephorus lib. 10. cap: 30. authores grauissimi.

45 QVemadmodum opera Christi infidelibus ac vanis hominibus, risui & subsannationi erant, iustis autem, & ad salutem prædestinatis, admirationi & gloriæ; ita & ministrorum eius,Deo in melius omnia vertente. Nam hic & istorum risus, ad maiorem laudem & illustrationem virtutis Iesu Christi conuersus

eſt. Riſus enim turbæ teſtatur, omninò puellam mortuam fuiſſe, nec potuiſſe niſi nouiſsimo die virtute ſolius Dei reſuſcitari: Inde conſequitur illud notandum, quemadmodum Chriſtum Dominum à verbi prædicatione, miraculiſque bene merendi ſtudio, neque maledicta & conuitia, neque illuſiones & ludibria deterruerunt, ſed neque laudes & commendationes extulerunt; eodem modo eius miniſtris ſatagendum eſſe, vt neque rebus aduerſis deterreantur, neque ſecundis efferantur; ſed ipſum ſolum Dei honorem & proximi vtilitatem, tanquam metam & ſcopum omnium rerum ſuarum, propoſitam habeant. Vidit hæc omnia, quæ diximus ex hoc loco elici, Caluinus: & ideo eam totam hæmorrhouſæ fidem, Chriſtique miraculum, more ſuo extenuat; quàm verè iudicet prudens lector. Verba eius hæc ſunt: Fieri, inquit, poteſt, vt mulieris fidei aliquid vitij & erroris fuerit admiſtum, quod per indulgentiam tolerat & ignoſcit. At Chriſtus Dominus nihil dubitat: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.

SEquitur quintum & ſextum miraculum huius capitis. Quintum quidem de cœcis: ſextum de muto dæmoniaco. Tranſeunte enim à principe ſynagogæ Domino, ſequuntur eum duo cœci (vt nulla hora eum à beneficio conferendo vacuum eſſe cognoſcamus) clamantes: Miſerere noſtri fili Dauid. Meſſias ſiquidem eo nomine compellabatur, iuxta illud: Excitabo Dauid ſemen iuſtum. Fuit ea apud Iudæos compellatio ſanctiſsima. Non exaudiuit hanc vocem Caluinus, qui putat ex ſcripturis non conſtare, num Chriſtus Dominus fuerit filius Dauid. Audiat igitur Caluinus Euangelium: audiat Marcion & Manichæus, inquit D. Hieronymus, & cæteri hæretici, qui Dauidem cum veteri teſtamento reijciunt: & diſcant, Saluatorem appellari filium Dauid. Si enim non eſt natus in carne, quomodo filius Dauid? Cùm autem veniſſet in domum, acceſſerunt ad illum duo cœci: ne tantùm foris quidem pauperes ſuſcipere videretur, domo excludere. Et vt exemplum det, non tantùm foris benignitatem exercendam eſſe; ſed etiam aliquando domi claudos, cœcos, debiles accipiendos, illiſq; ſubueniendum eſſe. Primùm ergo, vt ſolet, fidem eorum tentat. Creditis, inquit, quia hoc poſſum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tum tetigit oculos eorum dicens: Fiat vobis ſecundùm fidem veſtram: vt vtrumque concurrat tactus & fides. Et aperti ſunt oculi eorum. Taceri ſignum iubet propter humilitatem: iſti prædicant propter gratitudinem. 46

NOtandum eſt autem primùm hoc loco, in omnibus iſtis curationibus, quædam eſſe ex parte Chriſti, qui curabat, quædam ex parte eorum, qui curabantur. Ex parte Chriſti ſunt partim voluntas ipſa, partim verbũ & imperium, partim contactus, aut ſimile quid. Ex parte autem eorum, qui curantur, vel vocis, vel cerȩmoniæ externa fidei confeſsio & proteſtatio. Et cerȩmonia quidem ipſa, vt in αἱμοῤῥοοῦσα, quæ tacet & tangit. Vox autem, vt in iſtis duobus cœcis. Quod planè idem in animæ curatione fit. Ex parte quidem curantis prima gratia, meritum Chriſti, promiſsio ſacramentorum eius. Ex parte autem noſtra, fides, ſpes, charitas, pœnitentia, & alia: quæ ita naturâ coniuncta, ſemper hæreſis diſiungit, ac diſiunxit antè. Ea quæ ex parte Dei ſunt, auferebat Pelagius: ea quæ ex parte noſtra, Lutherus, Auguſtana confeſsio, & alij ſequaces. Iungit hæc ſimul vtraq; vna, ſancta, & catholica Eccleſia. 47

Notandum

48 NOtandum ſecundò, quæ ex nobis ſunt non ſufficere, vt in nobis ipſis ſint, vt & ea ſolus Deus videat; ſed eò amplius, vt ſe foras prodant, ac ante oculos hominum ponantur. Ideóq; in his curationibus, & ſi iſtorum omnium fidem, eiuſque menſuram Chriſtus Dominus videat; non tamen quenquam illorum curat, quöad ſignificationem aliquam ſuæ fidei foras proferant, præter eos, qui propter aliquod ægritudinis vitium id commodè præſtare non poterant.

49 NOtandum tertiò, non expectandum eſſe populo chriſtiano, vt illi præſcribantur modi & rationes, quibus gratitudinem ſuam prædicet, miſericordias Domini cantet: cùm, etiamſi prohiberetur, ne prædicaret beneficia Dei, omnibus modis & viribus prædicare deberet, quod in cœcis iſtis apparet, quibus interminatum eſt; miſericordias tamen Domini prædicant. Hæreſis ex præſcripto ſe omnia facere iactat. Qui timent igitur Dominum, laudent eum: vniuerſum ſemen Iacob glorificet eum.

50 NOtandum quartò, optandum eſſe viris Apoſtolicis atque Eccleſiaſticis talem diffamationem, qualem nunc Chriſtus Dominus à cœcis iſtis refert: diffamationem, inquam, doctrinæ, laborum, miraculorum, curationum; ſed vereor, ne contraria eueniant omnia.

51 NOtandum quintò, hoc loco docere patres, duos iſtos cœcos, duos populos ſignificare, Gentilem, inquam, & Iudaicum: vtrumq; tum temporis cœcum, vtrumq; lumine cæleſti indigentem, vtrumq; à Chriſto curandum. Vterque, inquit Hieronymus, cœcus erat populus, Domino per hoc ſeculum transeunte, & cupiente reuerti in domum ſnam, &c. Sed de cœcis ſatis.

52 Cœcos ſtatim ſequitur mutus dæmoniacus. Ecce obtulerunt ei dæmonium habentem, & eiecto dæmonio, locutus eſt mutus: (mutus non naturâ, ſed improbitate ſathanæ, qui eius ligauerat linguam) & miratæ ſunt turbæ dicentes: Nunquam apparuit ſic in Iſraël. Phariſæi autem dicebant: In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

53 IN quo muto duo notanda ſunt: primò Dominum Chriſtum non expectare pro miſericordia ſua ab aliquo quidquam aliud, præter ea quæ præſtare poteſt: ideò cùm ab alijs omnibus, quos curauit, ſingulare ſpecimen, & confeſsionem fidei expetierit; ab hoc tamen non requirebat, cùm non ignoraret eum mutum eſſe, ac linguam eius à dæmonio teneri; cuius vinculis ſolutis demum cœpit loqui. Deinde in eodem loco notandum eſt, turba glorificante & laudante Deum, ac omnipotentiam eius celebrante, Phariſæos ac Scribas blaſphemare, ac in principe dæmoniorum hæc fieri calumniari. Quis enim cœcus, niſi ſeruus meus, inquit Dominus, & ad quem locutum eſt os meum? Docemur autem hoc loco, vbi ad extremum cœcitatis impietas deducta fuerit, nullum eſſe opus tantum, quod calumnia ſua non euertat. In principe autem dæmoniorum dæmonia eijcere, nihil aliud ſignificare, quàm per communem conſenſum, & communia conſilia cum ſummo & maximo dæmone, id efficere. Qua contumelia maior eſſe non potuit in eum, qui ob eam cauſam venit, vt principem dæmoniorum eijciat foras. Quo tamen digniſsimus Dominus non offenditur, ſed magis ad docendum & curandum prouocatur. Addit enim Euangeliſta, tanquam per ſummam & catalogum laborum & contentionũ: Circuibat autem

bat autem Iesus omnia castella & vrbes, vt non consideraret, inquit Hieronymus, notitiam potentium, sed salutem credentium: docens in synagoga eorū, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem & infirmitatem; hoc habens opus, quod mandârat ei pater; hanc esuriem, vt doctrina sua saluos faceret multos; curabat omnem languorem & infirmitatem, vt quibus sermo non persuaserat, opera persuaderent.

54 TRansit deinde ad sequentia Euangelista: Videns autem & turbas, quæ illum sequebantur, misertus est eis, quia erant vexatæ, partim à peccatis, partim ab erroribus, partim à dæmonijs, & errantes, sicut oues non habentes pastorem.

55 VExatio gregis & ouium, pastorum culpa, & vitium magistrorum est, inquit Hieronymus. Operarios & magistros vocat, Apostolos & imitatores eorum qui mittuntur ad messem. Messis, inquit, multa, operarij pauci: alludens ad illud Dauidicum: Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Operarij pauci, illi, inquam, duodecim tum soli, qui euntes iuerunt & fleuerunt: redeuntes autem portauerunt manipulos suos. Operarij erant pauci, siue sacerdotes spectes, qui mercatores & caupones erant: siue reges, iam enim ablatum erat sceptrum de Iuda. Iam autem defecerat dux de fæmore Iacob, propheta non apparuerat, sacerdotes conticuerant, principes autem non modò non pascebant gregem; sed etiam ipsi deterius affecti erant quàm populus. Messem autem vocat, paratos ad fidem suscipiendam animos: exierat enim fama eius in vniuersam Syriam, in quo simul facilitatem collectoribus ostendit huius ministerij, vtpotè maiori labore præoccupato iam ac perfecto à Prophetis, qui tanquam semina quædam Iudæis ea, quæ de Christo fuerant prædicta iecerant: in quorum demum labores introierunt Apostoli. Dominum messis vocat seipsum, cui seruantur huiuscemodi segetes. Rogare autem iubet, quasi eis opus sit, vt rogetur. Quis enim magis homines amat quàm ipse, vt discipulos instruat, vt pro errantibus deprecetur? Inuectus est hoc loco Caluinus, in operarios Catholicæ Ecclesiæ, atque hæc eadem omnia illis objicit, quæ nunc pharisæis à Christo Domino objiciuntur. In qua causa, si quis omnes, tanquam vigilantissimos defendere velit; adulator potius quàm amicus dici possit: ita contrà, si quis omnium studio & conatui detrahere velit, hic sycophanta & calumniator improbus meritò haberi queat. Vellem tamen ex Caluino causam audire, cur istorum nostrorum supina negligentia, eô res Christiana deducta non est, quo istorum, & eius similium exquisita diligentia. Res clara est, manibus palpari potest, verbis nihil opus est.

Psal: 125.

Caput X.



1 EXplicat amplissimam legationem hoc loco Euangelista, quomodo scilicet filius Dei misertus magnæ messis, operarios, in agrum suum, duodecim Apostolos, cum legatione salutis & regni cælestis mittit. Omnia igitur illa planè graphicè explicat, quæ in magnis legationibus conspici solent. Instrumenta primùm & præsidia legatorum, quibus instructi esse debeant: deinde numerum & nomina eorum

na eorum : pòst instructionem, quid agere, & quid declinare debeant : tum difficultates & pericula ; quæ illos in hac legatione subire oporteat, quibus permiscuit solatia : denique præmia & pœnas eorum, qui illos suscepturi erant, aut contempturi. Et conuocatis duodecim discipulis, dedit illis potestatem immundorum spirituum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem : instrumenta hæc & præsidia conuertendo mundo fuerunt aptissima. Furit hoc loco Caluinus : qui cùm videat, se suosque talibus præsidijs destitutos esse, primùm hoc propter vtilitatem Apostolorum additum esse illis docet : deinde dissimulandi impotens, acerbissimè in Catholicos inuehitur, falsò tamen simul, quod doctrinam à miraculis seiungant. Iuuat auiculam suum cantum resonantem audire. Quare falsarij sunt Papistæ, & opera Dei scelerate deprauant, verbum à miraculis separando. Benignus ac misericors Dominus, inquit Hieronymus, ac magister non inuidet discipulis ac seruis virtutes suas : & sicut ipse curauerat omnem languorem, & omnem infirmitatem; Apostolis quoq; suis tribuit potestatem, vt curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem in plebe. Sed multa distantia, inter habere, & tribuere; donare, & accipere. iste, quodcunque agit, potestate Domini agit : illi, si quid faciunt, imbecillitatem suam & virtutem Domini confitentur, dicentes : In nomine IESV surge, & ambula. Tota, inquit Hilarius, in Apostolos potestas virtutis Dominicæ transfertur, vt qui in Adam in imaginem & similitudinem Dei erant figurati, nunc perfectam Christi imaginem & similitudinem sortiantur, nihil à Domini sui virtutibus differentes : & qui terrestres antè erant, cælestes modò fiant. Prædicent, regnum cælorum propinquare, imaginem scilicet & similitudinem Dei nunc in consortium veritatis assumi; vt sancti omnes, qui cæli nuncupati sunt, Domino conregnent, infirmos curent, mortuos suscitent, leprosos emundent, dæmones eijciant. Quidquid malorum Adæ corpori sathanæ instinctus intulerat; hoc rursum ipsi de communione Dominicæ potestatis emundent. Et vt ex toto, secundùm Genesis prophetiam, Dei similitudinem consequantur, dare gratis, quod gratis acceperunt, iubentur; vt sit scilicet ministratio gratuita muneris gratuiti. Numerus deinde ac nomina Apostolorum ponuntur, vt extra hos, qui pseudoapostoli futuri erant, excludantur. De quo quidem catologo Apostolorum pulchrè Hieronymus : Ordinem Apostolorũ, & meritum vniuscuiusque, illius fuit distribuere, qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur Simon, qui cognomento Petrus, ad distinctionem alterius Simonis qui appellatur Chananæus, de vice Chana Galilæ, vbi aquam vertit Dominus in vinum. Iacobum quoque appellat Zebedæi. Simile autem quid quondam Moyses fecisse videtur, qui pressus multitudine iudiciorum atque negotiorum, septuaginta viros Dei iussu in partem solicitudinis suæ elegit, illisq; de spiritu suo, quo ipse præditus fuerat, impertijt. Mittit autem duodecim, ad designandas duodecim tribus Israël, ne aliquam prætermisisse videatur, aut contempsisse : mittit autem rudes & piscatores; superbos autem omittit scribas ac pharisæos, vt illud impleatur : Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Dicit hoc loco Caluinus, insulsè Romanistas ex hoc loco, in quo primus Apostolorum ponitur Petrus, colligere primatum Petri : Sed certè ipse insulsiùs negat : nam sensus sui Romanistæ eam causam habent, quia vbique primus Petrus ponitur. Caluinus autem cum Caluinistis, quare ex hoc loco negat, nullam rationem habet : neque enim ad tempus vocationis se referre potest,

cùm Andreas cum Ioanne primus sit vocatus, ipseque Petrum ad Iesum adduxerit. Nec illa eiusdem numeri minor causa est, quòd quemadmodum in prima populi Dei origine duodecim extiterunt patriarchæ; ita nunc itidem in noua Ecclesiæ reformatione duodecim sint Apostoli, qui non solùm patriarchis non cedunt, sed longè præcellunt. Illi enim vnius gentis duces & autores erant: ipsorum autem in omnem terram sonus, & in fines orbis terræ verba exiuerunt. Ponitur tertio loco expeditio illa ipsa, in qua illud primo loco ponitur, ad quos illos ire, & ad quos non ire oporteat. In viam quidem gentium non ire, & in ciuitates Samaritanorum non introire; ire autem ad oues eas, quas modò dixit errare sine pastore, quæ perierunt de domo Israël. Causas autem eius rei adnotat potissimas D. Paulus: Illis, inquiens, credita sunt eloquia Dei. Adnotat & D. Hieronymus: Oportebat, inquiens, primum aduentum Christi nunciare Iudæis, ne iustam haberent excusationem dicentes: Ideo se Dominum reiecisse, quia ad gentes, & ad Samaritanos Apostolos primò miserit. Celebrant eam felicitatem gentes gratæ. Primùm Moyses: Nec est, inquit, alia natio tam grandis, quæ habeat deos magis appropinquantes sibi. Et alio loco: Domus Iacob sperauit in Domino, adiutor eorum & protector eorum est. Qui timent Dominum. Et, Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Quis dabit capiti meo aquam, vt dignè deplorem ingratitudinem tuam, Israël ingrate, aut repudiationem huius tantæ gratiæ à salute? nam Israëli primò salus ferebatur, quæ eadem benedictio post in omnes gentes effusa est: quia & tunc velũ templi scissam erat, & dissidij maceria diruta.

Roman. 5. *Deut. 4.* *Esaiæ 113.*

2 NOtandum autem primò, nondum hanc ipsam esse generalem illam ad orbis vniuersi conuersionem, Apostolorum expeditionem, illam ipsam perpetuam, quæ ad consumationem mundi debebat durare: sed particularem tantùm, ad Iudæam præparandam potiùs ad Christum, eiusq; futuram prædicationem, quàm ad finalem eorum conuersionem. Et ideo multa hic Apostolis præcipit, quæ tamen generali illi functioni per omnia seruire non possunt, nec debent.

3 SEcundò notandum, etsi Deus præsciuerat omnia, quæ futura sint, quis gratiam eius accepturus quis non; nihil tamen illum prætermittere illorum, quæ promisit & decreuit, & quæ ad salutem omnium conferant. Nam & nunc rectè nouerat, Israëlem ingratum tanta beneficia non suscepturum. Iubet tamen suos Iudæis primò prædicare, eosque huius Iubilæi participes facere, facitque omnia, quæ promiserat, quæ prædixerat, vt veraces inueniantur serui eius prophetæ, & ipse vincat cùm iudicabitur: Iuxta illud, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei: Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes.

Actor. 13.

4 TErtiò notandum, tepidos & duplices corde magis odisse Deum, magisq; esse hominibus vitandos, quàm simpliciter errantes & peccantes. Nam & hoc loco, In viam gentium ne abirent Apostoli, monet Dominus: Samaritanorum autem vrbes ne attingendas quidem, ac ne ingrediendum quidem in illas: qui cùm Babylonij essent, Iudæam occupârant; & partem quidẽ veteris testamenti sequebantur, quinque inquam libros Moysis; partem autem repudiabant, vt potè prophetas, & alios libros. Per hoc genus hominum duplex & ambiguum,

& per ciuitates Samaritanorum, Ecclesias hæreticorum propriè intelligi, docet Hilarius: nihil enim differt ab ignoratione peruersitas. Et quod Solon in repub. sua ne fieret prohibuit, ne quis duarum esset ciuis ciuitatum, hoc idem, nunc maximè rei christianæ obest; vno oculo hæresim, altero Catholicam veritatem contemplari, vnaque parte linguæ hæresim, altera fidem Catholicam profiteri. De hoc in Apocalypsi Ioannes: Vtinam frigidus esses, aut calidus.

5 NOtat quartò hoc loco Hieronymus, nobis præcipi qui Christi nomine censemur, ne in viam gentium & hæreticorum ambulemus errorem: vt quorum religio separata est, separetur & via. Quod iam antea D. Paulus docuit: Nolite iugum ducere cum infidelibus. *2. Cor. 6.*

6 POstquam docuit, ad quos illos ire oporteat, quò eos mittat; nunc docet ac instruit, quid docere, quid facere, quid fugere debeant. Docere quidem illud: Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit vobis regnum cælorũ.

7 NOtandus autem est hoc loco modus dicendi Ioannis & Christi, quia non dicit, Veniet vobis regnum cælorum, aut habebitis illud; sed appropinquabit vobis regnum cælorum, si vos volueritis appropinquare illi, & si volueritis dignos fructus pœnitentiæ facere: vt sic omnis vana hæreticorum fiducia ac promissiones auferantur: & vt cum timore & tremore operemur nostram salutem. Et hoc quidem eos docere iubet: facere autem illud: quandoquidem verba sine opere parum fidei & valoris habeant, infirmos curate, mortuos resuscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. Hoc autem non ita facilè, vt filij medicorum solent, qui pro acquirenda arte multa impendunt: itaque multa ab istis, quos curant accipere opus habent: vos gratis accepistis, gratis date. Vtinam autem aliquantisper consistat in hoc loco Ariana impietas, ac diligentiùs consideret, quisnam sit hic, qui hæc imperare possit: Infirmos curate, mortuos suscitate: an sic aliquando locutus sit homo? Ac ita verò Dei verba recognoscat: illius, inquam, de quo Anna: Dominus viuificat & mortificat, Dominus ad inferos deducit & reducit. Non præcipit hæc talia Moyses suo Iosuæ: non Dauid Salomoni: non Elias Elisæo: nihil enim ipsi habent, quod non aliunde acceperint. Omnia autem ista iubet in corpore præstare, quæ & per ipsum, & per Apostolos in animo effici debeant, vt sciamus venisse nobis omnium bonorum authorem. Ne hominibus rusticanis, & absque eloquij venustate, indoctis & illiteratis nemo credat, pollicentibus regna cælorum, dat eis potestatem infirmos curandi, leprosos mundandi, dæmones eijciendi; vt magnitudinem promissorum probet magnitudo operum. Et quia res spirituales vilescunt temporali intercedente mercede, adiungitur illud: Gratis accepistis, gratis date. Vt illud Isaiæ impleatur: Omnes sitientes venite ad aquas, bibite atque sumite absque precio vinum & lac. Dare gratis, quod gratis acceperunt, iubentur; vt sit ministratio gratuita muneris gratuiti, Cùm autẽ docuisset quid illos dicere, quid facere oporteat; nunc addit illud, à qua re debeant abstinere maximè. Primùm igitur amputatur, quasi omnium malorum radix, auaricia: vt nulla quæratur auri vel argenti possessio, nihil quæstus causa fiat, ne quid in ministerio venale sit. Neque rerum superflua tantùm cura prohibetur, sed & necessaria: Nolite, inquit, possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, sed neque (quod magis necessarium *Matth. 10.*

videbatur) baculum & peram in via ; quæ habebant etiam Cynici philosophi, qui vulgò vocabuntur Bactroperatæ, quòd contemptores seculi videri voluerint, & qui omnia pro nihilo ducerent, peram, loco cellarum secum portabant. Neq; duas tunicas, commutationis alternæ causa, non quòd in locis Scythiæ, inquit Hieronymus, & glaciali niue rigentibus, vna quis tunica contentus esse deberet ; sed ne alio vestitu alium nobis ob futurum timorem seruemus. Neque calceamenta. Sed & Plato duas præcipit extremitates corporis non esse velandas, nec assuefieri debere molliciei, capitis, inquam, & pedum : cùm enim hæc obduruerint, cætera robustiora fore. Neque virgam : vt qui in adiutorio altissimi habitaturi sint, scuto circumdet illos veritas eius, ne timeant à timore nocturno. Portatio autem baculi aut virgæ, paupertatem designat. Quam Iacob Patriarcha designans : In baculo, inquit, meo transiui Iordanem istum : hoc est, vacuus & nullis diuitijs & comitatu onustus profectus sum in Syriam. Sed quæ causæ eius tantæ paupertatis & solitudinis ? an quia ad Dei seruitium mittuntur? atqui paulò ante prolixè traditum est, neminem posse duobus dominis seruire Deo & Mammonæ. An quòd idola isti eiecturi dicuntur ? auaritia autem idolorum seruitus est : nihil autem interest sub qua imagine, aut magnitudine aliquod idolum colatur. An quòd illi ipsi prædicatores sunt, qui aliquando in nomine isto patres, matres, sorores relicturi erant ? quod ni facerent, indigni essent hoc tali tanto munere, dono, domino & officio. Qui amat patrem vel matrem plus quàm me, non est me dignus. An quòd hi ipsi magistri paupertatis erant futuri, illudq; Euangelium prædicaturi, in quo docetur : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed thesaurizate vobis in cælo? &c. An quòd nihil ita admirandum doctorem christianum reddere potest, quàm vita rebus necessarijs contenta : & qui cæli doctrinam prædicaturi erant, eos vitam angelicam degere oportuit ? An si habuissent aurum & argentum, inquit Hieronymus, viderentur non causa salutis hominum, sed causa lucri prædicare?

Psalm: 90.

8 VErùm cùm discipuli obijcere atque excusare possent se homines esse, rebusque necessarijs indigere. Si ergo eos sua portare prohibet, aliena autem rapere multò minus liceat: Quæ ergò vitæ illorum ratio futura est, aut quod prædicationis dimensum, & vnde viuant ? Respondet illorum tacitæ obiectioni, illos solatur, ac ex illis ipsis, quos docturi sint, eos viuere iubet : Dignus, inquit, operarius cibo suo. Quod idem pòst Paulus censuit: Habentes, inquit, alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Et cõmunicet is, qui catechizatur verbo, ei qui se catichizat in omnibus bonis ; vt quorum discipuli metunt spiritualia consortes illos faciant carnalium suorum ; non in auaritia, sed in necessitate.

1. Tim: 6.

9 AC deinde subnectit, quomodo se gerere debeant in tota oratione victus sui. Primum autem illud maximè curent, ne ab ipsis hospitijs, quod sæpè fit, & in quo caput est, aliquid labis vel in vita, vel in fama contrahant ; vt non habeant homines, quod aduersus eos possint dicere. Itaque ingressos in ciuitatem, aut castellum, non iubet quærere qui ditissimi sint homines, qui maximè practici, n on quæ lautissima hospitia, sed simplicia, τροφῆς μᾶλλον ἢ τρυφῆς : qui in ea dignus, hoc est pius & honestus, Deiq; & religionis amans & studiosus sit, illicq; constanter manere, donec exeant, & qui ita erga ministros Dei sit affectus, vt existimet non tribuere se beneficium eis, qui apud eum sint mansuri ; sed potius ab ijs accipere gratiam, quàm dare. Hospitium fama populi ac vicinorum iudicio eligen-

cio eligendum eſſe, ne prædicationis dignitas ſuſcipientis infamia deturpetur. In qua quidem domo curioſum ac percunctatorem fruſtrà eſſe non vult, ſed pace & ſalute, more patriæ, domui atq; hoſpiti data, amplius rem ſuam agere, diſcordias & bella ſedare. Cui quidem paci & ſaluti, eam ſe virtutem ac benedictionem daturum pollicetur; vt ſi fuerit homo dignus pace & ſalute, illa penes ipſum ſit remanſura; ſi autem dignus non fuerit, pacem & ſalutem ad precatores ipſos reuerſura ſit. Manere autem iubet in eadem domo, donec exeat, ne aut hoſpitem contempſiſſe videatur, aut curioſæ diuagationi locus relinquatur. Proponit autem & hoſpiti mercedem pro ſuſcepto miniſtro, pacem veram quæ exuperat omnem ſenſum, & quam mundus dare non poteſt; & pœnam ijs qui tales non ſuſcipiunt. Et ipſos quidem aut vlciſci aut maledicere non debent, ſed ſimpliciter de domo illa exire foras. Vos mercedem de oblata pace habebitis, illi bellum quod habere voluerunt poſſidebunt. Similia prædixit de ciuitate: Excuſſo, inquit, puluere de pedibus veſtris, ne quid illorum abſtuliſſe videantur, & ne cum perfidis & ingratis, vel ipſo communicent puluere; & vt teſtimonium extet prolixæ illorum peregrinationis, quam fruſtrà confecerint. Quod poſtea Paulus in Actis feciſſe legitur: Contradicentibus enim Iudæis & blaſphemantibus, excutiens veſtimenta ſua, dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego: ex hoc ad gentes vadam. Amen dico vobis, Tolerabilius erit Sodomæ & Gomorrhæorum terræ in die iudicij, quàm illi ciuitati: idcircò tolerabilius, quia Sodomis non fuit prædicatum Euangelium, huic autem prædicatum eſt, quod tamen non receperunt. Sæpius autem Sodomæ & Gomorrhæ facit mentionem, quòd eius punitio in aſpectum ipſum incidebat, ac etiam nunc incidit: & quòd hîc in hac vita puniti, minus in futura punientur; & quia ſingulari exitij genere conſumpta eſt, vt ſeculis omnibus eſſet in exemplum, & nomen ipſius cunctis abominabile. Videatur Tertullianus in Apologetico. Vtinam autem & Sodomæ & Gomorræ aliquæ in Chriſtianiſſimo reliquiæ non compareant.

10 NOtandum autem hoc loco primùm ſacerdotibus & miniſtris Dei, quàm cauta ſit iſta ratio, præſertim in adeundis ſuſpectis locis. Nam ſi nunc Chriſtus Dominus diſcipulos tantis gratijs munitos, vel in itinere vetat diuerti, niſi in hoſpitia publica & examinata; quantò magis qui fixas ſedes habent, neq; quidquam in ædibus ſuis fouere, quod ſcandalum parere poſſit, neq; in ea loca diuerti, vbi aut humanarum actionum cura perſtrepit, tanto minus vbi cauponiæ aut lenocinia exercerentur? Hæc, inquit Hilarius, ſimpliciter intellecta ſanctorum modeſtiæ congruunt, vt cum dignis ſit hoſpitalitas, néue per iniuriam aut ignorantiam cohabitatione probroſæ familiæ polluantur: ſed introeuntes ciuitatem, de digno iubet interrogare, & cum eo habitare vſq; ad profectionem.

11 SEcundò notandum eſt, non licere ſacerdotibus Dei curioſè ex domo in domum demigrare. Primùm, ne curioſi eſſe videantur: vbiq; enim inuenimus, quod facilè offendit. Vnde Hieronymus dicere ſolebat, nunquam ſe domo egredi, quin deterior domum reuerteretur. Deinde, ne voracitatis & cupidiarum opinionem ſubeant. Vltimò, ne hoſpitem ſuum qui illos benignè recepit, contemnant ac contriſtent. Verùm ne in vna domo quidem curioſos eſſe vult; ſed vbi ſalutem dederint atq; acceperint, res ſuas agere.

NOtandum tertiò, vota & benedictiones sanctorum, tam viuorum, quàm illorum qui in Domino obdormierunt, illis tantum prodesse, qui illis digni sunt. Nam si qui capaces illorum non sunt, ad eos ipsos à quibus profecti sunt reuerti. Et si quidem, inquit, fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos. Et, Oratio mea in sinu meo conuertetur. Maximè enim bona opera nostra benedicunt nobis, dicit Theophilactus. 12

QVartò notandum, ingratitudinem erga Deum, eiusq; verbi prædicatores, fœdiorẽ esse, & maiore pœna vindicandã, quàm peccata Sodomæ & Gomoræ: atq; ita peccata omissionis, quandoq; deteriora esse peccatis commissionis. 13

NOtat autem quædam sublimiora hoc loco D. Hilarius, quæ verbis illius apponere licebit. In quamcunque ciuitatem intraueris, interrogate, quis vestra sit habitatione dignus; id est sicubi Ecclesia sit, & Christus habitator, neq; quoquam alibi transire: quia sit domus digna, & iustus hospes. Quod autem ab introeuntibus salutari domum voce præcipit dicens: Dicite, Pax huic domui: & si digna domus reperta sit, venire super eam pacem oportere: si verò indigna, ad ipsos pacem reuerti. Si iam in primo ingressu in salutationis officio dicta pax est, quomodo postea reuertetur? Aut enim dici antea pax non habuit, quàm vtrum digna esset probaretur: aut si digna fuit & salutata cum pace est, conditio & venturæ & reuersuræ pacis non potest ex ratione superioribus cohærere. Quæ ergo sit dictorum proprietas, monstrandum est. Iudæorum plures erant futuri, quorum tantus in fauorem legis affectus esset; vt quamuis per admirationem operum in Christo credidissent; tamen in legis operibus morarentur. Alij verò explorandæ libertatis, quæ in Christo est, curiosi, transisse se ad Euangelia ex lege essent simulaturi: multi autem etiam in hæresim, per intelligentiæ peruersitatem traducerentur. 14

NOtandum item, cum indignis & infidelibus nihil nos commune habere debere, ne puluerem quidem: ac ne aue illis dicendum. Excussionem pulueris iam tunc in vsu fuisse Iudæis, probabile est, quasi anathematis symbolum: ac si testatum fecissent, tam pollutos esse locis incolas, vt contagione sua terram inficerent. Vsitatum fuisse morem inde conijcio, quòd Christus tanquam de re nota loquitur. Indeq; apparet, qnantum vitij in se habeat, verbum Dei ac ministros Apostolicos viros contemnere; vt alijs peccatis tanta iudignatio non ostendatur. 15

VBi tradidit bonus magister quid docerent, quid facerent, quid fugerent; nunc docet, quid eos maneat, quidq; perferre necesse sit, eosq; solatur, ac animos illorum confirmat, quomodoq; aduersis resistant, instruit: Iacula siquidem præuisa minus feriunt: & omne malum quod accidit ex insperato, vt dicebat Autor imperfecti operis, nimis est graue: quod autem expectatur antequam accidat; postquam accidit leuius inuenitur. Primùm igitur demonstrat, quô illos mittat: Ecce, inquit, ego mitto vos, tanquam oues in medio luporum. Statim autem cautionem adfert: Estote igitur prudentes sicut serpentes, & simplices vt columbæ. Mitto vos, inquit, tanquam oues inermes, imperitos, egentes, quasi mutos, & innocuos in medio luporum. Lupos autem Scribas & Pharisæos vocat Hieronymus, qui sunt clerici Iudæorum. Estote ergo prudentes, sicut ser- 16

cut serpentes: vt per prudentiam deuitetis insidias, per simplicitatem ne faciatis malum & iniuriam. Estote prudentes sicut serpentes: ad intelligendas fraudes. Estote simplices sicut columbæ: ad ignoscendas iniurias. Contra infideles estote serpentes; quia serpens serpenti non nocet: cum fidelibus autem estote columbæ; vt quasi columbæ columbis charitatis oscula porrigatis.

17 NOtandum autem est, cùm dixisset Dominus se Apostolos tanquam oues inter lupos mittere, id potuisse vel Apostolos, vel alios quosdam in eam partem interpretari, quòd Christiani atque adeò doctores stulti ac inepti incautiq; esse deberent. Ex qua sententia, vtpotè valde periculosa, suos deducit, ac omninò cautos, imò etiam prudentes, idque ea prudentia, quæ maxima est, serpentum, inquam, esse oportere. Estote, inquit, prudentes sicut serpentes. Sed quoniam prudentia in astutiam & hypocrisim se transferre solet; cauet deinde vt ita prudentes sint, quo omnem astutiam, omnes nocendi artes fugiant. Monet igitur, vt sint simplices sicut columbæ, in quibus nullus dolus, nulla fraus, nocendi studium nullum planè inesse videatur: prosunt omnibus, obsunt nemini: ad se tamen partusq; suos satis prudentiæ & industriæ habent. Non igitur in sacerdote laudanda est ignauia aut stoliditas; prudentia enim oportet adsit: sed neq; astutia, aut illa seculi huius politia; sed potius sinceritas & veritas. Qui enim alijs prouidere, & qui cùm astutis lupis pugnare debet, profectò magna prudentia præditum esse oportet.

18 NOtandum secundò, talis prudentis simplicitatis, & simplicis prudentiæ pulchrum exemplum in patre suo expreßisse Nazianzenum, cuius verba apponere libet. Sed fuerit sanè tanta tamq; illustri morum facilitate; industria tamen, eaq; virtute, quæ in rebus gerendis versatur, cuiquàm alij cedebat? Minimè. Verùm idem ipse & lenis ac placidus, vt si quis alius erat, & ad agendum peræquè aptus & appositus. Quamùis enim hæ duæ res ferè inter se pugnant atq; opponantur; simplicitas nimirum & asperitas; alteraque mansuetudinem cum inertia coniunctam habeat; altera rebus quidem gerendis apta sit, verùm humanitate careat: at in eo tamen mirificè hęc duo in vnum conuenerunt, nempè vt & tanquam asper ac vehemens rebus gerendis alienis, sese cum industria submitteret, in præsidijs ferendis, in sermonibus ab omni nutu liberis, in omni deniq; gubernationis genere. Nam cum serpentis ad malum prudentiam, columbæ ad bonum simplicitati coniunxisset, ita se comparauit, vt nec prudentiam in versutam improbitatem, nec simplicitatem in stoliditatem degenerare sineret; verùm ex ambabus, quòad eius fieri poterat, vnam virtutis speciem efficeret numeris omnibus perfectam & absolutam.

19 NOtandum tertiò, cur CHRISTVS Dominus serpentis potiùs exemplo vti voluerit, cùm res quidem omnibus exosa esse videatur, & cuius prudentia ad mortem propendeat, cùm alia animalia non minus prudentia esse videantur? Sed non fecit hoc sine magna ratione: Primùm, quia hoc aliâs iam in lege dictum fuit. Deinde vt contra demonstraret, nihil malum à parente suo, Deo legis creatum fuisse. Nam & serpentem nobile animal, magna sapientia à patre suo ornatum: quo vt docet Augustinus, postea diabolus ad perdendum hominem abusus est, re alioqui nobili & preciosa: quomodo & nunc multorum eloquentia & doctrina abuti solet. Et vt nihil in rebus à Deo creatis, etiamsi vile, etiamsi

le, etiamsi nociuum esse putetur, contemnamus: cùm Deus fecerit omnia benè & bona.

NOtandum quartò de prudentia serpentis, multos ex veteribus, tam ethnicis, quàm nostratibus multa scripsisse ex illis, qui foris sunt, Aristotelem, Plinium, Ælianum: ex nostris autem Clementem Alexandrinum, Eusebium, Chrysostomum, Hieronymum, Hilarium, Physiologum: quæ tamen omnia ad hæc capita reuocantur. Primùm quæ notat Hieronymus cum Hilario, quòd vbi in manus se hominum venisse intelligit, omni genere ab ictu caput subtrahit: id aut collectum in orbem corpore contegit, aut foueæ immergit, cædiq; partem reliquam derelinquit: nosq; hoc exemplo oportere, si quæ acciderint persecutiones, caput nostrum Christum & fidem occultare; vt ablatis nobis in omnes euentus fidem, ab eo semel acceptam, iactura corporis nostri communiamus. Cernit siquidem, capite saluo, facilè se cætera consecuturum, vt cui cor in collo positum esse videatur. 20

EST & illud non exiguum prudentiæ eiusdem insigne serpentis, ex Physiologo, cùm ad fontem vt bibat pergit, virus non defert, sed in antro illud dimittit, sicq; primùm accedit, ne ex illis aquis bibentes inficiantur. Quo loco annotat Epiphanius, hoc idem nobis cum ad audiendum verbum sacramentorum vsum, omnemq; diuinum cultum accedimus, omne item virus maliciæ, odiorũ, atque libidinis domi relinquendum, aut potius euomendum esse. 21

TErtia illa prudentia serpentis est, quòd aurem suam obturet ad orationem incantantis, omnemque illam orationem refugiat, quæ illi aduersa esse videtur: Quod idem Christianis & Apostolicis viris apprimè vtile videtur; vt nullis maledictis, nullis conuicijs, nullis scandalis offendantur; sed patientia & moderatione auriculas sibi obstruant. Refert eam prudentiam serpentis Hilarius ad modum prædicatoris: vt quomodo serpens seduxit nos, ita ijsdem, sed contrarijs artibus, nos ad vitam redeamus. Vide Hilarium. 22

VLtimò dicitur magnam immortalitatis & renouationis rationem habere, eiusque causa difficilima quæq; ac molestißima subire. Scribunt enim, cùm senio grauatur, caligare illi oculos: & cùm iterum iuuenescere paret, quadraginta diebus cibo abstinere, & tandem emollita cute, quærere petram, per cuius foramen magno nisu contendere, pronusque transire nitatur, cutemq; exuat: qua deposita gaudere, atque item iuuenescere. Geras, hoc est senium serpentis, hoc veteres vocant; Arist: lib: 8. hist: cap: 17. & lib. 5. cap. 17. Plinius li: 8. cap: 17. Sic & Basilius. Sitis, inquit Christus, prudentes sicut serpentes: qui, cùm eos senium deponere necesse sit, loco angusto & optimè septo corpus suum committunt, & ita prudenter atq; sapienter senectutem exuunt suam. Quod etiam nos facere vult sacra scriptura, cùm per arduam & angustam viam iter faciamus: exuere, inquam, veterem hominem, induere verò nouum, ita vt etiam nostra sic repuerescat iuuentus, vt aquilæ solet. Idem Epiphanius & alij docet. 23

In oratione 7. de virtute & vitio.

NOtandum quintò, in hoc loco ex D. Basilio, Interrogatione 245. Prudens est is, vt serpens, qui in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione considerationeque, qua ratione id & fieri, & facilè fieri possit, omnia faciat; vt audientium animos ad auscultandum habeat paratos. Simplex vt columba, qui ne simpliciter quidem de eo vlciscendo, qui sibi aduersarius 24

rius ſit, cogitat; potiuſq́; in inſtituto ſuo bene de illo merendi perſeuerat, ex præcepto Apoſtoli: Vos autem nolite deficere benefacientes. Ad prædicationem ergo diſcipulos mittens Dominus, hæc ipſis mandat: vbi & ſapientia erat opus ad perſuadendum, & patientia aduerſus inſidiatores. Vt videlicet, quemadmodum in paradyſo ſerpens & blandiore aſpectu callidè ad primos parentes acceſsit, & verborum probabilitate eos auertit à Deo, ac peccata ſubiunxit: item nos quoque, & perſonæ, & loci, & idonei ad agendum temporis rationem habeamus, & omnibus modis ſermones in iudicio diſponamus; vt à peccato homines auertamus, & ad Deum reducamus; & in tentationibus patientiam vſque in finem teneamus, ſicut ſcriptum eſt.

25 NOtandum vltimò, hoc loco ex D. Auguſtino optimè prudentiam ſerpentum candore columbino temperari: eſt ſiquidem animal illud omnium maximè innoxium, nulli parat inſidias, non modò grandium animalium, contra quæ vires non habet, verùm & minutiſsimorum, quibus etiam perparui paſſeres aluntur, cæde abſtinet. Columba ſerenitatis fuit Noë nuncia: Chriſto in baptiſmate ſuper caput aſtitit: fauſti ominis auis eſt; & quæ olim in ſacris litationibus, ob nimiam puritatem, præcipuè expetebatur. Hinc fit, vt rerum ſpiritualium ac diuinarum in ſacris literis vt plurimùm ſit ſymbolum. Ea deſignantur, Chriſtus, Sanctus Spiritus, Eccleſia, virgo Deipara, gratia, charitas, ſacra doctrina & ſcriptura, ſpiritualis natura, Eccleſiæ doctores, viri ſimplices ac recti, atq; eius generis multa. Quidam ex neotericis prudentiam ſerpentum ad opportunam cautionem in periculis referunt, ſimplicitatem autem columbarum ad facilem tempore neceſſario pro Chriſto vitæ profuſionem.

26 VBi igitur docuiſſet, ad quos & quales homines illos mittat, oſtendit deinde, quomodo tractandi ab illis ſint, & quid reportaturi ab eis. Videtur autem orationem transferre non tantùm ad præſentem miſsionem; ſed iam amplius ad futuram poſt reſurrectionem, vbi eos in totum orbem cum Euangelij nuncio miſſurus erat: Ideò nominat reges, principes, &c. quod poſtea conſecutum eſt.

27 CAuete autem ab hominibus, non quòd conſuetudinem eorum declinare debeatis, & ad quos mittamini, ſed per prudentiam & ſimplicitatem cum illis verſemini. Hoc eſt, inquit Theophylactus, prudentes eſſe, ſibi attendere, nec dare occaſionem his, qui perſequi velint; ſed res ſuas prudenter adminiſtrare, ſiue pecuniam velit perſecutor, ſiue honorem, ne quam occaſionem habeat: ſi autem fidem aufert, cuſtodi caput tuum. Tradent enim vos in concilijs, & in ſynagogis ſuis flagellabunt vos, & ante reges & præſides ducemini, in teſtimonium illis & gentibus. Quod non longè poſt mortem conſecutum eſt: Loquentibus enim illis ad populum, ſuperuenerunt ſacerdotes & magiſtratus templi, & Saducæi dolentes, quòd docerent populum, & annunciarent in Ieſum reſurrectionem ex mortuis: & iniecerunt in eos manus, & poſuerunt eos in cuſtodiam in craſtinum. Factum eſt autem, vt congregarentur principes eorum & ſeniores, & Scribæ in Ieruſalem, & Annas princeps ſacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere ſacerdotali, & ſtatuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos? Quomodo Feſto, Agrippæ Paulum, atque adeò ipſi Neroni poſtea

Acto: 4.

præsentârunt. Nec solùm quòd non audierint, sed quòd etiam legatos ipsos multis contumelijs affecerint, & ad extremum occiderint, in testimonium innocentiæ, amoris ac eorum optimi conatus: In testimonium, inquit, illis & gentibus: in redargutionem illorum qui credere noluerunt, quod illis prædicatum sit, quòd prouocati se ingratos & inobedientes præstiterunt prædicatæ vocationi Iudæorum & Gentium, vt & Iudæi terreantur, & gentiles prouocentur. Quo loco admirabilis est sancto Chrysostomo, & dicentis virtus, & sublimis audientium philosophia: Valdè, inquit, mirandum est, quomodo non statim hæc audientes fugam ceperunt formidolosi homines atq; imperiti, qui nihil vltra stagnum istud, in quo piscabantur, nouerant. Quomodo autem non cogitârunt, neq; hæc secum dixerunt: Quô igitur fugiemus, si omnia iudicia hominum in nos præparantur, si reges aduersus nos futuri sunt, si Iudæorum synagogæ, si Duces, si populi gentium, si principes deniq; & subditi? Non enim in Iudæa solùm hæc futura prædixit, sed in toto terrarum orbe: Ad reges enim, inquit, & ad præsides ducemini; vt ostenderet ad gentes quoque ipsas suo iussu illos præcones destinari. Omnem orbem in nos concitasti, omnes terrarum habitatores aduersus nos armasti, populos, duces, reges: Sed longè horribilius est quod sequitur, cùm & fratricidas & parricidas propter nostram doctrinam homines futuros pronuncies: Tradet enim frater fratrem in mortem, & pater filium, & insurgent filij in parentes, & morte eos afficient. Quomodo igitur cæteri credent, qui propter nos viderint filios interimi à parentibus, fratres à fratribus cum sceleribus cuncta repleri senserint? Nónne vt seductores dæmones, nónne vt scelestos latrones, & totius orbis corruptores vndique nos expellent, cùm viderint cognatorum atq; affinium sanguine omnia repleri? Hancné igitur pacem ita optabilem, quæ tot, tantásque cædes illis inferat domi suscipientibus retribuemus? Quòd si non duodecim, sed mille millia essemus: si non rudes atque indocti, sed sagaces & peritissimi ad dicendum oratores: si non inopes atq; mendici, sed reges magnos exercitus, magnas opes possidentes; non possemus adhuc profectò terrarum orbi persuadere, cùm ad intestina ciuiliaq; bella, imò ciuilibus multò peiora inflammare videmur. Nam etsi parum, vt præcipis, de salute nostra curabimus; quis tamen mentem nobis adhibebit? Nihil horum certè cogitauerunt, nihil dixerunt, nec præceptorum temeraria curiositate rationes quæsierunt; sed cedebant libenter imperanti, atque obsequebantur: quod non ipsorum solummodo virtutis erat, sed etiam præcipientis immensæ sapientiæ. Verùm obijcere possunt, quomodo persuadebimus sapientibus, ipsi rudes & infantes? Tu ipse scis, quia in illorum iudicis scholastici præsunt, quomodo ergo possumus nos homines piscatores, & sine literis, coram illis testimonium dare. Tu enim ab initio non nos docuisti loqui, sed credere. Deniq; cùm nos discipulos congregares, non inuenisti nos in capitolio philosophicos libros legentes, sed retia in mare mittentes. Neque dixisti: Venite, faciam vos aduocatos meos; sed, venite, faciam vos piscatores hominum. Conscientias, non eloquentias nostras elegisti. ideò ipse inquit: Nolite solliciti esse, quomodo aut quid loquamini; mea est causa. Deus humano auxilio non indiget. Ideò vos tantummodo mihi personam præstate, & ego vobis sensum. Vestrum erit voluntatem vestram tantùm pro me offerre; ego autem qui in vobis habitabo, loquar ipse pro me, & Spiritus sancti gratia ad respondendũ ministrabitur vobis. Cùm autem, inquit, tradent vos, nolite cogitare, quomodo,

aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini; & ita dabitur, vt eloquentiæ omnia cedere cogantur. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Tale aliquando responsum Moyses à Deo retulit: vt cognoscamus eundem fuisse, qui & hîc & illic locutus est: Perge, inquit, & ego ero in ore tuo: doceboque te quid loquaris. Nolite terreri: vos in aciem descenditis, sed ego prælior: vos verba editis, sed ego sum qui loquor. Ex quibus præsidijs & armamentario sunt illa Petri fulmina: Principes populi, & seniores audite: Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël, quia in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Item: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et illa Pauli: Viri Israëlitæ, & qui timetis Deum audite: Deus plebis Israël elegit patres nostros, & plebem exultauit, cùm essent incolæ in terra Ægypti: & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. &c. Item coram Felice: Ex multis annis te esse iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam. Potes enim cognoscere, quia non plus mihi sunt dies quàm duodecim, ex quo ascendi adorare in Ierusalem, & neque in templo inuenerunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neque in synagogis, neque in ciuitate, neq; probare tibi possunt de quibus nunc me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quòd secundùm sectam, quam dicunt hæresim, sic deseruio patri & Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in Deum, quam & hi ipsi exspectant, resurrectionem futuram iustorum & iniquorum. In hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere ad Deum & ad homines semper. Item coram Festo: Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari: Iudæis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum aliquid morte egi, non recuso mori: si verò nihil est eorum qui hi accusant me, nemo potest me illis donare: Cæsarem appello. Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Item coram Agrippa & Festo: De omnibus quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cùm sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia, quæ apud Iudæos sunt consuetudines, & quæstiones: propter quod obsecro, patienter me audias. Item eodem Cap. Non insanio optime Feste; sed veritatis & sobrietatis verba loquor. Scit enim de his rex ad quem & cõstanter loquor. Latere enim eum horum nihil arbitror. Neque enim in angulo quidquam horum gestum est. Quid Pericles grauiùs, quid Demosthenes breuiùs in hoc argumento dicere posset?

Acto: 4. *Acto: 5.* *Acto: 13.* *Acto: 24.* *Acto: 2* *Acto: 26.*

28 NOtandum autem est primùm hoc loco: Christianum in hac vita viuere, tanquam ouem inter lupos. Et ideò nihil esse, quod illum in hac vita aut multum retinere, aut valdè delectare possit. Sit ergo conuersatio eius in cælo: ibi omnium vota ac desideria referantur.

29 NOtandum secundò, quòd quemadmodum pro Christi fide sunt pericula fugienda; ita ex aduerso non sunt quærenda, neque illis occasio danda, neque mali irritandi, quod hoc loco manifestè Saluator dicit: Cauete ab hominibus, &c.

NOtandum tertiò: Superiùs quidem Christum Dominum præcepisse suis, vt curent prudentes & simplices esse; nunc autem iubere, ne cogitent quid loquantur, sed seipsum patronum & aduocatum ipsis affuturum. Sed sciendum est, omnia quæ homo ipse insitis viribus præstare potest, adferre debere; at illa quæ artis aut vsus sunt, aut quæ aliundè accersuntur, & quæ non sunt in nostra potestate: qualis est miraculorum vis, quale castitatis donum, qualis dicendi & persuadendi sine arte & vsu facultas Deum instrumentis ac ministris suis aliquando gratuitò subministrare: quod hoc loco se facturum pollicetur, sed & aliâs longè vberiùs: Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere, aut contradicere omnes, qui aduersantur vobis.

30

NOtandum est quartò, de eo vt non cogitemus quid loquamur, neque apud omnes, neq; omni loco, neq; omni tempore eam doctrinam seruire: nam etsi omnis sufficientia nostra ex Deo sit, in eoq; viuamus, moueamur, & simus; & neque qui rigat sit aliquid, neq; qui seminat, sed qui incrementum dat; tamen debitis medijs, via ordinaria, fit oportet. Nunc autem de singulari quadam & pretiosa gratia Christus Dominus loquitur, quæ neq; apud omnes cum quibus agitur, vt annotauit Theophylactus ex Chrysostomo, locum habere debet, sed apud infideles & in persecutione tantùm: nec omni loco, sed in illa prima sola, aut illi simili peruagatione ac oberratione totius orbis: neque omni tempore aut causa, sed maximè in fidei ac suiipsius defensione, quod in Petro & Paulo iam vidimus. Habituri enim erant aliquando hi ipsi doctores, quos nunc à cogitatione, quid loquantur, arcet, firmas ac quietas sedes: vbi de verbo sano, & irreprehensibili cogitarent, seséque in omni sana doctrina ac prædicatione exercerent. Contra quam aduersarij ipsi nihil dicere, aut præualere possent: ita vt nulla ex parte aut ministris aut desidibus catholicis doctoribus hic locus patrocinetur, qui sine doctrina doctores, sine cogitatione sapientes, sine vllo apparatu potentes & admirabiles esse & videri volunt; & qui opus Domini negligenter curant, indéque maledictionem contrahunt. Cuius quidem rei in Israël fuit pulchra figura, cui tantisper manna cibus cælestis dabatur, quamdiu serere aut arare non poterant: at vbi terram promissionis attigerunt, manna pluere desiit, ac vomeris aratura redijt. Defecit, inquit scriptura, manna, postquàm comederunt de frugibus terræ: nec vsi sunt vltrà cibo illo filij Israël. Quanquam ne nunc quidem negamus, si otium absit, si necessitas vrgeat, eam Dei gratiam non defuturam: quod & ipsi in nobis aliquando, Dei gratia, sumus experti. Neque item hoc docet, cùm dicit: Nolite cogitare, quid, aut quomodo loquamini, per orationes, sacrasque preces ac meditationes se exercere, cælestéque numen & auxilium sibi doctores ac ministros verbi impetrare non debere, cùm & Christus Dominus ante doctrinam quasi semper orare soleat. Nam nostri seculi nimis fidentes & præsumptuosi doctores, præsertim ij, qui apud hæreticos docent, docent semper, orant, precantur, offerunt nunquam. Ideò profectus nullus, frigida omnia, errores plurimi, & quæ summa impudentia, horas canonicas & ipsi abiecerunt, & ex aliorum manibus excusserunt: splendidi potiùs & apparentes, quàm pij magistri. Sensus igitur doctrinæ Christi hic est: Magnum quidem esse sustinere principum conspectum: neque enim tantùm formido, sed ipsa quoq; verecundia interdum bonas mentes consternatas reddit. Christus tamen suos esse sollicitos vetat, quia spiritus illis

31

Iosue 5.

illis verba dictabit. Nam quò quiſque magis imbecillitatis ſuæ conſcius ſibi diffidit, eò magis trepidat, niſi aliunde expectet auxilium. Et videmus pleroſque deficere ideò, quia viribus ſuis, quæ perquàm exiguæ ſunt, aut prorſus nullæ, eorum quæ agenda ſuſcipiunt ſucceſſum metiuntur. Ideò Chriſtus diſcipulos vetat, quid valeant, videre, & ab vna cæleſtis gratiæ fiducia pendere iubet. Non de facultate, inquit, veſtra hîc agitur, ſed de Spiritus ſancti virtute, qui fidelium linguas ad puram fidei confeſsionem format ac dirigit. Ac ne præſenti ſuo defectu terreantur, auxilium in ipſo momento ſuperuenturum denunciat.

32 NOtandum quintò, duas eſſe partes totius Rhetoricæ chriſtianæ, quid, & quomodo loquamur: Nolite, inquit, cogitare, quid, & quomodo loquamini. Neq; enim ſufficit, vt inuenias & congeras quid loquaris; ſed videndum etiam quo ordine, qua deuotione & motu loquaris, quóue dicendi modo.

33 NOtandum ſextò, quo, & quali peccato ſe illi obligant, qui verbum Dei non audiunt, & qui Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros contemnunt. Nam ſi non illi loquuntur, ſed Spiritus Dei in illis loquitur; profectò qui illos contemnit, Spiritum ſanctum in illis loquentem contemnit: at peccatum contra Spiritum ſanctum irremiſsibile eſt, non ſolùm in hac, ſed etiam in futura vita. Et hoc eſt illud, quod alio loco dicit: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.

34 NOtandum ſeptimò, qua ſanctimonia linguas ſuas continere debeant ab omni malo Apoſtolici viri prædicatores, cùm lingua eorum ſit calamus ſcribæ velociter ſcribentis, organum & Inſtrumentum Spiritus ſancti. Inde D. Bernardus dicit: Quæ in alijs ſunt ioci, vel verba otioſa, in ſacerdotibus blaſphemię.

35 NOtandum vltimò, multa præclarè circa hunc locum de vi & amplitudine Apoſtolorum diſputare D. Chryſoſtomum, eorumque efficaciam cum veteribus Philoſophis ac Imperatoribus conferre: quæ, quoniam prolixius, quàm quæ hîc commodè referri poſſent, tractantur, ex ipſo fonte haurienda erunt.

36 AMplius auget periculum, vt ſuorum pectora & præmuniat, & confirmet, & ſoletur. Docetque ea quæ prædixit, non à principibus, aut regibus tantùm, non à ſacerdotibus & ſcribis illis euentura, quæ vtique aliqua ratione vel effugere, vel declinare poſſent; ſed quod longè difficiliùs, longè triſtiùs, & ad declinandum planè impoſsibile, à domeſticis etiam & amicis. Sed ne ab his quidem qualibuſcunque, ſed à patribus, fratribus, filijs, pignoribus chariſsimis, eóq; amplius, concludit: Et eritis, inquit, odio omnibus hominibus; vt nuſquã præſidium, nuſquam adiutorium ſit: & quæ alijs ſolent eſſe præſidio & maximæ leuationi, illis ceſſura in maioris miſeriæ acceſsionem; nempè cognatos & neceſſarios, inſidioſos inimicos pollicetur. Quo loco pulchrè Author operis Imperfecti: Vide, inquit, quale tunc incendium perſecutionis ardebit, vt nec ſibi ipſi parcat natura. Quomodo autem tunc patronorum aut amicorum fidem integram quæret, cùm videris ipſius fraternitatis & paternitatis vim eſſe extinctam? In Matth. Hom. 24.

37 SEd quæ cauſa tanti odij? Illa inquam: Venit lumen in hunc mundum, & homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem. Quæ conuentio luci ad tenebras? vtitur autem verbis Micheæ Prophetæ, vt honoret ſeruos ſuos prophetas, *Micheæ 7.*

 phetas,

phetas, illisque fidem faciat: Hi erunt vestri honores, hæc vestra solatia, hæ ipsæ diuitiæ. O firmas mentes, ô solida pectora, quæ his talibus malis non mouentur! Cuius tanti mali quæ solatia? hæc, inquam, quæ mox sequentur.

NOtandum autem hoc loco est, modum processus Euangelici hunc esse, atque adeò ipsius Saluatoris Dei; vt primò aduersa, tristia, molesta proponantur, deinde læta, amœna, ac consolationis plena. Contrà, mundus, diabolus, hæresis, primò læta quæq; & dulcia proponit; deinde vbi deceperit, tristia & aduersa per se ipsa apparent, vel diabolo ipso ea amplificante, ac ad desperationem adducere conante. 38

SEcundò elicit ex hoc loco generale quoddam & verißimum axioma D. Hieronymus, quòd tot anni superiores apud nos probauerunt: tum isti probant, nullum esse inter eos fidum affectum, quorum diuersa fides est. Quod Dionysius Areopagita vix non geometricè demonstrat; tantò scilicet plus à se lineas discedere ac remoueri, quò magis à centro rectæ fidei discesserint. Vanæ igitur compositiones, vanæ cum hæreticis confœderationes, ob quas nunc orbis christianus turbatur & perit: Si Dominus est Deus, sequimini illum: si Baal, illum. 39

TErtiò notandum est, semper iustos & Dei seruos ab improbis & maliti osis odio haberi. Sic Cain Abelem odio habuit sic, Esau Iacobum, sic mali fratres Iosephum, & sic deinceps per omnia tempora & secula. 40

MEntitur hoc loco Caluinus, patronos sanctos in Papatu pro dijs haberi: cùm & viuos multos vocemus patronos, qui tamen pro dijs non habentur. 41

NOtandum quartò, pro odio & persecutionibus, quibus iusti in mundo vexantur, referre à Deo duplicia: quòd his ipsis Apostolis, quorum nunc orbis osculatur vestigia, quorum ossa veneratur, sepulcra adit, illa Isaias pollicetur: Pro eo, quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem. 42

A Terroribus ad solatia se confert, quorum primum est: illos nullo suo vitio, neque ob vllum scelus aut delictum hæc talia passuros; sed propter nomen eius. Non quòd illi priùs eum dilexerint, sed quòd ille priùs eos amauerit. Ob illud nomen, in quo tot signa, tot miracula erant facturi: ad quod nomen omne genu flectetur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & in quo nomine omnes saluos fieri oportet: Turris fortitudinis nomen Domini. Neque igitur tanquam fures, aut maleficos passuros; sed tanquam testes, vindices, amatores, nominis sui sancti. 43

SEcundum solatium, eos non gratis id subituros, sed mercede magna salutis & felicitatis: Non qui, inquit, inceperit; sed qui perseuerauerit vsq; ad finem, saluus erit. Neque tamen id ea ratione illos persequi iubet, vt quærant ipsi pericula, aut in pericula ruant; sed potiùs, si illos in vna ciuitate persequentur, fugiant in aliam. Quod quidem videmus in principio fecisse credentes: quando enim orta est Hierosolymis persecutio, dispersi sunt per vniuersam Iudæam. 44

dæam. Non desidiæ hoc est priuilegium, sed laboris calcar: vbi eiecti fuerint vno loco, fugiendum est in alium: nam aliter sua opera perficere non possent; vt nouis subinde certaminibus se offerant, vt tribulationis occasio, inquit Hieronymus, fiat Euangelij seminarium. Et primos quidem labores eorum, primúmque conatum non diu toleraturos, nec sine cælesti auxilio illos futuros, nec consummaturos ciuitates Israël, hoc est non omnes adituros; donec veniat filius hominis, hoc est per resurrectionem, ac Spiritus sancti missionem, qui eos confirmet, doceat ac soletur. Tum enim venire dicitur, cùm opem præsentem adfert. Quidam de excidio Hierosolymitano intelligunt, in quo Christus vindex ingratitudinis apparuit: Quidam euangelij processum, & Christi aduentus manifestationem, & regni lumen exponunt: quòd hæc, priusquàm Israël conuertatur, debebant manifesta esse: quidam ad particularem hanc legationem tacitè tactam per metalepsim, id est, vos redibitis ad filium hominis. Præclarè tamen hoc alius quidam ad seram Iudæorum conuersionem retulit: quasi verba hæc obiectioni seruiant: Nolite turbari, si ciuitates ipsæ non consumantur: hoc enim non nisi ad vesperam futurum est, dum veniet.

45 TErtium argumentum consolationis est, si illum, qui Dominus eorum & magister est, hæc eadem mala exceperunt, etsi hæc ille libenter & patienter illorum salutis causa subijt; eos etiam sic subire debere. Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum suum: sufficit discipulo, vt sit sicut magister, quàm diu discipulus est & seruus. Frequens autem hæc est consequentia: Si ego magister & dominus vester. Quid igitur inquies? inquit D. Chrysostomus: Nequaquam, ne discipulus supra magistrum, & seruus supra Dominum reperiri potest. Nempe quousque discipulus aut seruus est magistro & domino, nunquam excellentior erit honore ac dignitate. Noli enim ea quæ rarissima sunt in medium producere, sed ab his quæ sæpè solent fieri orationem considera.

45 QVarta consolatio, quòd hoc æternum iudicem non lateat: quòd graue iudicium eo nomine inimici illorum subituri sint, etiamsi hæc nunquam patere putent, nec eius rei se causam dicturos arbitrentur, vt sit sensus: Nolite timere persecutorum sæuitiam, & blasphemantium rabiem: quia veniet dies iudicij, in quo vestra virtus, & eorum nequitia elucescet: de quo iudicio dicit, quòd iudicabit Deus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Etsi autem ab omnibus nunc angariemini; ne timeatis tamen eos, qui redarguunt; sed illos potius expectate, qui in posterum sint laudaturi; neq; præsentia contristent, sed futura potius confirment. Cùm enim interim vos quasi inimicos suos oderint homines; postea vos cognitos complectentur, quasi suæ salutis authores. Interim quasi maleficos homines vos abominabuntur; postea quasi sanctos venerabuntur. Interim vos quasi persecutores persequentur; postea vos omnes homines in ecclesijs suis, quasi Deos adorabunt. Mementote præterita, quando veritatem longo tempore celauerunt tenebrosa mendacia, quando innocentia Ioseph & Moysis in Ægypto, Danielis & trium puerorum in Babilonia sub existimatione criminis diu velata est. Consolamini de futuris, sustinete introitum iniuriosum, vt habeatis exitum gloriosum. Quo loco pulcherrimè D. Chrysostomus: Si adhuc dolore vexamini, quoniam malè audituri propter

Author ope. Imper. in Matth. Hom. 25.

pter me ſitis: illud dolorem veſtrum ſedet, quod non multò poſtea ab omni ſuſpicione liberabimini. Cuius enim rei gratia grauiter contumelias fertis? An grauis iniuria eſt, quia præſtigiatores & ſeductores vos vocant? At ſuſtinete paulisper, & non multò pòſt ſaluatores vos, benefactoresq; totius orbis terrarum prædicabunt. Vnde ſumta occaſione, eos etiam ſolatur; vt quod illis dicit in tenebris, dicant in lumine: & quod aure audierunt, prædicent in tectis. In tenebris ergo nominatur, quod priuatim dicebatur in aurem, aut quod ſolis: in lucem autem, quod publicè: in tectis, quod omnibus. Quod audiſtis in myſterio, id excelsè docentium præconio, apertè prædicate: quod diſcitis in abſcondito, publicè loquamini, quod vos erudiui in paruulo Iudææ loco, in vniuerſis vrbibus & toto mundo audacter prædicate. Quanquam enim, inquit Chryſoſtomus, non fuerint tenebræ, quando hæc illis committebat, nec in aure clam ipſis loquebatur; ſuperlatione quadam tamen ſermonis vtitur. Solis enim ipſis & in paruo angulo Paleſtinæ dicebat: idcircò quaſi ad futurum vbiq; ingentem Euangelij ſonitum hæc conferendo, ita dixit: non enim vni, aut duabus, aut tribus ciuitatibus, ſed toti orbi terrarum prædicabitis; maria, terras, loca habitata & inhabitata tranſituros oſtendit.

47 QVintum argumentum corroborationis eorum, magis timendum eſſe Deum, quàm homines: quia homines tantùm corpus occidere poſſunt, animam non: Deus autem vtrumq; perdere & extinguere poteſt. Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus &c. Simili aliquanto ſcuto & præſidio ſibi à magiſtro tradito animosè vſi ſunt Apoſtoli. Magis nos oportet obedire Deo, quàm hominibus. Atq; hîc iam ipſius mortis denunciat pericula, moriendum etiam illis pro ea quam docebant, doctrina eſſe, qui metus omnes alios metus ſuperare poteſt. Timorem igitur hominum, Dei timore repellere docet: minorem videlicet maiore. Credere debemus, quia numerati dati nobis dies ſunt: ita vt mori ante diem, nec tranſire poſsimus diem; tamen ponamus quod ante diem moritur, qui moritur propter Deum. Si ergo & gratis, id eſt, ſine moleſtia percuſſoris poſt modicum morituri ſumus, nulla Dei cauſa propoſita; quare non ante modicum in cauſa Dei cum gloria morimur, vt fiat voluntarium, quod futurum eſt neceſſarium, vt offeramus Deo pro munere, quod redditur à te pro debito? Vel vt dicam, quod ſentio verius. Corruptibilis natura creata eſt, deponendi corporis tempus eſt numeratum; vt homo, morituro corpori tuo non parcas, ſed commerito perituro compares tibi vitam manſuram. Ecce ſi mutuo accipis, vt puta bouem, vel equum; nónne aſsiduo operaris opus tuum in eum? Dicis enim apud te, hodie aut cras tollendus eſt à me, quia non eſt meus. Etiam tu in corpore corruptibili natus, quare non ad vtilitatem animæ tuæ vteris temporali corpore tuo, ſciens, quia poſt modicum tollendum eſt à te, quia non eſt tuum? Autor operis imperf. in Matth. Homil. 25.

48 SExtum conſolationis argumentum eſt, non ignorante neque dormiente æterno patre hæc fieri, ſed potius volente ac permittente; vt illorum præſtantes virtutes & animi magnitudo probetur, vt ſint in teſtimonium illis & gentibus. Cui ſcilicet magna ſit cura de illis, ita vt ſingulos eorum capillos atq; greſſus cuſtodiat atq; numeret, & ideo non permiſſurus ſit illos tentari vltra quod ferre poſsint, & ideo præſenti auxilio adfuturus. Idque à minori probat, quod antea fecerat: Nónne duo paſſeres vno aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet

in tes-

in terram ſine patre veſtro: veſtri autem capilli capitis etiam numerati ſunt: Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos. Si, inquit, parua animalia & vilia abſq; Deo authore non decidunt, & in omnibus eſt prouidentiæ: & quæ ex his peritura ſunt, ſine Dei voluntate non pereunt: vos ad immortalitatem nati ſerui & propagatores nominis mei & cæleſtis parentis, non debetis timere: Tractatus eſt autē hic locus etiam ſuperius. Reſpicite volatilia cęli, &c.

49 SEptimum conſolationis argumentum, liberæ confeſsionis præmium, abnegationis autem damnum incompenſabile: Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, (Græcè eſt in me, quia eum ſine illo confiteri non poſſumus) confitebor & ego illum coram patre meo, fratrem, amicum, cohæredem. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego illum coram patre meo, qui in cælis eſt; illudq; audiet: Non noui eum. Et quod dicitur, In illo; ac ſi dicat, Illi. Chryſoſtomus ait, non dixiſſe, Quiſquis confitebitur, ſiue teſtimonium dederit mihi, ſed in me, ſiue per me, hoc eſt à me adiutus. Vnde conſequentur etiam intelligimus, cùm dicitur, Confitebor & ego in illo, perinde ac ſi dicat, à gratitudine ipſius motus. Priùs autem dicit præmiū, poſtea pœnā: quia miſericors Deus, paratior eſt ad remunerandū bonos, quàm ad puniendum indignos. Occurrit deinde tacitæ obiectioni: cùm enim antea omni modo, vti vidimus, eos ad pacem & charitatem cohortatus eſſet, non modò cum ſuis, ſed cū inimiciſsimis etiam; nunc, vt videtur, mutata doctrina, eos ad bellum & pugnas prouocat. Oſtendit ergo, qualem pacem antea commendauit, & qualis pacis author eſſe voluit: Nolite arbitrari, quia veni pacem mittere in terram, eam, inquam, pacem, quæ à Deo, veritate & fide auocet, eam impediat. Non veni pacem mittere, ſed gladium diſtinguentem inter corpus & animam: veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem eius, ſi ſalutem, fidem, confeſsionem illius impediet; & eodem modo filium aduerſus patrem ſuum, &c. Ideò Dominus bonam miſit ſeparationem in terram; vt rumperet malam coniunctionem. Ideò gladio verbi ſui Dominus ſeparauit bonum à malo; vt & bonum ſeparatū à malo ſurgat, & malum ſeparatū á bono cadat. Author operis Imp: Mat:hō:26. Ita tamen, vt neque Chriſtus Dominus, qui eſt princeps pacis; neq; doctrina ſancta, quæ eſt pax ipſa; neq; Apoſtoli ſint cauſa; ſed improbitas hominum non accipientium pacem. Ita vt fiant inimici hominis domeſtici eius, non efficiente id Deo, ſed permittente. Verùm, ne quis pietatem religioni anteferat, ſubdit dicens: Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me. Quod in Cantico legimus canticorum: Ordinauit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu neceſſarius eſt: ama, poſt Deum, patrem & matrem: ama filios. Si autem neceſſitas venerit, aut amor parentum ac filiorum, amori Dei comparetur, & non poſsit vtrumq; ſeruari; odium in ſuos, pietas in Deum ſit. Non ergo prohibuit amare patrem, aut matrem, ſed ſignanter addidit: Qui amat patrem aut matrem, plus, quàm me. Non dicit enim non amandos eſſe patrem & matrem, per quos omnem chariſsimam cognationem ſignificat; ſed non ſuprà ſe. Non igitur ex propoſito Chriſti, ſed ex mente animóque hominum vitioſo bellum erumpit. Nam ipſe certè vellet, vt omnes vno conſenſu veram pietatem amplecterentur: verùm, quoniam reſiſtunt, atque reluctantur, bellum prorumpit, inquit Chryſoſtomus.

Author oper. Imperf: in Matth. Hom. 25.

Octaua est consolatio communis salutis lege, neminem scilicet Christo dignum esse, qui illius crucem non ferat; aut qui vitam & animam suam non anteferat illi: Qui, inquit, non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus: & qui inuenit animam suam, hoc est, qui vitam suam se seruare aut defendisse in necessitatis confessione putat; is in æternum perdidit illam: & qui perdiderit animam suam, qui vitam largè profuderit propter me; eam ipsam vitam, quam se perdidisse putauit, tum demum eo momento eam inuenit. Vt enim iter perdidisse nos dicimus, si eò quò tendebamus non peruenimus: vt laborem, si id quod volebamus nō consequimur. Ita & vitam istam is inuenisse videtur, qui æternam vitam, ac Dei visionem consequitur, cuius causa consequendæ hæc illi vita commodata ac commissa est. Ille item vitam suam videtur perdidisse, hoc est frustrà ac vanè accepisse, qui æternam salutem ac felicitatem consecutus non est, hic animam suam in vanum accepit. Et ideò de Iuda Saluator dicit: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Qui autem Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitijs & concupiscentia: & indignus est Christo, qui non crucem suam (in qua compatimur, commorimur, consepelimur, conresurgimus) accipiens, Dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritus nouitate sit victurus. hæc Hilarius. Melius est ergo propter Deum mori, & in perpetuum viuere; quàm propter nos viuere, & in perpetuum mori. Qui reliquerint patrem aut matrem propter Christum. Vocat eos hoc loco morosos homines Caluinus. Sic solet. Semper crux portanda est, vt semper nos Christum amare doceamus. 50

Matth: 26.

VLtimum consolationis argumentum, ex præmio illorum, qui illos accepturi erant, aut aliquod vel perexiguum officium illorum causa facturi, declarans non minorem sibi de suscipientibus hospitio curam esse, quàm de hospitio susceptis: Qui, inquit, vos recipit, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui misit me. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Hoc dicit, aperiens discipulis domos fidelium. Quis enim non lubens eos susceperit, per quos simul & patrem, & filium suscipit? Et qui periculum non recipientium Apostolos, excussi pulueris testimonio, denunciasset, recipientium meritum, vltra gratiam sperati officij, commendat: docetque etiam in se mediatoris officium: qui, cùm sit receptus à nobis, atq; ille profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus in nos sit. Atque ita, qui Apostolos recipit, Christum recipit: qui verò Christum receperit, patrem Deum recipit: quia non aliud in Apostolis recipit, quàm quod in Christo est: neque in Christo aliud est, quàm quod in eo est: perque hunc ordinem gratiarum non aliud est Apostolos recepisse, quàm Deum; quia & in illis Christus, & in Christo Deus habitat. Hilarius: Simile est illud: Qui diligit me, & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qua quidem consolatione, nulla maior, nulla magis salutaris tam recipienti, quàm illi qui receptus est, esse potest. Quid enim maius est, quàm vniuersam S. Trinitatem hospitem habere? O beatam & felicem domum istam! Benedixerat Dominus domui Pharaonis propter iustum Ioseph: quanta benedictio domum istam sequitur, quæ ipsam Dei iustitiam susceperit? Benedixerat domui Obededom propter arcā: quantò magis propter cæli Dominum ac vniuersi? Qui eijcit Apostolicos viros, ille 51

Chri-

Christum eijcit: qui Christum, & patrem eius. Ideò nunc nihil feliciter agitur, quia sine Deo omnia aguntur. In nomine prophetæ, non vanæ gloriæ. Quod autem dicit, In nomine prophetæ, in nomine iusti, hoc est, non ratione ipsius personæ, quæ qualis sit, Deus ipse iudicare potest; sed ratione ipsius officij, functionis, atque illius, quæ de illo opinio est probitatis. Ipse reuerentiæ affectus, & iusti honorem accipit, & prophetæ. Nec personas suscipiendas esse, sed nomina, & mercedem suscipere suscipientem, licèt indignus fuerit, qui susceptus est; eiusdemque mercedis, quæ prophetis debetur & reposita est, mercedem, quæ dignitati respondeat, cui impensum est officium. Prouidens enim, plures futuros tantùm Apostolatus nomine gloriosos, omni verò vitæ suæ opere improbabiles, eosdemque diu fallere, diuque mentiri; tamen obsequium, quod ipsis sub religionis opinione delatum sit, mercede operis sui speiq; non fraudat. Nam licèt ipsi minimi essent, id est peccatorum omnium vltimi (minimum autem est, quo minus nihil aliud est) non inania tamen in eos, etiam leuia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor præstitus est. Atque ita probitatem obsequentis, fallentis se probra non lædunt; cùm mercedem suam, dantis fide, non assumentis mendacio, consequatur. Poterat autem quis causari: Paupertate prohibeor, tenuitas me vetat, vt hospitalis esse non possim: & hanc excusationem leuissimam præoccupans diluit, vt calicem aquæ frigidæ toto animo porrigas. Frigidæ, non calidæ: ne in calida, paupertatis ex penuria lignorum excusatio quæratur. Quæ autem seminauerit homo, eadem & metet. Mercedem autem prophetæ & iusti, dupliciter D. Chrysostomus, & alij patres intelligunt: vel dabitur illi tantum pro mercede prophetæ aut iusti, quantum dignitati & excellentiæ meriti prophetæ vel iusti debetur, in doctrinæ honorem & pietatis respectum; vel alio modo recipiet mercedem prophetæ, hoc est vocabitur in partem coronæ & meriti prophetæ, ac si ipse prophetauerit, ac si ipse iustus esset, ac si ipse religiosus; vt hic communio sanctorum astruatur: & quomodo illi sunt participes domus & facultatis istorum; ita isti inuicem sint participes iustitiæ ac prophetiæ illorum, quod & D. Paulus dicebat: Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum. Explicat hæc latiùs D. Gregorius: Vt antem quanta esset, inquit, virtus in continentia & susceptione indigentiũ, redemptor noster ostenderet, dicit: Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. In quibus verbis notandum est: quia non ait mercedem de propheta, vel mercedem de iusto; sed mercedem prophetæ, & mercedem iusti accipiet. Aliud est enim merces de propheta, aliud merces prophetæ: atque aliud merces de iusto, aliud merces iusti. Quid enim dicere, mercedẽ prophetæ accipiet; nisi quia is, qui prophetam sua largitate sustentat, quamuis ipse prophetiam non habeat, apud omnipotentem tamen Dominum prophetiæ præmia habebit? Iste enim fortasse iustus est, & quantò in hoc mundo nihil possidet, tantò loquendi pro iustitia fiduciam maiorem habet. Hunc dum ille sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, & fortasse adhuc pro iustitia loqui liberè non præsumit, iustitiæ illius libertatem sibi participem facit; vt cum eo pariter iustitiæ præmia recipiat, quem sustentando adiuuit, quatenus eandem

2. Cor: 8.

Hom: 20. Quadraginta Homiliarum.

dem iustitiam liberè loqui potuisset. Ille enim prophetiæ spiritu plenus est,sed tamen corporeo eget alimento. Et si corpus non reficitur, certum est quòd vox ipsa subtrahatur. Qui ergo alimentum prophetæ, propter hoc quòd propheta est, tribuit, prophetiæ illius vires ad loquendum dedit. Cùm propheta ergo mercedem prophetæ recipiet: qui etsi spiritu prophetiæ plenus non fuit, hoc tamen ante Dei oculos exhibuit, quod adiuuit. Et hæc quidem sunt argumenta consolationis christianæ, cùm aliquid Christi nomine patimur, non Apostolorum tantùm, aut Apostolicorum virorum, sed omnium penitùs. Argumenta firma & valida: argumenta omnem mœrorem eximentia, ad quæ tanquam sacram ancoram omni tempore recurrere debemus. Quæ omnia pari ferè ratione summatim collegit & comprehendit D. Chrysostomus. Animaduertis, inquit, quot quibusque causis persuadet, & domos totius orbis Apostolis aperit, cùm planè his omnibus significet vniuersos ipsis homines debitores futuros, Primùm, quia dixit, Dignus est operarius cibo suo: deinde, quia nudos nihil habentes emisit: tertiò, quia in bella & pugnas pro suscipientibus eos emisit: quartò, quia mirabilibus atq; inauditis signis eos illustrauit: quintò, quia quòd omnium bonorum causa pacem ipsorum ore ad domos recipientium adducit: sextò, quia grauiora non suscipientibus minatus supplicia, quàm Sodoma mereatur: septimò, quia ipsum etiam cum patre apud recipientes hospitari asseruit: octauò, quia prophetæ mercedem ac iusti futuram recipienti pollicetur: nonò, quòd aquæ frigidæ calicem præbentes, non paruas sint retributiones habituri. Quorum vnumquodque per seipsum satis magnas vires ad attrahendum posside. Quis enim militiæ ducem,quàm plurimis vulneribus sanguinolentem, videns post multa trophæa à bello atque acie redeuntem, omnibus ianuis patefactis non libenter domum recipiat?

Homil: 36. in Matth: Col: 288.

52 NOtanda autem sunt ex hac consolatione, pulcherrima quædam rei christianæ axiomata. Primum autem illud est, quidquid patimur, id nos non tanquam fures & maleficos, sed pro nomine Christi pati debere: non enim pœna martyrem facit, sed causa, dicebat D. Augustinus.

53 SEcundum illud est: non qui inceperit, sed qui perseuerauerit vsque in finem, huic salutem sperandam esse. Nemini ergo præsumendum, nemini certitudo gratiæ iactanda; cùm quid serus vesper vehat ignoremus; multique optimè cœperunt, qui postea turpissimè exciderunt, & contrà. Monet ergo Paulus, vt cum timore & tremore operemur salutem, ne fortè & ipsi excidamus.

54 TErtiò notat Theophylactus, apertè proijcere se in pericula, & causam esse damnationis illis, qui nos interficiunt, & iniuria afficere eos, qui ex nostra prædicatione si superuiueremus commodum acciperent, diabolicum esse. Iubet fugere, non tanquam timidos,sed tanquam eos qui expelluntur. Quis autem modus fugæ sequendus, & quando, & ad quam mensuram, explicat D. Athanasius libro de fuga. & D. Augustinus in Epist: 180. Notat item Nazianzenus, vt misereantur persequentium & imbecillorum, nec longè fugiant, sed ab hac ciuitate in aliam, ne vllam prætereant, ad quam non perueniant.

55 QVartò, notanda est hæc consequentia verborum Christi, Non est discipulus supra magistrum, nec seruus supra dominum suum. Illi igitur volunt esse

ſuprà magiſtrum & dominum, qui nihil paſsi, nullo præclaro ſtudio, nullo labore exercitati, ſubitò coronari volunt, qui ſine cruce regnum ſperant: Nonné oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam?

56 QVintò notandum eſt hoc loco, non omnia ſimul Dominum Apoſtolis tradidiſſe, ſed ne ea quidem quæ tradidit, publicè docuiſſe; ſed clam,& in aurem, quæ poſteà palàm & publicè prædicanda erant: vnde non omnia ſcripta eſſe, ſed multa viua voce pòſt prædicata, exiſtimandum eſt: indéque omnem rationem traditionis profluxiſſe, quam totam hæreſis extinctam eſſe velit.

57 SExtò, animam hominis immortalem eſſe liberam, quæ cogi & perimi non poteſt,nec cuiusùis tyranni vim in eam ſæuire poſſe: Fecit enim Deus hominem inexterminabilem, contrà quàm improbè mentitur Ariana iniquitas. Quamùis autem anima noſtra ſit immortalis, non tamen id habet naturâ ſua; ſed ipſius Dei gratia, & ab eo dependet, qui rerum omnium eſſe tenet & conſeruat, ſine cuius manû omnia dilabuntur, ac ad interitum propendent. Occidere autem animam ille dicitur, qui à Deo, qui vita eſt, per peccatum vel damnationem illam ſeparat,in Gehennamq́; mittit. Quo eodem loco notandum, homini Chriſtiano paruam corporis habendam eſſe rationem, etiamſi occidi debeat. Quanquam ne hoc quidem eſſe poſsit,niſi Deus ita velit, & permittat.

58 SEptimò notat D. Chryſoſtomus, quid emolumenti corruptionem & putredinem corporum noſtrorum conſequatur. Si corpora, inquit, nullo fœtore inquinata conſeruarentur; primum pernicioſiſsimum ſuperbiæ malum magis vigeret. Nam ſi etiam cùm putredine tabeſcant, cùm vermibus poſt mortem ſcaturiant; multi tamen deorum honoribus coli voluerunt: quid non fieret, niſi fœdiſsimo corporis fœtore ab hac inſania deterrerentur? Deinde,nō facilè aliqui ſibi perſuaderent terrena eſſe corpora noſtra. Nam ſi,cùm in terram modò reſoluuntur, nonnulli tamen an terrena ſint ambigunt: quid non ſuſpicarentur, niſi hoc ita fieret? Tertiùm, magis ab omnibus corpora diligerentur; & carnales magis rudioreſq́; multi hominum efficerentur. Nam ſi aliqui etiam fœtentibus ſepulchris ſtulto ſuorum amore coniunguntur: quid facerent, ſi corpus integrum detinere poſſent? Quartùm, non valde homines futuræ vitæ ſtatum deſiderarent. Quintùm, qui perpetuum eſſe mundum opinantur, quaſi certior conſeruatione corporis eſſet ſua opinio, eſſe conditorem mundi aliquem pernegarent. Sextùm, quanta ſit virtus animi, non facilè cognoſceretur,nec quantum ipſi corpori affert, cùm ei coniuncta ſit. Septimùm, multi amore ſuorum cœtibus hominum ſpretis, vt continuè ſuos viderent, ſepulchra mortuorum habitare non erubeſcerent. Etenim,ſi chariſsimorum effigies plerique depingentes, quoniam defluens corpus ſecum detinere non poſſunt (id enim fieri non poteſt, ſed illis etiam inuitis defluit & diſsilit)tabulis affixi vitam peragunt: quid non auderent excogitare, ſyncerum ac integrum corpus ſuſpicientes? Facile mihi videtur ad condenda talibus corporibus templa multos conſpiraturos fuiſſe, & cultu dæmonum ariolos, qui talibus rebus dediti ſunt efficere; vt mortui ſui quaſi viui loquerentur, quando etiam nunc hi quos necromantos Græcè appellamus, multa huiuſcemodi ſolent excogitare.

Homili. 35. Matth.

59 OCtauò, pulchrè notat D. Hieronymus, quid & qualis ſit Gehenna. Nomen Gehennæ in hac ſignificatione in veteribus libris non inuenitur, ſed primùm

mùm à Saluatore ponitur. Quæramus ergo quæ sit huius sermonis occasio. Idolum Baal fuisse iuxta Ierusalem ad radices montis Moriæ, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis & parua campi planicies irrigua erat & nemorosa, plenaq; delicijs, lucusq; in ea idolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus venerat, vt deserta templi vicinia ibi hostias immolarent, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosq; suos dæmonijs incenderent vel initiarent: & appellabatur locus ille Gehennom, id est vallis Hennam, siue filiorum Hennom. Hoc regum volumen & Paralipomenon, & Hieremias scribunt plenissimè: & comminatur Deus, se locum ipsum impleturum cadaueribus mortuorum, vt nequaquam vocetur Tophet & Baal, sed vocetur Polyandrium, id est tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse Gehennam, nimij ignis & frigoris, in Iob plenissimè legimus.

60 NOnò, piè notat idem Hieronymus: Quòd nostri capitis capilli numerati sint omnes, immensam Dei erga homines ostendi prouidentiã, & ineffabilem signari affectum, quòd nihil nostrũ latere Deum, etiam parua & otiosè dicta eius scientiam non fugiant. Derident intelligentiam in hoc loco, qui carnis resurrectionem negant, quasi nos & capillos, qui numerati sunt, & à tonsore decisi, omnes dicamus resurgere, cum saluator non dixerit: Vestri autem & capilli capitis saluandi sunt; sed, Numerati sunt. Vbi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eiusdem numeri conseruatio. Et si vt homines, quorũ causa omnia condita sunt, tamen magis vt filij Dei & cohæredes Christi. Refutatur hoc loco simul inops & pauper peripateticorum prouidentia, quæ se vltra vniuersales rerum causas non extendit, ne diuina vilescat autoritas. Sed simul & stoicorum atque astrologorum fata, cùm omnia hæc, minima etiam, ab æterni patris voluntate pendeant. Refutantur & illi nimij fortunæ & temeritatis imprudentes assertores; vt nos hæc omnia, non ad curiositatem, sed ad fidem & inuocationem Dei excitent. Pulchra & illa D. Hieronymi adnotatio est. Ad fidem Christi totus orbis contra se diuisus est, vnaquæq; domus: & infideles & credentes habet; & propterea bellum missum est bonum, vt rumperetur pax mala. Tale quid & in Genesi aduersus rebelles homines, qui moti fuerunt ab oriente, & turrim extruere festinabant, per quam cæli alta pertingerent, fecisse Deum legimus, vt diuideret linguas eorum. Vnde & in Psalmo Dauid precatur: Dissipa Domine gentes, quæ bella volunt. Vanæ igitur in hac parte CONFOEDERATIONES, vanæ COMPOSITIONES, vna fide non remanente. *Psal. 67.*

61 NOtat vltimò pulchra quædam circa hunc locum Euthymius: Significare hunc capillorum numerum exactam notitiam, quòd valdè cogniti simus ab eo, & ad minutum quoq; nouerit ea, quæ circa nos sunt, propter magnam nobiscum familiaritatem.

62 *Quæst. 32. ad Orthodoxos.* QVAESTIONES IVSTINI MARTYRIS. Prima. Si Dæmonum nomina literæ nusquam hominibus ostenderunt, quomodo Iudæi Dominum Beelzebub appellarunt, quasi cognito nomine, dicentes eum in eo nomine dæmones eijcere? Quomodo item Dominus ipse discipulis, ceu dæmonis nomen cognoscentibus, dixit: Si patrem familias Beelzebub vocârunt: aut quænam nominis eius interpretatio? Responsio. Quemadumodum esse dæmonas ab ipsis dæmonibus

monibus diſcebant homines, ita & eorum nomina ab ipſis docti fuerunt. Primùm enim ſacrificarunt homines dæmonibus, deinde dixerunt ſacræ literæ: ſacrificauit dæmonijs, non Deo. Et quemadmodum an ſint dæmones, nihil videntur dixiſſe literæ: & tamen dicunt: Sacrificarunt dæmonijs, non Deo; ita de eorum nominibus, cùm nihil dixerint, dicunt nomina dæmonum Beelzebub & Belial. Quænam, inquit, concordia eſt Chriſto cum Belial? Quibus enim vtebantur incantatores nominibus ad opera ſibi propoſita; ea neceſſariò diſcebant homines ab eis. Nam qualis erat curationis modus; tali eos nomine nuncupabant. Dicta eſt autem ab Origene horum nominum interpretatio in Hebraicorum nominum interpretatione. Si autem patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domeſticos eius. Beelzebub autem idolum fuit Accaron, quod vocatur in libro Regum idolum muſcæ: ſignificat autem principem dæmoniorum. Beel enim ipſe eſt Bel ſiue Baal, Zebub muſca dicitur, idq; propter immunditiam, quæ exterminat ſuauitatem olei. Principem ergo dæmoniorum ex ſpurciſsimi idoli appellabant vocabulo, ſplendorem patris, ſolem iuſtitiæ.

63 ALtera. Si Dominus metum non neceſſarium ſtatuit, dum dicit: Qui metuit, non eſt perfecta charitate: quî fit, vt idem rurſus diſcipulos metum doceat dicens: Metuite eum, qui & animam & corpus poteſt in gehenna perdere? Reſponſio. Non à Domino dictum eſt, qui metuit, non eſt perfecta charitate: tametſi qui id dixit, ſecundùm Dominum dixit. Illud verò: Metuite magis eum, qui poteſt & animam & corpus in gehenna perdere: non eſt dictum ad tollendam perfectam charitatem. Qui enim maiore metu Dei, minorem hominum metum tollit, id facit charitate Dei; vt ſit maior Dei metus, ne excidat ex eo quod amatur. Quanti enim pretij habetur id, quod cui creditur; tantum amatur: & quantum amatur; tantum metuit amator, ne ab eo excidat, quàm diu eſt in certamine pro amato: finito certamine, finitur vnà cum illo etiam metus excidendi ab amatis. Itaque illuc vſque neceſſarius eſt Dei metus. Non enim ſicut odium tollit amorem (eundem enim & amare & odiſſe non poſsis) ſic & metus. Poteſt enim idem amari, & metui. *Quæſt. 98.*

64 QVAESTIONES EVANGELICAE S. AVGVSTINI. Prima. Quod dico vobis in tenebris, eſt timor, dicite in lumine: hoc eſt, in fiducia veritatis accepto ſpiritu ſancto: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta: id eſt, quod in ſecreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate. Secunda. Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum. Quia renunciat quis diabolo, qui fuit pater eius, & filiam aduerſus matrem ſuam: plebem Dei aduerſus mundanam ciuitatem, hoc eſt aduerſus pernicioſam generis humani ſocietatem, quam nunc Babylonia, nunc Ægypto, nunc Sodoma, nunc alijs atque alijs nominibus ſcriptura ſignificat: nurum aduerſus ſocrum: Eccleſiam aduerſus ſynagogam, quæ ſecundùm carnem Chriſtum peperit ſponſum Eccleſię. Diuiduntur autem gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei, & inimici hominis domeſtici eius, cum quibus antea conſuetudine implicatus erat. Tertia. Excutite puluerem de pedibus veſtris. Aut ad conteſtationem laboris terreni, quem pro illis inaniter ſuſcepiſſent: aut vt oſtenderent, vſque adeò ſe ab ipſis nihil terrenum quærere, vt etiam puluerem de terra eorum ſibi non paterentur adhærere.

hærere. Quarta. Estote ergo prudentes sicut serpentes. Ad cauendum malum in capite custodiendo,quod est Christus. Nam serpens totum corpus pro capite obijcit persequenti. Vel quòd per angustias se coarctans, veteri tunica exutus innouetur. Quod imitantur, quibus dictum est: Intrate per angustam portam: cùm vetere homine exuuntur. Nam si cauendum malum ita moneret, vt violenter resistendum esset malis; non suprà dixisset: Mitto vos, sicut oues in medio luporum. Simplices autem sicut columbas esse voluit, at nulli nocendum. Nam hoc genus auis nullum omninò animalium necat, non solùm grandium,contra quæ vires non sunt, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparui passeres aluntur. Est autem omnibus irrationalibus animantibus, vna quædam inter se societas: sicut etiam rationalibus sua, id est hominibus, non solùm secum, sed etiam cum angelis. Discunt ergo ex similitudine columbarum, nulli prorsus nocere, ad societatem suam pertinenti participatione rationis.

Caput XI.



VNDECIMI CAPITIS PARTES SVNT ISTAE: LEGATIO IOANnis ad Christum eiusque remissio: testimonium de Ioanne: inconstantiæ Iudaicæ exprobratio, quibus neque Ioannes, neque Christus Dominus satisfacere potuit, & quòd vtrosq; despexerunt: denique maledicta in ingratos & superbos, pro gratis autem & humilibus ad patrem supplicatio, ac eorum ad se prouocatio. Euntibus discipulis ad Iudææ conuersionem, Christus ipse, non vt illi solent, qui per substitutos & vicarios omnia agunt, nõ cessauit,sed inde transit, vt doceat & prædicet ciuitatibus eorum. Et cùm Apostolos Dominus miserat, tunc seipsum data opera subtraxit ab ipsis,vt opportunitatem,occasionemq; haberent, mandata efficere. Nemo enim profectò præsente magistro,morbumq; omnem repellente, discipulos adire voluisset. Quod dum facit, Ioannes suam expedit legationem. Cuius legationis omnes partes Euangelista complexus est, tempus, locum, eos qui mittuntur, qui mittit, & ipsam legationem. Tempus est, quo Christus maiora miracula facere cœpit: Ioannes autem ab Herode detinebatur. Locus, de carcere ad Christum in synagogis docentem. Qui mittuntur, ex discipulis suis. Quis autem mittit, Ioannes: ille est, quo non surexit maior inter natos mulierum. Missa est ad Christum legatio ista: Tu es, qui venturus es,an alium expectamus? Non autem, inquit Hieronymus, tu es, qui venisti, sed qui venturus es: & est sensus, manda mihi, quia ad infernum descensurus sum, vtrum te & inferis debeam nunciare, qui nunciaui superis? An non conueniat filio Dei, vt gustet mortem,& alium ad hæc sacramenta missurus es? Nouerat enim Ioannes,Christum agnum futurum pro nobis occidendum: nouerat mortis eius genus,nouerat descensurum ad inferos, vt ibi eos, qui credere voluerunt, saluet, vt inquit Theophylactus. Sensus igitur est: Tu es ille, qui venturus es,hoc est expectatus in scripturis, in carne venturus? Túne ille, quem præcipuè Dauid benedictum venientem,incedere,prosperè procedere & regnare iubet? Túne ille, qui venis in nomine Domini? Sed quæ causa huius missionis, quæ interrogationis, cùm hæc Ioannes optimè nouerat?

Tres adfe-

Tres adferunt patres. Primùm vt nutrix reddat matri filios: deinde lex vetus nouæ, demùm pædagogus discipulum. Sed iuuat principes aliquantum sanctos audire, in quibus antiquissimus Iustinus, quæstione 38. Si fidem facere discipulis suis Ioannes de Christo volebat, eum esse Christum, cùm eos misit ad eum (hoc enim nonnulli dixerunt) cur non eis id affirmauit, sed per eos Christum percontatus est? Sin ipse, qui in carcerem coniectus esset, ex varijs cogitationibus in dubium de Christo adductus erat (nam & hoc dixerunt alij) cur sic interrogat, quasi eum nondum venisse sciat? Nam illud: Túne is es, qui venturus es, an alium expectamus? videtur innuere Christum nondum venisse, sed optari ac expectari: Si enim hoc ei persuasum fuisset, non sic interrogasset: Túne Christus es, an alius quispiam quàm Christus? RESPONSIO. Quoniam de Christi miraculis diuersi sermones ferebantur, alijs dicentibus, eum qui hæc faceret, esse Eliam, alijs Ieremiam, alijs alium quempiam prophetarum: hos sermones audiens Ioannes in carcere, mittit discipulos ad discendum, an, qui hæc miracula facit, is sit, de quo Ioannes ipse testatus est; an alius quis, qui multorum fama celebretur. Hunc Ioannis scopum intelligens Iesus, præsentibus Ioannis discipulis, fecit multa miracula, persuadens & ipsis, & per ipsos Ioanni, se eum esse qui fecisset, etiam quæ aliorum nomine ferebantur miracula, & de quo Ioannes testatus fuisset. Qua de re pulcherrimè compellat suum Ioannem ipse Ioannes Chrisostomus. An non es tu, inquit, qui dicebas, Non sum sufficiens corrigiam calceamenti eius soluere? qui dicebas: quoniam non noueram ipsum, sed ille, qui misit me baptizare in aqua, ille dixit: Super quem videris descendentem Spiritum, & permanentem in ipso, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto. An non vidisti Spiritum in specie columbæ? non audisti vocem? nónne tu prohibebas ipsum, dicens: Mihi est opus à te baptizari? nónne discipulis quoq; tuis dicebas: Illum oportet crescere, me autem minui? nónne vniuersæ prædicabas plebi, Ipsum esse, qui baptizat in Spiritu sancto, & igne: & ipsum esse Agnum Dei, qui tollit peccata mundi? Hæc certè tu omnia, antequàm ille signorum miraculis coruscaret, magna voce prædicasti. Quomodo ergo nunc, quando iam omnibus ipsius virtus manifestior est: quando per totam Palæstinam celeberrima eius fama præfulget: quando mortui ab eo excitati sunt, dæmones depulsi, mul táque alia perlucent miracula, tunc mittis, ac interrogas ipsum? Quidnam hoc est? an per fraudem illa priora quasi longas fabulas confinxisti? Et quis mentis compos talia fecisset? Non dico de Ioanne: qui exultauit in vtero: qui priusquam nasceretur, Christum prædicauit: qui eremum habitauit: qui angelicam viuendi perfectionem in corpore adhibuit; sed de quo homine insano. Nam si etiã abiectissimum quendam dicas, certè tamen, post tot tantaq; tam sua quàm aliorum testimonia, nullo modo dubitasset: alijs autem, qui putarunt sciuisse quidem ipsum, terrore autem carceris ac vinculorum timidiorem fuisse. Hoc modo idem Chrysostomus respondet: Num, inquit, deliberationem sibi hæc interrogatio affert, nec si etiam hanc sperasset, quidquam aduersus veritatem simulasset vir ille, qui pietatis gratia vel mille mortes obijsset? Nam nisi excelso robore animi atque inuicto fuisset; nunquam profectò ad vniuersum Iudaicum populum iam diu exercitatum effusione prophetici sanguinis tam fortis extitisset: nunquam ferocissimum illum tyrannum tanta libertate dicendi sic redarguisset; vt in media vrbe, ac foro cunctis audientibus, tanquam infantem aut adu-

Homil: 37. in Matthæum.

aut adoleſcentulum increpaſſet. Verùm ad extremum miſsionis cauſam ſubij-cit. Alieniores erant à Chriſto diſcipuli eius,& inuidiæ cuiuſdam ſtimulis ſemper agitabantur, magiſtrum ſuum pluris eſſe cupientes, quæ res maximè verbis ipſorum comprobatur. Dicebant ad Ioannem: qui tecum erat trans Iordanem, cui & teſtimonium perhibuiſti, ecce is baptizat, & omnes ad eum veniunt. Ac rurſus de mundatione facta eſt quæſtio inter Ioannis diſcipulos,& Iudæos: prȩterea Ieſum aggredientes dicebant: Cur nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? Hilarius item eodem modo: cuius hæc verba ſunt: Ioannes detentus carcere Deum ignorat? & Propheta tantus Deum ſuum neſcit? Atqui venturum & præitor nunciauit, conſiſtentem vt propheta agnouit, adeuntem vt confeſſor veneratus eſt: vnde tam variæ & tam abundantis eius ſcientiæ error obrepſit? Sed conſequens de eo Domini teſtimonium ſentire hoc ita non ſinit: Neq; ſanè credi poteſt, Spiritus ſancti gratiam in carcere poſito defuiſſe, cùm Apoſtolis ſuis in carcere poſitis virtutis lumen adminiſtraturus eſſet: ſed præbetur in his, quæ in Ioanne geſta ſunt, intelligentia amplior. Et cùm facti efficientia gratia in eo expreſſa ſentitur, vt propheta ipſe, ipſo quoque conditionis ſuæ genere prophetaret, quia in eo forma legis elata eſt. Chriſtum enim lex annunciauit, & remiſsionem peccatorum prædicauit, & regnum cælorum ſpopondit: & Ioannes totum hoc opus legis expleuit. Igitur ceſſante iam lege, quæ peccatis plebis incluſa, & populi vincta vitijs, ne Chriſtum poſſet intelligi, vinculis & carcere detinebatur. Ergo ad Euangelia contuenda lex mittit, vt infidelitas fidem dictorum contempletur in factis: & quod intra eum peccatorum fraude ſit vinctum, per intelligentiam libertatis euangelicæ abſoluatur. Tali igitur Ioannes exemplo, non ſuæ, ſed diſcipulorum ignorantiæ conſulit: ipſe enim veturum in remiſsionem peccatorum prædicauit. Sed vt ſcirent, non alium eſſe à ſe prædicatum, ad opera eius intuenda diſcipulos ſuos miſit, vt authoritatem dictis ſuis illius opera conferrent: neque Chriſtus alius expectaretur, quàm cui teſtimonia opera prȩſtitiſſent. Eadem dicit D. Hieron. Et legatio quidem Ioannis vocis ad verbũ: nunc quæ Chriſti reſponſio. Reſpondit igitur Chriſtus, nõ ad verba Ioannis, ſed ad mentẽ: reſpondit rebus, non verbis: omnis res diſcipulorũ cauſa conficitur. Nam & agri fertiles, & arbores fœcundæ opera ſua commendare non ſolent, ſed fruges ipſæ; & fructus eadem commendant, illiſq; teſtimonium fœcunditatis ſuæ reddunt. Scripta ea ſingula, quæ per Meſsiam effici debebant, per Iſaiam explicantur: Ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos. Tunc aperientur oculi cœcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine, &c. Sed & Sibylla, eadẽm cecinit his verſibus: νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσαι καὶ χωλῶν δρόμος ἔστ᾽ ὠκὺς καὶ κωφὸς ἀκόσει. καὶ τυφλοὶ βλέψουσι λαλήσουσι οὐ λαλέοντες. Hæc igitur in oculis diſcipulorum faciebat: ac vt eadem Ioanni referant, mandat. Quia ſatiùs erat rem ipſam loqui. Deinde vt præconi liberiùs argumentum docendi tradat, ac Prophetarum explicandorum occaſionem præbeat. Vt autem ſciant, hæc non Ioannis cauſa fieri, ſed eorundem, addit ſententiam, qua illorum conſcientiam tangit & prodit: Et beatus, inquit, eſt, qui in me ſcandalizatus non fuerit. Tangit cordis illorum arcanum, quoniam vos ex conſuetudine cum peccatoribus ſcandalizati eſtis, ex prætermiſſo item ieiunio diſcipulorum meorum. Tale & illud ſcandalum

dalum fuit, vbi accedentes ad Ioannem dicebant: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, ecce baptizat. His igitur quoniam sæpius admonendo persuadere non poterat, nunc autem breui moriturus erat, delectis duobus, qui prudentiores erant, eos mittit ad Christum, vt hæc ipsa scandala sanet, errorem quo infecti erant illis eripiat, eosq; in recta via ponat.

2 NOtandum autem primùm hoc loco est, tribulationes esse munera & ornamenta, quibus Christi electi honorantur, primi & summi amici Dei, & sponsi. Ecce Ioannes in carcere: at quis Ioannes, dictum est, & paulò pòst audies. Quòd autem Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio. Et ira illius, quasi Dei misericordia fruebatur: quia verum gaudium est sanctorum exire de hoc mundo. Sicut seruus postquam commissi operis impleuerit pensum, gaudet ante faciem domini sui apparere: sic & Ioannes commissæ prædicationis mysterio consummato, lætabatur ad Deum transire.

3 NOtandum secundò, magnam esse dignitatem & præmium pro veritate vitam fundentium. Cuius causa, infelix carcer honor est & dignitas.

4 NOtandum tertiò, magnam esse impietatem & ingratitudinem hominũ, qui sic medicos & benefactores suos vsque ad carcerem & gladium persequuntur. Huc euasit concionator regius, concionator Herodis.

5 NOtandum quartò, ne in carcere quidem bonum magistrum suorum curam abiecisse: vt Christus Dominus, ne in horto quidem & in cruce.

6 NOtandum quintò, in miraculis reputari, quòd pauperes euangelizantur. Vel pauperes spiritu, inquit Hieronymus: vel certè opibus pauperes, vt nulla inter nobiles & ignobiles, inter diuites & egenos in prædicatione distantia sit. Hæc magistri rigorem, hæc præceptoris comprobant veritatem, quando omnis apud eum, qui saluari potest, æqualis est. Neque tamen inter pauperes tantùm hæc ipsa euangelij prædicatio manere debebat: sed pòst etiã inter reges atq; principes, sapientesq; ipsos, efferri. Ergo, inquit, reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Prædicationem autem inter pauperes, & pauperibus, & à pauperibus inter miracula reputañ prædixerat Isaias: Dominus, inquit, ad prædicandum pauperibus misit me. Verbum quidem Græcum πτωχοῖς εὐαγγελίσασθαι, sonat pauperibus prædicari, non à pauperibus; vtrumq; tamen fuit. Nam reges & principes spontè illos qui prædicant sequuntur.

Psalm: 2.

7 EXpeditis Ioannis discipulis, ad eumque reuersis, conuertit se Christus ad turbas, ac magnificè in laudes Ioannis excurrit, ne quid præsentibus discipulis auribus Ioannis dare putaretur. Vir enim sapiens, quando laudatur in facie, flagellatur in corde, dicebat Author operis Imperfecti. Facit autem hoc ex ea occasione: respexerat in cogitationes turbarum, atque animaduertit eos ex legatione scandalum suscepisse, ac si Ioannem superioris testimonij, quod perhibuit, pœnituisset, & ac si ipse de Christo dubitaret, parúmq; sibi constaret, doctrinæq; constantiam tueretur. Occurrit his Christus Dominus, ac Ioannem magnificè laudat, ac primam omnium inconstantiæ suspicionem aufert. Iuuat autem cæleste verbum suam vocem celebrans audire, elegantem encomij sui contexit coronam. Primùm igitur mala omnia ab eo remouet: deinde eius

excellentiam Dominus oratione recenſet. Inconſtantiæ autem primùm crimen remouet: Quid exiſtis in deſertum? videre arundinem vento agitatam, quæ huc ac illuc varijs opinionibus ac ſententijs, tanquam arundo quædam agitatur? Quoniam,inquit Hieronymus,turba circumſtans interrogationis myſterium ignorabat, & putabat Ioannem dubitare de Chriſto, quem ipſe monſtrauerat digito; vt intelligerent, Ioannem non ſibi interrogaſſe, ſed diſcipulis ſuis, Quid, inquit, exiſtis in deſertum? Nunquid vt hominem videretis calamo ſimilem, qui omni vento circumferretur, & leuitate mentis de eo ambigeret, quem antea prædicârat? Oſtendit autem vanum ſtudium Iudæorum,ac ſuperſtitionem quandam, qui Ioannem quidem honorabant, ad eumq; in deſertum exibant, doctrinæ tamen & verbis illius non parebant: hoc & illis exprobare videtur. Sunt enim multi, qui ſanctos mirantur ac comitantur,ipſi tamen meliores nequaquã fiunt. Quoniam autem alij non leuitati, ſed aut gloriæ ſtudio,aut opum & facultatũ,aut voluptatis & commoditatũ,tribuere id poterant; aufert hæc omnia Saluator,infert: Quid,inquit,exiſtis in deſertumvidere? Gloriam quærentem? Qui gloriam quærit,deſertum fugit. Mollibus veſtitum? atqui pilis camelorum veſtitus fuit,&c.At,qui tales opes & delicias non quærunt, nullis inuident, paucis cõtenti ſunt: illos iſta ſequuntur,qui mollibus veſtiri ſolent, qui domos regum incolunt. An forſitan,inquit,ſtimulis contra me inuidię agitur,inquit Hier. & prędicatio eius vanã ſectatur gloriã,vt ex ea quęrat lucra? Cur diuitias cupiat: an vt affluat dapibus? Locuſtis veſcitur, & melle ſylueſtri. Aut vt mollibus veſtiatur: Atqui pili camelorum tegmen eius ſunt. Iſtiuſmodi cibus & veſtis,carceris hoſpitio recipiuntur,& prędicatio veritatis tale habet habitaculũ. Qui autem adulatores ſunt,& ſectantur lucra, & quærunt diuitias, & delicijs affluunt, & mollibus veſtiuntur; iſti in domibus regum ſunt. Docet autem hoc loco Author operis Imperfecti, huiuſmodi delectamenta mundum iſtum ad ſeductionem oſtendere hominibus: Ac, quemadmodum homo malignus, ſi viderit aliquem orphanum habere ſubſtantiam paternam, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod ſpecioſum veſtimentum, loquitur illi dulces ſermones, donec tollat facultates eius: ſic & diabolus, videns hominem habentem in ſe theſaurum cæleſtem, id eſt animam immortalem à Deo creatam, ſapientiam cæleſtem in arca terrena poſitam; ideò oſtendit illi aurum & argentum, & concupiſcibilia ornamenta; oſtendit illi veſtes pretioſas, & delicatos cibos, & glorioſos honores; vt per hoc ſubiugans eum voluptatibus ſuis, auferat ſalutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis ipſius. Et cùm nonnulli eſſent, qui neq; illud primum, neque ſecundum de illo cenſerent, prophetam tamen tantùm, quem multa latere poſſent, putabant, ideò & hoc Saluator vrget. Sed, inquit, quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis,pluſquàm Propheta. Docet maiorem eſſe propheta,vt ad altitudinem doctrinæ eius Iudæos excitet. Quibus autem partibus Ioannes excellat ante alios prophetas, nemo melius explicat Hieronymo: In eo Ioannes cæteris prophetis maior eſt, quòd, quem illi prædicauerunt eſſe venturum, hic veniſſe digito monſtrauit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hoc idem Author operis Imperfecti pulchra exornat ſimilitudine: Multæ, inquit, ſtellæ ante lucem præcedunt nunciantes lucis aduentum; nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, niſi vna, quæ cum ipſa luce procedit: Sic omnes prophetæ ante faciem Chriſti procedunt nunciantes aduentũ eius,

In Matth. Hom: 27.

ſolus

ſolus autem Ioañes præcurſor eſt appellatus: quia non ſolùm aduentum eius annunciat, ſed ipſum illum digito ſuo oſtendit: Ecce agnus Dei. Et quia ad priuilegium prophetale, etiam baptiſtæ acceſsit præmium, vt Dominum ſuum baptizaret, tum quia Dei fuit nuncius, quia angelicam duxit vitam, ſuper terrena eleuabatur, ad cæleſtia ferebatur. Cùm autem illum vocaſſet, pluſquàm prophetam, quaſi id parum eſſet, longè rem magis auget, angelum (quem nihil latere ſolet) prophetarum ſuorum verbis appellans: Hic eſt enim, de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. Inde, inquit Hieronymus, infert meritorum αὔξησιν, faciens de Malachia teſtimonium, in quo etiam angelus prædicatur. Angelum autem hîc dici Ioannem nõ putamus naturæ ſocietate, ſed officij dignitate; id eſt nuncium, quòd venturum Dominum nunciauit. Quanquam & hinc elucet tanti præcurſoris dignitas, & excellentia, vt docet Author operis Imperfecti: Quia omnes prophetæ prophetauerunt de Chriſto, de illis autem non prophetatum eſt. Ipſe autem non ſolùm prophetauit de Chriſto, ſed etiam alij prophetę prophetauerunt de ipſo, quod in Iſaiæ, & Malachiæ prophetia videmus. Sed cùm in nomine Angeli aliquid ſimilitudinis & metaphoræ eſſe videretur, ideò ad totam naturam humanam ſe refert: Amen dico vobis, non ſurrexit maior inter natos mulierum Ioanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo. Quis enim alius, in vteri tenebris abſconditus, lucem veniſſe agnouit, & illam exultatione adorauit? Nullus alius, præter hunc ſolum, qui meritò ſanè cunctis maior eſt. Et rurſus, quis ab infantia ita ſolitariam ac eremiticam duxit vitam, taléq; elegit exercitium? certè nullus omnium. Multiplicem huius loci interpretationem veteres adferunt; multi de Saluatore hoc intelligi volunt, quòd qui minor eſt tempore, maior ſit dignitate. Quidam omnem ſanctum, qui iam cum Deo eſt, maiorem eſſe illo, qui adhuc conſiſtit in prælio: aliud enim eſt coronam victoriæ poſsidere; aliud adhuc in acie pugnare. Aut nouiſsimum angelum in cælis Domino miniſtrantem meliorem eſſe, quolibet primo homine, qui verſetur in terris. Mihi Euthymij ſententia maximè arridet, vt ſeipſum minorem vocet, & quòd ita videbatur apud Iudæos, & quòd poſt illum natus eſt, iuxtà illud: Qui poſt me venit, ante me natus eſt. Nam Ioannem eò maiorem habebant, vtpotè qui ab infantia in eremum ſeceſſerat, & admirabili vitę inſtituto vſus fuerat: Chriſtum verò, tanquam communi modo conuerſantem non item. Qui, inquit, minor eſt, id eſt, qui videtur minor illo, maior eo eſt in regno cælorum: hoc eſt, imperando cælis, vtpotè non homo ſolùm, ſed etiam Deus. Caluinus eam comparationem ad doctrinam refert, vt minimi doctoris Euangelici maior ſit doctrina, quàm Ioannis. Solidáne ſit iſta expoſitio, iudicent docti.

8 NOtat hoc loco D. Chryſoſtomus, hæc non per comparationem ad Chriſtum, qui ſuprà omnia eſt, referri, ſed potiùs ad captum vulgi. Nec enim ipſe Ioannes cùm de Chriſto dicat, Quia fortior me eſt, comparando ſe illi dicit: nec Paulus cùm de Moyſe ſcribat, Ampliori gloria hic, quàm Moyſes, dignus eſt, comparando id ſcribit: ipſe etiam Chriſtus, cùm dicat, Ecce plus Salomone hic, non comparat ſe Salomoni. Quòd ſi quis per comparationem id dictum contendat, dicemus accommodatè hoc factum propter audientium imbecillitatem; qui & ſemper antea procliuiores ad Ioannem erant, & tunc partim pro-

pter

pter carcerem, partim propter fiduciam, qua liberè regibus loquebatur, clariorem existimabant, satisq; erat si ita dictum etiam per comparationē accepissent.

LAudat deinde Dominus Ioannem ab efficacia prædicationis, quòd scilicet à diebus illius, prædicationis, inquam, regnum cælorum vim patiatur, turmatim homines ad illud ruant, & violenti rapiant illud. Quæ autem & qualis ista sit vis, exponit D. Hieronymus. Si primus Ioannes, vt suprà diximus, pœnitentiam populis nunciauit dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum; consequenter à diebus illius regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Grandis enim est violentia, in terra nos esse generatos, & cælorum sedem quærere; possidere per virtutem, quod non tenuimus per naturam. Non dissimilia, quamuìs non ex eodem capite, Chrysostomus docet: Vim istam fidem interpretatur, vtpotè arrabonem ad regnum cælorum; ad fruitionem, inquam, bonorum, quæ habentur in cælis. Vim autem patitur, hoc est, violentè ab hominibus accipitur, dum illi sibijpsis vim inferunt, ac certè necessitatem propriorum vincunt affectuum, aut etiam infidelitatis tyrannidem. Ideóque hoc manifestans subiunxit, quod violentè rapiunt illud. Hæc verò laudabilis violentia incepit à diebus prædicationis Ioannis, qui populo clamàuit: Resipiscite, instat enim regnum cælorum. Hoc autem nunc dixit Christus, simul quidem in laudem Ioannis, quasi hominum salutem sit auspicatus; simul quoq; excitans auditores, vt & ipsi similiter vim inferrent sibijpsis. Nec aliena est illa Hilarij huius loci interpretatio. Itaq; vim regnum cælorum patitur, inferentesque diripiunt illud, quia gloria Israël patribus debita, à prophetis nunciata, à Christo oblata, fide gentium occupatur & rapitur. Sed nec illa parua violentia est, Nisi quis reliquerit patrem & matrem. & illa, Abneget semetipsum, &c. Laudat deinde Ioannem, quòd scilicet ille fuisset terminus & limes legis prophetarum, ac veluti obsignatio quædam: Lex, inquit, & prophetæ vsque ad Ioannem: non simpliciter, sed tanquam ad prædicationem futuri Christi atque euangelij; nam in reliquum tempus paulò pòst dicit: Ecce ego mitto ad vos prophetas, &c. qui & confirmationi, & propagationi, & designationi veræ fidei esse debuerunt: cum illo prophetiæ manserunt, sed operum exhibitiones factæ sunt. Christus autem hunc locutus est sermonem, simul Ioannem laudans, tanquam primum, qui earum prophetiarum cognouit euentum; simul docens, aduenisse iam, qui prophetabatur, nec deinceps oportere alterum expectare.

VLtimò, quia apud Iudæos Eliæ magnum nomen fuit, primusque prophetarum esse putabatur, certissimumq; signum aduentus Messiæ debuit esse: sic enim illis prædictum erat Malach: 4. Mitto vobis, &c. In quo non mediocriter errabatur ab Iudæis, qui aduentum Eliæ in primum aduentum Messiæ incidere debuisse arbitrabantur. Aufert hanc opinionem Saluator, ac ex isto errore illos deducit, inter dies Christi aduentus non distinguentes: ostenditque & Eliam iam venisse, si modo id quod res erat intelligere vellent; non quidem re ipsa & in persona sua, sed mysticè & signanter in persona Ioannis. Sic enim inquit, atq; inde speciosè Ioannem commendat, eum scilicet Eliam esse: Et si vultis, inquit, recipere, hoc est, intelligere, & rationi locum relinquere; ipse est Elias, qui in secundo aduentu meo venturus est. Ad quam rem non tam extrema au-

9 11 10 12

ma auris, quàm mentis & ſpiritus apponenda ſunt: Qui, inquit, habet aures audiendi, audiat. Qua formula dicendi tum vtitur ſcriptura, cùm aliquid in myſterio & parabola dicitur, vt ad maiorem rei perueſtigationem auditores excitet: maximè in eo, vt duplicem eius aduentum recognoſcant & diſtinguant, in quo ſumma totius cauſæ fuit, & in quo maximè decepti ſunt, inde omnis erroris origo. Cur autem Ioannes Eliæ comparetur, pulchras affert cauſas Hieronymus: quod cùm ipſi faciliùs explicare non poſſumus, ipſum enarrantem audiamus. Hoc quod dictum eſt, Si vultis recipere, ipſe eſt Elias; myſticum eſſe, & egere intelligentia, ſequens ſermo demonſtrat Domini, dicens: Qui habet aures audiendi, audiat. Si enim planus eſſet ſenſus, & manifeſta ſententia; quid neceſſe fuit nos ad iſtius intelligentiam præparari? Elias ergo Ioannes dicitur, non ſecundùm ſtultos philoſophos & quoſdam hæreticos, qui μετεμψύχωσιν introducunt; ſed quòd, iuxta aliud teſtimoniũ euangelij, venerit in ſpiritu & virtute Eliæ, & eandem ſancti ſpiritus, vel gratiam habuerit, vel menſuram. Sed *Lucæ 1.* & vitæ auſteritas rigorque mentis Eliæ & Ioannis pares ſunt. Ille enim in eremo; iſte in eremo: ille zona pellicea cingebatur; & iſte ſimile habuit cingulum: ille quoniam regem Achab & Iezabel impietatis arguit, fugere compulſus eſt; iſte, quia Herodis & Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur. *3. Reg. 19.* Sunt qui propterea Ioannem Eliam vocari putant, quòd quomodo in ſecundo Saluatoris aduentu, iuxta Malachiam, præceſſurus eſt Elias, & venturum iudicem nunciaturus; ſic Ioannes in primo aduentu fecerit; & quòd vterq; ſit nuncius, vel primi aduentus Domini, vel ſecundi. Sed quomodo Chriſtus Dominus dicit eum Eliam, cùm ipſe interrogatus à Iudæis, Elias es tu? reſpondit, Non ſum. Explicat præclarè hanc difficultatẽ Gregorius: Sed ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, inquit, hoc quod inter ſe contrariũ ſonat, quomodo contrarium nõ ſit inuenitur. Ad Zachariam namq; Angelus de Ioanne dicit, Ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ. Qui idcircò venturus in ſpiritu & virtute Eliæ dicitur, quia ſicut Elias ſecundum Domini aduentum præueniet; ita Ioannes præuenit primum: ſicut ille præcurſor venturus eſt iudicis; ita iſte factus eſt præcurſor redemptoris. Ioannes igitur in ſpiritu Elias erat, in perſona nõ erat. Quod ergo Dominus fatetur de ſpiritu, hoc Ioannes negat de perſona.

11 NOtandum autem eſt ex hoc præconio Ioannis, ſanctos Dei venerandos, eorum præconia texenda eſſe, iuxta illud: Laudemus viros glorioſos in generatione ſua. Quod & in veteri lege factitatum eſt: & nunc ipſe Chriſtus Dominus in Ioanne laudando magnificè facit: ſola hæreſis facere fugit & recuſat.

12 SEcundò notandum eſt, quis & quantus ſit ipſe Chriſtus, qui tantum, & talem habeat angelum, talem præconem: & erga quem ille tam humiliter ſe geſsit, vt indignum ſe putaret, cuius calceamenta ferret aut ſolueret: & cuius ipſe Elias miniſter ſit: & quantum Deus honorauerit filium ſuum. Cuius rei pulchra eſt figura in lib. Eſter: Homo quem rex honorare cupit, debet indui veſtibus regijs, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamat & dicat: Sic honorabitur, quemcunq; rex voluerit honorare. Homo quem rex honorare voluit, eſt Chriſtus Dominus, iuxta illud: Clarifica me pater in hac hora ea claritate,

quam

quam habui priusquàm mundus fieret. Et clarificaui, inquit, & clarificabo. Primus autem de regijs principibus ac tyrannis qui clamat, est Ioannes, Vox clamantis in deserto, parate vias Domini, & rectas facite semitas eius.

NOtandum tertiò, maximè rem ingenuam esse, cuiusque virtuti largè & liberaliter testimonium reddere, magisq; absenti, quàm præsenti: ac inter spirituales viros, nullum locum inuidiæ ac obtrectationi relictum esse. 13

NOtandum quartò, testimonium ab operibus & vita magnum esse, maius quàm à doctrina, magisq; suspicione carere. vnde illud: Exemplo priùs doce, postea voce. 14

NOtat deinde ex hoc loco D. Hieronymus, rigidam vitam, & austeram prædicationem, aulas regum & mollium hominum palatia declinare debere. Quanquam hoc loco Caluinus nugatur, aulicas delitias non damnari, sed tantùm ostendi, hac aulis conuenire, non eremo, quæ tamen inter se non pugnant. 15

NOtandæ sunt laudes ac præcipuæ virtutes ex hoc loco concionatorum, vita scilicet solitaria, studium, & cura infatigabilis, in sanandis, ac in officio retinendis, ad omnem item perfectionem discipulis & auditoribus suis, siue à se, siue ab alijs perducendis, constantia vitæ & doctrinæ, victus & amictus durus, qui veluti sacra vasa intra sacrarium se conseruent, ne vsu communi vilescant: Principum & magistratuum consuetudinis, & nimiæ familiaritatis fuga. Quo nomine sibi maximum comparasse odium D. Chrysostomum Constantinopoli legimus, quòd nullos vnquam potentes adire voluit: mores & integritas angelica, spiritus propheticus, violentia spiritualis, vt sit super natos mulierum, &c. 16

COntingit autem quandoque, magnum inter natos mulierum in carcere esse; sed parum hoc, contingit ipsam vocem Dei & gratiam, hoc est, Ioannem ita constringi ac concludi; vt exerere se, ac liberè agere, & proloqui non posit ad Christum: soluit tamen se, vincula rumpit, contineri non potest, quomodo sol conclusus vel exclusus per rimas sese exerere solet. Mittit suos ad Christum, eumque celebrat ac illustrat. Sic Paulus in vinculis docuit, sic Petrus, sic Ioannes, sic alij multi. 17

CVm maximè sancti Dei premuntur ac affliguntur, tum maximè Christus pro illis pugnat, eorum salutem & dignitatẽ tuetur, quod nunc in Ioanne facit. 18

POst Ioannis legationem, eiusque laudes, ac elogia, ad increpandas ciuitates, gentemque Iudæam se confert, quibus neq; Ioannes, neq; Christus, etiamsi diuersum vitæ genus secuti sint, satisfacere potuerunt: & qui neutrum, ita vti par fuit, honorârunt. Nam cùm Ioannes duram ac solitariam vitam duxisset; eum contempserunt, ac durum & inhumanum quendam hominem appellârunt: quando autem Christus communem & ciuilem; eum vini potorem ac socium peccatorum dixerunt: cùm Ioannes pœnitentiam prædicaret; nemo pœnitentiam egit: vbi Christus præsentem salutem adferret; nemo seriò gauisus est: idem vterque spectando etsi non idem agendo; spectabat vterque salutem gentis ingratæ, agebat quod ad eam quærendam pertinebat. Quod pulchro exemplo illustrat D. Chrysostomus: Christus, inquit, cum præcursore suo, oppositis quibusdam itineribus, ad gentem Hebræam venerunt, idemq; fecerunt quod venatores solent facere: qui quando fugacissima, captuque difficillima insectan- 19

insectantur animalia, non vna via, sed diuersis; & non diuersis solùm, sed per contraria plerunque aggrediuntur; vt si alterum effugerint, in alterum incidant: ita quoq; hîc dispositum est, vt Ioannes quidem duriorem viuendi regulam haberet, Christus verò molliorem; vt siue hanc, siue illam eligentes, obedirent eis; & vel in hoc, vel in illo caperentur saltu. Oportebat autem pœnitentiæ prædicatorem tristem quandam grauitatem præseferre, & remissionis peccatorum largitorem humanum ac benignum esse. Et erant sanè hæ viæ inter se inuicem contrariæ, simile tamen erat opus. Verùm hi tanquam fera captu difficilis, vtrumque fugientes, vtriq; detrahebant. Quam leuitatem & inconstantiam eorum, quem populi illius ingrati affectum, similitudine à pueris sumpta, pulchrè explicat & pingit ipse Saluator. Solent communiter pueri more simiarum omnia humana exprimere & imitari: ac nunc triumphos, nunc lætas panegyres excitare, nunc item funera efferre, atque ad eadem alios vocare: quibus cùm non paretur, tum illud occinere per exprobrationem solent, Cantauimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus, & non planxistis. Solent autem hæc ludicra verorum ac seriorum aliquando præsagia esse, & eorum quæ inter adultos futura sunt. Quemadmodum ante tempus belli ciuilis Romani, pueri hæc omnia, quæ pòst euenerant, expresserunt. Per pueros in foro clamantes, hoc loco Hieronymus atque alij, intelligunt prophetas omnes, legem denique ipsam, cui pueri occinunt: sed & hoc loco Hebræi: Cui autem, inquit Saluator, similem æstimabo generationem istam? similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt: Cecinimus vobis, & non saltastis: lamentati sumus, & non planxistis. Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, communi vitæ modo, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus: & iustificata est sapientia à filijs suis, siue ab intelligentibus eam. Sic & nos plerumq; viros bonos, & vitæ diuinæ, sycophantas, phantasticos, ipsi phantastici vocamus. Iustificata est, iusta habita, siue in admiratione habita est Dei sapientia, quæ disposuit, vt Christus & Ioannes oppositis vijs incederent, propter ipsam hominum vtilitatem: admiratione habita à filijs suis, siue ab intelligentibus eam. Iustificata autem est hoc modo: quia nihil prætermisit earum rerum, quæ ad iustitiam & salutem instillandam humani generis pertinerent; iuxtà illud: Quid amplius facere debui & non feci? vel iustificata est, hoc est, iusta ac irreprehensibilis facta est; vtpotè, quæ fecit quod debebat, & omni modo vsa est ad illorum salutem. Iustificata est sapientia, hoc est, ordinatio atque doctrina Dei, atque adeò verbum illius, & filius vnigenitus, à filijs suis, hoc est, ab ijs qui eum receperunt, quibus dedit potestatem filios Dei fieri. Quemadmodum à nothis & apostatis filijs, & qui Christum suo iudicio cadere volebant, damnabatur. Sunt & aliæ interpretationes loci istius, sed coincidunt. Dei autem sapientia iustificatur, & vbique in omni foro vincit: nam boni quidem filij eam sequendo, & mali vindictam referendo, illius bonitatem & æquitatem commendant & illustrant: vt in ipsa rerum natura, veterique vsu, qui orientem solem adorare noluerunt, occidentem adorârunt; ita qui benignum retributorem sanctificare nolunt, iustum vindicem persentiunt. Nulla vos, exponit & D. Chrysostomus, potui attrahere via, quare iurè me iam incusare nunquam poteritis. Quòd de patre pariter dixit propheta: Vt iustificeris in sermonibus tuis,

& vincas cùm iudicaris. Luctui autem atq; threno doctrinam ac conuersationem comparat Ioannis; vt quæ per omnia dura & aspera, vitæq; communis vsum refugiens fuerit: Christi autem vitam cantui & hilaritati; quòd gratissimus & humanissimus fidelibus omnibus condescenderit, vt omnes lucrifaceret, regna & gaudia promittens.

Notandum autem hoc loco primùm illud, incerta & inconstantia iudicia hominum, quæ ne hoc quidem ipsum apud se constituerunt, quid velle, aut quid probare debeant, & quibus nihil præsens placet. Nemo igitur turbetur, nemo sollicitus sit, si hominibus non satisfaciat; siquidem neque Ioannes, neq; ipse filius Dei illis satisfacere potuit. 21

Notandum secundò, Deum in rebus paruis vestigia rerũ magnarum relinquere, vt inde homines similitudine quadam ad rerum sublimiorum cognitionem deducantur; quod videre est in apibus, gruibus, & formicis, ad quas nos Salomon frequenter remittere solet: sic & hoc loco in pueris ipsis ad religionem & iustitiam. 22

Notandum tertiò, non si quis aliquod vitæ genus non sequatur, aut genus virtutis non colat, ideò alium, qui in alio genere vitæ est, aut in alia virtute se exercet, contemnere debere; cùm neque Ioannes durus Christum Dominum humanum & misericordem contempserit, neque item Christus Ioannem, sed mutuum sibi testimonium exhibuerint; cùm Ecclesia Dei non ex homogeneis partibus constet, quales sunt partes ignis vel aquæ vel ligni, in quibus vnaquæq; pars ignis est ignis, & aquæ aqua, & ligni lignũ: sed ex heterogeneis, nauis est, corpus est, diuersis & partibus & membris distincta; in quibus vnum membrum alteri dicere nõ potest, opus te non habeo. Non distinguit hæc hæresis, sed confundit omnia, non agnoscit magistri & discipuli differentiam, non præpositi, & subditi, non actiui, & speculatiui, ad vnum chaös omnia reuocat: nihil splendidum, nihil illustre ferre potest, nihil item austerum, nihil durum. At in Ecclesia Dei & sacco & purpuræ locus est, nec minus aliquando sub purpura virtus & pœnitentia elucet, quàm sub sacco & cilicio. Extenuat hoc loco more suo vitam austeram Caluinus, quam Christus mirè amplificat. Quid existis videre mollibus vestitum? &c. 23

Notandum vltimò, & nos item à Deo & ecclesia eius sancta, iam lætis, iam tristibus prouocari, nihilominus meliores non effici. In natali filij Dei proponit læta, in regum magnifico aduentu, & meliores non efficimur: proponit in Septuagesima tristia, in Quadragesima item, in hebdomada sancta, similiter eadem omnia, vel si meliora, ad tempus composita. Quod in Christo Domino eiusq; præcursore Ioanne Iudæos prouocante factum videmus. 24

SERIES EVANGELII

Postquam autem incertitudinem & inconstantiam generationis illius perstrinxisset, vltimò grauiter comminatur illis, quicunq; doctrinam sanam non receperunt, idq; superbia & arrogantia elati: ac demum gratias pro illis agit, qui ex humilitate & simplicitate cordis verbum sanum susceperunt. Obiurgationem seueram sic narrat Euangelista. Tum cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus sunt factæ plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam: Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis; ólim in cilicio & puluere pœnitentiam egissent. In 25

cilicio

cilicio aſperitas peccati ſignificatur, in cinere mortis ſignificatio eſt, per quam tota generis humani maſſa in puluerem eſt redigenda, inquit Beda. Non placet hoc loco Caluino in cinere & ſacco. Erant autem vrbes iſtæ Galileæ, & Sydon & Tyrus, vrbes idololatræ, & vitijs deditæ. Præferuntur autem, inquit Hieronymus, eis, quòd Tyrus & Sydon naturalem tantùm legem calcauerint; iſtæ verò poſt tranſgreſsionem naturalis & ſcriptæ legis, etiam ſigna, quæ apud eos facta ſunt, parui duxerint. Et tu Capharnaum, quæ es locus reſidentiæ meæ, nunquid vſque ad cælum exaltaberis?vſq; in infernum deſcendes. vt ſit duplex intelligentia: vel ideò ad inferna deſcendes, quia contra prædicationem meam ſuperbiſsimè reſtitiſti; vel ideò exaltata vſque in cælum meo hoſpitio, & meis ſignis atq; virtutibus, tantum habens priuilegium, maioribus plecteris ſupplicijs, quòd his quoq; credere noluiſti, vbi multi alij externi crediderunt. Veruntamen dico vobis, quòd terræ Sodomorum erit remiſsiùs in die iudicij, quàm illi, quam filius Dei, regnum & ſacerdotium auſpicaturus, ſibi palatij & ſanctuarij locum delegerit. Iſtarum enim vrbium propter viciniam maximè infamis erat impietas, ſuperbia & luxus, ita vt nemo eſſet ex Iudæis, qui non iſtos putaret maximos Dei contemptores. Multum ergo auget omnia, dum hos ipſos propiores ſaluti eſſe dicit ipſis Iudęis, quibus ſic frequens aderat, apud quos tam multa miracula edebat.

26 NOtandum autem hoc loco, ingratitudinem omnium vitiorum eſſe fœdiſsimam, cuius Latini ne nomē quidem in lingua ſua habere voluerunt: & qui ingratum dixit, illum omnia dixiſſe, omniaque complexum eſſe, & in quo vitio nihil mali non ineſſe, docet Tullius.

27 NOtandum ſecundò, cui plus impertitum eſt, ab eo plura repetenda eſſe. Vnde illud: Seruus ſciens voluntatem domini, & non faciens, vapulabit plagis multis: creſcentibus donis, rationes donorum creſcere.

28 NOtandum tertiò, ſi hæ ipſæ vrbes, quæ vnum annum & alterum, verbum Dei audierunt, & illi non crediderunt, tantam pœnam ſuſtinebunt: quantum vrbibus & prouincijs chriſtianis metuendum; quæ à mille annis fidem receperunt, necdum tamen veros ſe præſtiterunt chriſtianos?

29 VLtimò, Saluatorem noſtrum pauca de præſenti rerum ſtatu diſputare, omnia ad futurum Dei iudicium referre, in quo manifeſta erunt omnia, quorum nunc paruam habemus rationem.

30 POſtquam Iudæos ſuperbos & arrogantes, ac quoſuis alios obiurgauit, illiſque grauiſsimè comminatus eſt, vt verbi Dei ac doctrinæ ſuæ contemptoribus, eorúmq; certum exitium prædixit: nunc pro humilibus & manſuetis, qui in humilitate ſua ſuſcipiunt verbum, æterno parenti gratias agit, eóſq; animat, ac ad ſe venire iubet. D. Chryſoſtomus: Perpendis, inquit, quot, quibuſq; modis ad fidem illos inducit? Primùm, præcipuis Ioannis laudibus: nam cùm eum magnum, atque mirabilem, & plus quàm prophetam oſtenderit; ad præbendam illi fidem impellebat, qui apertiſsimè, ipſum eſſe Chriſtum atteſtabatur. deinde cùm dixit, Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: hoc enim non hortantis magis ad fidem, quàm impellentis eſſe videtur. Tertiò, quoniam omnium prophetarum prædicationem adimpletam iam eſſe docebat, quo ſignificabat ſeipſum eſſe, quem illi prædixerunt eſſe venturum. Quartò, quo-

SERIES EVANGELII.

tò, quoniam omnia iam facta esse monstrauit, quæ ab ipso fieri oportebat, quod similitudine puerorum ante oculos posuit. Quintò, exprobrando ac miserando incredulos, & terrore ac minis reuocando. Sextò, quoniam gratias modo pro credentibus agit.

CVius orationis argumentum & summa hæc est. Misericordiam Dei & iudicium celebrat; pro inimicis suis, subiectis, gaudium declarat; quia voluntas completur patris, gratias agit. Implet igitur quod à Dauide prædictum fuit: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine: misericordiam ex parte humilium, iustitiam ex parte superborum. Respondens, inquit Euangelista, vel ad patris orationem apud Isaiam. Ad prædicandum pauperibus misit me; vel ad tacitam obiectionem, cur isti receperunt, illi non, quia sic placitum fuit ante te. Confitetur igitur patri confessione laudis & iubilationis. Est autem confessio laudis, vbi quis ipse agnoscit ac recognoscit beneficium Dei, illud laudat, ac apud omnes mortales prædicat, ac toti mundo innotescere cupit. Tales laudes continent illi tres, quos Ecclesia in matutino Sabbathi recitat, Psalmi: Confitemini Dño quoniam bonus: quartus item ille, Confitebimur tibi Deus. Confiteor, inquit, tibi pater, patrem appellat respectu sui: Dominum cæli & terræ, respectu vniuersæ creaturæ. Patrem appellans, excludit errorem Sabellij, qui patrem & filium vnum esse, vt natura, ita & persona erroneè docebat, nominibus tantùm distinctos. Quomodo enim illi confiteretur, si idem cum illo esset? Arium autem refutat, cùm appellat patrem suum à quo genitus, non vt cælum & terra creatus est. Pulchrè autem locum hunc expendit D. Hieronymus. Potissimum vocat Dominum cæli & terræ, quia in his primum tale factum est iudicium: in cælo, inquam, in quo superbi, ac in oculis suis sapientes Angeli deiecti sunt: mites autem & humiles, ad Deum omnia referentes conseruati & confirmati. 31

VBi igitur dixit cui confitetur, deinde ostendit quid confiteatur, hoc scilicet, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Neq;, inquit D. Chryso. quia sapientes non cognouerunt gaudet: sed quia, quę sapientes non cognouerunt, hæc isti, quos paruulos vocat, perceperunt, lętatur. Ita & Paulus dicit: Gratias ago Deo meo, quòd fuistis serui peccati: obedistis autem ex corde, in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis. Neq; enim Paulus propterea gaudet, quia erant serui peccati, sed quia cùm essent huiusmodi, veritatis cultores facti sunt. Sed quæ est ista absconsio apud Deum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; qui docet hominem scientiam; qui extendit cælum, vt enarret gloriam eius; qui illuminauit lumen vultus sui, sapientiæ suæ super nos; qui tot instrumentis & præsidiis doctrinæ nos armauit? Patebit hæc ex velis & causis absconsionis, quæ sequuntur. Vela quidem & causæ absconsionum hæ sunt. Primum, via fidei, cui sapientes assueti non erant. Nam cùm huius mundi sapientes, aut via sensus, aut via rationis se omnia consequuturos putarent, atque etiam nunc putant, instituit iste magister noua quadam & ardua via: via, inquam, fidei ac humilis prædicationis, quam mundus non ita facilè capere, aut magnifacere potuit. Secundum velamen, humilitas & abiectio prædicantium, qui piscatores & publicani erant, quos vbi primùm mundus vidit, spreuit. Denique ipsius doctrinæ nouitas ac sensus à cōmuni 32

Roman: 6.

muni sensu remotus. Abnegare seipsos eos iubebat, qui omnia ad se referebant: pauperes esse, qui diuitias corradebant: lugere ac tristes esse, qui voluptatem summum bonum statuebant: iniuriam non vlcisci, qui primam & summam in vlciscendo inimico, eiúsque malis & aduersis conspiciendis felicitatem constituebant. Horum igitur curiositas, arrogantia, proximi contemptus, voluptates vela fuerunt, quibus sibi talem lucē auferebant; vt ipsi potius sibi abscondisse videantur, quàm illis abscondita esse. Media autem hęc doctrinę suæ Deus esse voluit, non quòd ab istis absconderet; sed quòd sublimiorem quandam doctrinam traditurus esset sensu & intellectu, ad quam sola fide opus fuerat; & quòd per humilitatem superbos auditores disponere volebat. Quod etiam in quadam adumbratione Pythagoras facere solebat. Solet tamen ille malis & arrogantibus mysteria non communicare sua, eorum boni causa, ne magis puniantur; ne dum cognoscunt, contemnant, & contemnantur ipsi.

33 PVtant se nactos hîc occasionem accusandæ sapientiæ, ac insultandi doctis & sapientibus viris, se autem iactandi, stulti, ignaui & imperiti, quòd Christus gratias agat, hæc abscondita esse à sapientibus: sed parum firmum & stabile gaudium, vana accusatio. Neque enim Christus Dominus hoc loco de vera sapientia loquitur: nec de verè & propriè sapientibus; sed de his, qui per fastum & arrogantiam nomen sibi vendicant sapientum, cùm non sint. Scimus enim ipsum Dei filium paulò antè dictum esse sapientiam: & iustificata est sapientia à filijs suis. Scimus Deum omnia in sapientia fecisse: scimus sapientiam in maximis donis Dei numerari: tum & ea quæ antecedunt, & ea quæ sequuntur id docent. Vbi enim superbis sapientibus & inflatis Capharnaitis grauissimè comminatus esset, in eosq; inuectus; statim hæc infert, quæ sequuntur, Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: non dicit ignauis & improbis; sed paruulis: paruulo igitur non sapiens opponitur, sed superbus & inflatus. & paulò pòst, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Sapientes igitur hoc loco intelliguntur, inflati, tumidi, arrogantes, & qui in oculis suis magis sapiunt, quàm Dei: quorum duo genera Paulus ad Romanos enumerat. Primùm Scribarum & Pharisæorum, qui legem & Moysen tenebant, & cæteros omnes præ se contemnebant; & qui verbis quidem legem commendabant, operibus autē remotissimi erant, indeq; omnem iustitiam, omnia prospera sibi deberi affirmabant. Secundùm autem mundi sapientū & philosophorum, qui vel cùm cognouissent, non sicut Deum adorauerunt, & ideò sapientes se existimantes stulti facti sunt; vel naturali sapientia ac literarum exercitatione de Dei natura quęrere cùm contenderent; non Deum inuenire desiderabant, sed altissima disserere cupiebant; & ideò victi sunt ingenio, defecerunt eloquio: in vltimo nihil se amplius inuenire potuisse confessi sunt, nisi quia Deus cognosci non posset. Sicut qui innauigabilem Oceanum nauigare vsurpat, dum non potest eum transire, necesse est, vt per eandem viam reuertatur, vnde ingressus est; sic & illi ab ignorantia cœperunt, & in ignorantia finierunt. Quos vtrosq; magnificè refutat, ac in ordinem redigit Paulus, ac debitores Dei esse docet. Ab his igitur vtrisq; abscondita esse mysteria Dei eo modo quo dixi, gratias Saluator agit.

34 FActi æquitatem Dominus voluntatis paternæ iudicio confirmat. Causas autem

autem adfert eius diuini occulti consilij; alteram implicitè ex parte istorum, qui se sapientes putabant, malitiam, inquam, & superbiam ac contemptũ aliorum; alteram explicitè, ex parte Dei, voluntatem scilicet, patris: Ita, inquit, pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Neque in sapientia causa est, neque in ignorantia, sed in voluntate Dei: cuius voluntatis summa ratio est, & à quo nemo potest interrogare, cur ita? quis enim dedit ei prior, & retribuetur illi? Prosequitur eas causas D. Paulus ad Corint. ad Galat. ad Romanos præcipuè, Deum elegisse infirma mundi, vt confundat fortia, ne glorietur omnis caro. Et, quia ignorantes Dei iustitiam, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: vt qui dedignabantur paruuli in Deo fieri, stulti deinde in sapientia sua fierent. In quarum abyssum vbi ingressus fuisset, nec amplius progredi poßet, dat manus exclamans: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! quas & nos porrigamus. Stultè igitur & prauè per sapientes intelligit Caluinus, omnes qui ingenio & doctrina pollent. ITA PATER, gratias agentis & exultantis in patre, patrique blandientis, hæc verba esse notat Hieronymus, quòd Apostolis aduentus sui aperuerit sacramenta, vt cœptum in illis beneficium compleatur. Quæ quidem tam mitis & blanda oratio, ne cui erroris in futurum occasionem præberet, quasi non eadem faciat filius quæ pater; aut quasi non eius æqualitatis & naturæ cum illo sit; aut quasi & ipse non sit Dominus cæli & terræ; ideò addit: Omnia mihi tradita sunt à patre meo, non tanquam seruo aut inferiori, sed tanquam filio. Quemadmodum est genitus ex patre, ita omnia habet à patre. Tradita autem dixit tanquam à fonte, origine, causa, vt distinguatur filius à patre contra Sabellium: tradita per modum generationis, id est, vt Cyrillus exponit, gignendo data, quemadmodum puer pulcher, potest dicere, datam sibi pulchritudinem à patre. Sicut enim omnia quæ habet in substantia dedit ei, quem genuit de substantia sua; ita eodem modo per generationem dedit illi omnia quæ ipse habet, præter ipsam paternitatem. Et tradentem patrem, & accipientem filium mysticè intellige: alioquin, si iuxta fragilitatem nostram sentire volumus, ille cœperit habere qui accepit, incipiet verò non habere qui dederit. Tradita autem illi omnia, non solùm cælum & terram & elementa intelligenda sunt, & cætera quæ ipse fecit & condidit; sed & ij qui per illum accessum habent ad patrem, & antè rebelles, Deum postea sentire cœperunt.

QVoniam autem dixit, patrem reuelasse paruulis, abscondisse sapientibus, ne in posterum Arius concludat, non eandem sapientiam, neque vim eius dispensandi, penes filium esse; ideò eidem occurrens errori, inquit: Nemo nouit patrem, nisi filius, & nemo nouit filium, nisi pater, & cui voluerit filius reuelare. Nam etsi & creatura cognoscit aliqua parte patrem: sed non ea ratione qua filius: ipse enim nouit natura ipsa, alij autem per reuelationem. Mentitur igitur Eunomius, qui dicebat æquè se agnoscere patrem, vt cognoscit filius; quem pulchra epistola risit Basilius, quam hoc loco licet apponere. Qui ea quæ sunt, inquit, scrutatu facilia esse dicit, omninò viam quandã ac rationem ex eorum quæ sunt cognitione, mente sua complexus est: & in ijs quæ comprehensibilia sunt & minutiora exercitatus, per huiusmodi cognitionem & incomprehensibilem phantasiam vltrà omnem cogitationẽ

35

pro-

promouit. Itaque qui ſe exiſtentium ſcientiam aſſecutum eſſe gloriatur, exponat nobis, quomodo, quod minimum eſt eorum quæ in lucem prodierunt, natura habeat, & quæ formicæ ſit natura, dicat: an ſpiritu vel anhelitu vita ipſius contineatur: an corpus habeat oſsium diſtinctione concinnatum ac diſcretum: neruiſné ac nodulis coniuncturarum roborata ſit: an muſculorum & glandularum complexu neruorum natura vndiquaque conſeruetur: an è ſincipite per dorſuales nodos ad caudam vſque, medulla prorogetur: vtrum ex neruoſæ pelliculæ complexione motis membris ſit progrediendi facultas: habeatne hepar: an ſub hepate ſit flauæ bilis folliculus: vtrum renes habeat; & cor, & arterias, & venas, & membranas, & diaphragmata: nudané ſit vel crinita: an vnius tantùm generis, an multifariis vtatur pedibus: quandiu viuat: & quæ ſit illi propagandæ poſteritatis ratio: quotuplo fœtu dum generat fœcundetur; & quomodo nec pedeſtres omnes ſint formicæ, nec alatæ omnes, ſed aliæ humi repant, aliæ verò per aëra volitent. Dicat itaq; formicarum nobis naturam, qui eorum, quæ in natura ſunt, ſcientiam cum faſtu ſe prædicat aſſecutum, atque ita demùm de potentia illa omnem intellectum ſuperante diſputet. Si verò ſcientia minutiſsimæ formicæ nondum es aſſecutus naturam, quomodo incomprehenſibilem Dei potentiam imaginatione tua comprehenſam eſſe gloriaris? hactenus D. Baſilius. Non dicit autem hîc de aliquo ignoto Deo, vt Marcion iudicabat, ſed de eo quem filius patrem ſuum vocat. Ideò dicit, Nemo nouit patrem, niſi filius: & ſecundùm plenitudinem filij, filium nemo cognoſcit, niſi pater: quia incomprehenſibilem naturam comprehendere non poteſt comprehenſibilis creatura; & cui voluerit filius reuelare. Et quomodo reuelat? Reuelat autem ei, à quo vt reuelare velit, oratur, inquit Hilarius. Et vt verbum, & ſe, & rem notificat; ita filius & patrem, & ſe. Quid autem Spiritus ſanctus, an non & ipſe nouit patrem, an non & ipſe reuelat? Imò per omnia, vt & filius: Ille, inquit, docebit vos omnia. Verùm particulæ excluſiuæ, inquit D. Thomas, cùm adduntur nominibus diuinis perſonalibus, non excludunt illud, quod idem eſt in natura; vt cùm dicitur, Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum: ſed intelligitur excluſio eius, quod eſt extra naturam, id eſt hominis, angeli, vel alterius rei. Porrò paulò ante dixit reuelare patrem, & nunc dicit ſe reuelare; hoc oſtendens eandem eſſe vim patris, quæ & filij.

36 LAudat ergo in hoc factum patris, miſericordiam & veritatem: in ſuperbos quidem iuſtitiam & veritatem, in humiles autem & paruulos miſericordiam. Gratias patri agit, quòd poſuerit inimicos eius ſcabellum pedum eius, qui, dum ſibi ſapientes viſi ſunt, ſtulti facti ſunt, quòd delicta Iudæorum facta ſunt diuitiæ mundi. Lætatur, non quòd iſti reprobati, ſed quòd illi empti, & quòd iſtis pœnitentiæ locus relictus ſit; quòd facta ſit voluntas patris, & quòd depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles. Verùm ne quis dicat & iſtis occluſas eſſe fores ſalutis, nec amplius eos reſurgere poſſe, ideò clamat: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Cuius prouocationis eò maior cauſa eſſe videbatur, quod nunc dixerat: Nemo nouit patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare: tanquam ille non omnibus velit, aut non ad omnes vocandos & ſaluandos venerit. Hanc igitur aufert opinionem, ne aliquem à ſpe ſalutis excludere videretur, & magna clamat voce:

Venite ad me omnes. Et ne aut voluptates, aut honores, aut diuitias cur non veniant, in excusationem adferant; his illos excusari non posse docet, quia hæc omnia labor & onus sunt, & ideò laborantes & oneratos vocat: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Hæc autem labores & onera esse, docet ille qui dixit, laboriosum est retinere labentia, velle stare in non stantibus, cum transeuntibus nolle transire, non habita cum labore quærere, & cum labore retinere. Si ipsi non potestis vos subleuare, ego possum trahere vos: Omnia mihi tradita sunt à patre. Si ignoratis, docebo vos, reuelabo vobis: Nemo nouit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. Impedimenta auferatis, & discetis mites esse & humiles corde. Si labor & dolor in ferenda mea lege deterret; Iugum meum suaue, & onus meum leue: Iugum non licentia, onus non laxitas, vt putat hæresis: Iugum, quasi duorum trahentium; nostrum & Christi nobiscum: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Si duce opus habetis, ego adsum: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde: Si præmium, Inuenietis requiem animabus vestris: inebriabimini ab vbertate domus meæ: merces magna labori paruo, quia iugum suaue onus leue est. Stultè igitur hoc loco Caluinus per paruulos vulgi fæcem & quisquilias intelligit, cùm tales magis superbi plerunque sint, quàm ipsi reges & principes, aut rudes, indoctos, obscurum gregem; siquidē humilitas à necessitate procedens nulla est. Sed quo tandem modo iugum Christi leue & suaue est, si longè perfectius est latiusque patet lege Moysis? An quia lex vetus sine gratia fuit, sine qua omnis iustitia grauis est? An quòd lex grauia præcipit obseruationis mandata, & faciendi non præstat auxilium? Gratia autem leuis est, quia leuia ponit mandata: & quod fieri præcipit, ipsa in nobis faciendi operatur virtutem. An quia si impleuerit quis omnem iustitiam legis, viuit quidem in ea; non tamen iustificatus est? Nam qui abstinet se à malis, innocens quidem est; iustus autem non est, nisi & iustitiæ opus impleuerit. Omnis autem qui contendit iusta facere, & non iustificatur, laborat in opere; quia fructu laboris sui non fruitur: qui autem & contendit, & iustificatur, non laborat, sed delectatur in opere suo; quia operis sui fruitur fructu. An quòd minor sit iustitia legis, quàm gratiæ? vt puta, Non occides, non adulterabis: hoc facilius est, quàm non irasci, aut non concupiscere? An quòd lex opera quærit, non voluntatem? lex autem iustitiæ, voluntatem non opera quærit. Latius hæc explicat Author operis Imperfecti. Quomodo, inquit, leuiùs lege Euangelium, cùm in lege homicidium, in Euangelio ira damnetur? Qua ratione facilior euangelij gratia, cùm in lege adulterium, in euangelio concupiscentia puniatur? In lege multa præcepta sunt, quæ Apostolus non posse compleri plenissimè docet. In lege opera requiruntur, quæ qui fecit, viuet in eis: in euangelio voluntas quæritur, quæ etiam si effectum non habuerit, tamen præmium non amittit. Euangeliū ea præcipit, quæ possumus: ne scilicet concupiscamus, quod in arbitrio nostro est. Lex cùm voluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium faciat. Finge in persecutione aliquam virginem prostitutam: hæc apud euangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur: in lege quasi corrupta repudiatur. Iugum Christi mansuetudo est, res suauis, nulli nec sibi molesta: quemadmodū superbia semper sollicita est, ne decidat; & vt illi aliquid accrescat. Et quid iugo ipsius, inquit Hilarius, suauius, quid onere leuius? probabilem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna consequi

Homil. in Matth. 28.

conſequi, præſentibus non capi, nolle inferre alteri, quod ſibiipſi perpeti ſit moleſtum, eſſe de præteritis ſecurum, & de futuris optima ſpe erigi.

37 NOtandum eſt autem primùm hoc loco, pro omnibus rebus, tàm bonis, quàm malis, tàm noſtris quàm alienis, Deo gratias agendas eſſe. Docet hoc D. Paulus: In omnibus, inquit, gratias agite. & alio loco: Nihil ſolliciti ſitis, inquit, ſed in omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. De cætero fratres, quæcunque ſunt vera, quæcunq; pudica, quæcunq; iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunq; bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ; hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis & audiſtis in me. Hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum.

1. Teſſal. 5.
Philip. 4.

38 NOtandum ſecundò, nihil minus eſſe in oculis Dei, quàm ſuperbiam, nihil maius quàm humilitatem. Quis, inquit, ſicut Dominus, qui humilia reſpicit in cælo & in terra, & alta à longè cognoſcit? Et quemadmodum ſuperbi ſunt inimici Dei; ita manſueti & humiles eius ſunt ſecretarij, quibus ille omnia ſua reuelare ſolet.

39 NOtandum tertiò, omnium rerum magnarum & difficilium rationem referendam eſſe ad voluntatem Dei, quod nunc Chriſtus Dei ſapientia facit: Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Et D. Paulus: Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Concidant igitur vanæ diſputationes; hoc eſt ſapere, vnum Dei beneplacitum, pro mille rationibus amplecti. An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Cuius rei cauſa, voluntas artificis eſt. Iniuſtum eſſe non poteſt, quod Deo placet.

40 NOtanda quoq; ſunt hoc loco quinq; quodammodo argumenta, quibus Chriſtus Dominus ſuam ad patrē æqualitatem indicat. Primùm, quòd omnia ea quæ habet pater, ipſe etiā habeat; quòd omnia ſibi à patre tributa ſint: Omnia quæ habet pater, mea ſunt. Si omnia illi tradita ſunt, omnium Dominus eſt: ſi autem omnium Dominus eſt, æqualis certè patri. Locum hunc præclarè explicat Irenæus: Omnia tradita ſunt mihi à patre meo, manifeſtè ab eo, qui omnia fecit: non enim aliena, ſed ſua tradidit illi. In omnibus autem nihil ſubtractum eſt, & propter hoc idem eſt iudex viuentium & mortuorum, habens clauem Dauid, aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Nemo enim alius poterat nec in cælo, nec in terra, nec ſub terra, aperire paternum librum, nec videre eum, niſi agnus qui occiſus eſt, & ſanguine ſuo redemit nos, ab eodem qui omnia verbo fecit, & ſapientia adornauit, accipiens omnium poteſtatem, quando verbum caro factum eſt: vt quemadmodum in cælis principatum habuit Verbum Dei, ſic & in terra haberet principatum: quoniam homo iuſtus qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Principatum autem habeat eorum, quæ ſunt ſub terra, ipſe primogenitus mortuorum factus, & vt viderent omnia ſuum regem.

Ioan. 6.
Lib. 4. ca. 37.

Secun-

SEcundum argumentum, quòd eadem & pari cognitione cum patre ſit prædítus: Nemo, inquit, nouit patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare: nam ſi ſoli ipſi ſe ex æquo cognoſcunt, æquales profectò inter ſe ſunt. 41

TErtium, qui eadem & pari vi & poteſtate operandi præditi ſunt, æquales ſunt: ſed filius cum patre eadem ſimul operatur, ergo æqualis. Sicut enim reuelat pater, ita reuelat & filius, ita & ſpiritus ſanctus: ergo ſunt inter ſe æquales. Cur autem ſpiritum ſanctum non nominauit? quia nunc de ipſis rebus creatis loquitur: Spiritus autem ſanctus creator eſt: & quia nondum eius manifeſtandi hora & tempus venerat. Priùs enim oportebat filij cognitionẽ mentibus diſcipulorum inſinuare, deinde etiam illa reuelare, quę ſpiritus ſancti ſunt. 42

QVartum, dum iugum Dei & onus ſuum iugum eſſe, & onus ſuum dixit. Quis enim vnquam prophetarum aliquid ſimile locutus eſt? nemo profectò. Ita Chriſtus, vbi ſe maximè demittit apud patrem, ibi maximè maieſtatem ſuam explicat. 43

QVintum eſt, apud ſolum Deum requiem inueniri animabus noſtris: Iuxta illud Ieremiæ: Hæc dicit Dominus: State ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Sed Chriſtus Dominus apud ſe pollicetur reperiri requiem animabus noſtris: Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: & inuenietis requiẽ animabus veſtris. Deus igitur eſt. 44

NOtat hoc loco Euthymius verbum tradendi, quomodo ſit intelligendũ. Tradita ſunt prout Deum decet intelligere, non quòd primùm ea non habens poſtmodum acceperit, nihil enim illum præceſsit, nec ipſe quidem pater, ſed ſimul pater & filius, ſimulque omnium Dominus, verùm conſueuit diſpenſatione hæc ſæpiùs dicere, patrẽ honorans, hanc ergo in ſimilibus habeto rationẽ. 45

NOtandum eſt ſextò, prima ornamenta atque ſolatia mundi huius, labores & onera apud Deum eſſe. Quid enim reuera cum labore non quæritur, quid cum onere non retinetur, Venite, inquit, ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis. Peccatum autem laborem habet, priuſquàm perficitur, pondus habet poſtquam perfectum eſt. 46

SEptimò, notandum, doctrinam Chriſtianam vocari onus, ſed leue, vocari iugum, ſed ſuaue; vt neq; deſpiciamus tanquam facilem, neq; fugiamus tanquam laborioſam, ſed cum ſtudio & affectione attendamus. 47

NOtandum vltimò, neminem myſteriorum diuinorum capacem eſſe, niſi illi reuelatum fuerit, non ſi legem vniuerſam legat, non ſi prophetas ſcrutetur. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Numerant literas etiam legis Iudæi, norunt quæ ſit media vox in lege, Chriſtum tamen non nouerunt, quia illis reuelatum non eſt. Si quis igitur indiget ſapientia, poſtulet à Deo, & dabitur illi. Ideò noſtri non ſapiunt, quia non orant, ideò errant, quia non poſtulant. 48

49 QVAESTIONES D. AVGVSTINI. I. Confiteor tibi Domine pater cæli & terræ. Notandum, confeßionem poni in laudem Dei. Non enim peccata Dominus confitebatur, quæ nulla habebat, præſertim quia eum exultantem hoc dixiſſe alius Euangeliſta commemorat. Quanquam & verba ipſa quæ dicit, non habent dubitationem, quod in laudem Dei dicantur. Ergo confeßionem vocat ſcriptura generaliter, quidquid manifeſtè ſicut cernitur enunciatur. Nã & illud quod ait: Si quis me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum corã patre meo; vel ſicut alibi eſt, coram angelis Dei; non vtiq; peccata confitetur, qui Chriſtũ confitetur. Quòd ſi propterea putant aliqui confeßioné vocari, quia pro crimine obijciebatur Chriſti nomen tempore perſecutionis; nunquid ita etiam Chriſtus coram patre, vel coram angelis eius, hominem qui ſe confeſſus fuerit confitetur? Eſt etiam in Eccleſiaſtico ita poſitum: Et hæc dicetis in confeßione opera Dñi vniuerſa, quoniã bona valdè. Quo in loco indubitanter Dei laudes exaggerantur. Hæc dicta ſunt propter imperitiã fratrũ: qui cum legente lectore audiunt hoc verbum, pectora ſtatim tundunt, non attendentes quo loco dicatur, quaſi non poßit niſi peccatorum eſſe confeßio.

Queſtion. ex Matthæo 9.

50 QVAESTIO. II. Cùm diceret Dominus Ieſus: Nemo nouit filium, niſi pater, non dixit, Et cui voluerit pater reuelare, quemadmodum cùm diceret: Nemo nouit patrem, niſi filius, addidit: Et cui voluerit filius reuelare. Quod non ita intelligendum eſt, quaſi filius à nullo poßit cognoſci, niſi à ſolo patre, pater autem non ſolùm à filio, ſed etiam ab eis quibus reuelauerit filius. Sic enim potius dictum eſt, vt intelligamus & patrem, & ipſum filium, per filium reuelari, quia ipſe eſt mentis noſtræ lumen: & quod poſtea intulit, Et cui voluerit filius reuelare; non tantùm patrem, ſed & filium accipias. Ad totum enim quod dixit illatum eſt: verbo enim ſuo ipſe pater declaratur: verbum autem non ſolùm id, quod per verbum declaratur, ſed etiam ſeipſum declarat.

Caput XII.

1 DVODECIMO CAPITE SALVATOR SCANDALIS ET MALEDICTIS Iudæorum reſpondet; ac illa benefactis & meritis cæleſtibus refutat ac reijcit: ipſos obiurgat ac increpat, arguit, veri concionatoris officio fungitur. Scopus eſt capitis oſtendere, partim quàm malignum foret ingenium phariſæorum, partim quàm ſuperſtitioſè rebus externis & miraculis addictum.

2 INprimis autem refutat illud ſcandalum, quod phariſæi accipiebant ex violatione Sabbathi: primùm ex parte diſcipulorum; deinde ex parte Chriſti. Diſcipulorum quidem, Tranſibat enim Sabbatho Ieſus per ſata: diſcipuli autem eſurientes, cœperunt euellere ſpicas & manducare: propter nimiam enim illorum qui eos ſequebantur importunitatem, & Dei verbi audiendi ſtudium, ne veſcendi quidem habebant locum ac tempus: & ideò eſuriebant, & ideò vtcunque inediam ſolabantur; inter eundum ſpicas confringentes manibus. Phariſæi autem videntes, dixerunt ei, Ecce diſcipuli tui faciunt, quod non licet eis facere Sabbatho. addit D. Lucas, eos & diſcipulis ipſis dixiſſe eadem verba: Quid facitis, quod non licet in Sabbathis? Suſcipit cauſam diſcipulorum Dominus

minus, eosque primùm exemplo Dauidis refutat, qui aliquando contra apertum mandatum Dei in simili necessitate panibus propositionis vsus est. Præceptum Domini tale fuit: Facies & mensam de lignis Setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac semissem, & inaurabis eam auro purissimo: & pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Præceptum quidem hoc, Dauidis autem factum illud: Dedit ei sacerdos sanctificatum panem, neq; enim erat ibi panis, nisi tantùm panes propositionis, qui subleuati fuerant à facie Domini, vt ponerentur panes calidi. Hinc Christus Dominus. Non legistis, inquit, quid fecerit Dauid quando esurijt, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus? Secundo eosdem refellit eorundem exemplo: Aut non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, immolantes victimas, cedentes tauros, holocausta super lignorũ struem incendio cremantes, circumcidentes paruulos in Sabbatho, & sine crimine sunt? ita dum vnam legem seruare vultis, aliam violatis. Verùm obijcerent hoc illi templi eiusq; honoris causa fieri: ostendit Dominus se templo, & omni sacrificio ac sacerdotio maiorem esse, ad cuius voluntatem & nutũ omnia fieri debent, & qui omnia dispensare possit. Dico, inquit, vobis, quia templo maior est hic, seipsum demonstrans. Ostendit deinde illis, vnde hoc proueniat scandalum; ex eo videlicet, quia misericordiam non habent in proximum. Si enim propter sacrificium non soluitur Sabbathum, etiamsi laboretis, vt prædictum est; multò minus propter misericordiam, eiusque exercitium: maior enim est misericordia sacrificio, iuxta illud Oseæ: Misericordiam volui, & non sacrificium. Cui præcepto quoniam non paretis, homines innocentes, fessos, egentes, famelicos, ipsi pleni satis & saturi condemnatis: qui necessitate id agunt sui reficiendi & conseruandi causa. Deinde clarè ostendit se illum esse, qui à Sabbatho etiam possit discedere: Dominus, inquit, est filius hominis etiam Sabbathi. Quod re ipsa ostendere volens, ac scandalum istorum contemnens ac refutans, venit in Synagogam eorum altero Sabbatho, vt Lucas narrat. Et ecce homo manum habens aridam, accedit ad eum, curari Sabbatho vult, Pharisæi idem scandalum obijciunt, interrogant an liceat Sabbatho curare, ipsum Saluatorẽ calumniari volentes, ac sui accusationem refutare; vt si non curaret, crudelitatis atque imbecillitatis eum accusarent; si curaret, transgressionis Sabbathi. At ille magnifice eorundem exemplo, & his quæ communiter fieri solebant, illos refutat in hunc modum: Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, etsi ceciderit hæc in Sabbathis in foueam, nonné tenebit & leuabit eam? quantò magis melior est homo oue. Hanc ergo eruitis sine conscientia, illum contemnitis, non oui sed auaritiæ consulentes. Deus Sabbathum constituens, legem sibi non imposuit, Sabbatho etiam homines beneficijs afficiendi. Tunc ait homini, extende manum tuam: & extendit, & restituta est sanitati sicut altera. Cementarium hunc fuisse, docet Hieronymus ex euangelio, quo vtuntur Nazareni & Ebionitæ: qui ibidem scribitur, istiusmodi vocibus auxilium implorasse: Cementarius eram, manibus victum quæritans, precor te Iesu, vt mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos. Vsque ad aduentum Saluatoris arida manus in Synagoga fuit Iudæorum, & Dei opera non fiebant in ea: postquam ille venit in terras, reddita est in Apostolis credentibus dextera, &

Exod. 25.

Oseæ 6.

rà,& operi pristino restituta. Quid pro tanto beneficio Iudæa? Exeuntes pharisæi,consiliũ capiebant aduersus eum quomodo eũ perderent. Quid Christus Dominus? offensus iniuriam reddidit? Nequaquam. Iesus autem sciens recessit inde, & secuti sunt eum multi, & curauit eos omnes, & præcepit eis ne manifestum illum facerent,nondum enim venerat hora eius. Et impletum est elogium Isaiæ de eius suauitate & humanitate: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo benè complacuit animæ meæ. Ponam Spiritum meum super eũ, & iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audiet aliquis in plateis vocem eius. Arundinem quassatam non confringet,& linum fumigans non extinguet, donec eijciat ad victoriam iudicium: & in nomine eius gentes sperabunt. Qui peccatori non porrigit manum,nec portat onus fratris sui; iste calamũ quassatum confringit: & qui modicam scintillam contemnit in paruulis; hic linũ extinguit fumigans. Quorum vtrumq; Christus non fecit: ad hoc enim venerat,vt saluum faceret quod perierat. Quis autem sit puer iste,exponit pater de cælo: Hic est filius meus dilectus,in quo mihi complacui, ipsum audite. Oriebantur autem hæc scandala in Iudæis ex parte Sabbathi ex duobus fontibus. Ex primo illo,quòd culicem colabant semper, camelum deglutiebant; parua horrebant, magna liberè patrabant; & vt dicitur, magis insistebant in forma, quàm in substantia, quod hypocritis & sycophantis solenne est. Magna res est hominem fame perire, atq; propter victum cultum Dei negligere; parua admodum, excutere die festo spicas: sic, quid leuius, quàm extendere manum in Sabbatho curandi morbi causa,quam isti ad opprimendum pauperem non semel extendebant? quid molestius, quid miserius, quàm mancum perpetuum esse? hæc tamen apud sycophantas parua,illa magna: culicem colant. Sancta quidem fuit Sabbathi sanctificatio, sed non ita superstitiosa, vt ne digitum quidem mouere, aut manum extendere licuerit. Neque in ministerio salutis humanæ existimandum Sabbathum posse violari; quod in extrahenda de fouea oue omnis cura non violat. Secundus fons mali est, quòd non finem legis diuinæ, sed verba attendebant; & ita, nõ quod cum fine pugnabat, sed quod cum litera, id peccatũ esse arbitrabantur, cùm ex mente legislatoris petenda sit legis interpretatio. Sabbathũ duplici fine institutum erat: primò,vt esset dies, qua Dei beneficia recolerentur, futuræ vitæ meditatio institueretur, Deus liberis animis & mẽtibus coleretur, & laudaretur: deinde, vt homo post sex dierum laborem reficeretur & quiesceret, (cupida enim rerum acquisitio quiescere nescit,) ne se exanimet,ne frangat,vt aliquando iucũdius viuat, sibiq; parcat. Cum his finibus neque spicarum collectio, neque manus extensio pugnabat quicquam, imò eos promouebat: illudque propius accusationi fuit, quòd ex alieno agro spicas vellebant. Nullum igitur delictum, nullum peccatum inerat, isti tamen vitam cùm sanguine poscunt. Vnde in alio Euangelista dicit, non hominem Sabbathi causa, sed hominis causa Sabbathum conditum esse: Sabbathi diem ad hominis vtilitatem factum. Qua autem causa Christus Dominus & dæmonijs & turbis prohibet diuina sua facta manifestare; ex eadem causa se de medio sustulit ac subtraxit;quia nondum venerat hora eius, nec œconomiæ diuinæ consumatio, doctrinæ item ac miraculorum maturitas.

Isaiæ 42.

Mar. 2.

3 NOtandum hoc loco primò; contingere sæpius,verè Apostolicos viros o-

peri diuino intentos esurire & sitire, quando & ipse dux Apostolorum esuriuit & sitiuit: Quod quàm iniquè comparatum sit, docet magnus Gregorius. Officio pietatis impellimur, inquit, monasteriis prouida consideratione ferre consultum; ne hi, qui in seruitio Dei deputati esse noscuntur, necessitatem aliquam quod auertat Dominus possint sustinere.

Lib. 12. Episto. 19.

SEcundò notandum est: Apostolos Apostolicosque viros rudibus nonnunquam cibis & escis contentos esse oportere, nec vllas delicias superfluas consectari. 4

TErtiò: ea quæ Domino Deo consecrantur, in vsus prophanos conuerti non licere, nisi summa & extrema necessitate; quomodo panibus propositionis nemini vti licuit, nisi sacerdotibus: quibus tamen tempore necessitatis Dauid vsus esse legitur. Vnde Deus zelotes vocatur, qui non libenter admittit aliquem in partem rerum sibi dicatarum, non in partem vnguenti sacerdotalis, non in partem thymiamatis templi. 5

QVartò, ordinem leuitarum ab ordine seculari distinctum semper fuisse, ac in eo semper aliquid sacri fuisse: neque statim, quod vni liceret, alteri licuisse: iuxta illud: Quæ à Deo sunt, ordinata sunt. Immò verò colligitur inde sacerdotalem ordinem digniorem fuisse etiam ordine prophetico: nam eum panem Dauidi prophetæ non licuit attingere, qui saceridotibus fuit vsu. 6

QVintò notandum, ad vsum panum propositionis casta vita opus fuisse: neque enim Dauid & pueris eius prius dantur, quàm cognitum fuisset, quod & ipse, & pueri eius à mulieribus mundi essent. Quantò magis ad panem & vinũ corporis & sanguinis Iesu Christi castum corpus adferre oportet? Si igitur Sacerdotes quotidie manducant & offerunt, quotidie casti sint oportet. Notandum: panes propositionis fuisse verissimam figuram corporis & sanguinis Domini: ideò vocabantur panes magni, panes oblationis Domini, oblatio fœderis sempiterni, sanctum sanctorum lucis perpetuæ. 7

NOtandum sextò: Deum in templo suo panes semper habere voluisse, ne aut per famem, aut per egestatem ministri templi à cultu eius auocarentur, negligentioresué fierent. Sustulit hos panes de templo magna ex parte hæresis, ideò omnia negligentius & rariùs fiunt. 8

NOtanda sunt septimò ex hoc loco duo euidentissima argumenta, quibus se Christus Dominus verum Deum esse confitetur: Primùm. Qui templo & sacerdotio omni maior est, hic verus Deus est: nam Deo templa & sacerdotia sunt instituta. Sed Christus Dominus palam profitetur templo & sacerdotio se maiorem esse, & sibi omnia magis seruire & obedire quàm templo: ergo Deus verus est. Quis enim hoc ex prophetis dixit: tẽplo hic maior est? Erat autẽ eius authoritatis apud Hebræos templũ, quod qui contra illud verbum dixisset, similis blasphemia esset, ac si cõtra ipsum Deum dixerit. Vnde illud: Nos audiuimus eum dicentem: Soluite templum hoc. Et ille sacerdotum & prophetarum ad prin- 9

ad principes contra Ieremiam clamor: Iudicium est mortis viro huic, quia dixerat: Sicut Silo erit domus hæc, & vrbs ista desolabitur. Secundum est illud diuinitatis argumentum. Quis est Dominus Sabbathi? Nonne Deus omnipotens, qui legem de Sabbato sanctificando dedit? At filius hominis est Dominus Sabbathi: ergo est Deus omnipotens. Quæ quidem interdum Saluator obumbrat propter obtusum affectum quærentium carpendi ansam; quandoque verò manifestat ob acutum visum modestiorum. Dòminus est, inquit, Sabbathi, qui incarnatus est, vtpotè effector ac legislator eius: itaque me Domino præsente ac tolerante, vos frustrà meos condemnastis. In euangelio autem iuxta Marcum longiorem inuenire est responsionem, vbi ait Christus: Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum, hoc est, Sabbathi otium ad hominis vtilitatem statutum est, & non è diuerso: aut etiam Sabbathum ipsum, cunctique dies illud præcedentes, ad hominis vtilitatem facti sunt. Non autem mirandum est, si quædam vnus Euangelista proponit, alius verò prætermittit. Dispartito enim, quasi spiritus sancti voluntate, opere, scribebant; vt quod vnus prætermiserat, alter suppleret.

Ierem. 26.

Marci 2.

10 NOtandum octauò, quòd locum Isaię, Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans nõ extinguet, ita explicat Hilarius: Sed istud intra certi temporis statuta præscribitur, donec eijciat victoriã ad iudiciũ: sublata scilicet mortis potestate, iudiciũ claritatis suę reditu introducat, in nomine eius per fidem gentibus credituris: donec ad finem & perfectionem deducat iustitiam suam, donec vincat cum iudicatur; siquidem victoriam nominat perfectionem, iudicium autem iustitiam, quousque suis ostendat iustificationes, quibus Iudæos condemnat, & eorum impudentiam amputat. Quid item sit, cùm emiserit in victoriam iudicium, exponit D. Chrysostomus. Cùm sua omnia impleuerit, inquit, videlicet, tunc vltionem consummabit, tunc grauia nimis duráque aderunt omnia, cùm ipse clarum trophæum statuerit, cùm iustificationes suæ victoriam nactæ fuerint, cùm deniq; nullam, etiamsi impudentissimi sint, responsionem sibi relictam viderint.

In Matthaũ can. 2.

11 NOtandum nonò, hoc loco canonem & regulam interpretationis scripturarum esse, charitatem Dei & amorem proximi, ea ratione; vt si quid cum charitate & misericordia erga proximũ conueniat; id etiam cum scriptura conueniat: si quid cum his pugnet; idem cum scriptura pugnet. Summa enim legis est charitas, quod nunc Christus Dominus demonstrat: Si, inquit, videre vultis, misericordiam volo non sacrificium: Sabbatha ipsa, ad charitatem & misericordiam referuntur. Si sciretis quid est, misericordiam volo? hoc est, si canonem & regulam charitatis & misericordiæ sequi voluissetis, facilis esset omnis scandali declinatio.

12 DEcimò notandum, apud hypocritas & sycophantas maiorem nonnunquam haberi rationem pecorum quàm hominum & proximorum, cùm homo homini res coniunctissima sit.

13 VNdecimò est notandum, verum doctorem ac ministrum Christi, nihil à prædicatione verbi, nihil ab operibus salutiferis deterrere debere; non scanda-

la, non maledicta, non conspirationes, non cædes denique ipsas. Quemadmodum principem prædicatorum nihil tale deterruit, quin potius maiorem causam fortius agendi opusque vrgendi dedit.

DVodecimò, ritus externos parum per se habere momenti, Deóque minus gratos esse, si ad suum finem non referuntur. 14

TErtiodecimò notandum, concionatores & ministros tales esse debere, qualis fuit dux & princeps eorum Christus Dominus, ne calamum quassatum confringant, néue linum fumigans extinguant: eò magis confessarios, præsertim erga eos, quos vident ex fragilitate potiùs quàm malicia peccare. 15

SERIES EVANGELII.

REddit beneficium pro maleficio dilectus puer: adducitur ad eum dæmoniacus, surdus & mutus; curat illum: pro quo gratiã reportat, á bonis bonã, à malis peruersam. A turbis quidem nullo prauo affectu infectis admirationem. Et stupebant turbæ omnes, & dicebant: Nunquid hic est filius Dauid? admirantes potiùs quám dubitantes. A Scribis & Pharisæis odio flagrantibus, calumnijs, blasphemijs, maledictis afficitur: qui cùm facta negare non possent, virtute quoque humana, ea non posse fieri cernerēt; opera Dei, ad Beelzebub principem dæmoniorum referunt, ipsi dæmoniaci. 16

TRia signa simul in vno homine perpetrata sunt: cœcus videt, mutus loquitur, possessus à dæmone liberatur. Quod & tunc quidē carnaliter factum est: sed & quotidie cōpletur in conuersione credentiũ; vt expulso primùm dæmone, primùm fidei lumen aspiciāt, deinde ad laudes Dei tacentia prius ora laxentur. 17

Beda in Lucã 11. Cap.

HOmo iste gentilem populum significabat, qui oblatus per prædicatores ad fidem Christi, cœcus fuit, quia viam veritatis ignorabat: mutus, quia os ad laudē Dei non aperuit: dæmoniacus, quia per idololatriam dæmonibus seruiebat. Huiusmodi ignorantiæ deditos adhuc quotidie Ecclesia piis precibus, doctrinis, & exemplis offerre Domino non cessat.

PHarisæis igitur, qui contemnentes hominem in corpore, Deum in operibus non intelligebant, opera Dei principi dæmoniorum deputantibus, non ad dicta, sed ad cogitata respondet; vt vel sic cogerentur concedere potentiæ eius, qui cordis videbat occulta. Hic, inquiunt, non eijcit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum; ac si dicerent magica, quæ cùm dæmonijs consensum habet, arte: sic enim ipsi magi, quos curiosa sectantes vocat in Actis Paulus, arbitrabantur. Putabant illi inter spiritus impuros sub vno capite ordinem quendam esse, ita vt inferiores superioribus, vel spontè, vel inuiti parerent, vni autem principi omnes; atque ita qui inferiores eijcere vellet, eum cum superioribus consensus habere oportere, cuius imperio isti obedirent. Quem sensum vtinam plerique ex Christianis etiam nunc tacitè non sequantur. Hoc igitur est, quod nunc falsò CHRISTO obijciunt, eum in Beelzebub, hoc est, in imperio & virtute principis dæmoniorum dæmonia inferiora eijcere. Quam totam insignem contumeliam, cuius & post mortem ipse Dominus meminit, Si me, inquit, Beelzebub vocauerunt, quantò magis vos? aliquot validis argumentis Christus refutat. Quorum illud primum est: Omnis res se- 18

res secum pugnans, & in se diuisa, natura & vi sua dissipatur. Probat hoc Dominus triplici inductione: regni, quod in se diuisum cadit, quo etsi nihil in terris est firmius, inquit D. Chrysostomus, facilè tamen destruitur seditione dissipatum: ciuitatis, similiter & domus: maximæ, minimę, & mediocris societatis. Si ergo dæmonia diuisa sunt contra se, inquit Hieronymus, & dæmon inimicus est dæmonijs; deberet iam mundi venisse consummatio, vt non haberent in eo locum aduersæ potestates, quarum inter se bellum pax hominum est.

19 SEcundo argumento illos confutat tali: Si filij vestri eijciunt dæmonia sine principe dæmoniorum in virtute Spiritus sancti; cur me in Beelzebub dicitis eijcere; & non potius agnoscitis in vos venisse regnum Dei vobis apportatum & manifestatum? Perpendis, inquit D. Chrysostomus, quàm mitis sermo sit? Filij, inquit, vestri. Vobis igitur hoc donum datum est, vobis beneficium oblatum quod blasphematis, contra quod pugnatis: Quòd si peruenit in vos regnum Dei, multæque aliæ eijciendorum dæmoniorum viæ, & media sunt quàm hoc, quod vos dicitis, consensus nimirum cum principe dæmoniorũ; cur eadem de re non similiter pronunciatis; sed prout affecti estis erga personas? In me quidem illa damnatis, quæ in vestris laudi ducitis, & ideò non longè petenda erit vestra condemnatio, cùm eadem quæ in me damnatis, in filijs probatis: domi igitur habebitis, quod ad vos damnandos sufficiet. Filios autem illorum duobus modis intelligunt veteres: Primò, de ipsis Apostolis, deinde de illorum exorcistis, qui à Salomone artem & formulam acceperunt eijciendorum dæmoniorum, in virtute spiritus sancti, qua illos vsque ad Titi & Vespasiani tempora vsos esse testatur Iosephus, & de quibus in Actis Apostolorum. Tentauerunt quidam, & de circumeuntibus Iudæis exorcistis, inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini IESV. Si locus de Apostolis intelligendus est, tum hic erit sensus, quem notat Chrysostomus. Si ego, inquit, in Beelzebub eijcio, Apostoli ac discipuli mei in quo eijciunt? Ac si dicat: Si ego ea ratione dæmonia expello qua suspicamini; multò magis illi, qui à me potestatem eijciendi acceperunt: de quibus cùm nihil tale vnquam suspicati sitis; quomodo mihi, à quo illi hanc gratiam acceperunt, molesti estis, nihil tale in ipsos conferentes? Qua de re non euadetis supplicium, sed cruciatu maiori torquebimini. Ipsi erunt iudices vestri: quia sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël. Si autem de exorcistis; coarctat eos interrogatione prudenti, vt confiteantur spiritus sancti esse opus, hoc modo, & eo sensu. Si expulsio dæmonum, inquit, in filijs vestris Deo, non dæmonibus attribuitur; quare in me idem opus non eandem habeat causam? ergo ipsi iudices vestri erunt, non potestate, sed comparatione, dum illi expulsionem dæmonum Deo assignant, vos Beelzebub principi dæmoniorum. Si ergo in spiritu Dei eijcio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei. Regnum Dei eo loco D. Chrysostomus Christi aduentum interpretatur, eamq; verborum Domini contexit sententiam. Cùm gaudere & exultare debeatis, quoniam ingentia & ineffabilia illa, quæ prophetæ cecinerunt, largiturus vobis veni: beatitudinisque vestræ iam tempus adest: vos contrà facitis, non solùm hæc bona repellentes, verùmetiam calumniantes, & falsas aduersum me causas confingentes. Hieronymus autem sentit vocari hoc loco regnum Dei, vel aditum regni cælestis patefactum ad salutem, vel ecclesiam, vel sacram scripturam: iuxta il-

Actor. 19.

lud: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius: vel ipsummet Saluatorem, Regnũ Dei intra vos est, & medius stat inter vos, quem vos nescitis: vel certè regnum illud, quod & Ioannes & ipse Dominus prædicauerant, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Qua ex re illud, authore D. Chrysostomo, monstrat, Dæmones eijcere maximæ potentiæ esse, & gratiæ minimè vulgaris.

TErtium argumentum est: ea potiùs se causa venisse, vt vincat, debellet, ac eijciat diabolum; quàm vt cum illo consensum & societatem habere debeat, qui sua ita arctè tenet, vt ea nulla ratione sibi nisi vi eripi patiatur. Quomodo, inquit, quis potest intrare in domum fortis, & vasa eius diripere; nisi prius alligauerit fortem, & tunc domũ illius diripiat? Fortis est aduersarius noster, naturalibus dotibus, fortis culpa nostra, fortis longo vsu, fortis libera & expedita via, fortis nostri odio, fortis nostra ignauia: iuxta illud Iob: Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret: fortis est quantum ad nostram infirmitatem, non quantum ad suam virtutem. Deinde fortis est, non vt nos terreat; sed vt magis nos faciat sollicitos: nec enim hostẽ debent timere fortem, qui habent principem fortiorem: sed vt vigilemus & laboremus, vt ne in fiducia principis fortioris contemnamus aduersarium fortem. Nam si contendimus contra eum, manifestum est, quia fortiores illo sumus: si autem negligimus, ille fortior inuenitur. Nam quamùis sit infirmus, tamen fortior est homine negligenti. Fortem enim diabolum, nostra negligentia facit, non illius potentia. Vide deinde, quomodo sapienter, postquam dixit fortem, postea ostendit ligatum; vt si te audita fortitudo terruerit, ligatio eius nunciata confortet. Continetur & hoc argumentum in illo priori. Potentior non facit in virtute impotentioris. Atqui ego sum potentior: ergo nihil est necesse vt faciam aliquid in virtute impotentioris, adeò; vt non modò, inquit D. Chrysostomus, socio atque coadiutore Diabolo non vtar; sed etiam bellum mihi cum eo perpetuum sit, & victum vinciam atque spoliem. cuius rei certum illud vestigium est, quòd vasa eius direpta videtis. Cuius vasa direpta, etiã per eos, de quibus dictum est, Cõstitues eos principes super omnem terrã, videmus. Non enim solùm dæmones vasa diaboli sunt, sed vniuersi certè homines, qui malè viuendo illi adhærent. Quare non dæmonia solùm eijci ab armato confirmat; verùmetiam totius orbis tenebras eum illuminaturum, & seducentes dæmonum artes destructurum prædicit. Non dixit rapiet, sed diripiet; vt cum potestate fieri hæc ab ipso significaret.

Author operis Imperfecti in Matth. Homil. 129.

QVarta ratio, Inter res pugnantes, consensus & amicitia esse nulla potest. sed Deus & Beelzebub, res pugnantes sunt: ergo nulla amicitia, nullus consensus inter hos esse potest: cùm Christus saluare, prodesse, congregare velit; Beelzebub perdere, nocere, ac dispergere cupiat: Qui, inquit, non est mecum, hic contra me est: qui idem, quod ego, non spectat, contra me est, & non mecum sentit: & qui non congregat mecum, spargit, hoc est diuersum finem habet. Qui eadem cum dæmonio sentiunt, spargunt. Quo loco D. Chrysostomus ita Christum Dominum inducit ratiocinantem: Quid enim quæro, aut quid volo, inquit? Vniuersos ad Deum reducere, vera ipsis virtutum tradere documenta, regnum cælorum cunctis annunciare. Quid autem Diabolus atq; dæmones

mones

mones quærunt? Quippè omnia quæ eis opposita sunt. Quomodo igitur, qui mecum non colligit, neque mecum omninò est, sua me operatione iuuat? Sed quid iuuare dico? qui etiam spargere, atque dissipare mea desiderat? Qui igitur non solùm mecum non colligit, verùmetiam cuncta mea dispergit; quomodò adeò mihi assentiret, vt mecum vellet dæmonia eijcere? Notat etiam hoc loco Christus Dominus, Iudæos dæmoniacos esse, & consensum dęmonum habere, quia dispergunt. Pulchrè hunc locum exponit D. Hieron: Non putet hoc quisquam de hæreticis dictũ & schismaticis (quanquam & ita ex superfluo possit intelligi) sed ex consequentibus textuque sermonis ad diabolum refertur, eò quòd non possint opera Saluatoris Beelzebub operibus comparari. Ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare: ille prædicat idola, hic vnius Dei notitiam: ille trahit ad vitia, hic ad virtutes reuocat. Quando ergo possunt habere inter se concordiam, quorum opera diuersa sunt? Notandum autem, vinctum vocari diabolum, quia non lædit nisi volentem: perq; eius domum, significari mundum: per vasa, corda prauorum hominum, quæ illius sunt non natura, sed vsurpatione. Propterea ipsum quidem ligauit, vasa autem eius & diripuit, & dimisit ea in domo eius. Diripuit quidem, ex eo quòd traxit ea ad notitiam veritatis; dimisit autem ea in mundo, quia sub seductione mundi istius esse nos voluit.

22 CVm igitur ex his argumentis euidentissimè probasset, in Spiritu Dei se eijcere dæmonia: ostendit, quàm graui se obligant peccato Scribæ & Pharisæi; qui opera Spiritus sancti diabolo tribuere non verebantur, tali scilicet, quale nunquam dimittendum sit. Ideò dico vobis, inquit, omne peccatum & blasphemia dimittetur, Spiritus autem blasphemia non dimittetur. Quare sic? quoniam cùm Spiritus sanctus iam vobis notus esse debeat, rem claram atque manifestam impudenter oppugnatis. Nam si me ignoratis, ignorare tamen nō potestis expulsionem dæmonum, curationesque hominum, mirificas Spiritus sancti esse operationes. Non ergo mihi, sed Spiritui sancto contumelias exaggerare conamini. Quapropter nisi pœnitentiam agatis, nec in præsenti vita, nec in futura punitionem effugietis: Quibus autem minatur? illis, qui immutabiliter in peccato remanent. Manifestum est enim, illos qui resipiscunt, & hîc & ibi remissum iri. Multi enim qui tunc deliquerunt, cùm postmodum credidissent, veniam omninò sunt adepti.

23 AMplius illos quinto vrget argumento, non posse malæ arboris esse bonos fructus, neque bonæ malos. Si igitur diabolus est malus, non potest fructus bonos dare, ac obsessos & laborantes liberare: neq; item isti fructus qui fiunt, possunt à mala arbore proficisci. Aut, inquit, facite arborem bonam, & tum eius fructus erunt boni. Non possunt contradictoria esse simul: si ego fructus bonos facio, quomodo malus esse possum? Si me dicitis arborem esse bonam; & miracula mea, quæ sunt fructus, erunt bona: & si iterum me arborem putridam esse dicitis; & fructus erit putridus, hoc est miracula: si miracula, quę sunt fructus, bona; & arbor bona, ex qua fructus boni. Contrariorum enim contraria sunt consequentia. Quæ & D. Chrysostomus eadem propè ratione colligit. Si opera mea reprehendere vultis, nihil prohibeo, dummodò constanter, nec inconsequenter id faciatis. Arbor enim à fructu, non autem fructus ab ar-

bore cognoſcitur. Vos autem contrarium facitis: Nam etiã ſi arbor fructus ſui cauſa ſit, fructus tamen arboris qualitatem declarat. Ecce cùm deprauatæ arbores ſitis, bonum fructum producere non poteſtis. Vnde dehortatur Phariſæos ab hypocriſi, & ad ſimplicitatẽ monet; vt vel mali, vel boni ſint, ne hominibus ac ſibijpſis imponant. Cumque ſe oſtendiſſet dæmonio carere, nunc inuicem demonſtrat eos à dæmone agi & regi. Vocat hoc argumentum D. Hieronymus ἄφυκτον, hoc eſt, ineuitabile, quo interrogatus huc illuc concluditur, & vtrinque comprimitur: Si diabolus malus eſt; bona opera facere non poteſt: ſi autem bona ſunt, quę facta cernitis; certè à diabolo profecta eſſe nõ poſſunt. Ex eodemq; principio, miſſo diabolo, argumentatur contra ipſos: indéq; colligit Chriſtus eos intus improbos & ſceleratos eſſe; quia oratio eorum, quę fructus eſt, improba, blaſphema, calumnioſa: & viceuerſa, ideò orationem eorum eſſe putridam & maledicam; quia ipſi intus improbi & maledici; ideóque illos blaſphemiis ſcatere, quia improbi ſunt. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Eodem epitheto eos inſignit, quo aliquandò D. Ioannes eos inſigniuit. Ex abundantia cordis os loquitur, cor radix eſt, os eſt ramus. Qualis igitur radix, tales rami, tales fructus. Quod idem theſauri nomine deſignat: Bonus homo, de bono theſauro profert bona; & malus, de malo mala. Grauiſsimè igitur pro blaſphemiæ calumnia & mendacio comminatur ſumpto à minori argumento: Si, inquit, pro ocioſo verbo reddenda eſt ratio: quali ratione vos obnoxij eritis pro tot calumnijs, mendacijs, & blaſphemijs, & contumelijs; qui me hominem innocentem, ac de vobis optimè meritum calumniamini? Si ocioſum verbum, quod nequaquam ædificat audientes, non eſt abſque periculo eius qui loquitur: & in die iudicij redditurus eſt vnuſquiſque rationem ſermonum ſuorum; quantò magis vos, qui opera Spiritus ſancti calumniamini, & dicitis me in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia, reddituri eſtis rationem calumniæ veſtræ? Vt autem illa ſuperiora, quæ de diabolo dicebantur, ad Iudæos referri poterant, ipſique illis notabantur; ita hæc inferiora, quæ de Iudæis dicuntur, ad diabolũ referri poſſunt, cuius filij & imitatores effecti erant.

24 NOtandum autem eſt hoc loco primùm, quemadmodũ diabolus ex permiſsione Dei aliquando poteſt obſerare animæ ſenſus, oculos, inquam, aures, atque linguam; ita etiam fores fidei, mentis, inquam, oculum, & aures poſſe obſcurare, ne videant lumen Euangelij Dei; vt ambulent, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quod alicubi Paulus dixit. Et hoc loco vtrumque videmus: corporaliter in dæmoniacis, ſpiritualiter in Phariſæis: nunc autem ad ſenſum in hæreticis cernimus.

25 NOtandum ſecundò de ſubiectione dæmonum, quam ſuis principibus præbent, Collationis 8. cap. 16. apud Caſsianum, & apud Gregorium libr. 3. Dialog. cap. 7. de Andrea, Fundanæ ciuitatis Epiſcopo.

26 NOtandum tertiò, multos eſſe, qui oderunt atque reprehendunt argumenta, ratione conſequentiaque artis concluſa: quod quàm peruersè faciant, docet hoc loco exemplo ſuo Chriſtus, qui continuè ſex argumenta propemodum ratione logica concluſit.

Notan-

27 NOtandum quartò, miracula ac doctrinam Christi vnam & eandem, pro varijs ingenijs & affectibus hominum, alio & alio modo accipi. Nam ad hoc quidem miraculum, quo dæmoniacum absoluit dæmonio, stupent turbæ & mirantur, Pharisæi blaphemant ac maledicunt. Non id in agricola aut semine, sed in agro & solo vtrunque est.

28 NOtandum quintò, omnibus Regnis rebúsquepub. vehementer timendum esse hoc immutabile decretum Iesu Christi, tanta inductione communitum: Omne regnum in se diuisum dissoluetur: cùm ipsa corruptio nihil aliud sit, quàm quædam rei diuisio ac dissolutio; etiam si non ab hominibus solùm, sed à tam callidis & fortibus principibus & rectoribus, quales sunt dęmones, ac ab ipso improbo Beelzebub teneantur, & regantur. Probauit hoc decretum respub: Romana, probauit imperium Bizantinum, probauit Hungaria, probat nunc Gallia. In omni quidem diuisione, maximè tamen, si diuisæ sint in ea re, quæ prima & summa est, & in qua maximus nexus est rerumpub. Religione, quæ à religando dicitur: Quid si infinitæ sint diuisiones? quid si sectæ quas in certa genera referre non posis, etiã si sis optimus logicus? Atq; hæc est diuisio in hac nostra Polonia religionis, factionũ, affectationis regni, &c. Si hanc formulam rerumpub. vel felicitatis, vel miserię posuisset Plato, aut Aristoteles; metuendũ esset: cùm autem hoc decretum ipsius sit veritatis, ex cuius dictis cælum & terra pendet, faciliusq; cælum & terra mutatur, quàm vnũ iota ex verbis eius pereat, quomodo non contremiscendum? Non dicit autem quomodo peribit, sed simpliciter, etiamsi nulla vis externa adsit, nullus hostis, ipsa per se desolabitur, & domus ipsa ruet, vtpotè nullo fulciente, nullo sarciente. idque ex omni causa, omni doctrina, omnique humana experientia. Cælesti primùm, sic enim docet cælestis doctrina: Vbi amor & charitas, ibi Deus; & contrà, vbi odium & rancor, ibi perditio est: & vt in eo loco, vbi fratres habitant in vnum, mandauit Dominus manere benedictiones; sic contrà, vbi non est amor & charitas, ibi Deus demit benedictiones. Est hoc vnguentum Dei suauissimum, sicut vnguentum, quod descendit in barbam barbam Aaron: est hic ros fœcundissimus, qui descendit in montem Sion. Idem patet ex causa Metaphysica, tamdiu enim vnaquaque res esse dicitur; quàmdiu vna est: & ens & vnum conuertuntur. Idem ex naturali causa patet, tamdiu corpus sanum, quàmdiu concors manet humorum harmonia. Hoc idem in Mathematica docetur, in qua tamdiu vnus & idem circulus manet; dum vnum centrum ad quod lineæ concurrunt, conseruatur, quo sublato perit: Nam de morali scientia, quid attinet dicere? dixerunt omnes. De experientia paulò antè diximus. Eleuat hoc argumentum contra ipsum sensum reique experientiam, conscius sibi huius Tragœdiæ Caluinus: calumniam sibi obiectam primũ CHRISTVM Dominum sola prouerbiali refutare sententia; viderique parum solidam esse refutationem: vulgò tamen receptis prouerbijs vsum esse Christum; vt tantum essent probabiles coniecturæ, non autem solidè probarent. Hæc quidem est blasphemia in Christum. Simile est illud eiusdem posteà: Etiam Papistæ, ne sua conditio inferior esset, Iudæos æmulati sunt in creandis exorcistis, atq; hoc modo simiarum simiæ fuerunt. Quid est impudentem esse, quid est omnem ordinem perturbare, quid antiquitatem negare; quàm talia effutire? quasi verò Dominus voluerit suos omni virtute destituere? quod & ipse paulò pòst vi veritatis

ritatis coactus, quasi sui oblitus, fatetur. Noluit tamen, inquit, Dominus sua virtute eos penitus destitui, vt in genere sacerdotium & templi cultum aliquo testimonio ornaret. Nam ad rem magnopere pertinuit, à gentium superstitionibus claris notis discerni.

NOtandum sextò, Christum Dominum facilè omnes iniurias pertulisse, quæ ad eius humanitatem referebantur, & tanquam ouem coram tondente os non aperuisse: at vbi aliquid fiebat vel dicebatur, quod in potentiam patris sui, aut opera Spiritus sancti, suamque diuinitatem referebatur; semper id grauissimè reputasse ac tulisse: vt & nos idem facere discamus, plus pro honore Dei, quàm nostro decertare. Discant autem Ariani, quo quantóq; peccato se obligent, qui temerè & impudenter diuinitatem eius impugnare non erubescunt; pro qua ille mortalis adhuc, & in forma serui tantopere certauit, eiusque vindex extitit. Quod ne ipsi dicere videamur, magnum illum Hilarium testem appellemus. Cùm cætera dicta gestaque liberali venia relaxentur; caret misericordia, si Deus negetur in Christo: & in quo sine venia peccatur, beneuolentiam iteratæ admonitionis impendit. Omninò peccata cuiusque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum sanctum non remittendam. Quid enim tam extra veniam est, quàm in Christo negare, quòd Deus sit, & consistentem in eo paterni Spiritus substantiam adimere? cùm in Spiritu Dei omne opus consumat, & ipse sit regnum cælorum, & in eo Deus sit mundum reconcilians sibi? Ergo quidquid contumeliæ extiterit in Christo, id omne extabit in Deo: quia in Christo Deus, & Christus in Deo. 29

NOtandum septimò, hinc colligi blasphemiam in Spiritum sanctum esse eam, vbi quis ea quæ sunt Spiritus sancti opera, vel diabolo tribuit, vel inuentis humanis: & vbi quod reprehendi naturâ non potest, tamen ad malam causam refertur: vbi agnita veritas oppugnatur: vbi bonum malum, & malum bonum dicitur. In quo peccato omnes hærent hæretici, qui ea, quæ in Ecclesia à Spiritu sancto tradita sunt, vel diabolo, vel hominibus tribuere non erubescunt, & inde difficilè curantur, difficilè ad pœnitentiam pertrahuntur. In eadem blasphemia est Caluinus, cùm dicit: Ita exorcismi in Papatu nihil aliud sunt, quàm vmbratiles & fictitij satanæ contra seipsum conflictus. 30

NOtandum octauò: quòd D. Mattheus habet: Si in digito Dei eijcio dæmonia. Digitus autem Dei est, quem confessi sunt aliquando malefici & arioli, qui contra Moysen & Aaron apud Pharaonem signa faciebant, dicentes: Digitus Dei est hic, & quo in tabulis lapideis scriptam fuisse legem, scriptura testatur. Si igitur manus & brachium Dei filius est, & digitus eius Spiritus sanctus: Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est substantia. Non te scandalizet membrorum inæqualitas, cùm ædificet vnitas corporis, inquit D. Hieronymus. 31

NOtat nonò D. Hieronymus, non debere nos esse securos: aduersarius noster fortis, victoris quoq; vocibus comprobatur. Domus illius mundus, qui in maligno positus est, non creatoris dignitate, sed delinquentis magnitudine: vasa eius nos quondam fuimus. Alligatus est fortis & religatus in tartarum, & Domini contritus pede: & direptis sedibus tyranni, captiua ducta est captiui- 32

tas. Per secundum hominem alligauit fortem, & diripuit eius vasa, & euacuauit mortem, viuificans eum hominem, qui fuerat mortificatus. Primum enim possessionis eius vas Adam factus est, quem & tenebat sub sua potestate, hoc est, præuaricationem inique inferens ei; & per occasionem immortalitatis mortificationem faciens in eum. Etenim promittens eos futuros tanquam Deos, quod ei non est omninò possibile, mortem fecit in eis: vnde & iustè à Deo recaptiuatus, qui hominem captiuum duxerat; solutus est autem condemnationis vinculis, qui captiuus fuerat homo.

33 NOtat hoc loco decimò D. Hieronymus, quod sit otiosum verbũ, nimirũ quod sine vtilitate & loquentis & audientis dicitur; si omissis seriis de rebus friuolis loquamur, & fabulas narremus antiquas. Cæterùm, qui scurrilia replicat, & cachinis ora dissoluit, & aliquid profert turpitudinis: hic non otiosi, sed criminosi tenebitur reus. Et D. Chrysostomus: Otiosum est verbũ, inquit, quod rei propositæ non conuenit, nihilque confert vtilitatis, quod mendacio inquinat, quod ad calumniam dicitur. Quidam autem otiosa etiam asserunt verba, quæ vana sunt: vt quæ profusum mouẽt risum, aut turpia, impudica, illiberalia.

34 NOtandum vndecimò: ideò Deum permittere corporaliter obsideri homines à dæmone, vt sit forma & species eius obsessionis, quę est in anima. Quos igitur occupat dæmonium, eos aliquando efficit cœcos, vt neque præterita, neque præsentia meminisse valeant: idem dæmonium efficit eos surdos, ne concionatores, aut confessarios, aliosque spirituales viros se obiurgantes audiant, illisque obediant, efficit demùm mutos, ne Deum laudent, ne proximum tueantur aut ædificent, ne pro officio & debito suo vera loquantur, cùm in alijs partibus vitæ eos faciat loquacissimos. Obsidet hoc genus dæmoniorum eos, qui se nimis politicos esse censent, qui tacent, vbi vel maximè loqui oportet: vel perplexè loquuntur, vt non intelligantur, vt magis imponant, & dæmonium est, vnde ille dæmon Pythius λοξίος dicebatur, quasi obliquus, qui nihil directè loquebatur: Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

35 NOtat hoc loco contra Arianos Ambrosius. si omne regnum in se diuisum desolatur: ergo patris & filij & spiritus sancti regnum non est diuisum. Desistant igitur Ariani aliquam diuisionem aut distinctionem, præter eam, quæ personæ est, in patre & filio & spiritu sancto facere: desinant vllos minoritatis, aut maioritatis terminos ponere: desinant minorem patre filium, & filio spiritum sanctum nominare; quorum regnum sempiternum & indiuisum est, imperium vnum, maiestas vna.

36 NOtent duodecimò hoc loco reges & principes Christiani, notẽt respub. sæpè se dæmonibus deteriores esse: quòd dæmones, etsi eos nulla res præter id quòd dæmones sunt, nobisque inuideant, coniungere possit, conseruandi tamen regni sui causa mutuam pacem colant, secum conueniant, sibi mutuam opem ferant; reges autem & principes Christiani decies perire malint, quàm secum contra gentiles, hæreticos, & alios nominis Christiani hostes conuenire; quos natura, quos religio, quos lex, quos mutuæ necessitudines, quos communis calamitas, & interitus secum cõiungere non possunt. Quàm angustis limiti-

mitibus contineantur vident: quis & quid, & vnde illis impendeat cernunt: quid posint, quibus ipsi viribus præditi sint animaduertunt: amici tamen esse non possunt. Qui regis Israël intende.

NOtandum & illud est, diabolum summa diligentia, viribus omnibus & artibus se suaq; tueri, multis argumentis ac præsidiis ad regnum suum constituendum, ac quàm diutissimè conseruandum vti: nos autem securos, aut negligentes planè spontè in fauces eius incidere. 37

NOtandum quartodecimò, inter Deum ac diabolum medium non esse. Qui mecum non est, contra me est. Atque hoc medium quamuis multis commune est, aulæ tamen quasi peculiare esse videtur; hic medij Christiani, medij Catholici. Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Ingentis periculi est, inquit Hilarius, malè de eo opinari, cum quo non esse, idipsum est, quod contra esse. Sed audiant & Christiani regulam, qui putant hæreticos Christianos esse, quia sic credunt quomodo nos: tamen quia non sunt nobiscum, aduersus nos sunt: & quia non congregant nobiscum, spargunt. Si ergo quia non sunt nobiscum, aduersum nos sunt: & quia non congregant nobiscũ, spargere videntur: quantò magis qui & voluntate, & verbis & actibus contra nos sunt, non sunt nobiscum? & qui manifestè spargunt, non videntur congregare nobiscum? 38

NOtandum quintodecimò, Catholicos à Caluino derideri, quòd hinc colligant peccata quædam, post mortẽ dimitti, eò quòd dictum sit, neq; in hoc, neq; in futuro seculo dimittetur, & inde Purgatorium colligant: cùm hîc Christus de culpa loquatur, nõ de pœna, & sic ex glacie flammã purgatorij excitare. Sed cur non de vtroq; hoc loco Christus dicit, & culpa & pœna, nullum adfert argumentum; nouus vbi non opus est scholasticus, culpæ & pœnæ, quæ sæpè ridet, nunc assertor. 39

NOtandum sextodecimò & illud est: iustificationis nomen non ad solam fidem referri, sed ad omnia dicta & facta iusto homine digna: Iustificaberis ex verbis tuis, siue propriè, siue impropriè. Quę res momordit Caluinum, cuius illa fraus est, vt si quid pro illo dici videtur, id propriè dici; si quid contra illum, illud impropriè dici doceat. 40

NOtat decimoseptimò & vltimo hoc loco D. Chrysostomus. Cùm hominem audias turpiter loquentem, noli, inquit, tantam solummodo putare in animo ipsius prauitatem esse sitam, quantã impudenter nimium os suis verbis suspicari manifestauit: sed multò maiorem fontem esse conijce. Quod enim extra profertur, ex illo profluit, eiusque superfluum est, quod intus est. Ex abundantia, inquit, cordis, os loquitur. 41

SERIES EVANGELII

EX calumnijs blasphemijsque deiecti, signa quærunt, quod Iudæorum fuit proprium, videre volunt: quasi maiora videre possent his quæ viderent; aut quasi eadem ad potestatem Beelzebub non referrent, ad quem nunc retulerunt alia. Annotauit hoc D. Paulus, quod quemadmodum gentiles argumenta & 42

ta & rationes, ita Iudæi signa in omnibus quærunt. Eutymius dicit. Cùm admirari ac succumbere oportet, tunc rursum impudenter loquuntur: & quem paulò antè dæmoniacum temerario ausu dicebant, nunc adulatoriè magistrum vocant; & post tot miracula signum videre quærunt, non vt credant, sed vt eum opprimant. Magister, inquiunt, volumus à te signum videre de cælo: vel, inquit Hieronymus, in morem Eliæ ignem de sublimi venire cupiebant: vel in similitudinem Samuelis tempore æstiuo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere, quasi nõ possent & illa calumniari, & dicere ex occultis & varijs aëris passionibus accidisse. Nã qui calumniaris ea, quę oculis vides, manu tenes, vtilitate sentis: quid facturus es de his, quæ de cælo venerint? vtique respondebis, & magos in Ægypto signa magna fecisse de cælo. Magister, inquiũt, volumus à te signũ videre: vt scias quòd volumus à te discere veritatem; ecce etiam te Magistrum appellamus. Sed malitia, inquit author Operis Imperfecti, sapere nescit. dum volunt malitiam suam abscondere, magis eam manifestant. Nam cùm multa signa vidissent, tanquam si nullum vidissent, ita signum petebant. Verè enim nullum viderunt, quia corporali aspectu viderunt, non spirituali affectu. Nam mens sine oculis videt aliquando, oculi autem sine mente nunquam vident. Similis est natura infidelitatis terræ arenosæ, quæ quamùis pluuiam susceperit; tamen quia nullos in se tenet humores, semper adhuc aret. Talis est conditio febrium: Quantumùis biberint febricitantes, calore, totum consumente quod biberint, semper adhuc sitiunt. Sic & maligni homines, quidquid boni viderint aut audierint, infidelitate totum consumente quod vident & audiunt; semper vacui sunt, tanquam qui nihil viderint, aut audierint. Ecce si quis exponat tibi res quas non libenter audis, si tota die audieris, nihil eorum retines, quæ audisti: aut ambulans in via, si mens tua aliquo cogitatu fuerit occupata, quamùis omnes videas transeuntes, tamen neminem vides: sic & Iudæi frequenter signa videntes, adhuc signum petebant, quia hoc videbant, quod videre nolebant. Nam sicut semper discere, signum est nihil posse proficere; sic signa semper petere, testimonium est nunquam velle credere. Cùm itaq; illi contumeliosi essent, patienter eos ferebat: dum autem adularentur, asperè respondit, vtpotè, qui neq; animi vehementia vinceretur, neq; adulatione mollesceret. Hos verò à progenitorum carpit prauitate, tanquam dignam illis sobolem. Continet autem Christi responsio obiurgationem, Generatio praua: & negationem, Non dabitur illi signum nisi Ionæ. Cùm enim Christus Dominus ex ficto & maligno animo ea proficisci videt, eos increpat: Generatio, inquit, mala & adultera, quę dereliquit Dominum Deum suum, quæ sub omni arbore frondosa prosternitur. Adultera est & spuria, quæ à sanctis patribus maioribusque suis degenerauit, nihilq; simile in se habeat. Generationem malam nuncupauit, inquit D. Chrysostomus, tum, quia semper ingrati benefactoribus extiterunt: tum quia susceptis beneficijs, quod extremæ viciositatis est, ad malignitatem incitantur. Adulteram autem appellauit tàm priorem quàm pręsentem ipsorum infidelitatem designans: quia derelicto Deo vero, diuersarum gentium idolis seruiebant. Sed quomodo vocat signum Ionæ? quia illa absorptio illius à pisce, erat futura cõfirmatio eius prædicationis in Niniue. Ille Deus qui potens fuit me ex ventre piscis eripere, ille idem potens est vos omnes perdere. Quod idem quodãmodo in Christo intelligere est, cuius resurrectio signum & testimonium eius doctrinæ pro-

Hom. 30. in Matth.

priè esse debuit. Si mortem Christus viribus suis vicit, vera est eius doctrina. Erat igitur signum Ionæ, signum perpetuum Iudæorum interitus tàm in animo, quàm in corpore. Signum, inquit, quærit, & non dabitur illi, nisi illud quod minimè velint videre, cùm eũ quem nunc oderunt & persequuntur, gloriosissimum mortis & inferni victorem videbunt. Et hic quidem comminationibus occultius id tangit, vt quasi dicere videatur: Mille vobis beneficia contuli, & nihil horum vos mihi conciliauit; neque fecit, vt omnipotentiam meam velitis cognoscere: sed cognoscetis tunc à contrarijs, quando vrbem vestram prostratam videbitis, quando mœnia eius deiecta, quando templum subuersum, quando libertate priscaque viuendi disciplina priuati, errantes ac profugi per vniuersum orbem dispergemini. Hæc igitur omnia, quæ post passionem meam euenient, in signum vobis maximum erunt. Sicut enim Ionas in ventre Ceti fuit tribus diebus & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ: vbi synecdochicè totum intelligitur ex parte: non quòd totos tres dies & noctes tres, in inferno Dominus fuerit; sed quòd in parte Parasceues & Dominicæ, & tota die Sabbathi, tres dies & totidem noctes intelliguntur. Non dantur autem illis signa, cùm antea dabantur, etiam non petentibus, imò etiam resistentibus, vt Achabo: vel quòd non ad firmandam fidem, sed ad illum tentandum ea postulata composita erant: vel propter eorum infidelitatem, qui maximus est miraculorum obex, teste Chrysostomo: vel quia iam facta fuerant signa sufficientia, cùm diabolo ad credendum vnum sufficiat: vel quòd falso & mendaci animo illud post tot signa exposcebant: vel quòd longè maiora post resurrectionem viderunt, nec tamen crediderunt; & quòd hæc ipsa plus illis damnationis, quàm vtilitatis essent allatura, dum illis fidem non adhibituri essent, & quòd iam impleuerat ea, quæ Messias facere debuit; nec erant digni propter ingratitudinem, quam duobus exemplis docet: Viri, inquit, Niniuitæ, surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, non sententiæ potestate, sed cõparationis exemplo: quia illi ad simplicis serui prophetę prædicationem sine signis publicam pœnitentiam egerunt; isti Dominum prophetarum contempserunt. Ionas à Ceto exilijt, ego à morte resurgam. Subuersionem ille vrbi futuram prædicauit: ego regni cælorum euangelia vobis enuncio. Et Niniuitæ quidem absque signo aliquo crediderunt, cùm vos multa miraculorum signa videatis: nec quidquam ante Ionæ verba illi audierunt, cùm vos per diuersa genera philosophiæ ego educarim. Præterea, Ionas quasi minister ad Niniuitas accessit, ego autem ad vos Dominus atque creator deueni, nihil intentans, nullas viuendi rationes exigens, sed peccatorum condemnationem adferens. Accedit, quòd illi quidem essent barbari, vos autem inter prophetas innumeros educati: tum quòd de Iona nemo illis prædixit, cùm de me plurimi prædixerint, & opera prædicationi consonare perspiciatis. Ionam etiam ne derideretur fugisse non ignoratis; cùm ego & crucis patibulum subiturus, & omnes illusiones vestras laturus vltrò aduenerim. Itaque cùm ille nullum pro Niniuitis opprobrium tulerit, ego vel mortis acerbitatem libenter sufferam. Et ille aduena quidem atque peregrinus erat, & hominibus illis omnino ignotus: ego verò vobis coniunctus secundùm carnem, ab eisdẽ sum oriundus progenitoribus; attamen tot, tantaq; faciens signa & prodigia Beelzebub calumniam sustineo. Plus est ergo quàm Ionas hic, id est, in præsentiarum inter vos. Eodem modo Reginam Austri surrecturam in iudicio cùm ingrato populo do-

lo docet; quæ venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, iſti præſentem, & vltrò ſe inferentem contempſerunt. Quis autem hic eſt? maior prophetis, maior Ioanne, maior Salomone. Regina inquit Saba per tantas difficultates, gente ſua & imperio derelictis, venit in Iudæam audire ſapientiam Salomonis, & ei multa munera detulit: mulier infirma, vt de arboribus, plantis, ac aliis rebus naturæ audiret, tantum iter ad Salomonem ſuſcepit: vos autem me, qui ad vos veni, cæleſtia narrantem non auditis. Siue illa ex Æthyopia aduenit, vt Ioſephus putat, ſiue ex felici Arabia, vt alij.

43 DE ſigno Ionæ Iuſtinus 64. quæſtione. Si quemadmodum fuit Ionas in ventre Ceti tres dies, ita & Chriſtus in corde terræ. nonné Domini mors opinione fuit? Ionas enim cùm non eſſet mortuus, putatus eſt mortuus. Sin Dominus mortem verè paſſus eſt, nonné falſum eſt exemplum Ionæ? Reſponſio. Non mortem cum morte comparauit, ſed triduanam in ſepulchro manſionem Seruatoris, cum triduana in ceto manſione Ionæ. Alioquin, ſi ſimile eſſet exemplum Ionæ & Seruatoris, non poſſet illud eſſe huius typus & imago. Oportet ergò vt veritas plus aliquid habeat, quàm typus, ſecundùm dictum illud: Hic plus eſt, quàm Ionas. Intelligitur autem Ionæ fuiſſe exemplum, verum exemplum Chriſti, hoc pacto: quòd quemadmodum Ionas habuit exitum ex Ceto poſt triduum, quo ſigno fides fieret, eum à Deo miſſum eſſe præconem euerſionis Niniuitarum: ſic & Seruator habuit reſurrectionem ex ſepulchro poſt triduum, quo ſigno fides fieret, eum miſſum eſſe à Deo præconem regni cælorum.

44 NOtandum primò, Chriſtum neque ad maleuolorum, neque ad curioſorum voluntatem ſigna facere conſueuiſſe: apparebit hoc in Herode, & nunc in Phariſæis.

45 NOtandum ſecundò, ſigna credentibus quidem nonnunquam ad ſalutem dari, infidelibus autem in teſtimonium & condemnationem: & ideò aliquando non petentibus dari, vt Achabo, Ezechiæ: aliquando petentibus nō dari, vt Herodi, & Iudæis.

46 NOtandum tertiò, non id reprehendi quòd ſigna petuntur; ſed quòd malè, & à malis petuntur. Signum petit Gedeon, & petit pertinacius; datur tamen illi, eiuſque infirmitati Deus indulget: Ezechiæ non poſcenti vltrò ſignū offertur: at improbis & ſceleratis hominibus ſigna non dantur, aut in pœnas conuertuntur.

Iudic. 6

47 NOtandum quartò, ex quibus cauſis ſigna dentur: Fidei ſcilicet confirmandę cauſa & doctrinæ. Cùm autem duo ſint ad faciendam fidem in doctrina chriſtiana neceſſaria: primùm, Deo ſummæ veritati credendum eſſe: ſecundùm, quæ credenda proponuntur à Deo profecta eſſe: ad primam quidem fidei partem ſignis & miraculis non ita multis opus eſt, in ſecunda tota vis eſt. Prima enim per ſe lumine naturæ nota eſt, cui nemo contradicere poteſt: ſecunda verò, Deum hæc dixiſſe, non ita planè nota eſt (nā hoc multi ſibi vſurparunt) neque verò aut ſenſu, aut ratione demonſtrari poteſt. Solis igitur miraculis opus, iuxtà illud: Illi autem profecti prædicauerunt, Domino cooperante, & ſermonem

monem confirmante, sequentibus signis: quæ sunt tanquam sigilla apud literas, ex quibus literis cognoscitur, eam voluntatem esse principis: vbi autem illa, quæ dixi, duo credũtur, signis nullus locus est. Signa tamen ipsa non sufficiunt, nisi superno illuminentur lumine. Nam etsi literæ manu Regis scriptæ noctu afferantur; adsit sigillum, lucerna tamen absit, literæ non legi possunt, nec illis credi. Fiunt tamen aliquando in testimonium iustitiæ & honestatis eorum qui diligunt Dominum, quod in sancta Catharina, Cecilia, Lucia, muliere septies icta apud Hieronymum, in Clemente item, Thoma Cantuariensi, S. Stanislao, & aliis multis videmus. Docet autem Augustinus cum Chrysostomo, credentes habere vnum, etiamsi cætera signa desint, perpetuum monimentum, conuersionem orbis, & acceptionem doctrinæ.

48 NOtandum quintò, Iudæos minus opus habuisse miraculis quàm gentes; vt qui de tota causa religionis per tot patriarchas, prophetas, instituti erant, totque beneficiis Dei prouocati, sed & miraculis iam antè instructi: & de tota quidem hac causa aduentus Mesiæ, nullus dubitationis locus illis relictus fuerat. De eo autem, num hic ipse promissus fuerit Mesias nec ne: quod & ipsi Ioanni accidit: Et ego nesciebam illum, inquit: hic solus demonstrandi locus fuit, in quo illis abundè à Christo Domino satisfieri debebat, vti factum est. Cur autem signum nõ impetrent, iam superiùs diximus. Nam quæ postea fecit; non istorum causa, sed eorum, qui credituri erant, facta sunt. Nam etsi Achab signo dignus non fuit, alijs tamen qui eo digni fuerant datum est: Audite inquit domus Iacob.

SERIES EVANGELII

49 POstquam obiurgauit illos, & signum negauit, præter signum Ionæ: nunc quis sit status & conditio illorum, quid illos spectet & maneat, demonstrat. Et quoniam dæmonium illi obiecerant, ille inuicem ostendit, quam potestatem in illos habeat, quid cum illis agat, quid acturus sit, quo iure vtatur. Cùm, inquit, spiritus immundus, exierit ab homine, ambulat per loca arida. Quem locum tribus modis interpretantur docti. Primùm de hæreticis, quòd immundus spiritus, qui in eis antea habitauerat, quando gentiles erant, ad confesionem veræ fidei eiiciatur: postea verò, cùm se ad hæresim transtulerint, & simulatis virtutibus ornauerint animam suam; tum alijs septem nequam spiriritibus adiunctis reuertatur ad eos diabolus, & habitet in illis, fiantq; nouissima eorum peiora prioribus. Multo quidem peiori conditione sunt hæretici quàm gentiles: quia in illis spes fidei est, in istis pugna discordiæ. Quidam de omni peccatore interpretantur, à quibus cùm immundus spiritus exit, per baptismum, & pœnitentiam aliaq; sacramenta, ad eos iterum reuertitur: quos si inuenerit, à bonis operibus virtutumque exercitio vacuos, ac scopis tantum confesionis mundatos; vadit & assumit septem spiritus nequiores se, hoc est septẽ principalia vitia, & intrantes habitãt ibi vnde totius nequitiæ germen pullulat; ipse autẽ est octauus: nã satanę sola deformitas pulchra est, & ei nihil benè olet pręter fœtorẽ & sordes. Vacantem domũ, id est torpentem ab operibus bonis inuenit, & simulatione virtutum per hypocrisim ornatam. Cæterùm D. Hieronymus atque Hilarius hæc ad ipsos Iudæos referunt, quod Christi continuatione demonstrãt. Sic erit generationi huic pesimæ: Exponit in hũc modum Hieronymus. Immũdus spiritus exiuit à Iudæis, quando acceperunt legem, & ambulauit per

gentium loca arida, quærens requiem sibi. Expulsus videlicet à Iudæis, ambulauit per gentium solitudines, quæ cum postea Domino credidissent, ille non in uēto loco in nationibus dixit: Reuertar in domum meam, hoc est abibo ad Iudæos, quos antè dimiseram. Et veniens inuenit eam vacantem, scopis mundatam: Vacabat enim templum Iudæorum, & Christum non habebat hospitem, dicentem, surgite eamus hinc. Et in alio loco: Dimittetur vobis domus vestra deserta. Quia igitur & Dei, & angelorum præsidia non habebant, & ornati erant superfluis obseruationibus legis, & traditionibus pharisæorum; reuertitur diabolus ad sedem suam pristinam, & septenario sibi numero dæmonum addito, inhabitat pristinam domum, & efficiuntur illius populi nouissima peiora prioribus. Multò enim nunc maiori dæmonum numero possidentur, blasphemātes in synagogis Christum Iesum, quàm in Ægypto possessi fuerant ante legis noticiam: quia aliud est venturum non credere, aliud eum non suscepisse qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo, vel propter sabbathum intellige, vel propter numerum Spiritus sancti: vt quomodo in Isaia super virgam de radice Iesse, & florem qui de radice conscendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur; ita è contrario vitiorum numerus in diabolo consecratus sit. Quare, ne diabolū vno prælio victum putemus, vbi semel à nobis exierit: imò meminerimus, cùm illi vetus in nobis fuerit hospitium, ex quo nati sumus, omnes aditus illi notos, & compertos esse, quibus ad nos penetrare queat: si rectà ingressus non patebit, astutiam illi non deesse, vt per cuniculos, vel obliquas rimas clanculum obrepat. Similia docet Hilarius. Ergo insidentem plebis istius pectoribus spiritum immundum, lex, quę postea data est, interuentu suo eiecit, & veluti quadam custodia circumiectæ potestatis exclusit. Qui illinc exiens, circum gentes desertas atque aridas oberrauit, domum veterem derelinquens; vt in his vsque in diem iudicii non inquietata habitatione requiesceret.

Cant. 12. in Matth.

50 NOtandum primò, de propitiato peccato neminem debere esse securum, neque primæ iustificationi confidere, si operum locus est.

51 NOtandum secundò, non sufficere vt mala non agamus, sed necessarium esse, vt in bonis nos exerceamus: alioqui domus vacua, insidiisque diaboli exposita erimus: fidemque sine operibus vacuam esse.

52 NOtandum tertiò, vanam esse fiduciam hæreticorum, qui asserunt, persuadere sibi quenquam debere, se in gratia Dei esse, nec damnari posse nisi credere nolit. Nam illi in gratia Dei sunt, quos spiritus malus vi baptismi & fidei deserit; si tamen hæc ipsa domus à bonis operibus vacua sit, si in eis se non exerceat, potens est idem spiritus redire, & deteriores se spiritus accipere: & ita fiduciæ Euangelicorum locus nullus sine virtutum exercitio erit.

53 NOtandum quartò, quemadmodum homo iustus est domus Dei, & habitaculum Spiritus sancti, iuxta illud Pauli. An nescitis, quia corpora vestra sunt templa Spiritus sancti? ita homines improbos & peccatores esse domum & tabernacula diaboli. non quidem iure & natura, sed vi ac inuasione, ac spontanea subiectione: Reuertar, inquit, in domum meam, vnde exiui.

NOtandum quintò, impiam & planè ex diametro Christi Euangelio contrariam esse doctrinam, quæ dæmones esse negat, corporaque non spiritus eos esse docet: cùm non tantùm eos esse hinc constet, sed numero etiam distinctos, ac gradus, & differentias malorum habere, & in hoc totos esse, vt hominibus noceant, in hacque sola re conuenire inter se. Accipit septem spiritus deteriores. Vocantur autem immundi spiritus, quòd ipsi immundi sint, & alios, qui illos sequuntur, immundos faciant. 54

NOtandum sextò, apertè nos hoc loco à Christo moneri, Diabolum maiori odio contra eos ardere, qui ex eius laqueis erepti sunt, magisque hostili impetu ferri. Cæterùm terrorem incutere minimè debet hæc admonitio, sed nos expergefacere; vt intenti simus agendis excubiis, & spiritualibus armis induti fortes ad resistendum simus. 55

SERIES EVANGELII.

POst multa deinde scandala, quæ Christo Domino homines perditi ponere voluerunt superata, ac in illos reiecta, vltimò scandalum carnis ac sanguinis opponunt. Adhuc autē illo loquēte, ecce mater eius & fratres stabāt foris, quærentes ei loqui: qua occasione arrepta, mox scandalum proponunt. At ille, vt cætera, mirificè hoc idem repellit. Non iuxta Marcionem aut Manichæum matrem negans aut contemnens, tanquam natus de phantasmate: neque iuxta Caluinum, aut Lutherum, dignitati aut authoritati matris suæ detrahens, cui à prima natiuitate sua, vt Lucas docet, subditus fuit; sed Apostolos cognationi præferens, vt & nos in comparatione dilectionis carni spiritum præferamus, & vt hominum impudentiam & vanitatem conuincat. Qui autem fuerint fratres domini, explicat Hieronymus. Quidam fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, & quandam mulierculam Escham confingentes. Nos autem, sicut in libro, quem contra Heluidium scripsimus, continetur, fratres Domini non filios Ioseph, sed consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus, Materteræ Domini, quæ esse dicitur mater Iacobi minoris & Ioseph & Iudę, quos in alio Euangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autē consobrinos dici, omnis scriptura demōstrat. 56

QVo loco duo notanda sunt: primum illud, quod notat Hilarius, propinquitatem omnium, & ius atque nomen, non conditionē nascendi, sed de Ecclesiæ communione retinendum. Quod etsi omnibus seruire debet; inprimis tamen viris Ecclesiasticis, quorum conuersatio & cognatio in cælo esse debet. 57

SEcundò notandum est, quanta sit vis bonorum operum, quòd per ea matri Dei ac fratribus eius, vel coæquari, vel anteferri possimus. Hæc est mater mea, isti fratres mei. 58

QVAESTIO D. AVGVSTINI PRIMA. Quòd discipuli Domini cœperunt vellere spicas & manducare, quod nisi confricantes eas, facere non possent. hoc est, mortificate membra vestra, quę sunt super terrā: id est, quia quisq; non transit in corpus Christi, nisi carnalibus expoliatus fuerit indumentis. Hinc est, exuite vos veterem hominem. Hinc est, & circumcisio non manufacta in expoliationem carnis. QVAESTIO SECVNDA. Notandum de eo quod illicitè 59

illicitè factum videretur Iudæis, quòd discipuli sabbatho spicas euulsissent, vnũ exemplum datum regię potestatis de Dauid, alterũ sacerdotalis de iis, qui ob ministeriũ templi sabbathũ violant; vt multò minus ad ipsum euulsarum sabbatho spicarum crimen pertineat, qui verus rex & verus sacerdos est, & ideo Dominus sabbathi. QVAESTIO TERTIA. Arundinem quassatam Iudæos dicit, propter quod & vnum erant, & ab inuicem discrepabant. In lino fumigante notandum, quia & desertũ lumine facit putorem. QVAESTIO QVARTA. Quod dixit, Etsi ego in Beelzebub eiicio dæmones, etiam secundùm vestram sententiam: Igitur peruenit in vos regnum Dei: quia regnum diaboli stare non potest, quod aduersum se diuisum esse fatemini. Regnum Dei nunc dicit, quo damnantur impii, & à fidelibus de peccatis suis pœnitentiam nunc agentibus secernuntur. Fortem illum appellat, quia ipse tenebat, ne possent viribus suis ab illo se homines eruere, sed per gratiã Dei. Vasa eius dicit omnes infideles. Nisi prius alligauerit fortem: alligauerit dixit, potestatem illi ademerit impediendi voluntatem fidelium à sequendo Christum, & obtinendo gratiam Dei. QVAESTIO QVINTA. Progeniem viperarum eos dicit, quia & diaboli filios eos appellat. Intantum enim quisque est filius diaboli, in quantum eum peccando imitatur. QVAESTIO SEXTA. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Sextæ feriæ diei partem qua sepultus est cum præterita nocte, pro nocte & die accipias, hoc est pro toto die, sabbathi noctem & diem & noctem Dominicam cum eodem die illucescente, ac per hoc accipiendo partem pro toto, habes triduum & tres noctes. Quod enim dicuntur decem menses prægnantis, nouem sunt pleni, sed initium decimi pro toto accipitur. Et quod se Dominus ostendit in monte, post sex dies; dicit partem posteriorem primi diei, in quo futurum hoc Dominus promisit, pro totis atque integris diebus annumerans; vt intelligas eum qui dixit, post sex dies, solos medios commemorasse, qui verè toti atque integri completi sunt. In Genesi enim à lumine incipit dies & finit ad tenebras, ad significandum lapsum hominis. Nunc autem à tenebris ad lucem, sicut dictum est, de tenebris lucem clarescere: quia à peccatis homo liberatus, peruenit ad lumen iustitiæ. QVAESTIO SEPTIMA. Cum spiritus immundus exierit ab homine, significat quosdam ita credituros, vt ferre non posint labores continentiæ, & ad seculum redituri sint. Quod dictum est, Assumit secum alios septem, intelligitur: quia cùm quis ceciderit de iustitia, etiam simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa per pœnitentiam à consuetis operibus, cùm non inuenerit in quibus delectationibus requiescat, auidiùs redit, & rursus occupat mentẽ hominis: sic cùm expulsa esset iniustitia, negligentia subsecuta est; vt non introduceretur tanquam habitator mundatæ domui, sermo Dei per sanam doctrinam. Et quoniam non solùm habebit illa septem vitia, quæ septem virtutibus spiritualibus sunt contraria, sed etiam per hypocrisim se illas virtutes habere simulabit: propterea assumptis secum septem aliis nequioribus, hoc est, ipsa septenaria simulatione, redit illa concupiscentia; vt sint nouisima hominis peiora, quàm erant prima.

NOTARVM EVANGELICARVM LIBER TERTIVS.

In quo continetur doctrina Christi per parabolas explicata.

Inseruntur tamen & alia multa, quæ Christi gloriam, potentiam, ac bonitatem demonstrant.

Caput XIII.



OTANDVM IGITVR PRIMVM EST, VSVM PARABOLArum fuisse antiquissimum, ac Hebræis quasi peculiarem, totique orbi orientali, ita vt reges ipsi resolutione parabolarum magnas res inter se componerent. Salomon quidem ipse cum Hiram rege Phenicum, pacta pecunia non mediocri parabolis luserit, ac victor euaserit. Hoc idem cum regina Saba fecisse legitur. Hunc eundem prophetarum morē fuisse, patet ex sacris scripturis, vt potè in Nathan, Isaia, & cæteris. Sed ne vetustiores philosophi ab hoc docendi genere aberant, vt potè Pytagoras, Architas Tarentinus, & cæteri veteris Græciȩ Philosophi. Sacerdotibus item Ægyptiis hic vsus fuit. Hac eadem igitur via aggreditur hic ipse plusquàm Salomon. Quod quidem iam olim de se per Dauidem prædixerat: Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio. 1

HAbet autem hoc genus parabolæ, doctrinæ suas laudes ac virtutes præter cætera. Primò, quod simul docet & arcet, instruit & repellit: docet dignos, mites, non perfectos; repellit canes, & porcos, arrogantes & superbos. Confiteor tibi pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Secunda eius virtus, quòd non docet tantùm, sed auget etiam, illustrat ac ob oculos ponit; habet enim rem simul cum exemplo: vnde à Græcis dicitur παραβολή, quasi rerum dissimilium comparatio. Tertia virtus est, quod attentionem, & studium inuestigandi excitat, negligentem & oscitantem auditorem non fert, obtusum ac ignauum reiicit. Quarta, quòd multùm delectat, ac cuidam certamini ac pugnæ vt dictum est, simile videtur, & ad victoriam comparatum. Quinta virtus parabolarum est, quòd memoriam plurimùm iuuant, ac facile quis eius doctrinæ quæ ex parabolis est recordatur. Habet & hoc singulare, quòd nec omnia explicat, nec omnia celat: Hoc igitur genus methodi ac doctrinæ sequitur cælestis magister. 2

ITa autem doctrinam suam per parabolas explicat; vt alias quidem parabolas interpretetur ipse, alias nequaquam: quod ea ratione facit, vt his, quas interpretatur, nobis modũ & rationem cæterarũ interpretandarum relinquat, artēq; 3

interpre-

interpretandi doceat: In his verò, quas ipse non interpretatur, studium & solertiam nostram exerceat, spiritumque in nobis excitet, & ad ordinem prouocet, quod nunc in Apostolis facit. De his autem parabolis, quas ipse Christus interpretatur, illud habet Hier: Cauendum est, vbicunque Dominus exponit sermones suos, & rogatus à discipulis intrinsecus disserit; ne vel aliud, vel plus quid velimus intelligere, quàm ab eo expositum est.

4 PArabolarum autem tractandarum, hanc rationem sequuntur patres: In omni parabola scopus inprimis constituendus est, quò tota referatur parabola, ad eumque omnia referenda sunt. Itáque in omni parabola noui testamenti præceptum Chrysostomi obseruandum est: in omni parabola semper aliquid esse præcipuum, quod dicatur ad probandum id quod agitur, multa deinde ad explendum sensum, & ornandam orationem dici. Igitur cauendum esse, ne ex illis rebus, quæ in parabolis explicitè narrationis causa dicuntur, argumenta sumamus. Nam alioquin & furari & fœnerari ex parabolis licitum esse colligetur, vt de villico, & de talentis traditis. Idem eleganti similitudine illustrat Origenes. Quemadmodum, inquit, in imaginibus ac statuis, similitudines non omni ex parte respondent iis ad quæ conferuntur; sed in plano quidem ligno, vt exempli causa loquamur, cera depicta imago, superficie tantùm cum colore similitudinem habet, verùm non seruat depressiones atque eminentias, sed harum rerum significationem tantùm. In fingendis verò statuis, similitudinem quæ est secundùm eminentiam ac depressionem seruare conatur ars, in colore verò nequaquam. Quòd si cerea fiat effigies, conatur quidem vtramque seruare similitudinem, nimirum & iuxta colorem, & iuxta depressiones, ac prominentias, cæterum in profunditate non est imago. Similiter mihi cogita & de similitudinibus, quę sunt in Euangelio. Regnum cælorũ, dum simile dicitur rei cuipiam, simile dici non secundùm omnia quæ adsunt illi, ad quod confertur similitudo, sed ad quædam duntaxat, quæ conducunt ad assumptam rationem. Hæc Origenes. Clauis autem assequendi sensus, & aperiendæ parabolæ hæc erit. Primò occasio, vnde nata sit parabola, videnda est: deinde similis parabolæ in alio loco interpretatio: denique quæ summa & vltima sententia, & quasi epimythion, hoc est scopus & sensus parabolæ, quo concludi solet, quale est illud de veste nuptiali: Multi vocati, pauci electi. Et illud de primo accubitu: Qui se exaltat humiliabitur. De virginibus item: Vigilate, quia nescitis diem neque horam.

5 SCopus igitur præsentis capitis parabolarum hic est, originem, vim, ac efficaciam, præstantiam ac dignitatem, difficultatem item verbi Dei ac doctrinæ Christi explicare, impedimenta item, obices, incrementa ac progressus, exitus denique tradere.

6 PRimæ igitur parabolæ de semine. Exiit qui seminat seminare semen suum, scopum inquiramus; cuius partium explicationem ipsi cælesti magistro relinquemus. Cùm igitur CHRISTVS Dominus multa præclara & diuina hactenus fecisset, docuisset, multa miracula edidisset, alii in aliam partem hæc accipiebant. Et alii quidem eo nomine eum filium Dei, filium Dauid appellabant: alij autem vini potorem, publicanorum socium, dæmoniacum esse

SERIES EVANGELII.

dicebant:

dicebant, alij eius causa reliquerunt omnia, & secuti sunt eum, vxores, liberos deseruerunt, alij quærebant vt occiderent illum. Huius igitur diuersitatis causam nunc in hac parabola exponit. Neque se, neque patrem, neque doctrinam aut miracula eius rei causam fuisse, sed potius varios & multiplices animos, & voluntates hominum. In illo die exiens, inquit, Iesus de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita vt in nauiculam ascendens sederet, & omnis turba stabat in littore. Turbę in littore stantes, Christi in naui docentis doctrinam non percipiunt, omnes enim qui extra Ecclesiam positi sunt, inquit Hilarius, nullam diuini sermonis possunt capere intelligentiam. Nauis enim terræ typum præsefert, intra quam verbum vitæ positum & prædicatum; hi qui extra sunt, & arenæ modo steriles atque inutiles iacent, intelligere non possunt. Et locutus est eis multa in parabolis dicens: Ecce exiit, qui seminat seminare semen. Addit Hieronymus. Intus erat, domi versabatur, loquebatur discipulis sacramenta. Exiuit ergo de domo sua qui seminat verbum Dei, vt seminaret in turbis. Significatur autem sator iste qui seminat, filius Dei & patris, in populis seminare sermonem. Et simul obserua hanc esse primam parabolam, quæ cum interpretatione sua posita sit. Exiit non loco omninò, sed per carnis nostræ assumptionem: exiit autem ex sinu parentis: exiit ad nos, qui non poteramus venire ad eum. Seminat autem semen suum, tanquam verus Dominus & hæres, verus Deus. Nam & prophetæ seminauerunt, sed semen alienum, scilicet patrisfamilias Dei. Sed dum seminat, quædam secus viam ceciderunt, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea: quædam verò suprà petrosa, vbi non habebant terram multam, & continuò exorta sunt, sed quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autẽ ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. Qui habet aures audiendi audiat. Cùm vidisset suspensas esse turbas, nec planè quid diceret intelligere, attentionem eorum excitat, simul causam, cur per parabolas doctrinam suam explicet docet, eam scilicet, quòd non omnes digni sunt, nec omnes aures habent. Multi enim aures habent ad obaudiendum potius, quàm audiendum. Qui igitur habet aures ad audiendum audiat. Apostoli communes populi curatores accedentes dixerunt: Quare in parabolis loqueris eis? Quærit Hieronymus, quomodo discipuli ad eum accedunt, cùm Iesus in naui sedeat, nisi fortè intelligi datur, quòd dudum nauem cum eo conscenderant, & ibi stantes super interpretatione parabolæ interrogent. Qui respondens ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Sed quid est, quòd habentibus datur, non habentibus autem, id quod habere videntur aufertur? Non inæqualitate iudicii, inquit Hieronymus, habentibus additur; & non habentibus, id quod habere videntur, aufertur: sed quòd Apostolis in Christo habentibus fidem, etiam si quid minus virtutum habeant, conceditur: Iudæis autem qui non crediderunt in filium Dei, etiamsi quid per naturæ bonum posſident, tollitur. Neque enim possunt aliquid sapienter intelligere, qui caput non habent intelligentiæ. Qui fidem habet, dabitur ei seculorum cognitio: & qui amorem habet verbi Dei, dabitur ei & sensus intelligendi quod amat: qui verò non habet amorem audiendi, simul & id quod

naturali

naturali ingenio, vel literarum exercitio habere videtur etiam amittit, vt nulla veræ sapientiæ dulcedine gaudeat. Quem locum Euangelii ita exponit D. Chrysostomus. Cùm quispiam desiderat, inquit, & magno studio atque cura virtutem inquirit; tunc ei ex Deo cuncta præstabuntur: cùm autem nullo studio atque voluntate ad rectè faciendum pronus est; tunc ei diuinum auxilium non conceditur, & quod etiam habet, auferetur ab ipso. Non aufert certè Deus, sed non præbet indignis fauorem & patrocinium suum. Hoc ipsi quoque nos factitamus. Cùm enim negligentem quenquam ad audiendum perspeximus, adhortamur & admonemus, vt diligentiùs attendat: & si crebrò id facientes non persuademus, silentio vtimur, præsertim cùm videamus ex maiori cura in maiorem illum deuolui desidiam: attentiores autem discendique cupidos attrahimus libenter, & complura docemus. Rectè autem dixit, quod habere videtur; neque enim habet, quod æstimatur habere. Beda autem sic: Habentibus cupiditatem, & studium earum rerum cognoscendarum datur: qui enim hæc non curant, illis non datur. Habenti enim studium & affectum datur, qui autem non habet, & ea parua scintilla quam habet extinguetur in illo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, & adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis: Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, nequando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur; & sanem eos. Nunc aperit, inquit Beda, Apostolis, quod ideo in parabolis loquebatur: quia superba intentione, se videntes & audientes existimabant: & ob hoc se cælesti magisterio subdere nolebant; vt simplicibus & humilibus mysteria cælestia cognoscentibus, ipsi remanerent vacui intelligentiæ spiritalis: nec absurdè ad hoc dicimus Iudæos fuisse excœcatos, ne dicta in parabolis à Domino intelligerent, vt fide eius irritata eum crucifigerent, à quo pòst resurrectionem miraculis, quæ fiebant in nomine eius, territi; tantò amplius de reatu Domini mortis humiliati eum vehementiùs diligerent, quantò sibi tantùm scelus dimissum esse gauderent: quòd tanta erat superbia, vt tali esset humiliatione deiicienda. Dicit autem causam in eis esse, qui Spiritui sancto iniuriam faciunt: quia, inquit, videntes videre nolunt, & audientes audire nolunt. Quod definitum esse confirmat testimonio Isaiæ: Incrassatum enim est cor populi huius, & auribus suis grauiter audierunt. Ac ne quis arbitretur crassitudinem cordis, & grauitatem aurium esse naturæ, non voluntatis; subiungit culpam ipse propheta arbitrii, & dicit: Et oculos suos clauserunt, ne aliquando oculis videant, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur; & sanem eos. In parabolis ergo audiunt, & in ænigmate, qui clausis oculis nolunt cernere veritatem. Incrassatum autem cor, inuidia aliisque peccatis excœcatum intelligendum est. Quam Isaiæ prophetiam tribuit Matthæus auditoribus, vt cœcitatis & duriciei suæ causam sustineant. Neque enim alterũ ab altero disiungi potest. Quia quotquot in sensum reprobum coniecti sunt: spontè & intrinseca malitia se excœcarunt, & obdurarunt. Vestri autem beati sunt oculi, quia vident, & aures vestræ, quia audiunt. Amen quippè dico vobis, quia multi prophetæ & iusti, cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audieruut. Nisi suprà legissemus auditores ad intelligentiam prouocatos Saluatore dicente: Qui habet aures audi-

Chrys. hom. 46. in Mat. col. 348.

res audiendi audiat: putaremus nunc oculos & aures, quæ beatitudinem accipiunt carnis intelligi: sed mihi videntur illi beati oculi, qui possunt Christi agnoscere sacramenta, & quos leuari Iesus in sublime præcepit, vt candentes segetes aspiciant, & illæ aures beatæ, de quibus Isaias loquitur: Dominus aperuit mihi aurem. Quod autem oculos Apostolorum beatiores oculis regum & prophetarum dicit Dominus, id ex duabus causis fit: Primùm, quòd ij præsentem in carne Christum viderunt; illi autem in spiritu tantum: Deinde, quòd sublimiora arcana doctrinæ Christi cognouerunt quàm illi: & quòd spiritualibus initiati erant rebus, diuinis & cælestibus. In quorum omnium persona Simeon cecinit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.

7 NOtandum autem primùm hoc loco est, cur verbum Dei semini comparetur: cuius quidem rei sunt hæ ipsæ causæ. Primùm, quòd semina cibus animalium sunt, sed & verbum Dei cibus animi est: Non in solo pane viuit homo. ex semine fit panis, qui cor hominis confirmat: ex eodem pane fit corpus Christi, quo animæ nostræ aluntur & reficiuntur.

8 SEcundò, quòd semina à principio sunt parua, pòst in arbores excelsas & patentes excrescunt: sic verbum Dei, doctrina sancta, modica est in principio, ac pòst extendit palmites suos vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines suas.

9 TErtiò, in semine minimum vitium inficit, & inquinat vniuersum fructum; Ita in verbo Dei & doctrina Christi, minimus error totam corrumpit & destruit massam, totum ædificium infirmum facit.

10 QVartò, in semine id maximè valet, quod cibus est, nucleus ipse, non quod est extra, cortex: sic in verbo Dei spiritus viuificat, litera occidit, & cortices suibus dantur, hoc est hæreticis, nucleus autem cibus hominum est.

11 QVintò, semen multis periculis obnoxium est hiemis, ventorum, niuium, grandinum, æstuum; sed & verbum Dei Christique doctrina.

12 SExtò semen multo labore & sudore agricolæ opus habet, magnæ spei & expectationis diuturno tempore; sed & verbum Dei sudore multo & labore opus habet: Euntes ibant & flebant mittentes semina sua; sed & expectatione multa: Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

13 VLtimò, in semine sola humana opera parum aut nihil proficiunt, nisi cælestis imber adsit, & solis calor; sic in verbo, neque qui plantat, neq; qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.

14 NOtandum secundò cum Theophilacto, hoc loco explicari grauem quæstionem eorum, qui dicunt hominem naturaliter, & à Deo effici malum, quod ex hoc loco colligunt: dicit enim Christus: Vobis datum est nosse mysteria regni cæ-

gni cælorum,cæteris,autem non eſt datum. Nos autem teſte Deo contrarium, Deum velle omnes ſaluos facere, & ad cognitionem veritatis peruenire,& Deum facere hominem,quenque intelligere, quæ ad eius ſalutem ſunt neceſſaria, ad hocque naturalia inſtrumenta & media præſtare: Ille enim omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum: ſed electionem prauam noſtram obſcurare nos: quod ex hoc ipſo loco colligitur, vt,inquit,videntes,hoc eſt,naturaliter Deo dante ad videndum & cognoſcendum nati & proditi, ſponte à malicia ſua obcœcati non videant: & audientes,hoc eſt,naturaliter ad audiendum & ad intelligendum à Deo creati,non audiant neque intelligant, ob eam quæ illos obcœcat prauitatem. Nonné enim viderunt miracula Chriſti? viderunt, ſed ſe ipſos cœcos reddiderunt, & calumniati ſunt ipſum: quòd ſimiliter propheta dicit: non ideò aut eos non intelligere, quòd incraſſatum creauit Deus cor illorum; ſed quòd cor illorum incraſſatum ſit, quod ante lentum & molle fuit creatum, quo incraſſato: oculi etiam cœcutire inceperunt: hoc autem fecerant ne conuertantur, & ne Dominus illos ſanet, ſpontanea malicia operam dantes ne curentur, aut ne conuertantur.

15 NOtandum tertiò,Caluinum negare ex hoc loco colligi,pœnitentiam eſſe veniæ cauſam, quaſi Deus conuerſos in gratiam recipiat, quia hoc promeriti ſunt (nam & ipſa conuerſio ſignum eſt gratuiti Dei fauoris) ſed tantùm ordinem & conſequentiam notari, quia Deus peccata non remittit, niſi in quibus homines ſibi diſplicent;quod apertè pugnat cum illis ſcripturæ locis: Niſi pœnitentiam egeritis: Et, Pœnitentiam agite, pœnitentiam in remiſsionem peccatorum.

16 NOtandum quartò, non debere turbari miniſtros verbi, ſi non ſemper in prædicatione Euangelii proficiant, cùm id non tam vicio prædicatorum plerunque quàm auditorum, aut negligentia, aut malicia euenire ſoleat, modò ipſi officio ſuo non deſint, largéque & fusè ſemen diuinum diſiciant, nec vllum relinquant locum.

17 NOtandum quintò,non benè agi cum illis verbi Dei auditoribns,qui cùm quotidie verbum Dei audiunt, nec illis vna plerunque concio ſufficit, tamen non corriguntur, iidemq; permanent: Apparet enim in illis aliquid intus eſſe quod prohibet extraneum, apparet & obſtructionibus illos laborare, quæ impediunt meatus cordis & aurium: Expurgari ergo debent:nec accipere verbum Dei in iudicium contra ſe.

18 NOtandum & illud ſextò, quàm larga ſint Dei dona, quámque pauci ſint qui benè vtantur illis, & ſaluentur. Ecce enim ſola quarta ſeminis pars fructificat, tres autem pereunt. Et quidem is, qui ſeminabat, ſuper omnes ſeminabat, hunc ab illo non diſcernens; attamen ſemen in quibusdam periit, apud alios verò plurimùm multiplicatum eſt: & hoc factum eſt non vicio patrisfamilias, neque ſeminis; nam ipſum æqualiter, ac ſuper omnes iactatum eſt: ſed ob diſsimiles hominum mentes, ſuper quos ſemen verbi proiectum eſt; & quia indifferenter ſeminabat ſuper viam, ſuper petroſa, & ſuper ſpinas.

19 NOtandum & illud ſeptimò, cur tam largè ſeminat, cùm fructum non ſit

allaturum, reddere causas Eutymium. Omninò propter bonitatis ac iustitiæ suæ magnitudinem, ne dicere possent in die iudicii, quòd si etiam super eos seminasset, fructum vtique attulissent: sciebat nempè illos infrugiferos fore. Attamen quod suum erat effecit, tanquam hominum amator, vt dicere posset: Quid me facere oportuit & non feci? Hanc autem parabolam locutus est discipulos exhortans; vt etsi plures eorum, qui prædicationem Apostolorum suscepturi erant, perderentur, non caderent animis; cùm id etiam in Domino atque magistro pariter factum recordarentur: neque tamen ipse, quamuis ita id futurum non ignoraret, semina proiicere neglexit.

NOtandum & illud vltimò: hæc quatuor seminum genera hoc modo Epiphanium interpretari. Secus viam, inquit, errantes, & in errorem inducentes, paganorum animi sunt. Petra autem dura, duréque obstinata, Iudæorum secta. Spinæ blasphemæ hæreticorum mentes. Terra autem bona, fœcunda Christi Ecclesia. 20

SERIES EVANGELII.

ACcedamus & nos cum discipulis ad Iesum, & rogemus eum explicationem parabolæ, ne cum turbis frustrà aures & oculos habere videamur. Ponit ergò terram malam, deinde bonam: malam in tres partes & diuersitates diuidit, secus viam, spinosam, & petrosam. Terræ item bonæ tres diuersitates, cẽtesimi, sexagesimi, & trigesimi fructus: & in illa autem, & in ista non mutatur substantia sed voluntas: & tam incredulorum, quàm credentium corda sunt, quæ semen recipiunt. Malus, bonum semen rapit: & simul intellige, quòd in corde fuerit seminatum: vt diuersitas terræ, animæ sint credentium. Tres igitur eorum, qui pereunt, enumerat ordines. Segnes inprimis: Omnis qui audit verbum Dei, & propter negligentiam vagasq; cogitationes non intelligit, venit inimicus homo non natura, sed defectione, & rapit quod seminatum est in corde eius. Secundò pusillamines: Qui enim super petrosa seminatus est, hic est qui Dei verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud, non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem afflictione & persecutione propter verbum, continuò scandalizatur. Tertium genus hominum seculi curis occupatorum, simul & fallaciæ diuitiarum seruientium: Qui enim seminatus est in spinis, hic est qui verbum audit, sed sollicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Non dicit seculum obruere; sed sollicitudinem seculi, quod iam antè docuimus: neque diuitias; sed fallaciam diuitiarum. Et rursum constituit tres ordines eorum qui saluantur, tres bonæ terræ differentias; centesimi, sexagesimi, & tricesimi fructus: quas differentias D. Hieronymus explicat; centesimum fructum virginibus, sexagesimũ viduis & continentibus, tricesimum casto matrimonio deputando: Honorabiles enim nuptiæ, & cubile immaculatum. Quidam nostrorum centesimum fructũ ad martyres referunt. Quod si ita est, sancta consortia nuptiarum excluduntur à fructu bono. Quapropter vigilandum nobis est, ne vel ob segniciem semen perdamus, aut ob pusillanimitatem ipsum prodamus, vel propter seculi curas, seu diuitiarum fallacias illud suffocemus. Oportet enim primùm vigilem esse ad eius susceptionem, deinde tentationes longanimiter ferre, atque deinceps ab omni sollicitudine seculari ac diuitiarum vanitate separari, & terram bonam fieri, fructumque iuxta virtutem ferre, siue perfectum, siue medium, 21

um, siue minorem, & nequaquam perire. Nam si hæc quidem negligimus, illorum autem curam habemus, omninò perimus; vnde enim oriretur dissimilitudo, certè si non per segniciem, attamen per pusillanimitatem, tamen per anxiam curam & vanitatem perire poterimus. Via est Christus: ille igitur est secus viam, qui non est in Christo, nec cogitat Christum: hunc superficie tantùm semen Dei attingit, intus non ingreditur; & ideo ab auibus statim deuoratur. Iam sæpè docuimus, per aues dæmonia designari: alii admittunt quidem intus, sed tantùm ad facultatem sensitiuam, ingemiscunt, ad penetralia cordis non transmittunt: ideò tribulationes domesticæ, aut persecutiones tyrannicæ totum arefaciunt, quod in petris euenire solet: alii in penetralia vsque cordis admittunt; sed cùm ibi sint spinæ, ab his statim verbum suffocatur.

22 NOtat igitur inprimis D. Hieronymus, quid nos oporteat obseruare in auditione verbi Dei. Primùm debemus audire, deinde intelligere, & post intelligentiam fructus reddere doctrinarum, & facere vel centesimum fructum, vel sexagesimum, vel trigesimum.

23 SEcundò notat idem D. Hieronymus, esse distinctionem inter illum, qui per multas tribulationes pœnasque compellitur Christum negare, & eum, qui ad primam persecutionem statim scandalizatur & corruit.

24 NOtat tertiò D. Hieronymus: Mihi, inquit, videtur & illud, quod iuxta literam ad Adam dicitur, inter spinas & tribulos panem tuum manducabis, hoc significare mysticè; quòd quicunque se seculi voluptatibus dederit, curisq. istius mundi, panem cælestem & cibum verum inter spinas comedat. Et eleganter adduxit, fallacia diuitiarum suffocat verbum: blandæ enim sunt diuitiæ; & aliud agentes, aliud pollicentes: lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, & instabili gradu vel habentes deserunt; vel non habentes referciunt. Vnde & Dominus diuites asserit difficulter intrare in regnum cælorum, suffocantibus diuitiis regnum Dei, & rigorem virtutum emollientibus.

25 NOtandum est quartò, mundo paradoxum magnum videri diuitias esse spinas, cùm illæ pungant, hæ delectent. Quid enim diuitiis, vel ad iucunditatẽ, vel ad commoditatem, vel ad vtilitatem, vel ad maiestatem, robur, omnemque dignitatem accomodatiùs magisque opportunum esse potest? Diuitiæ trahunt post se militem, aulicum, mercatorem, agricolam; parum dico, poëtam, oratorem, iurisconsultum, medicum, rhetorem, philosophum etiam; pauca dico; sacerdotem, theologum nonnunquam: stat tamen decretum Christi, diuitias esse spinas, non alia ex causa, quàm quia pungunt nos, pungunt & eos, cum quibus & priuatim & publicè contrahimus. Nos quidem pungunt, dum quæruntur: Sunt enim bonum in acquirendo, dicebat Clemens Alexandrinus, laboriosum; vt potè quòd ab omnibus quæratur multo labore, discursationibus, fame, siti, vigilia, simulatione, dissimulatione, assentatione: spinæ sunt in retinendo, hærent manibus, vestimentis & omnibus partibus; pungunt vel maximè in dimittendo. O mors quàm amara memoria tua homini multa possidenti in pace. Et illa vox: Hæc quæ congregasti cuius erunt? Pungunt in lecto, in templo, in foro, in balneo, vigilantem & dormientem: ad mensam,

Diuitiæ spinæ.

pungunt mane earum rationem subducendo, pungunt in meridie, illis vtendo, poculaq́,& fercula numerando;hæc superfluè, hæc inutiliter apposita esse; tantum vini exsiccari,pocula maiora quàm esset par: pungunt veritatem, vnde congregationem diuitiarum sequitur mendacium, & manus assueta thesauros condere, fraudulentam linguam possidet, veritas paupertatem, mendacium diuitias parit; animum, conscientiam, bonam famam, honestatem, amicitiam, corpora pungunt. Interimunt charitatem diuitiæ: Nihil, inquit S. Leo, tam inimicum charitati & misericordiæ quàm auaritia, de cuius radice omne malorum germen emergit: quæ nisi in suis fomitibus enecetur; necesse est,vt in agro cordis illius, in quo huiusmodi planta continetur, spinæ potius tribulique vitiorum, quàm vllum virtutis semen verum oriatur. Interimunt virtutem, vnde dicuntur ακροπολισ κακιασ arx maliciæ. Quis vnquam solicitus de hoc mundo, potuit bene solicitus esse de Ecclesia? quis cupidus & auidus opum, vtilitatibus eius potuit rectè prouidere? Hæc vna,perpetua, & inexplebilis diuitiarum cupiditas causa est, ne ciues quodquam honestum bonumque officium curent, honesta pariter & inhonesta artificia complectantur, & quiduis agant per fas & nefas. Mitto milites & militiam: videmus, & experimur quid agant, quid tentent, quam sanctam & animosam militiam gerant, opes & fortunas alienas ad iniquos dominos transferre, egregiam putant victoriam: Ac, quemadmodum inquit Chrysostomus, in eremo educati monachi, nec quid sit auaritia sciunt; ita & isti auaritiam ignorant, quamuis alio quodam, quàm illi,modo: nam illi, quia longè à morbo absunt, hunc affectum ignorant; isti quia valde huius passionis ebrietate occupantur, nec sentire quidem morbum hunc possunt. Sic enim hoc vitium expulsa virtute animum ipsorum detinet, vt nec crimen apud insanientes illos esse videatur. Sed pungunt & alios. Pungunt minores, colonos & subditos,qui vix ossibus hærent,his ipsis spinis lacerati: pungunt pares & æquales; non vicinus à vicino, non hospes ab hospite tutus; meliusque est communes limites habere cum aqua & igne, quàm cum auaro homine: pungunt maiores & magistratus propter sumptus immensos, & potentum insolentiam & importunitatem, in eosque homines animaduertendi difficultatem: pungunt publicè rempub. eiusque bona, dum eam exactionibus, peculatibus, nundinationibus homines auari expilant, & exhauriunt, spinarum earum causa: pungunt Ecclesiam; dum eius bonis abutuntur: pungunt ipsum Christum Dominum, vt non sufficiat semel corona spinea coronatum esse, nisi nunc iisdem spinis pungatur; dum eius leges pretio produntur, dum hæreditas eius per auaritiam rapitur, dum sacerdotia per Simoniam conferuntur; dum cultus eius, rei augendæ causa prostituitur; dum dotis magnæ causa cum infidelibus iugum ducitur, liberique auarorum diabolo consecrantur; dum blasphemiæ, sacrorum violationes, lucri causa, non puniuntur; cum Iudæis, hæreticis, modò pecunia emungantur, domus, mensæ, ac vix non lecti communes habentur. Hisque spinis compunctum se alicubi queritur Dominus: Configitis me,inquit,& dixistis: In quo configimus te? In deciniis & primitiis. Pungunt hæ spinæ Dominum, pungunt amicos, pungunt familiares, vxorem, liberos. Auarus enim non dat, nisi periculo & tempestate ingruente. Spinis satiatur nemo, neque diuitiis. Diuites, inquit, eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Iustus

comedet,

comedet, & implet animam suam, argentum iniustorum foris proiicietur, & aurum eorum in sterquilinium erit: animam suam non saturabunt, & ventres illorum non implebuntur. Spinæ non ornant, neque vestiunt, nudant potius & lacerant, & eò magis quò densiores sunt: sed neque diuitiæ. Ex spinis nihil ad diuturnitatem ædificari potest, neq; ex diuitiis. Sepulchra eorum, domus illorum in æternum: quod vestigium nunc Midæ, Luculli, Craßi extat? Fallaces meritò spinæ, ad præsidium nullam vim habent. Quem enim vnquam ex tyrannis atque potentibus vsque ad finem defenderunt? Clari sunt illi exitus, plusquam tragici, Craßi, Cræsi, Midæ, Neronis, & aliorum hominum ditißimorum: aut quis ex illis extremo tempore non amicos potius quàm maximas opes compellauerit? Quin etiam multos ad exitium deduxerunt; vt illud verè dici poßit: Cur spolieris erit, non cur metuaris ab hoste: Et, Non proderunt diuitiæ tempore vltionis: Et illud prophetæ: Væ ei qui multiplicat non sua. vsquequò aggrauat contra se densum lutum, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali? Spinæ facilè arescunt, si præsertim veteres sunt. Sed & opes multis seculis à sene auaro collectæ facilè pereunt, iuuenilis cupiditatis igne consumuntur. Quantarum opum ne vestigia quidem apparent. Sic subitò ab auido hærede depastæ, veluti ex carcere dimissæ feruntur auari Pigmalionis opes. Vnde illud D. Chrysostomi: Pecuniis abundans plerisq; timendus, imò verò cunctis diuitibus, pauperibus, furibus, calumniatoribus, cæterisque huiusmodi hominibus facilè expugnandus. Vis metui esse atque terrori? ansas præcide, quibus te illi capere possunt, & molestia afficere, qui huic rei multam dant operam. Non audis quid trito prouerbio dicitur: Centum simul viros, vnum pauperem atque nudum spoliare non posse. Maxima enim paupertatis propugnatione defenditur, quam nullus rex, nullus imperator vincere poßit: auaro autem vniuersi facilè possunt obesse; neque homines solùm, verumetiam tineæ atq; vermes eum aggrediuntur. Quod auaritia congregat, luxuria consumit. Adhuc ignis in domo impii, thesauri impietatis, & mensura minor. Spinæ accendunt, sed & diuitiæ, quia ignem cupiditatis & luxuriæ accendunt. Aurum est animi insidiator, peccati pater, minister diaboli. Serpens inter spinas facilè mordet: diabolus in diuitiis. Spinæ ingrediuntur corpus, nec facile & sine dolore extrahuntur; sed & opes iucundè quidem ingrediuntur, studium tamen & appetitus illarum sola morte extinguitur. Spinis florentibus omnia frigent, aliique flores decidunt: sic dum superbit impius, incenditur pauper. Verè igitur spinæ: pungunt hîc, sed magis in futuro seculo: Ite maledicti in ignem æternum: Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Quem amarum sensum describit Iob: Panis eius in vtero eius vertetur in fel aspidum, intrinsecus diuitias quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet illas Deus: In his spinis dum hæret Dauid precatur: Inclina cor meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam. Similiter Salomon eius filius: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Apostoli. Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te. In quibus ne nos hæreamns, similiter monet Paulus, non sperare nos in incerto diuitiarum. monet D. Iacobus: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in nouißimis diebus. Quam ne & nos

Abac: 2.

Iob 20.

nos diuitiis coaceruandis thesaurizemus, auertat Dominus omnipotens; sed ponamus potius thesauros in præceptis altissimi, & magis nobis proderunt quàm aurum. Nemo igitur liberorum gratia pecuniis cumulandis incumbat, vt ditissimos illos relinquat, neque enim ipsis, aut ciuitati id conducit. Liberis non auri, sed pudoris multum opus esse relinquere, docebat Plato.

5. de Legib.

26 NOtandum quintò, docere Origenem disertissimè, nihil ingentes thesauros regibus & diuitibus huius seculi profuisse. Quid adiuuerunt, inquit, Pharaonem illi plures thesauri Ægyptij? Nónne repentè in maris profundo absorptus est? Quid adiuuerunt Nabuchodonosor regem totius pariter orbis diuitiæ congregatæ, & in Babyloniam translatæ? Nónne elisus est de throno gloriæ suæ, & de medio hominum subitò separatus est, atq; cum feris agrestibus deputatus, & septem annis habitare præceptus est? Etenim tunc ille consilium audiens beatissimi Danielis, peccata sua eleemosynis ex parte redemit. Quid adiuuit Baltazar filium eius, quòd ipse post patrem suum innumerabiles terrenas congregauit diuitias? Nónne percussus statim in eadem nocte perijt? Quid dicemus de alijs multis qui illi similantur, de quo in euangelio scriptum est: quod horrea sua destruens maiora ædificare quærebat sibimet ipsi dicens: Habes multa bona multis thesaurizata annis: Propterea ista, quæ remanserunt, ad alios sine dubio transierunt.

27 NOtandum sextò, D. Chrysostomum appositè hanc habendi cupiditatem nimiam tyrannidi comparare. Non in terra tantummodò, inquit, tyrannis ista dominatur; sed in pelago quoq; multa cum insolentia temulentiaq; bacchata est. Nam hic quidem congregandi auri cupidus nauigat, alter verò propter ipsum necatur aurum; & vna atque eadem tyrannis alium mercatorem, alium facit homicidam. Quid igitur potest ærumnosiùs amore pecuniæ, vel etiam perniciosiùs inueniri, quando propter eam plurimi & peregrinantur, & periclitantur, & sæpè etiam trucidantur?

SERIES EVANGELII.

28 SEquitur parabola de tritico & zizanijs, quam Euangelista similem primæ esse dicit: nam vtraq; ex agricultura honestissimo vitæ genere sumitur, vtraque ex semine, vtriusque ferè iidem termini, velut ex eadem similitudine ducta sit: quare vtraque eundem etiam scopum habet. Vt enim in præcedenti parabola origo boni & veri explicata est; ita in ista origo explicatur mali atque erroris, atque eius ipsius rei, vnde hoc proueniat; vt alij recipiant semen bonum, alij non recipiant. In superiori parabola dixit quartam tantùm partem seminis in bonam cecidisse terram: in præsenti autem demonstrat, quòd neque illud ipsum, quod super bonam cecidit terram, incorruptum permisit esse inimicus. Quod quidem duplici fraude & dolo eum tentare solere denunciat. Quum primùm terram bonam viderit fructum producere, aut centesimum, aut sexagesimum aut tricesimum, nec posse illum aut semen rapere, aut quod germinatum est vrere vel suffocare; tum secundas aggredi solitum esse insidias, docet hac parabola: & tanquam eius qui seminauit inimicum niti, illius laborem perdere, dormientibusq; hominibus, siue curam circa agri custodiam remittentibus (indicat autem præceptores & magistros, qui orthodoxorum sunt custodes) interseminare zizania, hoc est hæreticos inter orthodoxos,

doxos. Nam hos triticum nominauit, tanquam ei qui ſeminauit vtiles: Zizania dicuntur omnia, quæ adnaſcuntur fructui nociua; iuxta illud: Infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ: quæ hoc loco deſignant hæreſes, ac prauas cogitationes, quas diabolus ſuperſeminare ſolet. Quæ quidem ſententia cautos nos eſſe admonet, ne dum torpemus inertia, diabolus fœditatem vitiorum ſuper ſemen bonæ voluntatis ſpargat. Sed & quisquis Eccleſiæ præpoſitus eſt, non dormiat; ne per illius negligentiam inimicus homo ſuperſeminet zizania, hoc eſt hæreticorum dogmata.

29 INteriectis deinde duabus parabolis, dimittit turbas, ac domi ſimul cum diſcipulis ſe concludit: qui cùm duas parabolas ſuperiores de grano ſinapis & fermento per ſe intellexiſſent; tertiæ, quæ de zizaniis erat, interpretationem à Domino exquirunt; vt quibus iam dictum eſſet: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei. Ediſſere nobis, inquiunt, parabolam zizaniorum agri. Affert autem cæleſti interprete dignam interpretationem Dominus. Qui ſeminat, inquit, bonum ſemen, eſt filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum verò ſemen, hi ſunt filii regni. Zizania autem filii ſunt nequam. Dicuntur autem filii regni, qui rectam ſeruant fidem, vt potè à Chriſto ſeminati ad colendam virtutem, & poſsidendum eius regnum cæleſte. Filii autem mali, ſunt hæretici, tanquam à diabolo ad colendam prauitatem in agro Eccleſiæ conſeminati; vt ſimiliter cum eo recedant in ignẽ æterni ſupplicii perpetuò arſuri. Inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus. Quem quidem inimicum hominẽ, quia ſemper omnibus obeſſe conetur, authore D. Chryſoſtomo, meritò appellauit Dominus. Conatus enim ipſius omnis aduerſus nos eſt, cauſa verò atque origo vt nos impugnet, ab odio quo in maieſtatem diuinam fertur, profecta eſt. Dauid, ne vnquam hic tantus hoſtis ſibi præualeret, illis verbis deprecatur: Exurge, inquit, Domine, non confortetur homo: Et: Non dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. Meſsis verò conſumatio ſeculi eſt. Meſſores autem angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſumatione ſeculi: mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminũ ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium. In qua ſua pleniſsima interpretatione cæleſtis hic doctor & magiſter non eſt interpretatus, qui nam ſint dormientes homines, & qui ſerui patrisfamilias: ſed illos prætermiſit, aut tanquam manifeſtos: aut vt doceret, quòd non oporteat parabolas ad verbum interpretari, vt ait Chryſoſtomus; ſed tantum in locis maximè neceſſariis, propter quæ etiam aſſumuntur. Sed neq; nos hæc tam curioſè ſcrutari, vacat periculo.

SERIES EVANGELII.

30 ILlud ſcire oportet, iuſtos quidem cum iniuſtis ſimul reſurrecturos; verùmtamen antequam illi colligantur, rapientur hi in nubibus in occurſum Domino in aërea, ſicut dixit Paulus: illi verò deorſum relicti, quaſi indigni colligẽtur, poſtquam ipſe deſcenderit. Et primùm quidem iuſti comprobabuntur, deinde mali condemnabuntur: poſt has verò datas ſententias, primò ſanè peccatores reiicientur in ſupplicium æternum; deinde iuſti in vitam æternam, ſicut dicet inferius. Per ſe autem ſeminat, vt oſtendat, quòd ſibi proprium eſt beneficia præſtare: per alios autem ſupplicium infert; demonſtrans, quòd nolit mortem peccatorum, ſed magis vt conuertantur & viuant.

Matth.25.

SEd iuuat paucis quæstionem, quam Iustinus Martyr instituit, hoc loco apponere. Si cum frumento crescere zizania Dominus Christus pronunciauit, quî fit vt zizania exuberauerint, frumentum verò penè defecerit? & quo pacto demonstrari potest frumentũ esse quod defecit, aut non falsum esse quod prædictum est, ambo auctum iri. Et mox talem subiicit responsionem. Frumentum esse quod defecit demonstratur ipsius prædictione, dum dicit: Quia abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et rursum: Postremis temporibus deficient quidam à fide, & attendent spiritibus deceptoribus, & doctrinis hominum. Et rursum: A veritate auertentur, & ad fabulas conuertentur. Item. Intrabunt in vos lupi graues, qui non parcent gregi, quo abstrahant à se discipulos. Quod autem vsque ad consumationem seculi non desinet frumentum, declarat Dominus dicens: Sed propter electos quos elegit pater, decurtabuntur dies illæ. At enim, si quid accidit frumento, quod de eo dictum non sit crescente & deficiente; non dubium est quin falsum sit, quod de eo dictum est: sin ab initio prædicationis, vsque ad seculi consumationem omnia ei euentura prædictionibus tradita sunt; perspicuum est non esse falsum quod de eo dictum est. Enimuerò si sunt zizania, necesse est etiam esse frumentum. Nam ex vtriusque collatione, & frumentum quid sit cognoscitur, & alterum si absit, ne alterum quid sit cognoscitur. Hæc Iust. quæstione 22. ad orthodoxos. 31

NOtandum autem primùm hoc loco, quæ sint causæ bonorum, & quæ malorum. Bonorum causæ sunt. Homo qui seminauit semen suum, hoc est Deus pater, eiusque æternus hæres cum Spiritu sancto. Simile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Angeli boni, spiritusq; administratorii. Dicam, inquit, messoribus in tempore messis, quod paulò post interpretabitur: Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum. Ad salutẽ nostram vigilantes, & soliciti pastores, qui zelo œconomię Dei mouentur, statimque scandala sublata esse velint: Accedentes, inquit, serui patrisfamilias. Semen ipsum bonum, hoc est filii regni, regno cælesti destinati & præparati. Bonum verò semen, inquit, ij sunt filii regni. Vt autem istæ causæ bonorum sunt, ita illę malorum, diabolus inprimis, qui omnes occasiones nocendi ac inficiendi agrum Domini quærit, vigilat semper, dormit nunquam. Venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Secunda causa malorum, zizania, hoc est hæretici, atque alii administri scelerum ac vitiorum, quod est semen diaboli: Superseminauit zizania. Tertia causa est, negligentes & socordes in cura & conscientia pastores, quibus Dominus sæpius comminatur, & ex quorum manibus se animas suorum exquisiturum testatur: Cùm dormirent, inquit, homines. 32

SEcundò notandum est, Diabolum esse inimicum Dei, non natura, sed voluntate, hominemque triplici ex causa odisse. Primùm, quòd imaginem Dei quam odit, in eo agnoscit. Deinde quòd ad laudem Dei, cuius ille inimicissimus est, & quam ad se transferre velit: Si, inquit, procidens adoraueris me: homo creatus est. Demum, quòd in locum suum suffectus, illique antelatus sit. Indeque colligendum est, quanto odio digni sunt, & quæ illos pœnę maneant, quo scelere se obligent, qui diabolo adhærent, cum illoq; consensum habent: inimico, inquam, Dei, creatoris & reparatoris sui, sed & eorum ipsorum: aut 33

quomodo

quomodo aliquid boni à diabolo expectare poſsint: quod de his dictum eſſe volumus, qui magicis artibus, diabolicis reſponſis, diuinationibus variis, quæ ex tacito cum diabolo conſenſu naſcuntur, ſeſe inquinant.

33 NOtandum tertiò, quæ cauſæ ſint, cur hæreſes zizaniis comparatę. Quãuis id perneget Caluinus, vt quod eius oculos confodiat, nulla tamen ratione vtitur. Quia, quemadmodũ zizania tritico ſimilia ſunt in culmo, diſsimilia verò in fructu, eiq; nociua ſunt; ita & hæretici orthodoxis ſunt ſimiles habitu, ſed virtute diſsimiles, quæ eſt fructus; virtutis autem primus omnium fructus eſt dogmatum Veritas. Et quemadmodum zizania vſque ad fructificationem occultata creſcunt, tunc autem vbi fructus ſe profert dignoſcuntur; ita ſanè & hæretici, in principijs & initijs ſuis, in inchoatione verbi ac prædicationis, omnia ſimilia tritico habent: vbi verò creuerint, vireſq́ acquiſiuerint; tum demum ſe produnt, tunc venenum effundunt, ac ita facilè dignoſcuntur. Ideo quoq; in præcedentibus dixit: A fructibus eorum, inquit, cognoſcetis eos.

34 NOtandum quartò, nos non ſtatim, vt aliquid ſcandali videmus, aliquem condemnare debere. Ad cuius difficultatis explicationem illa dicenda ſunt, quæcunq; circa zizania fiunt, hæc omnia propter triticum fieri. Nam quod permittitur ſeri & creſcere, id propter triticum eſt; vt probetur, & illuſtretur: & quod euelli prohibetur, id eiuſdem cauſa fieri; ne ſimul euellatur: quod pòſt euellitur, & in ignem mittitur; id tritici cauſa fit; vt expurgetur.

QVintò notandum, patremfamilias nõ hoc iubere, vt zizania non eradicetur; nam pòſt euelletur & in ignem mittetur: ſed ne eo loco & tempore euellatur, néue eo modo & ratione; vt ſimul triticum bonum euelli debeat. Quis enim ſcit an non conuertetur? an non hæc eadem ipſe poſtea, quæ nunc facit, impugnabit ac euellet? quomodo Paulus, Auguſtinus, ac reliqui. Hîc igitur nobis etiam in priuatis iniuriis ac incommodis patientiæ exemplum præbetur; vt ſicut paterfamilias in dolo inimici patiens fuit; ſic nos in leui aliqua iniuria non ſtatim ad vindictam, ſed magis ad tolerantiam recurramus: hocque loco diſcretionis, & tolerantiæ malorum habeamus exemplum.

35 NOtandum & illud: Eum qui credit, & fructum dici & ſemen, alio & alio reſpectu. Fructum quidem primi ſeminis verbi, ſcilicet fidei; ſemen autem reſpectu futuri fructus; vt potè alterum ad fidem fructificans & excitans.

36 SExtò notanda eſt hoc loco grauis difficultas, & pro his temporibus pernneceſſaria. Eſt lex Moyſis moralis, & cuius hactenus cauſa & finis manet. Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi; eamus & ſequamur deos alienos quos ignoras, & ſeruiamus eis, non audies verba prophetæ illius, aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter; vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Dominum Deum veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius. Ipſi ſeruietis & ipſi adhærebitis. Propheta autem ille, aut fictor ſomniorum interficietur: quia locutus eſt, vt vos auerteret à Domino

Deut. 13

mino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis; vt errare te faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus, & auferes malum de medio tui. Hoc idem alicubi precatur Paulus: Vtinam & abscindantur qui vos conturbant. Contrarium hoc loco videtur docere Paterfamilas, à quo cùm ministri quæsissent: Vis vt colligamus zizania? ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsq; ad messem: & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Quam totam difficultatem his paucis verbis explicat Saluator. Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Si igitur sine damno tritici, statim vbi oriuntur, eradicari possent: tum nihil prius faciendum esset, quàm quod & Moses præcepit, & Paulus optat: verùm quoniam id nō ita facilè aliquando euenire potest, ideò Christus Dominus messem expectare iussit. Quare nō de omni zizaniorum genere hoc loco dicere Christū Dominum certum est; sed de eo solo, quod non ita facilè in principio à tritico dignoscitur, & quod sine periculo tritici euelli non potest, vel propter similitudinem, vel propter vicinitatem, colligationemque radicum, quod in his fit, quę maturè non purgantur & euelluntur: id autem tale est, quod non nisi ex spica & fructu discernitur: iuxta illud: A fructibus eorum cognoscetis eos: & ideo non prius euelli possunt, quàm aut culmus, aut fructus apparuerit. Nam cætera zizania commodiùs plerunque à principio aut medio extirpantur, & euelluntur, quàm in fine, aut in messe. Nam & in re rustica, vnde hæc sumitur similitudo, hoc idem fit: quando enim inutiles herbæ non distinguuntur, tum post messem demum separantur, runcantur: quædam autem statim primo vere aut æstate purgantur, quæ se citò produnt & aperiunt. Quomodo & ipse Dominus statim à principio, non expectans messem, cœpit hanc purgationem, cùm accepit ventilabrum in manum suam, atque etiam nunc persequitur vsque ad consumationem mundi, vbi omnibus numeris perfecta erit. Concludendum igitur est, non hoc Saluatorem docere, vt falsi prophetæ hæretici non puniantur, non euellantur, non occidantur; sed illud, vt certa ratione, & opportunè id fiat, ne triticum damnum aliquod sentiat. Non rectè igitur hoc loco hæretici suos errores tuentur, dum eos neq; puniendos esse neque extirpandos ex his Christi verbis demonstrare volunt, sed ad messem vsque extremi iudicij expectandos. Cùm non hoc Christus Dominus doceat, vt non puniantur, aut extirpentur; sed illud potius, vt in hanc curam omni studio & diligentia pastores & præpositi incumbant, quomodo hanc malam herbam cautè, prudenter, & tempore suo extirpent sine omni tritici incommodo: in omnemq; occasionem eius rei faciendæ incumbant, siue in fine, siue in principio: hoc enim & lex ipsa de falso propheta iubet, vt vidimus. Atque vtinam hoc in huius seculi zizaniis fecissent pastores & præpositi nostri, vt ea à principio euulsissent, minus profectò nunc laboraremus, pulchriorque & feracior seges Christi apparuisset. Cohortationis itaque potius locus est, quàm dehortationis, imò præceptum hoc loco ipsis pastoribus, vt eam opportunitatem videant, ac statim agrum Dei, frumentumque eius expurgent ab his quisquiliis. Quæ ne fingere videamur, quid de hac re grauissimus scriptor sentiat Hieronymus, videamus. Quod autem dicitur, Ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & frumentum; datur locus pœnitentiæ, & monemur ne citò amputemus fratrem: quia

Galat. 6.

fieri

fieri poteſt, vt ille qui hodie noxio deprauatus eſt dogmate, cras reſipiſcat, & defendere incipiat veritatem. Illud quoque quod ſequitur: Sinite vtraq; creſcere vſque ad meſſem, videtur illi præcepto eſſe contrarium: Auferte malum de medio veſtrum: & nequaquam ſocietatem habendam cum his qui fratres nominantur, & ſunt adulteri & fornicatores. Si enim prohibetur eradicatio, & vſq; ad meſſem tenenda eſt patientia; quomodo eiiciendi ſunt quidam de medio veſtrum? Inter triticum & zizania, quod nos appellamus lolium; quàm diu herba eſt, in diſcernendo aut nulla, aut perdifficilis eſt diſtantia. Præmonet ergo Dñus, ne vbi quid eſt ambiguum, citò ſententiam proferamus; ſed Deo iudici terminum reſeruemus; vt cum dies iudicii venerit, ille non ſuſpicionem criminis, ſed manifeſtum reatum de ſanctorum cœtu eiiciat. Quod autem dixit, zizaniorum faſciculos ignibus tradi, & triticum congregari in horrea; manifeſtum eſt hæreticos quosque & hypocritas fidei, gehennæ ignibus concremandos; ſanctos verò, qui appellantur triticum horreis, id eſt manſionibus cæleſtibus ſuſcipi. Et fuit quidem aliquando in ea ſententia, in qua & iſti, Diuus Chryſoſtomus cum D. Auguſtino, vt meſſem expectandam eſſe putarent, quam tamen poſtea facilè mutauerunt, & retractârunt. Quanquam magis de moribus & vitiis occultis, quam de hæreſibus hic locus intelligi poſsit. Plura hac de re habentur & ſcribuntur in epiſtolis D. Auguſtini. Sed & nos aliâs copioſius oratione pro cognoſceñ: falſis prophetis de hoc argumento ſcripſimus.

38 NOtat hoc loco D. Chryſoſtomus. Vbi Dominus prohibet, ne fortè ſimul cum zizanijs herba tritici euellatur, dixiſſe eo conſilio, vt bella & effuſionem ſanguinis prohiberet. Nam ſi trucidarentur hæretici, atróx & irreconciliabile bellum orbi inferretur. Duabus igitur rationibus prohibuit: altera, quia frumentis parũ nocerent: altera, quia niſi ſanarentur, extrema ſupplicia non euaderent. Notat deinde Euthymius, multos quidem ex hæreticis ante meſſem conuertendos eſſe; tamen ob hoc illis non commiſceri oportere. Spacioſus enim eſt hic mundus, & illos per ſe viuere oportet, non ablatos quidem, ſed ſeparatos; ne docendo corrumpant, quod ſeminatum eſt, triticum.

39 NOtandum octauò, quòd etſi hæretici ignem temporalem propter confœderationes ſuas effugere poſſunt; æternum effugere poterũt nunquam: mittetur enim falx mortis, & colligentur zizania, & in ignem mittentur ad comburendum.

40 NOtandum item duplicem in ſcriptura meſſem eſſe; aliam poſt ſationem prophetarum, iuxta illud: Meſsis multa, operarij pauci: aliam poſt Chriſti & Apoſtolorum, tempus iudicij vltimum.

41 NOtandum nonò, eos qui in eodem peccato communicant, etiam in ſupplicio communicaturos eſſe, eandemque vltionem ſubituros: Colligite, inquit, zizania; & alligate ea in faſciculos ad comburendum. Omnes igitur qui cum hæreticis communicant, qui cum eis affinitates & matrimonia contrahunt, qui eos tuentur, in magiſtratus euehunt, qui confœderationum authores ſunt, niſi pœnitentiam egerint, cum illis colligabuntur, ac in ignem mitten tur. Eodem genere dicendi vtitur D. Ioannes, triticum, inquit, ſuum congregabit in horreum, paleam autem inextinguibili igne comburet. Quæ res, cùm magni

magni momenti sit, ideò adiungit Saluator, qui habet aures audiendi audiat. Addidit deinde illud: Tuuc iusti fulgebunt sicut sol in conspectu patris eorum: vt sicut in præsenti fulget lux sanctorum coram hominibus; ita post consumationem mundi ipsi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Nam sicuti gloriæ infinitas, quæ reposita est filiis Dei, sensus omnes nostros longè altius exuperat, quàm vt possit vllis verbis exprimi; ita supplicium quod reprobos manet, quia incomprehensibile est, pro modulo captus nostri adumbratur.

42 NOtandum decimò hoc loco contra Anabaptistas, quàmdiu in hoc mundo peregrinatur Ecclesia, bonis & sinceris in ea permixtos fore malos & hypocritas, triticum & zizania; vt se patientia arment filii Dei, & inter offendicula quibus turbari possent, retineant infractam fidei constantiam.

43 NOtandum vltimò refutari ex hoc loco illos, qui putant diabolum nullius mali causam esse, sed vnumquenque malicia sua peccare: Venit inimicus homo, & superseminauit zizania.

SERIES EVANGELII.

44 SEquitur tertia & quarta parabola, ex eadem re domestica sumpta, de eadem doctrina, & eius verbo, cuius scopus est vim ortum progressum ac consumationem fidei ac religionis demonstrare, quemadmodum effectum verbi, atq; adeò infectionem superioribus parabolis demonstrauit. Ostendit igitur verbũ Dei, ac Euangelii doctrinam, à principio quidem rem quandam esse paruam, contemptibilem, ac vim & virtutem quasi nullam habentem; in exitu autem rem maximam ac insuperabilem esse, principiique vim habere: quę vt magnitudine sunt minima, ita virtute maxima: & à principio quidem parua, in exitu autem infinitis partibus crescunt. Qua de re Aristoteles, Demetrius Phalereus aliquot locis tradiderunt. Exponunt autem tripliciter granum sinapis patres. Primùm pro verbo Dei & doctrina Christi, vt Hieronymus, Theophylactus, Beda: alii pro ipso Christo, vt Hilarius: alii pro Apostolis, vt Chrysostomus, Euthymius. Et rectè omnes, plures tamen ad verbum & doctrinam Christi referunt. Quæ autem causa sit, explicat Hieronimus: Regnum cælorum prædicatio euangelii est, & noticia scripturarum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Iudæos: Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti faciẽti fructus eius. Simile est ergo huiusmodi regnum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo. Homo qui seminat in agro suo, Christus Dñus est, qui seminat in mundo vniuerso, in sensibus & corde vniucuiusque nostrum, granum prædicationis suæ, euangelii sui. Prædicatio euãgelii minima est omnibus disciplinis.

45 VErbum Dei vt granum sinapis, est & minus omnibus scientiis, & maius item. Minus quidem primò ex parte authoris, qui iuxta mundum fabri filius ex Nazaret putabatur. Secundò ratione obiecti, quod est Christus crucifixus. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam. Verbum enim crucis, iis quidem qui pereunt, stultitia est; iis autem qui salui fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Nam quia in sapientia Dei non cognouit mundus per sapientiam Deum; visum est Deo, per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Et paulò pòst: Quoniam stultitia Dei sapientior est quàm homines: & imbecillitas Dei robustior est quàm homines. Tertiò,

magistris

magiſtris & propagatoribus duodecim piſcatoribus. Quartò:modo dicendi & docendi. Nõ in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis: vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum,ſed in virtute Dei. Quintò, præceptis doctrinæ cum ſenſu & ratione prima fronte pugnantibus; vt ex cruce ſalutem petendam. Sextò præceptis vitæ ſecundùm homines ſtultis: vt pro inimicis oretur, & bene fiat à nobis his, qui nos oderunt; vt benedicatur maledicentibus nobis: vt percutientibus nos in maxillam præbeatur & altera. Septimò, breuitate præſertim ipſius cultus & orationis: Pater noſter. Quam paruitatem doctrinæ ſuæ ipſe author animaduertens, inquit: Qui me, doctrinamque meam adeò contemptam reueritus fuerit; reuerebor & ego eum coram patre meo, vt notat Nazianzenus in oratione ad Nemeſium. Paruum ergo hoc eſt granum à principio: ſed vbi creuerit, maius eſt omnibus oleribus, omnibus doctrinis & ſcientiis, ex his quæ ſequuntur capitibus.

46 PRimò, quòd nulla doctrina non modò diuinam, ſed ne humanam quidem perfectè docuerit virtutem: cùm aliquando vitia obtruderent pro virtutibus & commendarent, vt voluptates, ambitiones, &c. Ideo ipſi Philoſophi, vt docet Paulus, multa faciebant, quæ non conueniebant: & putantes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis. Erat enim in illis lumen naturæ, ſi non extinctum, at peccato obfuſcatum: & ideo Paulus doctor gentium dicit ſe plus cæteris laboraſſe, quia plures ſentes & ſpinæ illi in gentili populo extirpandæ fuerant: nam Iudæi melius omnia videbant. Quanquam & iſti non perfectam virtutem, vt diximus, docuerunt; cùm tantùm manum & linguam, non etiam cor & mentem inſtruerent, ac perficerent.

47 SEcundò, quòd quẽadmodum perfectam virtutẽ nulla lex docebat, nullaq; doctrina: ita etiã nulla erat quæ omnia vitia prohiberet; ſed illa tantùm, quæ ad cõſeruandam formam illius reipub. pertinerent. vnde Lacedæmonii furari permittebant, vt ciues cautiores efficerentur, permittebãt & amores & alia. Athenis viri perfectæ iuſtitiæ per oſtraciſmum pellebantur iniquiſsimo iure. Lex autem Dñi immaculata, ſine ruga, ſine macula, omnia ſimpliciter & nullo reſpectu, vitia prohibens; nulli relinquens locum. Teſtimonium hoc reddit Chriſti doctrinæ Plinius minor in epiſtola ad Traianum his verbis: Affirmabant hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum inuicem, ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent: quibus peractis, morem ſibi diſcedendi fuiſſe, rurſuſque coëundi ad capiendum cibum promiſcuum, tamen & innoxium, quod ipſum facere deſiiſſe poſt edictum meum, quo ſecundùm mandatum tuum hethærias eſſe vetueram, quò magis neceſſarium credidi ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere; ſed nihil aliud inueni, quàm ſuperſtitionem prauã & immodicam. Hæc Plinius. Sed neque virtutes omnes complexi erant, ſed ciuiles tantùm: vnde humilitati, patientiæ, virginitati, pudori paruum aut nullum reliquerant locum: idque ſolum quod extra fuit laudabatur, ſpectabatur: earum quæ in occulto fiebant nullam aut perexiguam habebant rationem. Quam in eorum integritatem dum Imperatores inquirere volunt, prohibebant

Plin. lib. 10. ep. 97.

eos plectere nomine Christi; sed vitia illis affingebant,quæ cohærere non poterant, vt refert Tertullianus & Nazianzenus.

TErtiò, aliæ doctrinæ prima & summa honestatis principia ignorabant. De felicitate primò nihil solidum, nihil constans conscripserant: sed dum alter alterum refutat,illud docuerunt,illos omnes de hac materia nihil certum & exploratum habuisse. Et quemadmodum verum finem vitæ non inuenerunt, ita neque viam ad illam. De immortalitate item animorum, de præmiis bonorum,& pœnis malorum,futura vita, nihil constans,nihil explicatum,certum nihil: de fide, spe, charitate, vitæ fundamentis, verbum nullum: at hoc ipsum sinapis granum hæc continet omnia. 48

QVartò, aliæ leges ea sola vitia puniunt, quæ in oculos hominum incurrunt, quæ palam fiunt; secreta mentis & animi, sed ne cubilis quidem ingrediuntur: Lex ista cor ingreditur,mentem purgat, animam illuminat. 49

QVintò, leges aliæ & disciplinæ pœnas tantùm vitiis proponunt; at præmia virtutibus nulla: hic vtraque. 50

SExtò, aliæ leges pœnas eas solas proponunt, quæ temporaneæ sunt; quas quis effugere ac declinare potest:hæc æterna & ineuitabilia proponit supplicia. 51

SEptimò,alię leges imperãt & præcipiunt,sed intus non efficiunt:hæc plura intus efficit, quàm foris præcipit, intus ingreditur, nullum malum concipi patitur; si quod conceptum est,lacrymis & gemitibus expurgat. 52

OCtauò, aliæ leges & doctrinæ nullum aduersis præsidium, nullum solatium ferunt, hæc omnia aduersa, omnes tribulationes condit, ac dulces & suaues efficit; solatur malam valetudinem, solatur paupertatem, exilium, iniustè susceptam infamiam, orbitatem, & cæteras miseriæ humanæ partes. 53

NOnò, Plato etsi philosophiæ veterum princeps, vnam solam Siciliam conuertere non poterat: hæc totum mundum breui tempore subiugauit. 54

DEcimò, mendaces sunt aliæ artes, hæc promissa omnia implet. 55

VNdecimò, facti peccati medicinam non ferunt, illa virtute sacramentorum ita fert, ac si nunquam facta fuissent; quod nulla alia habet. 56

DVodecimò, conscientiam & appetitum quietat, & adæquat ista; turbant potius, quàm quietant illæ. Ex quibus capitibus multa ad Apostolos, multa ad Ecclesiam transferri possunt, additis illis quæ sunt ex parte virtutis spiritus, tanquam radicis. Ad Apostolos quidem ratione conuenientiæ doctrinæ, ratione consensus, vnitas & paruitas istius grani sinapis declaratur, vnde neque plures, neque pauciores quàm duodecim: ratione finis vnius, qui est salus animarum: ratione eiusdem effectus, amoris & charitatis, verè vnum granum sinapis: propter in multos ramos propagationem: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ratione virtutis, quæ maior fuit, quàm illa quæ duodecim virorum apparebat specie: 57

propter

propter bonum odorem, propter ſanam & mordacem doctrinam: erant mordaces ſed non detractores alienæ famæ, non ad nocendum, ſed ad ſaluandum: ratione fructificationis,quę in altam arborem excreuit,ita vt in ramis eius volucres cæli habitarent. Granum rigens & potens ratione pœnitentiæ & contritionis & lacrymarum, quas eorum prædicatio excuſſerat vniuerſo mundo. Ad Eccleſiam autem reſpectu eiuſdem grani illa referri poterunt: primùm, quantum ad progreſſum & incrementa Eccleſiæ ſpectat, principia item & inchoationes,de quibus vberem circa hunc locum diſſerendi facultatem, ille qui hæc exaggerare velit,habebit. Fuit hoc ſemen primùm minimum omnium rerumpub. nec ſimul creuit: non impotentia Dei, cuius velle eſt poſſe & facere; ſed eiuſdem certa œconomia & ratione, qui humana humano more regit, & qui rerum vult habere initium, progreſſum & finem. Minimum ergo ſiue numerum ſpectes duodenarium & ſeptuaginta diſcipulos, ex quibus ſolis tum eccleſia conſtabat, verè puſillus grex: ſiue vim & vigorem præpoſitorum ac ciuium illius ſpectes, non multi potentes, non multi ſapientes: ſiue doctrinæ, pauca quædam elementa, & præcepta aliquot charitatis explicata, pauca euangeliſtarum capita, epiſtolæ aliquot, quæ totum in eccleſia continebant dogma. Parua item eadem eccleſia fuit ratione rituum & cæremoniarum, temporis ratione tum ita poſtulante, Iudæis & gentibus omni conatu aduerſantibus ac ridentibus: nihil ſplendidum, nihil illuſtre: in cryptis & ſepulcris omnia peragebantur: viuere illis in terra non licuit,tantò minus ſplendidos & illuſtres cultus obire, quod ſtulta hæreſis nõ videt. Verè profunda iaciebantur fundamenta, longè duraturi ædificii; profundè iactum ſemen altæ arboris. Parua opibus & facultatibus, quas Paulus deſcribit: Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis: egentes, anguſtiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes in montibus & ſpeluncis,& cauernis terrę. Parua loco, Capharnai primò, pòſt Hieroſolymæ, deinde in Iudæa tantùm. Et minimum quidem ſemen hoc fuit, hoc modo præ omnibus ſeminibus; creuit autem omnibus maius oleribus, & factum eſt arbor, ita vt volucres venirent & habitarent ibi. Magnum numero de quo Ioannes: Poſthæc vidi turbam magnam,quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis. Magnum virtute virorum, ſiue ſanctitatem,ſiue ſapientiam,ſiue potentiam ſpectes. Hinc diui, hinc ſapientes, hinc reges, hinc Imperatores, monarchæ innumeri prodierunt. Vnus cædebatur, & centum conuertebantur; ita vt Iulianus prohibuerit eos publicè punire. Vt enim vinea quantò melius putatur, tantò melius creſcit; ita & iſtorum mortes incrementa fuerunt Eccleſiæ. Hæc autẽ creuit non dolo, non fraude, non ſanguinis alieni profuſione, non ſapientia & potentia mundi, non eloquentia; ſed ſecti ſunt, tentati ſunt, lapidati ſunt, in occiſione gladii perierunt,tanquam in alieno corpore,aut potius extra corpus paſsi, inquit Nazianzenus. Magnum item granum eccleſiæ doctrina, quæ cùm antea, vt diximus, aliquot propoſitionibus conſtabat tantùm,nunc omnes linguas, legem, vetuſtatem philoſophiæ complexa eſt, quæ in arborem non curioſo ſtudio creuit:ſed dũ Iudæis & gentibus ac hæreticis repugnat; dum Iudæis reſpondet legem & linguam hebræam didicit:dum gentibus, vtramq; philoſophiam, dum hæreticis omnes partes chriſtianæ doctrinæ excoluit ac excuſsit. Ita nulla eſt lingua,quam non nôrit:nulla philoſophiæ pars, quam non ſit complexa, nihil dubium quod non ſit explicatum, excuſſum. vel ſola D. Thomæ

Summa, argumento esse potest, nullam illi partem sapientiæ deesse. Nam de ritibus quid dicam; qui non superstitione aliqua, aut cacozelia, vt mentitur Caluinus, sed summo conciliorum studio, summorum pontificum authoritate, populorum pietate creuerunt: vt rectè occinatur: Quæ est alia gens sub cælo tam inclyta, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut adest nobis Deus noster? Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Magnum granum opibus: mitto spiritalia dona, spiritus sancti virtutes, miracula, beatitudines, sed & temporalibus bonis est diues, de quibus Isaias: In terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Et ipse saluator: Centuplũ accipient in hoc tempore. Quod ita non mercando, non fænerando, non agros colendo, sed sua effundendo ac perdendo consecuta est. S. Chrysostomi temporibus aucta fuisse bona ecclesiæ, vel illo ipso teste constat: Oportebat, inquit, hunc ecclesiæ thesaurum vos retinere, ecclesiam non paruos ex vestra deuotione consequi fructus. Magnum loco & possessione: A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini. Et illud Malachiæ: Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum nomen meum in gentibus. Nam si quid gentilitatis aut Iudaismi relictum est, hæresum item; hoc exercitii causa & disciplinæ relictum est. Quæsiuit orbem exiliis & deportationibus suis. Quocunque enim pellebantur, eorum regiones subegerunt. Magnum imperio, ad cuius pedes & vestigia veniunt proni reges, exosculanda & adoranda, quæsiuit hoc obedientia & deuotione sua. Paruum igitur granum, sed & maius omnibus. Est & alia quædã expositio parabolæ apud Hilarium, atq; Venerabilem Bedam, quam licet verbis ipsorum adscribere. Grano sinapis, inquit Hilarius, se Dominus comparauit, acri maximè & omnium seminum minimo: cuius virtus ac potestas tribulationibus ac pressuris accenditur. Granum hoc igitur postquam in agro satum fuerat, id est vbi à populo comprehensus & traditus morti, tanquam in agro satione quadã fuit corporis consepultus, vltrà mensuram omnium olerum excrescit & vniuersam prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice tãquam ægroto Israëli data est prædicatio prophetarum. Sed iam ex ramis arboris ex solo in sublime prolatæ, volucres cæli inhabitant. Apostolos scilicet ex virtute Christi protensos, & mundum immorantes in ramis intelligimus, in quos gentes, in spem vitæ aduolabant, & aurarum turbine, id est diaboli spiritu flatuque vexatæ, tanquam in ramis arboris requiescent. Vna igitur ecclesia est numero, vna specie, vna naturã, sed non eadem: alia siquidem fuit in semine, alia in herba, alia in culmo, in spica alia, alia in puericia, alia in iuuentute, alia in senecta: vberrimè crescit illa, sed in aliud non degenerat: ex leone canis non efficitur, aut ex tritico zizania, quod hæresis non videt; neque distinguit: fuit grex pusillus, creuit in gentem magnam. de cuius incrementis Dauid Psalmum illum totum, Qui regis Israël intende, magnificè cecinit. Et Venerabilis Beda: Potest in grano sinapis Dominicæ incarnationis humilitas designari, quod acceptum Ioseph sepeliuit in horto: creuit verò in arborem, quia surgens ascendit in cælos: ramos expandit id est prædicatores, in quibus quique fideles ab huius fatigatione vitæ requiescerent, spargit.

Hom. 86. in Matth. oper. imp.

SERIES EVANGELII

IDem sensus est & scopus parabolæ sequentis de fermento, nisi quòd parabolam 85

bolam de sinapi ad magnitudinem, de fermento autem ad virtutem referri doceat Euthymius: Hoc igitur docet, doctrinam Euangelicam, etiamsi parua & vilis à principio appareat; magna tamen continere in se: quomodo modicum fermentum magnam massam fermentat, ac vim ita diffundit; vt magna farinæ copia inde accrescat & fermentetur. Paruum fuit hoc fermentum: Diliges Dominum Deum tuum. Et illud: Quod vultis vt faciant vobis homines, similiter & vos facite illis: totum tamen mundum fermentauit, ac summam legis docuit. Ad eundem similem fidei sermonem, ad eandem doctrinam, ad eosdem Apostolos refertur. Mulierem alii animam humanam, vt Theophylactus: alii sapientiam summā ipsum Christū, vt Euthymius: alii ecclesiam, vt Hieronymus, interpretantur. Diuersus est hominū stomachus: alij amaris, alij dulcibus, alij austerioribus, alij lenibus delectantur cibis: proponit itaq; Dñus, vt iā supra diximus, diuersas parabolas, vt iuxta vulnerum varietates, & medicina diuersa sit. Mulier ista, quæ fermentum accipit, & abscondit illud in farinæ satis tribus, donec fermentatur totum; vel prædicatio mihi videtur Apostolica, vel Ecclesia, quæ de diuersis gentibus congregata est. Hæc tollit fermentum, notitiam scilicet & intelligentiam scripturarum, & abscondit illud in farinæ satis tribus, vt spiritus & anima, & corpus in vnum redacta non discrepent inter se, sed vbi cum duobus & tribus conuenerint impetrent à patre quodcunque postulauerint. Suscipit autem parabola hæc interpretationes multas, quas D. Hieronymus atq; Hilarius retulerunt: quas quoniam ne ipsi quidem ex omni parte probant; ideo ab his referendis supersedebimus. Cur autem per fermentum fidei sermonem significet, exponit causam Euthymius. Sicut enim fermentum, cùm sit modicum, in multa tamen farina absconditum per conspersionem totam farinam in vnum corpus simul, vnam & alienā speciem ab ea quam prius habebat transmutat: cumque farina res sit mortua, eam quodammodo viuificat, ac vim habens actiuam sursum ascendere facit; ita quoque fidei sermo, quum, vt dictum est, quantitate sit modicus, in multorum hominum animabus occultatus per doctrinam omnes in vnum corpus Ecclesiæ vnit, ac in alteram conuersationis speciem transmutat: quumque mortuos ad opera virtutis viuificat, ad eius operationem, & sursum ascendere facit ad cælum, omniaque efficit sua ineffabili potentia. Satum autem, inquit Venerabilis Beda, genus est mensuræ apud Palæstinos, habens modium vnum & dimidium.

59 NOtandum autem est non frustra docere Aristotelem, principia magnam vim habere, appriméque cauendum esse, ne quid erroris admittatur in principiis: nam quod in principio perexiguum est, infinitis partibus in exitu crescit. Docebatque Proclus Platonicus, si dentur quadringentæ propositiones necessariæ, & vna sit in illis verisimilis tantùm, totam disputationem propter vnum illud principium verisimilem futurā. Vt enim vitium in radice totam arborem corrumpit, in fundamēto totum ædificium ad labem pertrahit, in epate totum animal inficit; ita in fide error paruus, est multus, neque contemnendus. Vnde & D. Paulus, modicum fermentum totam massam corrūpere docet. Quod si maiores nostri in ortu hæresum vidissent: nunquam huc res deducta esset, quò deductam videmus.

60 NOtandum, Euangelistam cùm multas parabolas cōgessisset, causam eius rei adferre

rei adferre ex Psal. 77. quòd eo genere scilicet doctrinæ Mesias docere debuerit: Aperiam, inquit, in parabolis os meum, loquar propositiones à constitutione mundi. Est autem Psalmus non ipsius Dauidis, sed Asaph Prophetæ, & ideo alii corruptè Isaiam legunt. Sciendum autem est, inquit Hieronymus, quòd in Psalmis & hymnis, & canticis Dei, non solùm Dauid, sed & cæteri, quorum præscripta sunt nomina, prophetæ sint appellandi, Asaph videlicet & Idithun, & Heman Esraites, & Æthan, & filij Chore, & reliqui quos scriptura commemorat.

61 NOtat circa hunc eundem locum perdoctè D. Hieronymus: Quòd, inquit, ex persona Domini dicitur, Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi, considerandum attentiùs, & inueniendum describi egressum Israëlis ex Ægypto, & omnia signa narrari, quæ in Exodi continentur historia. Ex quo intelligimus vniuersa ea, quæ scripta sunt, parabolicè intelligenda, nec manifestam tantùm sonare literam, sed abscondita sacramenta: hoc enim se Saluator promittit dicturum esse, aperiens os suum in parabolis, & eructans abscondita à constitutione mundi. Semper igitur puer Græcia, semper Latium, quæ eas propositiones, quæ erant ab initio, non nouerat.

SERIES EVANGELII

62 DE vi & natura fidei, verbi ortu, progressu item; cùm præcedentibus dixisset parabolis, nunc de pretio & dignitate, obscuritate item, duabus sequentibus parabolis agit: & quo ardore inquiri debeat, eo scopo & fine, vt attentiores & diligentiores eius cultores efficiamur, tum ratione precij, tum ratione difficultatis: itaq; affecti simus, vt causa Christi eiusque doctrinæ res omnes nostras, nosq; adeò ipsos parati simus relinquere, mundoque ipsi hæc anteferre. Primùm igitur: Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro. Cùm reliquas, inquit Origenes, parabolas dixisset turbis, hanc cum duabus sequentibus, non parabolas sed similitudines ad regnum cælorum pertinentes, videtur iam ingressus domum dixisse discipulis. Quid autem differat parabola à similitudine, idem Origenes docet eodem loco. Thesaurum autem absconditum intelligit, occultos scripturarum sensus, & eos qui sunt in Christo sapientiæ & scientiæ thesauros. Hieronymus, per thesaurum, atq; D. Hilarius, verbum incarnatum intelligunt. Euthymius, Lyranus, & alij prædicationem fidei & charitatem. Theophylactus autem: Ager, inquit, est mundus, thesaurus prædicatio & cognitio Christi; hîc in mundo absconditur, iuxta illud Pauli, Sapientiam prædicamus absconditam. Qui itaq; Dei cognitionem quærit, inuenit eam: tum omnia quæcunque habet siue scientias philosophicas, siue malos mores, siue opes & diuitias, abiicit confestim, & comparat agrum. Quisquis autem ad cognitionem Christi peruenit, mundum emit, mundi est Dominus factus, nihil habens & omnia posidens. Res tamen in idem incidit, cùm absconditus in agro esse dicitur, ob suam obscuritatem & difficultatem. Absconditus est autem propter insidias diaboli. Qui thesaurum in via publicè portat, deprædari desiderat. Cuius comparãdi tantum ardorem esse dicit, quòd qui eum inuenit, abit & vendit omnia, iuxta illud: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: emit agrum per contemptum terrenorum, venit ad thesaurum per studium æternorum. Pulchrè parabolam hanc expendit D. Hilarius. Per similitudinem thesauri in agro, spei nostræ opes intra se positas ostendit, quia Deus in homine sit repertus; in cuius precium omnes seculi vendendæ sunt faculta-

In Matth. can. 3.

tes; vt vestitu, cibo, potuque indigentium, æternas cælestis thesauri diuitias comparemus. Sed contuendum est, inuentum thesaurum, & absconsum fuisse, cùm vtiq; qui inuenit, & secretò, & tempore quo abscondit, auferre potuisset, & auferens emendi necessitate caruisset. Sed vt rei ita & dicti fuerit ratio explicanda. Ideò enim absconsus est thesaurus, quia & agrum emi oportebat. Thesaurus enim in agro, vt diximus, Christus intelligitur in carne, quem inuenisse est gratum: Euangeliorum enim prædicatio in absoluto est; sed vtendi, & posidendi huius thesauri cum agro potestas, non potest esse sine precio: quia cælestes diuitiæ non sine damno seculi posidentur.

63 EOdem sensu repetit de margarita parabolam, dicit Hieronymus, aliisque verbis idipsum quod suprà dicitur, tradit. Bonæ autem margaritæ quas quærit institor, lex & prophetæ sunt. Audi Marcion, audi Manichæe: bonæ margaritæ sunt lex & prophetæ, & notitia veteris testamenti. Vnum autem est pretiosissimum margaritum scientia Saluatoris, & sacramentum passionis illius & resurrectionis arcanum. Quòd cùm inuenerit homo, negotiator similis Pauli Apostoli; omnia legis prophetarumque mysteria, & obseruationes pristinas, in quibus inculpatè vixerat, quasi purgamenta contemnit & quisquilias, vt Christum lucrifaciat. Non quòd inuentio nouæ margaritæ condemnatio sit veterũ margaritarum; sed quòd comparatione eius omnis, alia gemma vilior sit. Pretiosam autem dixit margaritam, vt distingueret ab eis, quæ non sunt pretiosæ, inquit Origenes. Eodem modo de hac eadem margarita philosophatur Hilarius. Et de margarita par oratio est, sed ad negotiatorem iam diu in lege versantem proficiens hic sermo est; qui longo ac diutino labore, ad margaritæ scientiam peruenerit, & ea quæ sub onere legis adeptus sit, derelinquat. Diu enim est negotiatus, & margaritam aliquando qualem optabat inuenit, cui & vnius huius desiderati lapidis pretium reliqui laboris iactura est comparandum. Hanc igitur margaritam emere oportet, dando pro illa omnia. Quarum parabolarum eam notat differentiam & conuenientiã Euthymius. Hæ autem duæ parabolæ in multis inuicem sunt similes, & breuiter in hoc solo differunt, quòd illa fidei sermonem, thesaurum vocabat, hæc autem margaritam: sicut & duarum præcedentium parabolarum; vna quidem granum sinapis illum appellabat, altera verò fermentum. Et sicut per duas illas significauit incrementum vimque fidei; ita rursum per has duas illius significauit diuitias & excellentiam.

64 NOtandum autem quatuor parabolis istis quatuor amplissima epitheta doctrinæ fidei contineri. Amplitudinem primùm, deinde vim & efficaciam maximam, tertiò opes & diuitias, quartò dignitatem & excellentiam ingentem. Crescit vt granum sinapis, vim habet vt fermentum, ditat veluti thesaurus, eximia est tanquam margarita preciosissima.

65 NOtandum est secundò cum Origene, multiplices esse margaritarum differentias: alias esse terrestres, alias maritimas: ac terrestres quidem apud solos Indos nasci, quæ congruunt sigillis, annulis, ac monilibus: Maritimas autem si quæ sunt insignes, apud eosdem Indos inueniri, quæ etiam optimæ in mari rubro nascuntur. Proximum autem in margaritis locum habent, quæ ex Oceano Britannico capiuntur. Tertii autem ordinis, inferiores sunt non solùm primis illis, verùmetiam secundis, quæ in Bosphoro iuxta Scythiam inueniuntur. Insuper

ſuper & hæc dicuntur de Indico margarito,quod conchis innaſcitur,quæ ſimilem habent naturam cum prægrandibus cochleis,quæ narrantur veluti turmatim in mari paſci, velut armenti duce quopiam exploratore, qui referat, qualis & quanta ſit regio, atq; hanc aiunt præeminere cæteris ſub ipſa degentibus;vt res ſimilitudinem habeat cum examine quod dicitur apum. Narrant autem & de ratione capiendi præſtantiores, hoc eſt, eas quæ in India reperiuntur;quòd incolæ, poſteaquam magnum litoris ambitum retibus cinxerunt,adnatant vrinantes, ſtudentes ducem agminis, vnum ex omnibus comprehendere. Siquidem hoc pacto ferunt nullo negotio capi huic ſubditum agmen, quippe nulla iam ſubſiſtente ex toto grege,ſed vnaquaq; ceu loco vincta ſequente gregis ducem. Dicitur autem & generatio margaritarum Indicarum temporum ſpatiis confici, animali multas verſiones ac mutationes capiente, donec perficiatur. Quin & illud narrant, concham ferentem margaritum diduci, in morem oſcitantis animantis, ac diductam,cæleſtem in ſe rorem recipere: quo ſi puro limpidoq; fuerit expletum, lucidum fit margaritum, concipitq; concha grandem & concinnam gemmam. Quòd ſi quando turbidum, inæqualem & hybernum rorem acceperit; nubilum concipit margaritum, & variis obnoxium maculis. Quin & illud comperimus, ſi concha procedens, vt impleatur gemma, qua ſolet eſſe grauida, interim corripiatur à fulmine,contrahitur,ac veluti metu conſtringitur,fœtum eiiciens,in ea quæ dicuntur φυσήματα, hoc eſt inflationes: nōnunquā velut abortiuæ generantur breues,ac nebulæ nonnihil habentes, tametſi concinnæ. Iam & illud habet Indicum margaritum præter alia,colore candidum eſt, argento pellucenti adſimile, ſic vt ſplendor ſubuiridis paulûm ſubluceat,cæterum vndiq; figuram habens rotundam, ſiue turbinatam. Eſt autem colore blando, & omninò tenerius quàm pro lapidis natura. Inſuper eſt adeò iucundum aſpectu, vt, quemadmodum tradit is qui ſcripſit de natura gemmarum, admodum illuſtrioribus laudem auferat. Præterea eſt & illud optimi margariti ſignum, ambitum habere ſculptum: præterea colorem habere candidiſſimum, maximeque pellucidum: poſtremò granditate maximum eſſe. Hactenus igitur de margarito Indico. Cæterùm, quod apud Brittaniam aiunt inueniri, ſummo quidem colore accedit ad auri ſpeciem, cæterum nebuloſum ac turbidum, luceque obtuſiore. Iam quod inuenitur in portu iuxta Boſphorum, obſcurius eſt ac liquidum, ac omninò luce carens, tenerumque & ingenti magnitudine. Naſcitur autem in ſinu iuxta Boſphorum, non in conchis, quod eſt teſtæ genus ferens margaritas, ſed in his, qui vocantur mures: de his loquor qui iuxta Boſphorum in paluſtribus paſcuntur. Fertur autem & quartum eſſe margaritarum genus circa Acarnaniam, in oſtreorum conchis. Verùm hæ non admodum probantur, ſed incompoſitæ ſunt; tum figura, tum colore: denique turbidæ, vndiq; ſordidæ. Sunt autem & aliæ iuxta eandem Acarnaniam, omnibus nominibus reiiciendæ. 'His itaque collectis ex eorum libris, qui de gemmis tractarunt, dico ſeruatorem ſcientem differentiam margaritarum, quarum in genere ſunt & bonæ, & rurſus aliæ viles, hæc dixiſſe: Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Niſi enim eſſent in margaritarum generibus etiam malæ; nequaquam dictum eſſet, quærenti bonas margaritas. In omnigenis autem ſermonibus, qui veritatem profitentur, & gemmas ferunt, quærit margaritas. Ac ſint, vt ita vocem, quæ ex rore cæleſti concipiunt conchæ, verbóque veritatis grauidæ fiunt cælitùs, prophetæ,qui

iidem

iidem sunt illæ pulchræ margaritæ, quas iuxta id quod proposuimus dicere, quærit homo negociator: quòd verò ducit agmen margaritarum, quo inuento, simul & reliquæ inueniuntur, videlicet illud preciosum margaritum, est Christus Dei verbum, quod superat preciosas terras, sensusque legis ac prophetarum: quò inuento, simul & omnia cætera facilè capiuntur.

66 NOtandum tertiò cum eodem Origene, margaritam in concha nasci, eandem cùm aperta fuerit fulgore illustrari, atque affiari, & cùm se deinceps clauserit ex fulgore roreque margaritam concipi, ideoque candore præstare. Ita & Christum in virgine conceptum esse, ex fulgore superno sancti Spiritus.

67 NOtandum quartò, quali ingratitudinis cruce se obligant, qui rem tantam, tam efficacem, tam preciosam, tam excellentem contemnunt, pro qua se, omniaque sua diuendere debebant, ac ad illius conquisitionem referre. Fecerunt hoc primi Apostoli, Apostolorumque discipuli: fecit D. Franciscus, D. Dominicus, & alii multi: nos autem ne minimam quidem partem, aut euangeliorum, aut epistolarum Pauli nouimus.

68 NOtandum quintò, quamuis scriptura sacra sit natura sua clara: præceptum Domini lucidum: voluisse tamen Deum aliquid difficultatis & obscuritatis in ea relictum esse. partim, vt arceantur prophani: partim, vt studium & diligentia excitetur. Errant igitur vehementer hæretici, qui ad hæc tanta, à quibus Christus Dominus turbam exclusit, mulierculas & turbam imperitam admittunt, rei christianæ magna confusione: nam hæc defossio thesauri in terra hic margaritarum abyssus, nihil aliud significat, vt exponit Lyranus. Ager autem est sacra scriptura, sub sensu literali sensus mysticos habens absconditos, tanquam thesaurum preciosum: quem inuenit, qui sollicitè ei studet & deuotè; & sic pro isto studio thesauri, vendit omnia quæ habet, quia in eius comparatione ea paruipendit. Itaque dicebat Irenæus author vetustissimus, eam esse difficultatē scripturę; quòd ad extremū vsq; iudicii diem aliquę partes latebūt.

69 NOtandum sextò, quandoquidem eius difficultatis est scriptura; studio & labore magno in ea percipienda opus esse, fossione multa, sed & aliorum studiorum intermissione, instrumentis item multis & præsidiis librorum, quietis, & aliarum rerum ad eam rem pertinentium. Quamuis enim hæc gemma gratis detur, studio tamen & vigilantia emi & comparari debet. Errant igitur illi, & in errorem alios inducunt, qui ex vno libello doctores esse volunt. Apostoli dices his caruerunt: atqui Christum & Spiritum sanctum præsentem doctorem habuerunt: quanquam & illud non ita euidens est: nam & Paulus legis peritissimus fuit: & Timotheum ab infantia sacras literas didicisse narrat.

70 NOtandum septimò, arcana & mysteria fidei non passim non vulgò ostentanda ac propalanda esse: thesaurus enim absconditus sunt, gemma preciosa: quin aliquando abscondenda propter homines prophanos ac irrisores, quod pulchrè docet Dionysius, atque Gregorius Nazianzenus in prima theologica oratione, contraquàm faciunt Euangelici, qui omnia ad cauponas & gynæcea protulerunt contaminanda.

Notandum

NOtandum octauò cum D. Chrysostomo: vnam veritatem esse, nec in multas scindi partes, ac veluti qui margaritam habet, ipse nouit se diuitem esse, etiamsi aliis ignotum nonnunquam illud sit, cùm paruo in loculo margarita recondatur: sic & in prædicatione veritatis, qui ei adhærent, totoque animo illam amplectuntur; opulentos sese non ignorant: quamùis infideles thesauri vim non cognoscentes fidelium opes contemnant. 71

NOtandum postremò, quamùis regnum Dei gratis detur, & à violentis rapiatur; tamen idem ipsum vitæ integritate & honestate, precibus multis, animi mundicia & corporis, abnegatione suiipsius, omniumque rerum suarum, cupiditatum & affectuum prauorum, mundi contemptu comparari debere; contrà quàm docent Euangelici: hoc enim est vendere omnia, & comparare illam. Abiit, inquit, & vendidit omnia, & comparauit eam. 72

SERIES EVANGELII.

SExta parabola de piscibus bonis & malis, cuius continuationem & scopum hunc ponit Euthymius. Ne autem de sola fide præsumamus, aut sufficere eam ad salutem credamus, addit & aliam parabolam, qua discimus, quòd non omnes qui credunt salui fiunt, sed multi eorum pereunt. Termini parabolæ sic exponuntur: Regnum cælorum, sermo fidei: Mare mundus, propter amaritudinem vndásque tentationum. Omnimoda piscium genera, variæ multitudines inhabitantium in eo hominum, virorum, mulierum, puerorum, senum, cœlibum, coniugatorum, barbararum gentium, Iudæorum, meretricum, publicanorum, latronum. Impletio retium fidei incrementum. Littus intelligitur locus iudicij. Collectores & separatores, angeli. Boni pisces iusti, mali autem iniusti. Retia & sagena illa est, quam ex veteri & nouo testamento Euangelicorum dogmatum contexuerunt sibi Apostoli, & miserunt in mare huius seculi, quæ vsque hodie in mediis fluctibus tenditur, capiens de salsis & amaris gurgitibus quidquid inciderit, id est & bonos homines & malos, & optimos & pessimos pisces. Cùm autem venerit consumatio & finis mundi (vt ipse infrà manifestiùs disserit) tunc sagena extrahetur ad littus, tunc verum secernendorum piscium signum demonstrabitur, & quasi in quodam quietissimo portu, boni mittentur in vasa cælestium mansionum, malos autem torrendos & exiccandos gehennæ flamma suscipiet. Sagena itidem hæc secundùm Origenem vario contextu, similis est regno cælorum, ob veterem ac nouam scripturam ex omnigenis variisque sensibus plexam; dum ex his, qui veluti pisces incidunt in rete, alii quidem in his sagenæ partibus reperiuntur, alii rursus in aliis, & vnusquisque aliqua parte captus est: sic inuenias etiam ex his, qui in scripturarum sagenam venerunt, quosdam esse captos sub inuolucro prophetico, vt exempli causa loquar, Isaiæ, iuxta hanc expositionem, aut Ieremiæ, aut Danielis: alios rursum sub textu legali: insuper alios iuxta partem Euangelicam, nonnullos iuxta Apostolicam. Primùm enim qui capitur à verbo, aut capi videtur, ex aliqua totius sagenæ parte apprehenditur. Nihil autem absurdi, si nonnulli pisces ex his qui saliunt, vndique continentur toto sagenæ contextu, qui est in scripturis, & vndiquaque constringuntur, tenenturque, sic vt aufugere non possint; sed velut omni ex parte seruitute coërciti, facultatem non habeant elabendi. Hæc Origenes. Quod autem inferius promittit seipsum separaturum eos ab inuicem, dicendum est: quòd quidem ipse Dominus separabit eos suo iussu. 73

iussu: Angeli autem separabunt eos operatione, præceptum Domini tanquam ministri exequentes, quam quidem separationem non sine periculo futuram esse ostendit, Et mittent eos, inquit, in caminum ignis. Hilarius meritò prædicationem suam reti comparauit, quæ in seculum veniens, sine seculi damno habitantes intra seculum congregauit, modo retis, quod mare penetrans ita agitur de profundo; vt per omne elementi illius corpus euadens, clausos intra ambitum extrahat, nosque ex seculo in lumen solis veri educat: in bonorum electione, & malorum abiectione, futuri iudicii examen ostendens.

74 NOtandum primò, in Ecclesia Dei semper fuisse permistos bonis malos, contrà quàm sentiunt Nouatiani atque Anabaptistæ. Sagena enim ista significat ecclesiam, quæ omnes communiter ad veniam peccatorum inuitat: qui ad littus, id est ad finem seculi in cælestes mansiones recipiuntur, impii verò in exteriores tenebras mittuntur.

75 NOtandum secundò, Manichæos veteres, & alios Gnosticos hinc liberi arbitrii vim auferre voluisse, quòd alii sint pisces boni, alii mali, quod illi ad naturam referebant; quos Origenes excellenter refutat. Nam huic intellectui, inquit, repugnant omnes scripturæ, declarantes esse liberum arbitrium, dum & accusant eos qui delinquunt, & probant eos qui rectè faciunt, haud quaquam meritò in eos competente, vel reprehensione, qui ex mali generis naturâ tales sunt; vel laude in eos, qui tales sunt ex genere meliore. Siquidem vt pisces boni sint ac mali, causa non est in animabus piscium, sed secundùm illud, quod verbum omnia sciens dixit, Producant aquæ reptilia animarum viuentium. Quo tempore & fecit Deus cete grandia, omnemque animam animalium reptilium, quæ produxerunt aquæ iuxta genus suum. Illic igitur aquæ produxerunt omnem animam animantium reptilium, iuxta suum quamq; genus, cùm causa non esset penes illam: hic verò nos sumus in causa, vt sint bona genera dignaque vasis quæ vocantur, aut mala dignaque quæ proiiciantur. Non enim in nobis natura causa est maliciæ: sed voluntas, quum sit libera, propensa est ad malefaciendum. Sic nec iustitiæ causa est natura, tanquam quæ non recipiat in iustitiam: sed verbum quod accepimus est, quod reddit nos iustos. Nam inter genera degentium in aquis, non videbis quæ transmutentur à malis, vt in piscium generibus, in bona, aut à melioribus ad deteriora: in hominibus contrà bonos ac malos semper videre licet; qui vel ex malicia peruenerint ad virtutem; vel à profectu virtutis ad maliciæ dissolutionem reciderint.

76 NOtandum tertiò, neque vocationem, neq; fidem, neq; prædicationem, neque hoc ipsum esse in Ecclesia multum finaliter prodesse ad salutem, nisi te in bonis operibus exerceas; quod piscibus malis euenire videmus: qui etsi ab iisdem ministris capti sunt, iisdem instrumentis, ac in eadem sagena fuerint, hoc est Ecclesia; in littore tamen maris, hoc est in vltimò portu vitæ separati sunt: & boni quidem recepti in vasa piscatoris, in mensaque regia appositi; mali autem foras eiecti canibus & bestiis.

77 NOtandum quartò: Angelos Dei ministros esse, & ad salutem nostram, & ad segregationem bonorum à malis: Sunt enim spiritus administratorii.

Notandum

NOtandum quintò, bis in hoc capite mentionem fieri camini ignis, & stridoris dentium: primùm in zizaniis, deinde in putribus piscibus, quarum rerum non ita frequens mentio habetur apud Euangelicos. 78

Series Euangelii.

LAudata est hactenus doctrina fidei, ac prædicatio Euangelii. Ne igitur quispiam dicat aut existimet hoc in eam partem dici, quasi vetus lex damnetur, tanquam mala, aut à malo: ideo additur vltima parabola in qua docetur sapientia scribarum. Vtramque hic complexum esse, inquit Hieronymus. Instructi erant Apostoli scribæ & notarii Saluatoris, qui verba & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus regnorum cælestium sacramentis, & pollebant opibus patrisfamiliæ, eiicientes de thesauro doctrinarum suarum noua & vetera: vt quidquid in Euangelio prædicabant, legis & prophetarum vocibus comprobarent: vnde & sponsa in Cantico canticorum: Noua & vetera fratruelis seruaui tibi. Et ante hunc longè antè, Apostolorum temporibus peruicinus Irenæus. Omnis, inquit, scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Non alterum quidem vetera, alterum autem proferentem noua docuit; sed vnum & eundem. Paterfamilias enim dominus est, qui vniuersæ domui paternæ dominatur, & seruis quidem & adhuc indisciplinatis condignam tradens legem, liberis autem & fide iustificatis congruentia dans præcepta filiis; adaperiens suam hæreditatem. Scribas autem & doctores regni cælorum, suos dicebat discipulos, de quibus alibi ait Iudæis: Ecce mitto ad vos sapientes, & scribas, & doctores: & ex eis occidetis, & effugabitis à ciuitate in ciuitatem. Ea autem, quæ de thesauro proferunt, noua & vetera, sine contradictione duo testamenta dicit. Vetus enim quod fuerat, legisdatio noua, quæ secundùm Euangelium est conuersatio ostẽdit, de qua Dauid: Cantate, inquit, Domino canticum nouum. Et Isaias: Cantate Domino hymnum nouum. Initium eius glorificatur nomen eius à summo terræ, virtutes eius in insulis annunciantur. Et Ieremias: Ecce disponam, inquit, testamentum nouum, non quemadmodum disposui patribus vestris in monte Oreb. Vtraque autem testamenta vnus & idem paterfamilias produxit, verbum Dei Dominus noster Iesus Christus, qui & Abrahæ & Moysi locutus est, qui nobis in nouitate restituit libertatem, & multiplicauit eam quæ ab ipso est gratiam. Hæc ille. Quæ quidem hæc vetera & noua futura erant, ex libro Leuitici Origenes explicauit. Comedetis, inquit, vetera, & vetera veterum, & vetera ex facie nouorum educentur: & ponam tabernaculum meum in vobis. Comedimus enim in benedictione vetera, nimirum propheticos sermones, & horum veterum vetera, videlicet legis verba: mox vbi noua venerunt & Euangelica, viuentes secundùm Euangelium, vetera literæ ex facie nouorum educimus, & ponit tabernaculum suum in nobis, implens quam dixit repromissionem, inhabitabo & inambulabo in illis. Qui autem fuerint scribæ & pharisæi ex Iosepho patet. Thesaurus iste est sacra scriptura, inquit Beda, continens nouum & vetus testamentum, quorum differentia secundùm D. Augustinum, est timor & amor: ergo prædicator doctus de thesauro suo profert vetera quando prædicat quæ terrent; noua, inducens ad amplexum diuini amoris. 79

Isaiæ 24.

NOtanda autem sunt hoc loco adiuncta boni doctoris. Primùm, quòd debet ad eam rem esse segregatus & insignitus: ideo scribas eos appellat, qui ad hoc munus erant designati, vt docerent. 80

Deinde

81 DEinde, oportet eum esse doctum, & magnum thesaurum eruditionis comparare, vt alios doceat. Profert, inquit, de thesauro suo noua & vetera: hæreticorum doctores docent, quæ ipsi non didicerunt.

82 TErtiò, debet spontè & libenter proferre, non coactus, non inuitus, non emptus.

83 QVartò, non eadem debet iterare, sed varietate doctrinæ auditorem reficere, nunc noua, nunc vetera proferendo: hæreticorum est noua consectari, vetera reprehendere ac refutare.

84 QVintò, debet opes proferre: profert, inquit, de thesauro. De thesauro autem opes & diuitiæ proferuntur. Non igitur stramen, neque paleas, tantò minùs lutum, aut quid simile.

85 VLtimò, nouitatem ipsam non debet consectari, sed quidquid dicit, quidquid docet veterum doctrina, & iudiciis comprobare. Noua autem intelligit Irenæus ac Epiphanius, non vt aliquam nouam confingat & comminiscatur doctrinam; nam hoc hæreticorum est: sed si ea, quæ in veteribus nondum obseruata sunt, ipse obseruet: si nouo modo & ordine res explicet: si noua argumēta ad vetera confirmanda moresque inserendos, exempla item & testimonia eliciat; tum satis noua proferre videbitur. Neque item hoc loco docet, vt legis obseruationem cum euangelio doceat; nam hoc hæreticorum est: sed vt euangelium lege & prophetis illustret, & hos ipsos euangelio: vt item moralia præcepta, atque ciuilia populis proponat atq; inculcet.

86 NOtandū autem est, Apostolos à Christo Domino non idiotas, neq; quisquilias, vt à Caluino vocantur, sed scribas electos & vocatos esse.

87 QVanta sit vis grani sinapis in tot sapientissimis parabolis apparuit; nunc quàm paruum iterum & vile hoc sinapi in oculis hominum, gentis præsertim suæ ac cognationis erat, videamus. Et factum est, cùm consummasset Iesus parabolas istas, transiit inde, & veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc, & virtutes? nōné hic est fabri filius? Nonné mater eius dicitur Maria? (Miraris cur errēt in fratribus, cùm errent in patre,) & fratres eius, inquiūt, Iacobus & Ioseph, Simō & Iudas, & sorores eius, nonné omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? & scandalizabantur in eo. Iesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua. Synagogæ fuerunt oratoria atq; scholæ Iudæorum, vbi lex docebatur & non amplius. Gauderent autem potius tali populari, & gratularentur, Deum laudarent, quod alias externi faciunt. Mira autem stultitia eorum, mirantur vnde habet sapientiam sapientia, & virtutes virtus; sed error in promptu est, quòd fabri filium suspicantur. De fratribus & sororibus dictum est superiùs ex Hieronymo. Propemodum naturale est ciues semper ciuibus inuidere. Non enim considerant præsentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiæ, quasi non & ipsi per eosdem ætatum gradus ad maturam ætatem venerint. Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem illorum. Non quòd etiam illis incredulis facere non potuerit virtutes multas: sed ne multas faciens virtutes, ciues incredulos condemnaret. Potest etiam intelligi & aliter: quòd Iesus despiciatur in domo, & in patria sua,

SERIES EVANGELII.

hoc eſt, in populo Iudæorum: & ideò ibi pauca ſigna fecerit, ne penitus inexcuſabiles fierent. Maiora autem ſigna quotidie in gentibus per Apoſtolos facit, non tam in ſanatione corporum, quàm in animarum ſalute. Fabrum hunc venuſtè ſimul & grauiter exponit Hilarius. Inhonoratur Dominus à ſuis, quanquam & docendi prudentia, & operandi virtus, admirationem commoueret; infidelitas tamen eorum, veritatem iudicii non recipit. Non enim credunt hæc in homine Deum agere, quin etiam patrem ipſius, matrem, fratreſque nuncupant, & paternæ artis quodam opprobrio laceſſunt. Sed planè hic erat fabri filius, ferrum igne vincentis, omnem ſeculi virtutem iudicio decoquentis, maſſamque formantis in omne opus vtilitatis humanæ, formam ſcilicet corporum noſtrorum, & materiam in diuerſa membrorum miniſteria, & ad omnia vitæ æternæ opera fingentis. In his igitur ſcandalizabantur omnes, & inter tot, tamque magnifica, quæ gerebat, corporis eius contemplatione commouebantur: quibus Dominus inhonorabilem in patria ſua prophetam eſſe reſpondit; quia in Iudæa eſſet vſq; ad crucis ſententiam contemnendus. Et quia penes ſolos fideles Dei virtus eſt, propter eorum incredulitatem omnibus diuinæ virtutis operibus abſtinuit.

NOtandum primùm, nihil difficiliùs eſſe mutua lætitia, ac cognata & proxima gratulatione, quod D. Chryſoſtomus eximiè explicat. Sed benè eſt, inquit, quòd lamentantibus cōdoleamus, meritò præcipit: aliud verò cùm nihil magni ſit, vt quid iuſſit? Atqui illud ipſum maiore philoſophia opus habet, nimirum gaudere cum gaudentibus, quàm quòd flendum dicit cum flentibus: iſtud enim & ipſa natura vltrò facit. Nemo ſiquidem adeò lapideus eſt, vt eum qui in calamitatibus eſt, non defleat. Illud valdè generoſam mentem requirit, vt non ſolùm non inuideat ei, qui clarus eſt ac celebris, ſed & congaudeat, vnde & priore loco illud poſuit. Nihil enim ita dilectionē conciliat, quàm quòd & in gaudio & in triſtitia alterutrum communicamus. 88

NOtandi ſunt ſecundò hoc loco paralogiſmi, quibus inuidi ciues vti ſolēt. Vnde hæc ſapientia? vnde virtutes? pauper eſt, obſcurus eſt, fabri filius. Deſuper à patre luminum, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Mater & pater eius ſunt nobiſcum, ergo eum ſapientem, virtutibus præditum eſſe impoſsibile eſt. Quaſi verò ad verā ſapientiā alia quàm Dei dona requirātur, & interſit, vnde quis aut vbi parentelas habeat. Nouimus eū: ergo ille nihil pręclarū nouit. Vana eſt hæc inuidia logica: quaſi verò Deus humilia potius nō reſpiciat, & alta à longè cognoſcat. Quòd ſi aliquis ideò imperitus, ignarus, nullius momenti, quia apud vos natus, quia vobiſcum conuerſatur: ergo vos ipſi homines flocci, nequam, improbi: ſic inuidia ſeipſam prodit, ſeipſam deprimit. Nunquid non Abraham pater veſter ex Sara gentili natus eſt? nonné Dauid de poſt fœtantes in regem aſſumptus eſt? nonné Moyſes pecus Iethro ſoceri ſui paſcebat, cùm in Deum Pharaonis conſtitutus eſt? 89

NOtandum tertiò, multitudinem ſtultam, ea tantùm iucunda & vtilia habere, quæ præſentia ſunt, quæ ante oculos ſunt, eaque inculcare: eorum autem quæ aliquando fuerunt obliuiſci. Atqui hic ipſe Nazarenus, hic ipſe popularis veſter, hic idem eſt filius Abraham, filius Dauid. 90

Notan-

91 NOtandum quartò, ad quàm paruas, & exiguas reliquias res magnæ temporis succeſſu deiiciantur. Proſapia Dauidis atq; Salomonis ad fabrum reuocatur: Ezechiæ regis ad oppidanum obſcuri oppidi deducta eſt, cuius ipſammet poſteritatē pœnitet, & quam tanquam infamem Chriſto Domino obiicit.

92 NOtandum quintò, inuidiam maximè in proxima ſęuire, cum illiſq; contendere, vnde illud Alexandri: qui poſteaquam Aſia potitus eſſet, inuidumque ſuum vidiſſet exclamauit: Euaſiſti fortuna mea, ſuperior eſt inuidia tua.

93 NOtandum ſextò, infidelitatem multa præclara opera & virtutes impedire. Nonfecit illic multas virtutes, propter incredulitatem illorum. Per hæc enim docemur, inquit Origenes, quòd virtutes in his factæ fuerint, qui credebant. Quoniam omni habenti dabitur, & abundabit. In incredulis autem nō ſolùm non operabantur virtutes, verùm vt Marcus ſcribit, ne poterant quidem operari. Ac fortaſsis, quemadmodum in corporibus naturalis quidam attractus quibuſdam ad quædā ineſt, veluti magneti lapidi ad ferrum, & bitumini quod dicitur naphtha ad ignem; ſic huiuſmodi fidei ad diuinam virtutem.

94 QVAESTIONES EVANGELICAE D. AVGVSTINI: Quod dicit aliud centeſimum, ſexageſimum aliud, aliud triceſimum: centeſimum martyrum propter ſatietatem vitæ, vel contemptum mortis. Sexageſimum virginum propter otium interius, quia non pugnant contra conſuetudinem carnis: ſolet enim otium concedi ſexagenariis poſt militiam, vel poſt actiones publicas. Triceſimum coniugatorum, quia hæc eſt ætas præliantium: ipſi enim habent acriorem conflictum, ne libidinibus ſuperentur.

95 QVAESTIO SECVNDA. Et oculos ſuos clauſerunt, ne quando oculis videant: id eſt, ipſi cauſa fuerunt, vt Deus oculos eis clauderet. Alius enim Euangeliſta dicit: Excœcauit oculos eorum. Sed vtrum vt nunquam videant quærēdum, an verò vt vel ſic aliquando videant, cœcitate ſua ſibi diſplicentes, & ſe dolētes; vt ex hoc humiliati & commoti ad confitenda peccata ſua, & piè quęrendum Dominum. Sic enim Marcus hoc dicit: Ne quando conuertantur & dimittantur eis peccata. Vbi intelliguntur peccatis ſuis meruiſſe, vt non intelligerent & ſua cognoſcerent, & conuerſi veniam mererentur. Quòd autem Ioannes hunc locum ita dicit: Propterea non poterant dicere, quia iterum dixit Iſaias: Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos: aduerſari videtur huic ſententiæ, & omninò cogere, vt quod hîc dictū eſt, Ne quando oculis videant, non accipiatur, Ne vel ſic aliquando oculis videant; ſed prorſus vt non videant. Et quod ait: Propterea non poterant credere. Quòd ſi ita eſt, quis non exurgat in defenſionem Iudæorum, vt eos extra culpam fuiſſe proclamet, quòd non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excœcauit oculos eorum. Sed quoniam Deus potiùs extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, aliis quibuſdam peccatis ita eos excœcari meruiſſe, qua tamen excœcatione non potuerunt credere. Verba enim Ioannis iſta ſunt: Propterea non poterāt credere: quia iterum dixit Iſaias: Excœcauit oculos eorum. Fruſtra itaque conamur intelligere ideò fuiſſe cœcatos, vt non conuerterentur; cùm ideò conuerti

uerti non poterant, quia non credebant; & ideò credere non poterant, quia excœcati erant. An fortè non absurdè dicimus, quosdam Iudæorum fuisse sanabiles: sed tantò tum superbiæ periclitatos tumore; vt eis expedierit primum non credere: & ad hoc fuisse cœcatos; vt non intelligerent Dominum loquentem per parabolas: quibus non intellectis, non in eum crederent; non credentes autem cum cæteris desperatis crucifigerent eum: atq; ita post eius resurrectionem conuerterentur, quando iam de reatu mortis Domini amplius humiliati vehementius diligerent, à quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent. Quoniam tanta erat eorũ superbia, vt tali humiliatione esset deiicienda. Quod incongruè dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in Actibus Apostolorum manifestissimè legerit. Non ergo abhorret, quod ait Ioannes: Propterea non poterant credere, quia excœcauit oculos eorum, vt non videant, ab ea sententia qua intelligimus ideò excœcatos, vt conuerterentur: hoc est, ideò eis per obscuritates parabolarũ occultatas sententias Domini; vt post eius resurrectionem salubriore pœnitentia resipiscerent: quia per obscuritatem sermonis excœcati, dicta Domini non rectè intellexerunt; & ea non intelligendo non in eum crediderunt; non credendo crucifixerunt eum, atq; ea post eius resurrectionem miraculis, quæ in eius nomine fiebant exterriti, maiore criminis reatu compuncti sunt, & prostrati ad pœnitentiam; deinde accepta indulgentia, ad obedientiam flagrantissima dilectione conuersi. Nam quibus non profuit illa cœcitas ad conuersionem, quæ per linguam parabolarum fiebat: ita de illis propheta alio loco dicit, quod etiam Apostolus commemorauit, cùm de obscuritate linguarum ageret: In aliis linguis, & in aliis labiis loquor populo huic, & ne sic me exaudient, dicit Dominus. Non enim diceretur, Ne sic me exaudient; nisi ad hoc fieret, vt vel sic exaudirent, id est, vt eis ad humilem confessionem, & sollicitam inquisitionem, & obedientem conuersionem, & feruentem dilectionem valeret. Est verò ista etiam ratio medicinæ corporalis. Nam & pleraque medicamenta prius affligunt, vt sanent, & ipsa collyria quę ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi sensum videndi prius claudant & perturbent, prodesse non possunt. Nec moueat, quod idem propheta dicit: Nisi credideritis non intelligetis. quasi contrarium sit, quod ait Ioannes: Propterea non poterant credere, quia excœcauit oculos eorum, id est, quia illæ parabolæ ita dicebantur, vt ab eis non possent intelligi. Dicet enim aliquis: Sin intelligerent, credere debebant: quomodo propterea non poterãt credere, quia non intelligebant? hoc est, Quia excœcauit oculos eorum. Sed quod ait Isaias: Nisi credideritis, non intelligetis, de illa intelligentia dictũ est, in qua semper manebitur rerum ineffabilium. Cùm autem dicitur, quod credatur; nisi quod dicitur intelligatur, credi non potest. Intelligenda ergo sunt dicta vt credantur, quæ dici non potuerunt; credenda autem quæ dici potuerunt, vt intelligantur, quæ dici non possunt.

QVAESTIO TERTIA. Omnis immunditia in segete zizania dicitur. Quod primò separaretur, zizania dicitur: quia tribulatione præcedente separabuntur impij à piis, quod per bonos angelos intelligitur fieri. Quia officia vindictæ possunt impleri boni, bono animo, quomodo lex, quomodo iudex: officia verò misericordiæ, mali implere non possunt. 96

QVAESTIO QVARTA. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus 97

cus

cus eius, & superseminauit zizania in medio tritici,& abiit. Cùm negligentius agerent præpositi Ecclesiæ,aut cùm dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus, & superseminauit eos, quos malos filios Dominus interpretatur. Sed quæritur, vtrum hæretici sint, an malè viuentes catholici? Possunt enim dici filij mali etiam hæretici, quia ex eodem euangelij semine, & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari,qui vnius communionis sunt. Verumtamen quum Dominus agrum ipsum non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, benè intelliguntur hæretici: quia non societate vnius ecclesiæ, vel vnius fidei, sed societate solius nominis Christiani, in hoc mundo permiscentur bonis: at illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quàm zizania deputantur, quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento radicemque communem. In illa planè sagena, qua concluduntur & mali & boni pisces, non absurdè mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare,quod magis mundum istum significat: aliud sagena,quæ vnius fidei, vel vnius ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter malos hęreticos & malos catholicos hoc interest, quòd hæretici falsa credunt;illi autem vera credentes,non viuunt ita vt credunt. Solet autem etiam quæri, schismatici quid ab hæreticis distent, & hoc inueniri, quòd schismaticos non fides diuersa faciat, sed communionis disrupta societas. Sed vtrum inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autem videntur spicis corruptis esse similiores, sicut scriptum est. Vento autem corrumpetur filius iniquus, vel paleis aristarum fractis, vel scissis, & de segete abruptis. Quò enim altiores, id est superbiores,eò fragiliores,leuioresque sunt: nec tamen consequens est,vt omnis hæreticus & schismaticus corporaliter ab ecclesia separetur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ,quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita vt non cunctatione quærentis tentatus sit, sed inconcussè credentis, nec omninò scientis opinione & errore discordans, hæreticus est, & foris est animo, quamuis corporaliter intus videatur. Multos enim portat tales Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, vt intentam multitudinem faciant, quod si fecerint, tunc pellantur. Item quicunq; inuident bonis, ita vt quærant occasiones excludendi eos, aut degrauandi; vel crimina sua sic defendere parati sunt, si obiecta vel prodita fuerint, vt etiam conuenticulorum segregationes, vel Ecclesiæ perturbationes cogitent excitare, iam schismatici sunt, & ab vnitate corde discisi, etiamsi non inuentis occasionibus, aut occultatis factis suis, sacramento Ecclesiæ corporali conuersatione socientur. Quapropter illi soli catholici mali rectè deputantur,qui quamuis vera credant, quæ ad veram fidei doctrinam pertinent, & si quid fortè nesciunt, quærendum existiment, & salua pietate discutiant, sine aliquo præiudicio ipsius veritatis, & bonos, vel quos bonos putant, ament atq; honorent quantum possunt; tamen flagitiosè atq; facinorosè viuunt, contrà quàm viuendum esse credunt. Tales enim etiamsi prodantur, aut accusentur,pro disciplina Ecclesiæ, salutisq; suæ causa correpti, vel à communione suspensi, nullo modo sibi recedendum esse à communione Catholicæ fidei existimant, quomodocunq; permissi fuerint satisfactionis quęrentes locum, & aliquando per pœnitentiam in frumenta mutantur, siue correpti, siue remoti, siue etiam verbo Dei nullo nominatim accusante,aut increpante perterriti. Aliquando autem etiam sub nomine pœnitentium ita viuunt

vt ſolent, aut non multò minùs, quidam etiam ampliùs, nullo modo tamen à catholica vnitate diſcedunt. Quibus ita viuentibus, ſi mors obrepſerit, paleæ deputantur vſq; in finem. Hoc etiam ipſi credunt. Nam ſi aliter credunt, & inconcuſsè tenent, iam inter hæreticos numerandi ſunt, putantes omnibus Deum, etiam in magna iniquitate vſq; in finem vitæ perſeuerantibus, tantum quia Eccleſiæ vnitatem non ſyncera dilectione, niſi vt benè viuerent, ſed magis pœnarum timore tenuerunt, veniam daturum. Iſti ergò non hoc credunt, vel non firmiter opinantur, etſi adhuc forſitan quærunt, ſed magis eos decipit ſpes dilationis, dum ſe diutiùs victuros putant, & perditos mores aliquando in meliùs mutaturos. Contra quos dicitur: Ne tardes conuerti ad Deum, neq; differas de die in diem: Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Illi enim conuertuntur, qui rectè viuere incipiunt; hoc eſt enim ad Deum redire. Qui autem concupiſcentias ſuas perſeueranter ſequuntur; dorſum quodammodo habent ad Deum, quamùis in vnitate conſtituti, ſæpè illum retorto collo conentur aſpicere. Ergò & iſti, vt ait Propheta, caro ſunt & ſpiritus ambulans & non reuertens. Sed tamen, vt dictum eſt, propter eandem fidem, atq; vnitatem Eccleſiæ, neq; inter zizania, quoniam illa extra radicata ſunt; neq; inter ariſtarum paleam, quæ ſe etiam frumentis audet aſpera diſſenſione & fragili elatione ſuperimponere; ſed quamùis ſubiectam frumentis, tum inter paleam, quæ vltima ventilatione ſeparanda eſt, numerantur. Boni autem Catholici ſunt, qui & fidem integram ſequuntur, & mores bonos. Quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt, ſi quid quærendum habent, vt abſit concertatio periculoſa, vel quęrenti, vel ei cum quo quæritur, vel eis qui diſſerentes audiunt. Ita autem docent, ſi quid docendum habent, vt vſitata & confirmata ſecuriſsimè & fidentiſsimè, & leniſsimè vt poſſunt inſinuent: inuſitata verò etiamſi veritatis manifeſtatione liquidiſsima perceperunt, quærendi potiùs quàm præcipiendi, aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si autem tantum habet pondus aliquod verum, vt vires diſcentis excedat, ſuſpendendum eſt vt extendat creſcentem, non imponendum vt obterrat paruulum. Inde eſt enim illud Domini: Sed filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? Aliquando autem & occultandum eſt, ſed cum ſpe hortatoria, vt non faciat deſperatio frigidiores, ſed deſiderium capaciores. Inde eſt illud eiuſdem Domini: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò. Quod ergò ad mores pertinet, hoc benè & breuiter dicitur: aut confligendum eſt cum amore temporalium bonorum, vt non vincat: aut etiam edomitus ſubditusq; eſſe debet; vt cum ſurgere cœperit, facilè reprimatur: aut ita extinctus, vt ſe òmnino nulla ex parte commoueat. Ex quo fit, vt etiam ipſam mortem propter veritatem, alij fortiter obeant, alij æquanimiter, alij libenter. Quæ tria etiam genera fructus ſunt fertilis terræ triceni, & ſexageni, & centeni. In horum aliquo genere inueniendus eſt tempore mortis ſuæ, ſi quis de hac vita rectè cogitat emigrare. Toleranda ſunt autem non ſolùm zizania vſq; ad meſsem: quæ cùm Diabolus aſperſis prauis erroribus, falſisq; opinionibus ſuperſeminaſſet, hoc eſt, præcedente nomine Chriſti hæreſes ſuperieciſſet, magis ipſe latuit atq; occultiſsimus factus eſt, hoc eſt enim, & abijt: ſed etiam palea vſque ad ventilationem. Nec probatur fortiùs grauitas frumentorum, niſi paleæ perturbationibus, quas cùm premere non potuerit veritate defenſa, ceſſerit falſitas vnitate ſeruata. Quanquam in hac parabola Dominus,

Eccleſ. 5.

Pſal. 77.

Luc. 18.

Ioan. 18.

nus, ſicut in eius expoſitione concluſit, non quædam, ſed omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine ſignificaſſe intelligitur.

98 QVÆSTIO Sexta. Cùm autem creuiſſet herba, & fructum feciſſet; tunc apparuerunt & zizania. Cùm enim ſpiritalis homo eſſe cœperit dijudicans omnia; tunc ei errores incipiunt apparere. Serui autem dixerunt ei: Vis imus & colligimus ea? Vtrum & ipſi ſint ſerui, quos paulò poſt meſſores appellat: an quia in expoſitione parabolæ meſſores dixit eſſe Angelos, nec quisquàm facilè dicere auſus fuit angelos neſciſſe, quis zizania ſuperſeminauerit, & ea tunc apparuiſſe angelis cùm herba fructum feciſſet: magis oportet intelligi homines ipſos fideles ſeruorum nomine hoc loco ſignificatos, quos etiam bonum ſemen dicit. Nec mirum, ſi & bonum ſemen ipſi dicuntur, & ſerui patrisfamilias: ſicut & de ſe ait, quòd ipſe ſit ianua, & quòd ipſe ſit paſtor. Ex diuerſis enim ſignificationibus vna res etiam plures & diuerſas ſimilitudines recipit, præſertim, quia cùm ad ſeruos loqueretur, non ait: In tempore meſsis dicam vobis: Colligite primùm zizania; ſed dicam, inquit, meſsoribus. Vnde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia eſſe miniſteria, nec quenquàm Eccleſiæ filium debere arbitrari, ad ſe hoc officium pertinere. Cùm igitur eſſe ſpiritalis quiſquàm cœperit, cognoſcit errores hæreticorum, & omninò dijudicat atq; diſcernit, quicquid audierit aut legerit abhorrere à regula veritatis; ſed donec quis in eisdem ſpiritalibus perficiatur, & quodammodo matureſcat in fructum quem herba dedit, poteſt eum mouere, quare ſub nomine Chriſtiano tam multæ hæreticorum extiterint falſitates. Inde etiam eſt, quod ſerui dicunt: Nonnè bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergò habet zizania? Deinde cùm cognouerit hanc excogitaſſe fraudem diabolum, cùm contra tanti nominis authoritatem nihil ſe valere ſentiret, vt fallacias ſuas eodem nomine obtegeret: poteſt ei ſuboriri voluntas, vt tales homines, è rebus humanis auferat, ſi aliquam temporis habeat facultatem: ſed vtrum facere debeat, iuſtitiam Dei conſulit, vtrum hoc ei permittat, & hoc officium eſſe hominum velit. Hinc eſt, quod ſerui dicunt: Vis imus & colligimus ea? Quibus veritas ipſa reſpondet: Non ita hominem conſtitutum eſſe in hac vita, vt certus eſſe poſsit, qualis quisq; futurus ſit poſteà, cuius in præſentia cernit errorem, vel quid etiam error eius conferat ad profectum bonorum: non eſſe tales auferendos de hac vita: ne cùm malos conatur interficere, bonos interficiat, quòd fortè futuri ſunt, aut bonis obſit, quibus & inuiti fortè vtiles ſunt; ſed tunc opportunè fieri, cùm iam in fine non reſtat tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occaſione atq; comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus, ſed ab angelis fieri. Inde eſt, quod reſpondet paterfamilias: Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum: ſed in tempore meſsis dicam meſſoribus. &c. Atq; hoc modo eos patientiſsimos & tranquilliſsimos reddidit. Quæri autem poteſt, quod ait: Alligate faſciculos ad comburendum: cur non vnum faſcem, aut non vnum aceruum zizaniorum fieri dixit? Niſi fortè propter varietatem hæreticorum, & non ſolùm à tritico, verumetiam à ſeipſis diſcrepantium, ipſa vniuſcuiusq; hæreſeos propria conuenticula, in quibus ſingulatim ſua communione deuincti ſunt, nomine faſciculorum deſignauit. Vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à Catholica communione ſegregati ſuas proprias quaſi eccle-

ſi eccleſias habere cœperunt, vt combuſtio eorum ſit in fine ſeculi, modò alligatio faſciculorũ. Sed ſi ita eſſet, non iam multi reſipiſcendo, & in catholicam remeando ab errore deſciſcerent. Quapropter & alligatio faſciculorum in fine futura eſt, vt non confuſè, ſed pro modo peruerſitatis ſuæ vniuſcuiuſq; erroris pertinacia puniatur: Ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Verùm intuendum, quia etiam boni, cùm adhuc infirmi ſunt, opus habent in quibuſdam malorum permixtione; ſiue vt per eos exerceantur, ſiue vt eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, vt nitantur ad melius; quibus ſublatis, altitudo charitatis quaſi euulſa marceſcat, quod eſt eradicari. Nam ſic ait Apoſtolus: Vt in charitate radicati & fundati poſsitis comprehendere. An fortè ideò ſimul eradicatur triticum cùm auferuntur zizania; quia multi primò zizania ſunt, & poſtea triticum fiunt? Qui niſi patienter cùm mali ſunt tolerentur, ad laudabilem mutationem non perueniunt: itaque ſi euulſi fuerint, ſimul eradicabitur & triticum, quod futuri eſſent, ſi eis parceretur.

Eph. 3.

QVAESTIO SEPTIMA. Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Quæſtio eſt, cur à numero plurali ad ſingularem tranſierit; vt cùm quærat homo bonas margaritas, vnam inuenit pretioſam, quam venditis omnibus quæ habet emat. At ergo negotiator iſte bonos homines quærens, cum quibus vtiliter viuat; inuenit vnum præ omnibus ſine peccato, mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum. Aut præcepta iuſtitiæ quærens, quibus ſeruatis, cum hominibus rectè conuerſetur; inuenit dilectionem proximi, in quo vno, dicit Apoſtolus, omnia contineri; vt Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dices, & ſi quod eſt aliud mandatum, ſingulæ margaritæ ſint, quæ in hoc ſermone recapitulantur: Diliges proximum tuum tanquàm teipſum. Aut bonos intellectus homo quærit, & inuenit vnum illum, quo cuncti continentur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum. Eſt enim verbum Domini lucidum candore veritatis, & ſolidum firmitate æternitatis, & vndiq; ſui ſimile pulcritudine diuinitatis, qui Deus penetrata carnis teſtudine intelligendus eſt. Ille enim ad margaritam ipſam peruenerat, quæ in tegumentis mortalitatis quaſi concharum obſtaculo, inter profunda huius ſeculi, atq; inter duritias ſaxeas Iudæorum aliquando latuerat. Ille ergò ad margaritam ipſam iam peruenerat, qui ait: Etſi noueramus Chriſtum ſecundùm carnem, ſed nunc iam non nouimus. Nec vllus omninò intellectus margaritæ nomine dignus eſt, niſi ad quem diſcuſsis omnibus carnalibus tegminibus peruenitur: quibus ſiue per verba humana, ſiue per ſimilitudines circumpoſitas operitur, vt purus & ſolidus, & nuſquàm à ſe diſſonans certa ratione cernatur. Quos tamen omnes veros, & firmos, & perfectos intellectus vnus ille continet, per quem facta ſunt omnia, quod eſt verbum Dei. Quodlibet autem horum trium ſit, vel ſi quid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ vnius & precioſæ nomine bene ſignificetur precium eius, eſt, nos ipſi, qui ad eam poſsidendam non ſumus liberi, niſi omnibus pro noſtra liberatione contemptis, quæ temporaliter poſsidentur: venditis enim rebus noſtris, nullum earum maius accipimus pretium, quàm noſipſos, quia talibus implicati noſtri nõ eramus. Vt rurſus noſipſos pro illa margarita damus, nõ quia tanti valeamus, ſed quia plus dare nõ poſſumus.

99

Quæſtio

100 QVAESTIO OCTAVA. Granum sinapis, ob feruorem fidei, vel quòd dicatur venena expellere, maius fit omnibus oleribus; id est, dogmatibus. Dogmata autem sunt placita sectarum, id est, quòd placuit singulis sectis.

101 QVAESTIO NONA. Fermentum quod accepit mulier, & abscondit in farinæ satis tribus. Mulierem sapientiam dicit, fermentum dilectionem: quòd feruere facit & excitat. In farinæ autem satis tribus, vel tria illa in homine, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, vel tria illa fructifera, centesimũ sexagesimũ, tricenũ, vel tria illa genera hominũ, Noe, Daniel & Iob intelligũtur.

102 QVAESTIO DECIMA. Et sine parabolis non loquebatur eis: Non quòd nihil locutus est, sed quia nullum ferè sermonem explicauit, vbi non aliquid per parabolam significauit, quamùis in eo aliqua & propriè dixerit; ita vt sæpè inueniatur totus sermo parabolis explicatus, totus autem propriè dictus nullus inueniatur. Explicatos autem sermones dico, quando ex aliqua rerum incipit loqui, quousq; terminet, quicquid ad ipsam rem pertinet, & transeat ad aliud. Nonnunquam alius Euangelista contexit, quod alius diuersis temporibus dictum indicat. Non enim omnimodo secundùm rerum gestarum ordinem, sed secundùm suæ quisque recordationis facultatem, narrationem quam exorsus est, ordinauit.

103 QVAESTIO VNDECIMA. Intellexistis hæc omnia? dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera. Vtrum ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum. Quoniam sanctæ scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum testamentorum, noui & veteris concluduntur. Quemadmodum apud alium Euangelistam, gladium bis acutum tali conclusione videtur exponere. An quia in parabolis ista locutus est: & cùm quæsisset ab eis, vtrum intellexissent, responderunt se intellexisse. Fortasse ista similitudine vltima patrisfamilias proferentis de thesauro suo noua & vetera, ostendere voluit; eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit; ab istis nouis accipiens regulas: quia & ista per parabolas Dominus enuntiauit: quamùis ipse Christus esset finis illorum, id est, vt in eo illa vetera complerentur: vt si ipse, in quo illa complentur & manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec eius passio velum discindat, vt nihil sit occultum, quod non reueletur; multò magis illa, quæ ad commendandam tantam eius salutem, tam longè de illo scripta sunt, parabolis operta esse nouerimus: quæ cùm Iudæi ad literam acciperent, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neq; transire ad Christum, vt auferetur velamen, quod supra cor eorum positum est.

104 QVAESTIO DVODECIMA. Fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas, & sorores eius, nonné omnes apud nos sunt? Vnde ergò huic omnia ista? & scandalizabantur in eo. Fratres apud Iudæos dici solere cognatos, vsqueadeò probatur; vt non solùm ex propinquo generationis gradu, sicut sunt filij fratrum & sororum, qui etiam apud nos vsitatissimè fratres dicuntur; sed etiam auunculus, & sororis filius, sicut sibi erant Iacob, & Laban, fratres appellati inueniantur. Non ergò mirum est, dictos esse fratres Domini, ex materno genere

quos-

quoſcunq; cognatos, cùm etiam ex cognatione Ioſeph, dici potuerunt fratres eius, ab eis, qui illum patrem Domini eſſe arbitrabantur.

QVAESTIO DECIMATERTIA. Quod dixerunt Iudæi: Vnde huic ſapientia hæc, & virtutes? Sapientia in his quæ loquebatur, virtutes in his quæ operabatur: ideoq; & Apoſtolus cùm dixit, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam: virtutem ad ſigna retulit, propter Iudæos: ſapientiam autem ad doctrinam, propter Græcos, id eſt, gentiles.

Caput XIV.



ISCENTVR TRISTIA LAETIS, CAEDES IOANNIS EXPONITUR, multa millia turbarum quinq; ſatiantur panibus. Occaſio hiſtoriæ de morte Ioannis hæc eſt. Peruenit ad Herodem fama nominis Chriſti, ac miraculorum eius, putabat hic Ioannem de morte ſurrexiſſe, & eundem eſſe, alio vtentem nomine, nunc dictum Ieſum, capacem illius virtutum, quæ prius operabantur in Ioanne. Vel fortaſſe talis quædam fuit in eo ſuſpicio, quòd virtutes, quæ operabantur in Ioanne, translatæ fuerint in Ieſum: ob quas Ioannes Baptiſta Meſſias eſſe creditus fuerat in populo: Vel quod probabiliùs Origeni videtur, per ſimilitudinem eſt dictum, vt ſicut in ſpiritu & virtute Heliæ Ioannes præceſſerat; ſic iſti nunc ſuſpicentur de Ioanne & Ieſu. Nam cùm proſelytus eſſet, iam aliquam cognitionem de futura reſurrectione à Iudæis contraxerat. Quare etſi Ioannes ſigna viuus nulla fecit, putabat tamen illum eam gratiam per reſurrectionem conſecutum, ob iniquam cædem. In illo tempore, audiuit, inquit, Herodes Tetrarcha, famam Ieſu, & ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo. Hinc igitur occaſione ſumpta, narrat modum mortis Ioannis Matthæus. Herodes enim, inquit, tenuit Ioannem. Quis autem iſte fuerit Herodes, & vnde occaſio mali orta ſit, deſcribit Hieronymus, alii item Euangeliſtæ. Vetus narrat Hiſtoria, Philippum Herodis maioris filium (ſub quo Dominus fugit in Ægyptum) fratrem huius Herodis ſub quo paſſus eſt Chriſtus, duxiſſe vxorem Herodiadem filiam regis Arethæ: poſteà verò ſocorem eius exortis quibuſdam contra generum ſimultatibus tuliſſe filiam ſuam, & in dolorem prioris mariti Herodis inimici eius nuptiis copulaſſe. Quis ſit autem hic Philippus, Euangeliſta Lucas pleniùs docet: Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galileæ Herode, Philippo verò fratre eius Tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionis. Ergò Ioannes Baptiſta, qui venerat in ſpiritu & virtute Heliæ, eadem authoritate, qua ille Achab corripuerat, & Ieſabel, arguit Herodem, & Herodiadem, quòd illicitas nuptias fecerint, non licere fratre viuente germano vxorem illius ducere, malens periclitari apud regem, quàm propter adulationem, eſſe immemor præceptorum Dei. Mortuo enim Herode Aſcalonita, qui interfecit innocentes, diuiſum eſt regnum eius in duas partes. Itaque Archelaus filius eius habuit medietatem, vt ſuprà dictum eſt: altera autem medietas fuit diuiſa in duas partes, & vna data eſt Herodi, & altera Philippo, qui erant iuniores, & ideo dicitur Tetrarcha, à quarta parte regni, cui

parti regni præerat: quia Romani à Iudæis abstulerant nomen regium, ad frangendam eorum superbiam. Vnde dixerunt coram Pilato: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Alligauit, inquit, Ioannem Herodes, & posuit in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant. Sciendum est, Herodem Antipam, cuius hîc fit mentio, & Philippum non vterinos fratres fuisse, sed priorem ex Martaca tertia Herodis magni coniuge, alterum autem ex Cleopatra fuisse progenitum. Soluit autem hoc loco Euthymius, vt videtur, Euangelistarum dissidentiam, quam licet hoc loco apponere ex eodem. Marcus dixit, quòd Herodias insidiabatur ei, hoc est, molesta illi erat: volebatq; illum occidere. Ait enim, quòd Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, bonum, & sanctum obseruabat illum; quomodò dixit Matthæus, quòd volebat eum occidere, timebat autem multitudinem. Prætereà, si multa faciebat eorum, quæ Ioannes admonebat, & si libenter eum admonentem audiebat, quare vinxit eum, ac reclusit? Quia quæ dicit Marcus primùm facta fuerant: quæ autem dixit Matthæus, postmodum facta sunt. Primùm enim Herodias negotium facessebat Ioanni, volebatq; illum occidere. Herodes verò non permittebat, sciens eum virum iustum ac sanctum, ideò quoq; audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat. Quum autem vehementer illum vrgeret, arguens ac increpans eum; tandem Herodes hinc quidem deuinctus molestia, hinc autem vim quodammodò ab Herodiade perpessus, iam pudorem in iram commutauit, nec omninò quiescens, volebat eum occidere: timens verò populum, vinxit eum quasi puniens, & ligauit eum, ne varia loca circumiens obiurgaret eum. Arguebat autem illum Ioannes, vt qui contra legem haberet vxorem fratris sui. Duabus verò de causis eum increpabat: primùm quidem, quòd viuente fratre suo abstulerat violenter & vxorem illius & tetrarchiam. Deinde, quòd etiam, cùm ipsa ex illo filiam peperisset, duxerat eam; quorum vtrumq; vt contra legem minimè licebat. Iubebat enim lex fratris vxorem ducere, non tamen adhuc viuentis, neque eam, quæ ab illo prolem suscepisset. Gratis illa dicuntur à Caluino, historię inscitia factum esse, vt multi superuacaneã disputationem ingesserint, liceatné mihi ducere vxorem, quæ priùs fratri meo nupta fuit. Quanquàm à tali coniugio abhorret naturæ pudor: raptum tamen magis damnat Ioannes, quàm incœstum; quia Herodes per vim vel fraudem fratrem suum legitima vxore spoliauerat: et alioqui cùm minùs ei licebat, neptem suam, quàm fratris mortui vxorem ex viduitate sumere. Die autem natalis Herodis saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Obseruandum est, nullum alium obseruasse diem natalis sui, nisi Herodem & Pharaonem, vt quorum erat par impietas, esset & vna solennitas. Vterq; illum sanguine fœdauit, quanquàm authore Origene, Herodes Pharaone fuerit iniquior: siquidem ab illo in natalitijs pistorum princeps occiditur: ab hoc autem Ioannes, quo maior inter natos mulierum nullus surrexit. Monet autem exemplum nos, magis diem mortis timendo, quàm natiuitatis celebrare luxuriando. Non potest excusari Herodes propter homicidium, quia adhuc iurauerat, vt futuræ occasioni machinas præpararet. Vnde & cum iuramento, inquit, pollicitus est ei dare, quodcunq; postulasset ab eo. Leuitas amoris, pro vna saltatiuncula dimidium regni dare. At illa præmonita à matre sua. Da mihi, inquit, hîc in disco caput Ioannis Baptistę.

Timebat Herodias, ne illicitæ nuptiæ soluerentur: propter quod præmonebat filiam eius caput postulare; vt linguam haberet in potestate, quam sciebat velle prohibere incœstum. Petit statim, ne fortè Rex pœnitentia ducatur decocta crapula. Petit autem sibi dari caput in disco. Da mihi hîc in disco caput Ioannis Baptistæ. Non postulat, inquit Chrysostomus, vt coràm producatur, atq; interficiatur. Nec enim etiam ad mortem euntis libertatem ferre potuisset, sed exhorruisset etiam, dum necaretur vocem illius. Non enim in extremo tempore vitæ siluisset: ideo, da mihi in disco. Magna enim inflammata cupiditate sum videndi illam linguam silentem. Non enim effugere solùm illas redargutiones cupiebat; sed insultare quoq; ac illudere iacenti. Execranda merces impudentis operis, verè tali matre digna filia. Et vide, quot perpetrauerit mala: seipsam dedecore affecit, suumq; virum Philippum, & adulterum ac filiam. Deinde occidit quidem adulterij insectatorem, vt adulterium committens, eos qui tunc erāt lateret: sed quia ipsum occidit, non solùm illos non latuit, verùmetiam posteris publicatum est, semperq; in vniuerso mundo publicatur. Et contristatus est rex: si verè contristatus, tum quia virum magnum occisurus erat: tum quia multitudinem in sui odium concitaturus erat. Virtus enim Ioannis etiam apud hostes in admiratione fuit. Quanquàm quod dicit Euangelista, contristatum esse Herodem, magis id ad opinionem simul discumbentium, quàm ad veritatem factum fuisse, docet Hieronymus. Nequaquàm, inquit, Herodes pro huiusmodi petitione contristatus est: sed mos est historicorum, ita res narrasse, sicut tum à præsentibus factæ fuisse videbantur. Simulabat enim iustitiam in facie, cùm lætitiam haberet in mente. Propter iusiurandum autem, & propter eos qui pariter discumbebant, iussit dari. O muliebre mancipium, periurij testes habere metuisti, iniustæ autem cædis tam multos habere spectatores non reformidasti. Te enim temerè iurasse nō oportuit, & quia tum incircumspectè iurasti: meliùs erat peierare: è duobus namq; malis, leuius eligendum est. Deus autem id sustinuit, simul quidem, vt iustum ampliùs coronaret, simul etiam, vt his qui iniustè patiuntur, consolationis exemplum relinqueret. misitq; & decollauit Ioannem in carcere. Decollatio, inquit Hieronymus, etsi iuxta literam facta est; nos tamen vsq; hodie cernimus, in capite Ioannis Iudæos Christum, qui caput est prophetarum, perdidisse. Refert Iosephus, in quodam Arabiæ oppido Macheronte nomine, vbi tunc Herodes manebat, capite truncatum fuisse. Quod præcisum allatum est in disco, & datum puellæ, & illa attulit matri suæ. Hoc quoq; ad sceleris atrocitatem accesserat, quòd sancti viri caput post mortem ludibrio affectum est. Quis autem exitus Herodiadis fuerit, iuuat hoc loco ex Nicephoro breuiter apponere. Eundū ei quopiam, inquit, brumali tempore erat, & fluuius traijciendus: qui quum glacie constrictus coagmentatusq; esset, pedes eum transibat. Glacie autem rupta (idq; non sine Dei numine) demergitur illa statim capitetenus, & inferioribus corporis partibus lasciuiens, molliusque se mouens saltat, non in terra, sed in vndis: caput verò scelestum frigore & glacie concretum, deinde etiam conuulneratum, & à reliquo corpore non ferro, sed glaciei crustis resectum, in glacie ipsa saltationem læthalem exhibet: spectaculoq; eo omnibus præbito, in memoriam ea quæ fecerat, spectantibus reuocat. Hæc Nicephorus. Et accedentes discipuli, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud. Ioannis & Saluatoris discipulos intelligere possumus. Narrat ecclesiastica historia, sepultum eum esse in Se-

in Sebaste vrbe Palestinæ, quæ quondam Samaria fuerat dicta, & à tempore Iuliani principis, paganos inuidentes Christianis, qui sepulchrum eius pia solicitudine frequentabant, inuasisse monumentum, ossa dispersisse per campos, & rursum collecta igne cremasse, ac denuò dispersisse. Affuerunt tunc temporis ibidē de Hierosolymis monachi, qui mixti paganis ossa legentes, maximam eorum partem congregarunt, & ad patrem suum Hierosolymam detulerunt, at ille misit ea Beato Athanasio, Alexandriæ Episcopo, ibiq; seruata sunt vsq; ad tempora Theophili eiusdem vrbis Episcopi.

2 NOtandum primò sensum futuræ resurrectionis cum natura simul hominibus ab antiquis diebus innatum fuisse. Cuius scintillæ quædā in omni seculo emicabant. In Iobo: Credo quòd redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: in Homero, in Pythagora, Platone, alijsq; multis. Nunc in Herode, qui putat Christum à mortuis resurrexisse.

3 NOtat secundò Euthymius, rem esse planè admirandam: quòd is qui interemerat, timeret interemptum. Talis est enim qui iniquus est, vt & mortuos timeat: & talis est qui virtutem colit; vt pauorem etiam post mortem immittat viuentibus. Incidente autem occasione de Ioanne, narrat consequenter Euangelista, quomodo mortuus sit. Cerne, inquit Ambrosius, oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cuius sententiam ferre non poterat, conticescit, & adhuc timetur.

4 NOtandum tertiò leuitatem & vanitatem amoris, pro vna saltatione dimidium regni promitti, & prophetam magnum decollandum dari. Amor seruus est, cœcus est, vinum & mulieres faciunt apostatare etiam perfectos. Seruit Herodes Herodiadi, facere non vult, contristatur ob facinus, & prodit: videt vinctum, timet & obseruat sanctum, videns tamen & sciens perit, cœcus est, & non videt hæc omnia, prophetam prodit. Misera anxietas, semper malam conscientiam torquet.

5 NOtandum quartò: ne hoc quidem admodum reprehendendum esse, si quis diem natalem suum in memoriam sibi reuocet, sed ea ratione; vt quoties dies ille recurrit, toties vnusquisq; nostrûm admoneatur ad gratias Deo agendas, à quo in hanc vitam productus, complures iam annos eius beneficio transegit: deinde, vt in memoriam reuocet, quàm malè & inutiliter tempus diuinitùs concessum passus fuerit perire, tandem vt in reliquum vitæ tempus, eiusdem Dei præsidio se commendet.

6 NOtandum quintò, putare quosdam, vagæ & incœstæ libidinis non magnum crimen, aut malum esse, atq; adeò vniuersi concubitus. Non idem videtur Christo: qui, inquit, inspexerit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est eam in corde suo. Non idem D. Paulo, qui fornicatores & adulteros iudicaturum Dominum minatur: qui regnum Dei illos non possessuros, nec Deum visuros affirmat: qui cibum cum illis capere, mensam communem habere nefas esse dicit. Quod idem leges ciuiles docent, quæ liberos istos infames esse volunt, quibus malis, quæ maiora esse possint, non video. Ludicra hæc

quibusdam esse videntur, iocus & risus: atqui maximè seria secum ferunt. Ludicrus fuit saltus Herodiadis, at maximè seriam rem attulit, mortem summi prophetæ. Quatuor autem sunt potissima, & quibus in vita non sunt maiora, quas istæ ineptiæ pariunt plusquàm seria,& quæ non disputatione colliguntur; sed manibus & sensu quotidiè contrectantur; & quæ totum vitæ cursum impediunt: Ira Dei: cœcitas mentis: infamia perpetua & contemptus: idq; à vulgatissimo quoq;: Labes & infectio corporis perpetuò duratura:Proles & posteritas misera. Mitto seruitutem insolentissimo & indomito animali mulieri, & paupertatem perpetuam. Qui habet aures audiendi audiat.

7 NOtandum sextò, leues amores & perturbationes, leuiora iuramenta consequi: vnde veteres dicebant, Amantium iuramenta Iouem ridere, at non Deum Opt. Max. at non sanctum eius natum & filium. Non obligasse autem hoc periurium Herodem, Dauidis exemplum docet: qui cùm per Dominum iurasset occidere Nabal virum stultum & impium, atq; omnia quæ ad illum pertinerent demoliri, ad primam intercesionem Abigail fœminæ prudentis mox remisit minas, reuocauit ensem in vaginam, necnon aliquid culpæ lethali periurio se cõtraxisse doluit. Verùm tutiùs est hac de re veterum sententias exaudire. Ego non excuso Herodem, quòd inuitus & nolens propter iuramentum homicidium fecerit, qui ad hoc fortè iurauit, vt futuræ occasioni machinas præpararet. Alioquin, si ob iusiurandum fecisse se dicit: si patris, si matris postulasset interitum, facturus fuerat, an non? Quod in se ergò repudiaturus fuit, contemnere debuit & in Propheta. Scelus igitur excusat iuramentum,vt sub occasione pietatis impius fieret. Non tantum erat, inquit Origenes, crimen, præcipitasse iusiurandum; quantum erat crimen ob præcipitatum iusiurandum occidere prophetam: quo factum est, vt caput prophetiæ Iudæi non haberent; Christum Iesum totius prophetiæ caput negantes, amputatumq́; caput prophetiæ propter iusiurandum, quod peierandum erat potiùs quàm seruandum. Et Isidorus: Non erat conseruandum sacramentum, quo incautè promittitur malum, veluti si quispiam adulteræ perpetuam cum ea manendi fidem polliceatur. Tollerabiliùs enim est non implere sacramentum, quàm manere in stupro. Et Theophylactus: Discamus, inquit,quam meliùs sit peierare, quàm propter iuramentum aliquid impium facere. Frustra igitur hæresis pios reges varijs iuramentis obligat, iuramentum ad rem iniustam non obligat; tamen cauendum est, vbi quis frustra sumpsit nomen Domini, ne eius prætextu abutens ad patrandum aliquod scelus,sacrilegium duplicet.

Ambrosius.

8 NOtandum septimò: Regum ac Principum familiaritates periculosas esse. Nunc enim Ioannes apud Herodem doctor, nunc propheta, nunc monitor, nunc vinctus, nunc conuiuij ludibrium, nunc vile mancipium; nunc in palatio, nunc in carcere. Vbi nunc est illa multitudo magna,quæ egrediebatur ad illum ad Iordanem? Nolite igitur confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.

9 NOtandum octauò: In conuiuium nihil ferum, nihil inhumanum, nihil ad alterius damnum adferri debere. Quis, inquit Ambrosius, non cùm è conuiuio ad carcerem cursari videret, putaret prophetam iussum esse dimitti? Quis, inquã, cùm natalẽ audisset esse Herodis, solenne cõuiuiũ celebrari, puellæ optionem

nem eligendi quod vellet datam: missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delicijs? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam propheta tempore conuiuali, conuiuali præcepto, quo non cuperet vel absolui; perimitur gladio, caput eius adfertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.

10 NOtat D. Hieronymus in Romana historia Flaminium ducem Romanum, quòd accumbenti iuxta meretriculæ latus, quæ nunquàm se diceret vidisse hominem decollatum, assensus sit, vt reus quidam capitalis criminis in conuiuio truncaretur, à censoribus pulsum curia, quòd epulas sanguini miscuerat, & mortem quamùis noxij hominis in alterius delicias prostituerat, vt libido & homicidium pariter miscerentur. Quantò sceleratior Herodes & Herodias, & puella quæ saltauit in pretium sanguinis, caput postulat prophetæ, vt habeat in potestate linguam, quæ illicitas nuptias arguebat. Mali corui, malum ouum. Mulierum pessima consilia: nam huiusipsius consilio regnum amisit.

11 NOtandum nonò: Peccatis proximorum non insultandum, sed quòad eius fieri potest, vt occultentur, conandum: suscipiendus animus philosophia dignus, imitandus Euangelista, qui etsi de muliere fornicatrice & homicida diceret; quantum potuit tamen, absq; vlla reprehensione narrauit: non enim dixit à scelerata & vesana, sed à matre puellam admonitam atq; inductã fuisse. Ille, inquit D. Chrysostomus, honestissimo vocabulo matrem appellauit: tu maledicis & conuitiaris proximum? nec ita mansuetè, si frater vnquam te irritauerit, de ipso loqueris, vt ipse de corrupta muliere; sed quasi fera bestia ira tumescens malignum diceres illum, fraudulentum, amentem, cæteraque huiuscemodi. In ferarum enim crudelitatem prorumpentes, quasi de alienigena loquimur, contumeliantes atq; vituperantes. Non ita certè sancti viri faciunt: sed lachrymas potiùs pro peccatoribus fundunt, quàm eis maledicant. Hoc nos quoq; obsecro faciamus: lachrymis dignam putemus Herodiadem, & omnes illius imitatores.

12 NOtandum & illud: falli Iosephum, qui putat non Philippo fratri, sed Herodi regi Chalcidis patruo acceptam Herodiadem fuisse: nam quo tempore Euangelistæ scripserunt, non modò erat sceleris totius recens memoria, sed ante omnium oculos versabatur. Quòd autem alibi tradit Iosephus, mansueto ingenio fuisse Philippum, non dubito quin hac spe audacior factus fuerit Herodes, quòd in hominem placidum, imbellem, & modestum impunè contumeliosus foret. Accedit altera probabilis coniectura, quòd Herodias patruo Philippo in matrimonium potiùs data fuisse videtur, quàm patruo magno aui sui fratri, seni iam decrepito.

13 NOtandum decimò: malignitatem, quemadmodum febricitantes, quando frigidam aquam expetunt, non futura, sed præsentia solùm considerare: quod hoc loco in Herode factum legimus. Nam nisi accusantem iugulasset; non ita prædicata esset petulantia ipsius & audacia: Discipuli enim eius, quando in carcerem fuit coniectus, nolentes aliorum publicare flagitia; nihil omninò dixerunt: cùm verò iniuria interfectum doctorem vidissent; tunc coacti rem omnem exposuerunt, causam etiam ipsius cædis; ne quis fortè iustiorem putaret, sicut in Theuda & Iuda impelluntur explicare. Vnde patet, quanto magis

 quis

quis hoc modo peccata obumbrare, atque offuſcare voluerit; tantò magis in lucem omnia venire. Sic delicta non adiectione delictorum, ſed pœnitentia cœlantur.

Notandum vndecimò, magnorum virorum ſepulturas honeſtas eſſe debere, quod in primis in ſanctis patriarchis apparet, deinde in Chriſto Domino eiuſq; leuita Stephano, atq; etiam nunc in D. Ioanne. Et acceperunt eum diſcipuli eius, & ſepelierunt eum. Cuius ſepulturam deſcribit Ioſephus. 14

Notandum duodecimò, præſcripſiſſe Ioannem ſuo exemplo pijs doctoribus certam regulam, ne diſsimulent principum vitia, vt hac mercede fauorem eorum, quantumuis in commune vtilem, redimant. Docet idem Herodis exemplum, multos reges & principes eſſe, qui mitibus quidem conſilijs facilè acquieſcunt; ſi quid autem ſeueriùs & duriùs in illos dicatur, ſtatim excandeſcunt, ac ex amicis inimici fiunt. Nihil autem magis offendit, quàm fœdæ libidinis notatio. Eſtq; perfectorum hominum dare operam, vt à tali genere conuiuiorum abſint, quod D. fecit Chryſoſtomus, quæ vna etiam fuit cauſa eius exilij. Nuſquàm magis tumeſcit ac inſoleſcit animus, quàm ad epulas & dapes: proinde rectè inſtitutum eſt Eccleſiæ præceptis; vt ad menſam ſacra ſcriptura legatur, ac piæ collationes fiant; partim, vt anima ſimul cùm corpore paſcatur, partim vt inſolētior pars animi cohibeatur. Qua de re grauiſsimè & S. Ambroſius cùm viris Eccleſiaſticis expoſtulat in libris Officiorum. Conuenire, inquit, Eccleſiaſticis, & maximè miniſtrorum officijs arbitror: declinare extraneorum conuiuia, vel vt ipſi hoſpitales ſitis peregrinantibus, vel vt ea cautione nullus ſit opprobrio locus. Conuiuia quippe extraneorum occupationes habent, tum etiam epulandi produnt cupiditatem. Surrepunt etiam fabulæ frequenter de ſeculo ac voluptatibus: claudere aures non potes: prohibere putatur ſuperbiæ: ſurrepunt etiam præter voluntatem pocula. Meliùs eſt tuæ domui ſemel excuſes, quàm alienæ frequenter, & vt ipſe ſobrius ſurgas: tamen ex aliena inſolentia non debet condemnari præſentia tua. Viduarum præſertim ac virginum domos niſi viſitandi gratia, iuniores adire non eſt opus: & hoc cum ſenioribus, hoc eſt, vel cum Epiſcopo, vel ſi grauior eſt, cum presbyteris. Quid neceſſe eſt, vt demus obtrectandi locum ſecularibus? Quid opus eſt, vt illæ quoq; viſitationes crebræ accipiant authoritatem? Quid ſi aliqua illarum fortè labatur? Cur alieni lapſus ſubeas inuidiam? Quàm multos etiam fortes illecebra decepit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt ſuſpicioni? Cur non illa tempora, quibus ab eccleſia vacas, lectioni impendas? cur non Chriſtum reuiſas? Chriſtum alloquaris? Chriſtum audias? Illum alloquimur cùm oramus. Illum audimus cùm diuina legimus oracula. Quid nobis cùm alienis domibus? Vna eſt domus, quæ omnes capit. Illi potiùs ad nos veniant, qui nos requirunt. Miniſterium altaribus Chriſti, non obſequium hominibus deferendum recepimus. Humiles nos eſſe decet, mites, manſuetos, graues, patientes, modum tenere in omnibus; vt nullum vitium eſſe in moribus, vel tacitus vultus, vel ſermo annuntiet. Caueamus itaq;, ne dum relaxare volumus animum, ſoluamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum. vſus enim citò inflectit naturam. 15

SERIES EVANGELII.

Quod nuncium lugubre, cùm accepiſſet Dominus, ſeceſsit inde in nauicula, in 16

la, in locum desertum seorsum; cuius secessionis causas exponit Hieronymus. Necem Baptistæ nunciant Saluatori, qua audita, secessit in locum desertum seorsum: non, vt quidam arbitrantur, timore mortis; sed parcens inimicis suis, ne homicidio homicidium iungerent. Vel in diem Paschæ interitum suum differens, in quo propter sacramentum immolandus erat agnus, & postes credentium sanguine aspergendi. Siue ideò recessit, vt nobis præberet exemplum vitandæ vltrò tradentium se temeritatis: quia non omnes eadem constantia perseuerant in tormentis, qua se torquendos offerunt. ob hanc causam & in alio loco præcipit: Cùm vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Quo loco grauissimè Origenes: Quoties, inquit, inciderit tentatio, quam vitare non licet, necessè est fortiter, magnóq; animo sustinere. Quòd si liceat effugere, audaciæ fuerit hoc non facere. Eleganter quoq; Euangelista, non ait, fugit in locum desertum, sed secessit, vt persecuturos vitauerit, magis quàm timuerit. Vel. Postquàm à Iudæis, & rege Iudæorum prophetæ truncatum est caput, linguamq; & vocem apud eos perdidit prophetia, Iesus transijt ad desertum Ecclesiæ locum, quæ virum antea non habuerat. Ponit & aliam secessionis causam, vt discipuli, qui tum ex prędicatione redierant, liberiùs reficerentur. Cùm enim congregati fuissent Apostoli ad Iesum, & renuntiassent ei omnia, vt alius Euangelista narrat, quæ egissent, & quæ docuissent, ait illis: Venite in desertum locum, & requiescite pusillum: erant enim qui veniebant & redibant multi, vt ne cibum quidem capere vacaret: & ascendentes in nauim abierunt in desertum locum seorsum. *Marci 6.*

17 SEquuntur eum turbæ in desertum, non iumentis, non vehiculis, sed pedibus; vt fidem suam probarent, quorum Christus miseretur, eorumq; languidos sanat: eadem misericordia mouentur discipuli, dicunt se in deserto loco esse, horam iam præterijsse, monent vt turbæ dimittantur, & manducent. Christus addit aliquid ad misericordiam illorum, iubet ipsos illis mensas curare, excusant inopiam, quinq; panes & duos pisciculos se tantùm habere dicunt: iubet ille recumbere turbas in fœno, panes & pisces diuidit, benedicit, frangit, discipulos inter turbas diuidere iubet, manducant illi, saturantur, duodecim cophini fragmentorum restant, vt illis se non habere testantibus magnitudine signi notior fieret, vt & modus numero, & numerus modo obtemperaret. Hilarius. Idem, inquit, edentium numerus inuenitur, qui futurus erat crediturorũ. Nam sicut in libro πραξεῶν legitur ex Israelitici populi infinitate virorum quinq; millia crediderunt. Non habent necessè diuersos cibos quærere, cùm habeant secum cælestem panem. In cælum respexit, in honorem illius, à quo erat ipse confessus: non quòd carnalibus oculis contueri patrem esset necesse; sed vt qui adessent intelligerent, à quo virtutis tantæ accepissent effectum: dat deinde discipulis panes, ad benedictionem prouocans. In alio Euangelista legimus: Est hîc puer vnus, qui habet quinq; panes, qui mihi videtur significare Mosen: duos autem pisces, vel vtrumq; intelligimus testamentum, quia par numerus refertur ad legem. Igitur Apostoli ante passionem Saluatoris & coruscationem Euangelij fulgurantis, non habebant nisi quinq; panes, & duos pisciculos, qui in salsis aquis, & in amaris fluctibus versabantur. Qui ait illis: Afferte mihi illos huc. Audi Marcion, audi Manichæe, quinq; panes & duos pisciculos ad se afferri iubet Iesus, vt eos sanctificet atq; multipli-

 cet.

Chrysostom Hom. 50. in Matth.

cet. Aſpicit autem in cælos, vt illuc oculos dirigendos eſſe doceat. Cur reſpexit, inquit, in cælum, & benedixit? Vt crederetur non aliundè, quàm à patre miſſus fuiſſe, & illi æqualis eſſe, quarum rerum approbationes repugnare ſibiipſis videntur. Nam æqualitas quidem, quoniam magna poteſtate omnia faciebat, demonſtrabatur: à patre verò ipſum eſſe vnde perſuaderetur, niſi multa humilitate quæcunq; faciebat, in ipſum ita retuliſſet, vt etiam eum ad præclara facinora inuocaret? Propterea non alterum ipſorum ſemper ſolum factitauit, ſed vt vtraq; illa confirmaret: modò ſumma cùm poteſtate imperij, modò inuocans patrem atq; orans, miracula peragit. Panem & piſces diſtribuit, terræ & maris Dominum ſe probans. Frangente autem Domino, panes ſeminarium fiunt ciborum, manus Chriſti ager pinguis & fœcundus efficiuntur. Turbæ à Domino per Apoſtolos alimenta ſuſcipiunt, quæ quidem in earum manibus ita multiplicabantur, ac fontis in morem ſcaturiebant, adeò vt non ſuffecerint ſolùm, verùm etiam ſuperabundauerint: Vnuſquisq; enim Apoſtolorum de reliquijs panum impleuit cophinum ſuum, vt vel haberet de quo poſtea gentibus cibum præberet, vel ex reliquijs doceret, veros fuiſſe panes, qui poſtea multiplicati ſunt. Et ſimul quærendum eſſe, docet Hieronymus, quomodo in eremo, & tam vaſta ſolitudine panes non inueniantur, niſi quinq; tantùm, & duo piſciculi, & tam facilè duodecim cophini reperiuntur? Ne mirêre fontes fluere, ineſſe vuas vitibus, & vuis vina diffundi, & omnes mundi opes annuo quodam meatu indefeſſoq; defluere, authorem enim huius vniuerſitatis tantus panum profectus oſtendit, per quem tali incremento modus pertractatæ materiæ adderetur. Ideò fragmenta ſuperſunt, ne phantaſma miraculum putetur: & vt oſtendatur, illis qui promptè dant, ſemper ſupereſſe. Nō quinq; multiplicantur in plures, ſed fragmentis fragmenta ſuccedunt, & fallunt ſemper præfracta frangentes. Creſcit deinde materies, neſcio vtrum in menſarum loco, an in manibus ſumentium, an in ore edentium, inquit Hilarius. Mulieres autem & paruuli, & ſexus fragilis, & ætas minor numero indigni ſunt. Vnde & in numerorum libro, quoties ſacerdotes & leuitæ, & exercitus, vel turbæ pugnantium deſcribuntur; ſerui & mulieres, & paruuli, & vulgus ignobile abſq; numero prætermittitur. Qui itaq; priùs eos ſpirituali alimento ſaturauerat docendo, vt dictum eſt, & loquendo de regno Dei; nunc quoq; ſatiat illos & corporali, nec id ſolùm, verumetiam multa docet eos. Ab accubitu quidem ſuper gramen animi modeſtiam, ab eo quòd nihil præter panes & piſces præberet, temperantiam; ab eo verò quòd omnibus pari modo diſtribueret, æquitatem. Dum autem illos recumbere iubet, eorum obedientiam probat, res enim ridiculo ſimilis eſſe videbatur, ad nullas & vacuas menſas ſedere. Apoſtolis autem munus partiendi committit, vt non tantùm oculis miraculum prouidentiæ eius videant, qua illis in poſterum omne tempus viuendum fuit, ſed manibus ipſis palpare atq; diſpenſare. Iubet autem illos adferre, vt doceat etiam illa pauca oportere præbere indigentibus, eosq; ſibijpſis præponere, illi verò quanquàm fame ſimiliter laborarent, nihilq; aliud haberent, ſine vlla contradictione obediunt. Quia cum tota familia ſequebantur, cum tota familia fructum beneficij conſequebantur.

17 NOtandum primò, diuinæ prouidentiæ, quam cæli iſtius pulcherrimus ordo commendat, quam elementorum gradus repræſentat, quam temporum & loco-

locorum varietas ac continuatio probat, quam ipsius corporis nostri maiestas demonstrat, quam animalium, plantarum virtus docet, specimen hocloco dari eamq; nobis commendari.

18 NOtandum secundò: quamuis Deus omnibus non hominibus tantùm, sed & bestijs prouideat; maximè tamen illis, qui eum sequuntur, qui verbum eius audiunt, illi ministrant, in eum curas suas reijciunt, illiq; se commendant. Diuites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Quod idem similiter nunc fieri videmus. Quomodo rex magnus omnibus quidem subditis & ciuibus suis prouidet, magis tamen & singulari quodam modo domesticorum & aulicorum suorum commoda curat.

19 NOtandum tertiò, quamuis Deus ipse rebus omnibus prospiciat, sponteq; sua omnia videat; nonnunquam tamen ad preces & orationes sanctorum id promptiùs facere, vt sic mutuam charitatem probet & commendet, communionem sanctorum demonstret; quod nunc fieri videmus, quòd Apostolis intercedentibus turbas satiet, ac eorum necessitati consulat.

20 NOtandum quartò: in hac refectione turbarum cibo corporali, esse signũ & exemplum futuræ refectionis spiritualis ac mysticæ, in corpore & sanguine Domini, vt illi futuræ litigationi Capharnaitarum, Quomodo hic carnem suam dare nobis potest ad manducandum? occurratur: qua scilicet ratione tot gentes Christus corpore suo satiet? quomodo si sumant omnes idem semper supersit? quomodo vnum corpus sit in pluribus locis? nam iste panis vnus erat, & tamen in omnium ore atq; cophinis est. Quod iam ante nos obseruauit D. Ambrosius. Pulchrè autem hunc locum tractat Hilarius. Nunquid ignorabat non esse quod dari posset, & humanarum mentium interna conspiciens modum repositi penes Apostolos cibi nesciebat? sed erat omnis typica ratio explicanda. Nondum enim concessum Apostolis erat, ad vitæ æternæ cibum, cœlestem panem perficere ac ministrare. Vincit humanam intelligentiã opus facti. Et cùm frequenter quædam sint, quæ concepta sensu sermo non explicet: in his tamen ipsa sensus sublimitas ingrauescit, & ad contemplationem pro difficultate tam inuisibilis negotij obstupescit. Agitur enim in opere visibili inuisibilis molitio, & arcanorum cælestium Dominus arcanum præsentis negotij operatur. Superat autem omnem naturam virtus operantis, & supergreditur facti intelligentiam ratio virtutis, & sola relinquitur admiratio potestatis : ordo etiam causarum operumq; consequitur.

21 QVintò notandum est: quòd etsi Deus ipse dona & sacramenta sua nobis det, per manus tamen sacerdotum ac ministrorum suorum : nam & nunc turbas ipse pascit, sed per manus Apostolorum. Vnde Paulus, Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Et Hilarius: Dãtur Apostolis panes, quia per eos erant diuinæ gratiæ dona reddenda. Qui igitur aut ipse sibi sumit, aut extra Apostolicas manus, hic fur est & latro.

22 NOtandum sextò: Spirituales pastores spirituali quidem cibo verbi Dei & sacramentorum in primis suos pascere debere: si tamen possunt, & ita vsus & necessitas ferat, ne istum quidem carnalem illis negare debere, quod Christi exemplum docet.

NOtandum ſeptimò: qui ſibi Chriſtum nutritorem cupiunt eſſe, eos non debere exquiſitas lautitias appetere; ſed pane hordeaceo, & leui obſonio contentos eſſe debere.

+ NOtandum & illud: non mediocriter in hac parte errare, huius ſeculi hæreticos: qui cùm in Eccleſia Catholica multas benedictiones fieri videant, multas conſecrationes; eas irridere non erubeſcant, illo argumento perſuaſi: Quòd Deus omnia fecerit benè, & omnibus rebus benedixerit:ita vt nullis ampliùs benedictionibus opus ſit. In quo multipliciter errant. Primùm, quòd etſi Deus benedixit omnibus à principio, poſt peccatum tamen iterum maledixit terræ, & omnibus rebus quæ naſcuntur ex ea. Maledicta terra. Secundò, manifeſtũ locũ D.Pauli nõ vident. Omnis creatura bona eſt: ſanctificatur autẽ per benedictionem. Vltimò, manifeſta Chriſti exempla, qui vbiq; priusquàm aliquid aggrediatur, benedicit, quod hoc loco fieri videmus. 23

NOtandum item eſt: multiplex ſemper genus benedictionum fuiſſe; patriarchales, paternas, ſacerdotales, ſacramentales, communes, & ad quotidianum vſum comparatas, in quibus magna ſemper habita eſt differentia. 24

NOtandum octauò: Chriſtum Dominum in omnibus ordinem ſeruare & requirere. Ideò & iſtos per certos accubitus certo numero & loco ſedere iubet, vt omnia quæ à Deo ſunt, ordinata ſint, & omnia decenter, & ordine ſuo fiant; & nemo alterius locum & ordinem inuadat, quisq; in ſuo ſe contineat. 25

+ NOtandum nonò: Ordinem futuræ ſpiritualis & ſacramentalis curationis noſtræ hîc adumbratum eſſe: Primò in fide per doctrinæ inſtinctum inſtituuntur: deinde per ſupernam virtutem à languoribus curantur: vltimò, pane miraculosè ſatiantur. Idem in Eccleſia vſq; ad conſummationem ſeculi fieri debuit, vt per prędicationẽ, & baptiſmũ in fide fundaremur: per pœnitentiã à languoribus peccati curaremur: Vltimò, ſacramento corporis & ſanguinis Domini reficeremur. Hæreſis prophana, omnia potiùs proijcit, quàm diſpenſat. 26

× NOtandum decimò: quieſcere ac refici iubentur in fœno, vt deſignetur nullum locũ in hoc mundo quietis,& refectionis eſſe ſtabilem, diuturnum, ſed omnia tanquàm fœnum areſcere, ac tanquàm florem agri decidere, & ideò veræ quietis & refectionis vnum ſolum locum eſſe in cælis. 27

NOtandum vndecimò: penu Apoſtolicum exiguum fuiſſe, quinq; panes, & duos piſces, vt potè illorum, quibus dictum eſt: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum;ſupellectilem fœnum & terram, in qua hoſpites ſuos refecturi erant. 28

+ NOtandum duodecimò: reliquias quas turbæ concoquere aut conſumere non poſſunt, ad Apoſtolos pertinere, ab illisq; conſumi, hoc eſt, profundiora myſteria, quæ turbæ non capiunt, ab Apoſtolis,ſacræq; ſcripturæ doctoribus tractari ac explicari, ac inter illos verſari debere: Hæretici plebi omnia deuoranda præbent. 29

+ NOtandum tredecimò: panibus iſtis duodecim, qui in Euangelio leguntur, in cophinis reconditi; duodecim panes ſignificari, quibus eos paſcit, qui 30

eum

eum sequuntur in die ista. Primus panis est charitatis, secundus gaudij, tertius pacis, quartus patientiæ, quintus longanimitatis, sextus bonitatis, septimus benignitatis, octauus mansuetudinis, nonus fidei, decimus modestiæ, vndecimus continentiæ, duodecimus castitatis. Isti duodecim panes propositionis, de quibus dicitur in Exodo: Super mensam panes propositionis erunt semper. De his omnibus ait D.Paulus:Fructus autem spiritus sunt, charitas.&c. *Exod. 25. Galat. 5.*

32 NOtandum quartodecimò cùm Origene: Christum Dominum cùm daturus esset benedictionis panes discipulis,vt turbis apponerentur,sanasse ægrotos, vt sani participes fierent panum benedictionis. Non enim possunt qui adhuc ægrotant capere panes benedictionis Iesu: verùm etiam si aliquis audire debuerit illud, Probet autẽ vnusquisq; seipsum, & sic comedat ex illo pane, & hæc non audierit, sed temerè sumpserit panem Domini, & poculum eius; infirmus fit aut ægrotus, aut etiam, vt ita loquar, ex grauedine quæ nascitur ex huius panis vi, dormiens.

33 FEssus ipse fessos Apostolos, vt quietem capiant compellit: inuiti enim à magistro discedebant, dum amore præceptoris ne puncto quidem temporis ab eo separari volunt. Notandum autem est: quietiorem esse locum homini speculanti in mari, quàm in mundo & turbis hominum. In mari viæ eius, & in aquis semitæ eius. Dimissa autem turba ascendit in montem orare. Quòd autẽ ascendit solus orare, non ad eum referas, qui de quinq; panibus quinq; millia saturauit hominum, exceptis paruulis ac mulieribus: sed ad eum qui morte Ioannis secesit in solitudinem, non quòd personam Domini separemus,sed quòd opera eius inter Deum hominemq; diuersa sint. Septẽ autem fecit Christus in monte: Primò in monte superauit Diabolum:secundò, in monte discipulis prędicauit: tertiò, in monte se transfigurauit: quartò, in monte frequenter orauit: quintò, in monte discipulis apparuit: sextò, in monte turbas pauit: septimò, de monte cœlos ascendit. De primo D. Matthæus: Assumpsit, inquit, eum Diabolus in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi. De secundo idem: Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem: & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius: & aperiens os suum docebat eos. De tertio, Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. De quarto Lucas: Exijt, inquit, in montem orare solus, & erat pernoctans in oratione Dei. De quinto Matthæus: Vndecim, inquit, discipuli abierunt in Galilæam in mõtem vbi constituerat illis Iesus, & videntes eum adorauerunt. De sexto Ioannes: Subijt in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis. Vbi paulò pòst subdit: Accipiens Iesus septem panes & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis. De septimo Lucas in Actis: Tunc reuersi sunt Hierosolymam à monte qui vocatur Olíueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbathi habens iter. Vespere facto, solus est: oportet enim multum orare, ac multùm solum esse, qui vult alios rectè docere: nam illæ repentinæ doctrinæ, mihi non placent. Ascendit autem solus in montem orare. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus, omnis turbationis expultrix. Discipuli absente Domino naufragari cœperunt, quibus ille quarta vigilia noctis opem fert, super mare ambulans, turbati phantasma esse putant, opem implorant; clamant in persona præ-

SERIES EVANGELII.

Matth. 17. Lucæ 6. Matth. vlt. Ioan. 6. Acto. 1.

na præſentis Eccleſiæ & laborantis. Stationes & vigiliæ militares, in terra horarum ſpatia diuidebantur. Quando ergò dicit, quarta vigilia noctis veniſſe ad eos Dominum; oſtendit tota nocte periclitatos: & extremo noctis,atq; in conſummatione mundi auxilium illis præbiturum. Statimq; locutus eſt eis Ieſus dicens: Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere. Conſolatur voce illis nota, & Deo vero vſitata: Habete fiduciam,ego ſum, nolite timere. Reſpondens autem Petrus dixit: Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas.Petrus pro ſua natura audaci quærit,an & ipſe pedibus ad Dominum eat, ac credit ſe facere poſſe per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam. Iube me ad te venire ſuper aquas. Venit, timet, mergitur, inclamat: Domine, ſaluum me fac: ſubleuatur, increpatur. Ardebat fides, ſed humana infirmitas in profundum demergebat: & in hoc oſtenditur eum Domino æqualem non fuiſſe. Fide Petrus vbiq;, inquit Hilarius, antecedit: nam ignorantibus cæteris, primus reſpõdit, Tu es filius Dei viui: primus paſsionem dum malum eſſe putat, deteſtatus eſt; primus & moriturum ſe, & non negaturum ſpopondit: primus lauari ſibi pedes prohibuit: gladium quoq; aduerſus eos, qui Dominum comprehendebant eduxit. Et deſcendens Petrus de nauicula, ambulabat ſuper aquam,vt veniret ad Ieſum; videns verò ventum validum, timuit: & cùm cœpiſſet mergi, clamauit,dicens: Domine,ſaluũ me fac. Hæc ſubmerſio Petri, præfiguratio fuit eius negationis & pœnitentiæ; Vt enim hîc audet, iube me ad te venire;& permittitur, & cadit, & ſubleuatur: ita & poſtea audaciã iactat. Non te negabo, & permittitur item vt neget, & ſubleuatur & curatur: Et reſpexit Dominus Petrum,& recordatus Petrus verbi Domini Ieſu, egreſſus foras, fleuit amarè. Paululum ergò relinquitur tentationi, vt augeatur fides, & intelligat, ſe non facilitate poſtulationis,ſed potentia Domini conſeruatum. Oſtendens autem Chriſtus non ventum cauſam fuiſſe ſubmerſionis, ſed Petri diffidentiam: non ventum increpat, ſed modicam fidem. Et continuò extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitaſti? Si Apoſtolo Petro, de cuius fide, & ardore mentis ſuprà diximus, qui confidenter rogauerat Saluatorem dicens: Domine, ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas: quia paululum timuit, dicitur: Modicæ fidei, quare dubitaſti? quid nobis dicendum eſt, qui huius modicæ fidei ne minimam quidem habemus micam? Permiſit ergò Dominus diſcipulos ad id vſq; tempus fluctuare; docens eos vt fortes efficerentur ad perferenda pericula, quæ diſpenſatoriè inducuntur, nec facilem aut velocem quærant liberationem: præterea, vt mortem præ oculis habentes, & ab ea liberati agnoſcerent eum eſſe, qui ſe ſeruaſſet. Nondum enim habebant perfectam certitudinem, ideò quoq; poſt liberationem adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es. Plena autẽ talis confeſsio futura eſt in fine mundi: Confeſsio enim vniuerſorum tum & abſoluta & publica erit, Dei filium non iam in humilitate corporea, ſed in gloria cæleſti pacem Eccleſiæ reddidiſſe.

Transfretato demum mari, venit in terram Genezareth: Et cùm cognouiſſent eum viri loci illius, miſerunt in vniuerſam regionem illam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & rogabant eum, vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent, & quicunq; tetigerunt, ſalui facti ſunt. Cognouerunt autem eum fama & rumore, non facie: quanquàm & ex vultu multis propter rerũ geſtarũ magnitudinẽ notus fuit. Qui malè ſe habent, notat Hieronymus, non 34

tan-

tangunt corpus Iesu, neq; totũ vestimentũ eius; sed extremam fimbriam: & quicunq; tetigerint, sanantur. Fimbriam vestimenti eius, vel minimum mandatum intellige: quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno cœlorum: vel assumptionem corporis, per quam venimus ad verbum Dei, & illius postea fruimur maiestate. Vidisti quomodo discipuli paulatim profecerint, vide & multitudinẽ. Nõ iam ipsum in domũ trahunt, neq; vt manus imponat quærunt: neq; verbi iussũ expetũt; sed excelsiùs, ac longè diuiniùs salutẽ accersunt: illa enim quæ sanguinis profluuio laborârat, maiorẽ illis fidem induxerat. Qui allegoria delectatur, legat hoc loco D. Hilarium.

35 NOtandũ primò: quòd quemadmodũ actionum & laborum certum tempus esse debet; ita & quietis ac refectionis, & Christum habere, & suis dare; ac eosipsos, qui eo nomine illos accusant ac iudicant, morosos ac hypocritas esse; qui ignorant, quæ carent alterna requie, durabilia non esse.

36 NOtandũ secundò: eam refectionem & recreationem, non in ebrietate, neq; in comessationẽ, nõ in luxu, neq; in voracitate consistere; sed potiùs in solo loco, in animi dispersi collectione, tum in omnis refectionis fonte Deo, in oratione iucũda, lectione, ac meditatione scrãrum: his enim vijs sedatur & delectatur animus, fit hoc nonnunquàm gaudium cum lachrymis: pulchrè lauatur animus: lætus ex hoc balneo discedit.

37 NOtandum tertiò: propè esse Dominum omnibus inuocantibus se, inuocantibus se in veritate.

38 NOtandum quartò: miro profectu Dominum suos exercere: primùm induxit tempestatem magnam, cùm ipse præsens esset cum illis, sed dormiuit: secundò, cùm abesset sed non procùl, vt hoc loco, vt posset statim opem ferre: tertiò, cùm simpliciter abscesit, & post resurrectionẽ adfuit: vltimò, post ascensionẽ, quoties, Deus bone, hæ tales tempestates illos exceperunt? Tanquam aquila quædã prouocans pullos suos ad volandũ, & super eos volitans; vt sic præsentia perferẽdo minora, ad maiora exerceantur. In quo quantũ profecerint, vel ipsius Pauli exemplũ docet, in naufragijs, inquit, multis. &c.

39 NOtandum quintò: visorum ac phantasmatum vsitatum morẽ apud Hebræos fuisse: sic & apud Græcos: iam enim hoc aliquoties in Euangelio legimus, quod Euangelici negant.

40 NOtandum sextò: quòd quemadmodum superiore miraculo omnipotẽtia Christi apparuit in amplificandis & augendis corporibus, in extensione rerum & locorum in quinq; panibus: in eo item, quòd vnum corpus in multis locis eius imperio esset; ita nunc eadem omnipotentia demonstrata, in eo, quòd pondera corporibus & addit, & detrahit, quòd grauitatem eleuat, quòd liquida, solida, & non cedentia facit, nec tantùm in suo, sed in alijs item corporibus, vtpotè Petri: vt in posterum omne tempus, tollatur omnis diffidentia omnipotentiæ eius in sacratisimo sacramento Eucharistiæ. Omnia siquidem quæcunq; voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra.

Notan-

NOtandum ſeptimò: euenire poſſe, vt aliquis erret in ſenſu, & tamen non erret in affectu, quod & aliàs & nunc euenit Petro. 41

NOtat octauò Hieronymus, ad vnum ſignum tranquillitate maris reddita, quæ poſt nimias procellas interdùm & caſu fieri ſolet, nautæ atq; vectores verè filium Dei confitentur, & Arius in Eccleſia prædicat creaturam. 42

NOtandum nonò, ſecundùm iam fimbriam Chriſti morbos curare, nec vnius, ſed ſimul multorum; quantò magis corporis & ſanguinis Domini noſtri IESV CHRISTI myſteria, oſſa item ſanctorum, atq; reliquiæ? De qua re Hilarius. Sed vt ex veſte tota fimbriæ, ita ex Domino noſtro IESV CHRISTO ſancti ſpiritus virtus exijt, quæ Apoſtolis data ipſis quoq; tanquàm ex eodem corpore exeuntibus ſalutem his qui contingere cupiunt, ſubminiſtrat. Sordent hæc Caluino, vnde illa fundit: Credibile eſt ſuperſtitione aliqua fuiſſe implicitos, quum ad tactum veſtis reſtringerent Dei gratiam, ſaltem illum fraudabant honoris ſui parte, cùm nihil virtutis ſperarent ex ſimplici eius verbo. Indeq; caput ſapiẽs reliquias damnat. Atqui hoc eſt accuſare Euangelium, non interpretari. Tangamus ergò etiam nos fimbriam veſtimenti eius, monet hoc loco D. Chryſoſtomus: vel potiùs ſi volumus, ipſum totum habemus. Non enim veſtis ſolùm, ſed corpus ipſius nobis propoſitum eſt, non vt tangamus ſolummodò, ſed vt comedamus & ſaturemur. Adeamus igitur Chriſtum ſinguli ægrotantes magna cum fide. Nam ſi qui fimbriam veſtimenti eius tunc tetigerunt, rectè omnes conualuerunt: quantò magis corroborabimur, ſi totum in nobis habebimus? 43

NOtandum decimò: huiuſcemodi eſſe naturam humanam, vt plerunq; in magnis rectè ſe gerat; in minoribus incauta facilè labatur: & quam maiores fluctus euertere non poterant, minores plerunq; inclinent & ſubmergant. Cõſequens igitur erat, vt Petri debilitata fide, per quam contra fluctus audentior ibat, illius deſtitueretur gratia, quæ leuem ipſum efficiebat; vt primò non demergeretur, ac deinde vt diffidentia grauatus, qui Saluatoris manu tenebatur, ipſe pondere ſuo demergeretur. 44

NOtandum vndecimò: facilè obliuiſci humanum genus miraculorum & beneficiorum Dei, quod nunc in Apoſtolis fit: Non, inquit Marcus, intellexerant de panibus. Erat enim cor eorum obcœcatum. Si enim recordati eſſent panum, tantæ virtutis; nunc non metuerent, ſed confiderent: hactenus autem non dederat illis Dominus cor ad intelligendum. Notandus eſt autem ſingulariter locus hic, obcœcari oculos, id eſt, non illuminari. Cùm igitur dicit ſcriptura: Excœca cor populi huius, intelligit, non illumines. 45

NOtandum duodecimò: Deum plerunq; nobis meliùs proſpicere negando, quàm ea quæ petimus, exhibendo: quomodo & parentes plerunq; plus proſunt liberis, ſi ea quæ inordinatè petunt, illis negent, quàm ſi exhibeant, ſed & medici. Eſt tamen & ipſe Deus aliquando in iſtis quæ ſtultè petimus facilè exorabilis, vt ipſa experientia rerum quas petimus ſtultitiam noſtram conuincat. Sic quotidie fideles ſuos, dum plus aliquando illis concedit quàm expediat, in futurum tempus inſtituit ad ſobrietatem & modeſtiam. Adde quid Petro 46

tro

tro & reliquis hoc profuit, hodieq; nobis prodeſt. Lucul&etilde;tiùs reſplenduit virtus Chriſti in Petri perſona, dũ ſibi eũ comit&etilde; adiũgit, q̃ ſi ſolꝰ ãbulaſſet ſup aquas.

47 NOtandũ poſtremò cum Origene: Nos ſi quando in tentationũ neceſsitat&etilde; inciderimus, debere meminiſſe, quòd Ieſus nos compulit ingredi nauim illam, volens nos procedere trans lacũ. Fieri namq; non poteſt, qui tentationes fluctuũ, aduerſanteſq; ventos nõ ſuſtinuerunt, eos in vlteriorem peruenire ripam. Deinde, vbi conſpexerimus multis nos circumuallari negotijs ac periculis, ac mediocriter laborantes, ea aliquo vſq; tranauerimus: cogitare nos debere, nauim noſtrã in medio maris eſſe, quæ tunc iactatur fluctibus, hoc agentibus, vt naufragium faciamus circa fidem, aut circa virtutem aliquam.

Caput X V.



IN CAPITE QVINTODECIMO SCRIBARVM ET PHARIſæorum ſcandalum & interrogatio, locũ & cauſam dat doctrinæ de humanis & diuinis mandatis: de illo item quid congruat homini, quid non. Filiã Chananeæ cũrat, turbam iterum paucis panibus ſatiat. In vniuerſis quidem tribubus duodecim, erant ſcribæ & phariſæi: cæteris tam&etilde; iniquiores fuerant, qui ab Ieroſolymis erant, vtpotè metropolim inhabitantes, ideoq; faſtum maiorem præ ſe ferentes. Accedũt igitur tanquàm iuſti & ſancti phariſæi & ſcribæ, idq; primarij vrbis Hieroſolymitanę cũ graui & ardua quæſtione: Quare, inquiũt, diſcipuli tui transgrediuntur traditiones ſeniorũ? non enim lauant manus ſuas, quod conſuetudinis fuit, cùm panem manducant. Falſam calumniam vera reſponſione Chriſtus confutat: Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditionem veſtrã? quod hoc vno & euidenti ſigno de cultu & honore parentum indicat. Honora inquit, patrem & matrem. Quem locum interpretatur D. Hieronymus. Honor in ſcripturis non tantùm in ſalutationibus & officijs deferendis, quantùm in eleemoſynis, & munerum oblatione ſentitur. Honora, inquit Apoſtolus, viduas, quæ veræ viduæ ſunt: hic honor donum intelligitur. Et in alio loco: Preſbyteri duplici honore digni ſunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei. Et per hoc mandatum iubemur boui trituranti os non claudere: & dignũ eſſe operariũ mercede ſua, docemur. Neq; verò vetabat lex diuina, ne ederent priuſq̃ lauar&etilde;t: ſed ſeniores populi, phariſæi omneſq; Iudæi, ait Marcus, niſi crebrò lauerint manus, nõ capiũt cibũ, mordicus obſeruantes traditiones ſeniorũ, & è foro reuertentes, niſi aſpergantur, nõ comedũt: multaq; ſunt alia quę ſeruanda acceperunt; nempè lotiones poculorũ & vrceolorũ, & æramentorũ, & lectorũ. In vanum autem ſua baptiſmata ſeruant, qui ſuorum cordium & corporum ſordes abluere negligunt. Seniores qui fuerint, de quorum nunc traditionibus diſputat, liber Numerorum & Deuteronomij docet. Iſti ſtatuebant aliqua, quæ pertinebant ad regimen populi: & in ſtatutis eorum erant aliqua, quæ cadebant ſub præcepto quaſi neceſsitatis: & aliqua ſub monitione, tanquàm cuiuſdam decentiæ & honeſtatis. De talibus autem erat iſtud ſtatutum, quod hîc tangitur; videlicet quòd per hoc acquireretur quædam munditia ſpiritualis. Mouebantur autem ad hoc, quia in lege aliquæ immunditiæ per corporales ablutiones dicebantur emundari. Et quia diſcipuli Chriſti aliqua quæ

non erant necessaria, sed magis cuiusdam superstitionis, non obseruabant; Christum in discipulis suis arguebant, tanquàm contemptorem doctrinæ seniorum, vt sic redderent eum populo odiosum.

QVòd autē de cultu parentū, præceptū Dei adfert, eiusq; transgressionē, id tale est: Pharisæi & scribæ, inquit Origenes, traditionē huiusmodi legi contrariā prodiderant, quā obscurius refert Euangeliū, quam ne nos quidē quicq̄ eramus explicaturi, nisi quidā Hebræus exposuisset nobis, quæ ad hunc locū pertinerent: ea sic habent: Interdū, inquiebat, fit, vt creditores incidāt in debitores difficiles: qui cùm possint, nolint quod debetur reddere; eoq; creditores referebant debitū in rationē pauperū, quibus pecunia conijciebatur in gazophylaciū ab vnoquoq; pro cuiusq; viribus eis communicare volentiū. Interdū itaq; dicebant debitoribus, iuxta suæ linguæ proprietatem, corban est, quod mihi debes, hoc est donum: consecraui enim illud in rationem pietatis erga Deum pauperibus. Deinde debitor, vt qui iam non hominibus, sed Deo deberet, religioni quodammodo constringebatur, vt vel nolens redderet debitum non iam quidem creditori, sed Deo in rationem pauperum creditoris nomine. Quod igitur creditor faciebat debitori, hoc interdum quidam filij faciebant parentibus, ac dicebant illis: Donum quodcunq; ex me est, eo tu iuuaberis. Itaq; cùm audirent parentes, quod ipsis dandum erat, esse corban, hoc est, ex ratione pauperum ex his quæ Deo consecrata sunt; iam nolebant accipere à filijs, etiamsi valde necessariorum inopia premerentur. Seniores igitur talem traditionem apud plebeios proferebant, quòd quisquis patri aut matri dixisset quod datur ex ijs cuipiam, corban esse ac donum; hic non amplius obligatus esset patri aut matri, ad suppeditanda vitæ necessaria. Hæc Origenes. Quem Diuus Hieronymus secutus. Iubebant, inquit, eos qui habebant parentes, eosque alebant, eam partem, quam in parentes conferre debebant, in templum & gazophylacium conferre, ac deinde parentibus, hæc se Deo dicasse, dicere, quòd æquè parentibus ac ipsis profuturum esset, iuxta illud præceptum: Honora patrē tuū & matrem tuam, si vis longæuus esse super terrā. Hanc legem scribæ & pharisæi subuertentes, docuerunt pessimos filios dicere parentibus: Munus, quod ex me est, tibi proderit: vt illi timentes accipere, quod Deo viderent mancipatum, magis eligerent inopem ducere vitam, quàm de consecratis comederent. Quod idem creditoribus facere solebant, vt quod illis soluere debebant, id templo darent ac deuouerent, & sic illos deluderent. D. Chrysostomus non dissimilia. Pietatis, inquit, simulatione despicere parentes adolescentes fuerunt eruditi. Quo pacto? Si quis parens à filio ouem flagitaret aut vitulum, aut huiusmodi aliquid, præmonitus à scribis filius respondebat: Quod à me in vtilitatem tuam pater petis, dono iam Deo promissum est, ac ideò dare non possum: ita dupliciter peccabant. Nam neq; Deo offerebant, & parentes oblationis nomine defraudabant. Parentes igitur, quasi gratia Dei, & Deum, parentum nomine contemnebant. Rationes sui præcepti habebant; tum, quia Deus est pater principalis & spiritualis; tum quia licet per talem oblationem parentes sustinerent detrimentum corporale, consequerentur tamen bonum spirituale, in quantum illud quod erat in necessitatem eorum conuertendum Deo offerebatur, & ex hoc sequebatur, quòd præceptum de honore parentum, in quantum intelligitur in hoc administratio necessariorum, euacuabatur per talem

2

talem expoſitionem falſam. Illotis ergò manibus comedere, neq; iubet, neq; prohibet, ſed medium relinquit. Reſpondet autem illis: Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſit ſenſus: Deus dixit, honora, id eſt, ale foue, defende, tuere, dona parentibus: qui autem id non fecerit, magis autem maledixerit, morte moriatur: vos contrà docetis, potiùs templo & ſacerdotibus dandum, patri verò ad conſolationem dicendum: Munus quod ex me eſt, quod & templo, & altari, & ſacerdoti offeram, non magis mihi quàm tibi proderit, qua oratione ille illuſus inopia conficietur: qua doctrina deceptus hæres, patri nihil dabit neq; matri. Videtur autem eſſe quaſi imperfecta & ſuſpenſa oratio: ac ſi diceret, qui hæc dicet patri, iam liber erit à Dei mandato, vel liberatus eſt ab officio parentis.

3 Confoſsis illorũ oculis, grauiter in eos inuehitur, quod ſemper facit, Iſaiæ verbis: Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Iſaias: Populus hic labijs me honorat, cor autẽ illorũ longè eſt à me: hoc eſt, à mandatis & præceptis meis. Oſtendit Iſaiæ teſtimonio, ita ſe illos ergâ parentes ſuos gerere, quemadmodũ & ergâ Deũ, & vice verſa: vt verbis & ore illos colant, res autẽ ipſa, & cor ipſum longè ſit ab illis. Obiurgatis iſtis, turbas, quod eius inſtituti fuit, vt educat panẽ de terra, ex hac occaſione docet, ac quid hominẽ coinquinet, quid nõ, oſtẽdit. Audite, inquit, & intelligite. Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quæ ab ore procedunt. Non timeo immunditiam obſonij, ſed cupiditatis. Nec ſolùm aduocando eos, inquit D. Chriſoſtomus, verùm etiam verbis attentiores facit dicens: intelligite, id eſt, attendite, atq; aures arrigite. Si enim iſtis auſcultatis inſtituta ſua tradentibus; multò magis par eſt me audire, qui ad ſublimiorem vos oportunè Philoſophiam induco. Quid autem commune fuerit, exponit Hieronymus. Verbum, Commune, propriè ſcripturarum eſt, & publico ſermone non teritur. Populus Iudæorum partem Dei ſe eſſe iactans, communes cibos vocat, quibus omnes vtuntur homines. : verbi gratia, ſuillam carnem, lepores, & iſtiuſmodi animantia, quæ vngulam non findunt, nec ruminant, nec ſquamoſa in piſcibus ſunt. Vnde & in actis Apoſtolorum ſcriptum eſt: Quod Deus ſanctificauit, tu ne commune dixeris. Commune ergò quod cæteris hominibus patet, & quaſi non eſt de parte Dei, pro immundo appellatur. Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, opponat prudens lector, & dicat: Si quod intrat in os non coinquinat hominem, cur idolotitis non veſcimur? Et Apoſtolus ſcribit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Sciendum igitur, quòd ipſi quidem cibi & Dei creatura per ſe omnis munda ſit; ſed idolorum ac dæmonum inuocatio eam faciat immundam. Omnia ſunt munda, quæ cum munda conſcientia ſuſcipiuntur.

4 Traditionibus tenebroſis luce mandatorũ Dei priuati, quia nõ ſolùm ſibi nõ proſpiciunt, ſed etiã alios in præcipitiũ trahunt: accedũt Apoſtoli, dant pleniorẽ occaſionẽ doctrinæ Phariſæorũ, ſcandalũ exponunt. Eſt autẽ ſcandalum, idem quod πρόσκομμα nos cum Hieronymo offendiculum, ruinam & impactionem pedis vocamus. Reſpondet Dominus miſſos eſſe faciendos, cùm ex Deo nõ ſint: Omnis, inquit, plantatio, quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradica-

dicabitur, finite illos, cœci sunt. Ecclesiam Isaias, plantationem Dei vocat. alij plantationem intelligunt, traditiones seniorum & præcepta hominum. Manichæi hæc de lege dicta esse falsò interpretabantur. Lex enim plantatio est Dei, quæ non eradicatur, manet enim radix illius occultus spiritus, etiamsi folia, ipsa litera, decidant. Adnotat hoc loco Hieronymus, etiam quæ plana videntur in scripturis plena esse quæstionibus. Omnis, inquit, plantatio, quam nō plantauit pater meus cęlestis, eradicabitur: ergò & illa plātatio, de qua Apostolus ait, Ego plantaui, Apollo rigauit. Sed soluitur quæstio ex eo quod sequitur, Deus autem incrementum dedit: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Et in eodem loco: cooperatores Dei sumus: si cooperatores, igitur plantante Paulo, & rigante Apollo, Deus cum operatoribus suis plantat & rigat. Abutuntur hoc loco, qui diuersas naturas introducunt dicentes: Si plantatio quam non plantauit pater eradicabitur: ergò quam plantauit ille, non potest eradicari. Sed audiant illud Ieremiæ: Ego vos plantaui vineam veram, quomodo versi estis in amaritudinem vitis alienæ? Plantauit quidem, & nemo potest eradicare plantationem eius: sed quoniam ista plantatio in voluntate proprij arbitrij est, nullus alius eam eradicare poterit, nisi ipsa præbuerit assensum. Sinite illos, cœci sunt, & duces cœcorum. Cœcos vocat, tanquàm animæ oculo à fluxu affectionum excœcatos, & quasi non potentes oculos intendere in lucē veritatis, nec solùm hos, sed & duces eorum, qui ab ignorantia scripturarum excœcati sunt. Cœcus autem cœco si ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Grande siquidem malum est aliquem esse cœcum: eum verò qui cœcus est, ducatum alteri cœco præstare, duplex certè malum est. Respondens autem Petrus dixit ei. Edisſere nobis parabolam istam. Vrget quæsitum Petrus, edisseri parabolam sibi iubet, quæ parabola non fuit: ignorantiam suam prodit, corripitur, ob superflua quæsita obiurgatur. Adhuc, inquit, & vos sine intellectu estis? rē illi latiùs paulò explicat. Nō intelligitis, inquit, quia omne quod intrat in os, in ventrē vadit, & in secessū mittitur? Philosophatur in re nō multū attinēti paucis, nō vt alij solent; qui vbiq; Physici, Mathematici, & quid nō ex leui occasione videri volunt. Quæ autē procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominē. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominē. Cogitationes extrà prodeunt, quādo in opus producuntur.

5 NOtandum est primùm, solenne & quasi perpetuum hypocriseos esse; colare culicem, & deglutire camelum, quod iam sæpiùs diximus. Hoc semper in scribis & Pharisæis Christus damnat, hanc laruam illis detrahit; sed & hoc toto loco nihil aliud docet, quàm ipsorum hanc hypocrisim excutit, quòd parua vident, maxima negligunt: non quòd hæc mala sint, sed quòd illa maxima sint quæ isti negligunt: neq; est alius sensus huius totius doctrinæ.

6 NOtandum secundò cum Origene: Commendari hoc loco pietatem discipulorum Iesu, qui nullam reprehensionis ansam dederint in alijs, veluti de transgressione præceptorum Dei, Pharisæis ac scribis: qui nequaquàm adduxissent hanc criminationem aduersus discipulos de transgressione quòd violassent præceptum seniorum, si potuissent deprehendere quos incusabant, & ostendere eos transgredi præceptum Dei.

Notan-

7 NOtandum tertiò: hæreticos tres locos ex hoc Euangelio pro ariete, pro propugnaculo, pro maleo falsò vsurpare: qui si rectè expendantur, illos magis refutant quàm nos: magisq; has res quas euertere volunt, adstruunt, quàm vt illis aliquid fidei detrahant. Primùm contra traditiones, mandatáq; seniorum. Quare transgredimini mãdata Dei propter traditiones? Nõ hoc loco traditiones aut mandata seniorum reprehenduntur, sed cum lege Dei conferuntur: quæ vt per se bonę sunt; ita si illarum causa mandata Dei negligantur,non sine magno peccato sunt: neq; hoc reprehenditur vt manus lauentur, iussa seniorũ seruentur; sed quòd isti qui hæc parua exaggerant, maxima abrogent; & sic culicem colent,camelum deglutiant. Nam ipsæ traditiones atq; mandata hæc seniorum à Deo proficiscebantur; vt qui hos ipsos seniores, vt diximus, delegerit, illisq; potestatem morum instituendorum dederit. Ordo igitur potiùs & gradus mandatorum ponitur, non aliqua abrogantur: ita vt primum locum mandata Dei teneant, secundum traditiones maiorum, mandata item seniorum. Explicat hunc locum alio in loco clariùs Christus Dominus: Hæc oportuit facere, illa non omittere. Hoc igitur propugnaculum maximè pugnat contra hæreticos: traditiones bonas & mandata seniorum asserit ac tuetur, hypocritas damnat, qui parua iactant, magna negligunt.

8 SEcundum propugnaculum ex Isaiæ loco sibi constituunt hęretici, quo illud obtinere volunt, nullo cultu externo opus esse, cordis ipsius cultum sufficere: nullum item qui ab hominibus traditus & constitutus sit, sed eum solum quem Deus ipse præscripsit. Quod ex hoc loco Isaiæ probant. Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic me labijs honorat, cor autem eorum longè est à me: sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. Nam & oris & labiorum cultus Deo est gratissimus, quem Dauid sibi dari exoptat: Domine labia mea aperies: & quo ipse Christus toties ad patrem vsus est, & cuius formulam nobis præscripsit: sed ille solus cultus labiorum damnatur, si cor ipsum longè ab ore sit: si aliud sit in mente, aliud in ore, vbi cor menti non præit: & cultus humanarum traditionum sanctus est, de quo D. Paulus: quemadmodum accepi à Domino, sic & tradidi vobis: & alio loco: Tenete traditiones. Sed ille solus cultus traditionum humanarũ reprehenditur, qui pugnat cum verbo Dei, cum œconomia fidei, qui superstitiosus est, & quem non sancti patres, non concilia ritè congregata composuerunt sed quem sibi quisq; cõfingit, quales hæreticorum cultus ac cæremoniæ sunt.

9 TErtiò, stultè & ridiculè argumentantur, qui ex hoc loco putant ieiunia, ciborum itẽ delectum auferri omnem: quia dicitur, non quod intrat in os coinquinat hominem. Quasi verò aliquid hoc loco de ieiunio tractetur, aut quasi non de comedendo potiùs quàm ieiunando oratio sit, aut quasi non de morata & ciuili comedendi ratione agatur.Quid magis dispar,quàm istorũ sensus,& hæc oratio? quid magis distinctum, & alienum à modo & ratione ieiunij? Hæc est istorum in argumentando virtus, tam verè & syncerè scripturas allegare.

10 NOtat hoc loco D. Chrysostomus, non debere quenquàm linguam suam maculare,ne Deus illud ad nos dicat. Si multiplicaueritis deprecationem, non exaudiam vos. Vita enim & mors est in potestate linguæ. Et: Ex sermonibus tuis iustificaberis, atq; ex sermonibus tuis condemnaberis. Magis igitur quàm

 pupil-

pupillam oculi linguam suam quisq; custodiat. Regius quidam equus est lingua nostra: si ergò ei frenum immiseris, & doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum rex, & quiescet in eo: si autem nullo freno domueris, sed huc atq; illuc infrenem iactari permiseris, diaboli eam vehiculum fecisti.

NOtandum quartò cum Origene: Illa quæ videntur esse bona, posse, si quis ea malè & ex prauo animi affectu susceperit, cum peccato fieri: & quæ dicuntur impura, si his iustas ob causas fuerimus vsi, posse pro puris haberi. Quẽadmodum enim Iudæi peccantis circumcisio pro pręputio habebitur, contra gentilis rectè agentis pręputium pro circumcisione: sic & quæ pura creduntur, pro impuris imputabuntur ei, qui non vt oportet, neq; quando oportet, neq; quantum oportet, neq; vnde oportet, illis vtitur. 11

NOtandum quintò, Origenem designare, quæ sint iuxta Euangelium impura cibaria, quæ nimirum per auaritiam ac fraudem comparata sunt, turpisq; lucri studio accumulata: item, quæ voluptatis gratia sumuntur, ac ventris causa, quem honorando Deum facimus, quoties ipse venter & huius appetitus potiùs quàm ratio, dominantur animæ nostræ. 12

NOtat sextò Hieronymus: animæ principale non secundùm Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde esse: & arguendi ex hac sententia sunt, qui cogitationes à Diabolo immitti putant, & non ex propria voluntate. Diabolus adiutor, & incensor malarum cogitationum potest esse, author esse non potest. Sin autem in insidijs positus, leuem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammârit: non debemus opinari eum cordis quoq; occulta rimari: sed ex corporis habitu & gestibus æstimare, quid versemus intrinsecus. verbi gratia, si mulierem nos crebrò viderit inspicere, intelligit cor iaculo amoris vulnerari. 13

NOtandũ septimò: fontem omniũ actionum nostrarũ cor esse. Igitur sicut infecto fonte, vniuersa flumina, quæ inde promanant, infici oportet; ita infecto corde omnia inficiuntur. Et hoc illud est, quod suprà dictum est: Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: & quemadmodum natura texit cor, maximè ne ab externis incommodis lædatur: ita etiam mens intus maximè custodiri debet, ne inquinetur, ne inficiatur. 14

OBseruat sextò hoc loco Euthymius, his verbis Saluatorem docere: nihil quod factum est ex Deo impurum esse: aliud autem & alterum profundiùs esse reclusum; puta quòd nihil factum à Deo, naturâ impurum est. Ait enim Moyses: Et vidit Deus quæcunq; fecerat, & ecce bona valde. Dicunt ergò hac profundiori interpretatione ciborum reijci obseruationem, quam Iudæi seruabant. Nam quum lex, quæ de cibis erat, allegoricum haberet intellectum, Iudæi, qui nihil excelsum cogitare poterant, corporaliter, & prout in conspicuo erant omnia accipiebant. 15

NOtandum septimò: post vnam & tertiam admonitionem, vbi nihil proficitur, iuxta præceptum D. Pauli, hæreticum deuitandum esse: nam & hoc loco discipulis Dominus præcipit, vt sinant scribas & pharisæos. Cœci enim, inquit, sunt, & duces cœcorum. 16

Notan-

17 NOtandum octauò: eam esse clementiam & bonitatem Dei omnipotentis, vt ipse pietati parentum, vbi necessitas vrget, rebus sibi debitis cedat, donumq́;, quod Hebræi Corban vocant, ad eos transferri iubeat.

18 NOtandum nonò: calumniari hoc loco Ecclesiam Caluinum, cùm dicit, multum eos falli, qui aspersionem aquæ lustralis, quæ benedicta vocatur apud Papistas, cum lotionibus Iudaicis comparant. Vnicum enim baptismum toties iterando, quantum in se est obliterant Papistæ. Deinde ad exorcismos confertur, & ad expianda peccata valere creditur friuola illa aspersio. Quòd si per se licita, & talibus corruptelis vacua foret, semper tamen damnanda est illa quam vrgēt, necessitas. Vnū baptisma Caluine cōfitetur Ecclesia: summusq́; Pōtifex, illud occinit singulis ferè diebus: Confiteor vnum baptisma, in remissionem peccatorū: in exorcismis, & venialibus peccatis, ex vetustissima traditione, ac more veteri aqua benedicta vtitur, quod Cyprianū & alios veteres docuisse, aliâs scripsimus: peccata mortalia verbo Christi, & vi sacramentorum curari addit; omittit & recta pœnitentis dispositione asserit. Pergit Caluin⁹: Nō negat Papa cum tota cleri sui colluuie (cur nō cum tota Ecclesia) quin sit obediendū Deo, sed vbi ad rē ventū est; quia nō secus ac capitale crimē detestantur modicum carnis gustum, quibus furtum vel scortatio veniale peccatum est, propter suas traditiones euertunt legem Dei: quia nullo modo ferendum est, vt hominum placita de obseruantia, quæ Deo vni debetur, quicquam minuant. Carnis gustum Papa cum peccatis non comparat, contemptum, inobedientiam, & scandala damnat: furtum & scortationem mortale peccatum esse, nemo est in Papatu qui ignoret: sed Caluinus mentiri veniale peccatum esse putat, ideò libenter mentitur.

19 NOtandum decimò est: non multum concionatores debere solicitos esse, si auditores doctrinæ eorum ob veritatem offendantur, cùm Christus ipse renuntiantibus Apostolis, quàm scribæ & Pharisæi eius obiurgatione sint offensi, non multùm id curârit, imò præcepit Apostolis, vt sinant illos tanquàm cœcos & cœcorum duces. Et danda quidem opera est, ne vlla ex parte nostra offensionis ratio oriatur; neué infirmis detur scandalum: si tamen sponte quis & sine causa offenditur, id æquo animo ferendum esse. Arrogantiùs tamen hîc loquitur Caluinus; vbi mali contumaciter impingunt per medias offensiones securè pergamus.

SERIES Euangelij.

20 REpressa scribarum & Pharisæorum malicia, turbis edoctis, & Apostolis instructis, Chananæa curatur. Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri & Sydonis. Egressus ex Iudæa gente, & cognatione sua, in terram gentium & idololatrarū, vbi aperta pestis vigebat: (minus namq; illi manifesta infidelitas quàm fraudulenta suorū religio displicebat, quod & nunc est, & semper fuit) secessit in partes Tyri & Sydonis. Tenebantur autem partes illæ, quæ Phœniciæ nomine vocabantur, quæ regio est vicina Syriæ; eaq́; de causa Syrophænicia, quomodo Gallogræcia in Asia, Celtiberiū in Hispania aliquādo dicebatur: tenebantur inquā à posteritate Chanaā, cui ob reuelationē verecūdiæ patris, sēpiterna maledictione Deus maledixerat, qui & filiis relictis, ex quibus primogenitus Sydon antiquissimam & celeberrimam vrbem condidit, eamq́; ex nomine suo Sydonem appellauit, vt patet ex Genesi; eam prouinciam per eandem po-

dem posteritatem tenuit. Et ecce mulier Chananæa. Marcus ait: Erat autem mulier gentilis Syrophænissa, hoc est, gentilis quidem religione, Syra verò lingua, Phænissa verò genere siue gente: Phænices autem Chananæi dicebantur, eò quòd metropolim Phænicem haberent. Chananæi autem fuerunt, referente Hilario, terras in quibus nunc Iudæa est incolentes, qui vel bello consumpti, vel in loca vicina dispersi, vel in seruitutem deuictorum conditione sublati, nomen tantum sine patria sede circumferebãt. Plebs igitur hęc Iudæis admixta & gentibus erat. Hæc ergò mulier, cùm famam quidem eius iam olim audisset, nunc verò cùm eò accessisset, sequuta est eius vestigia. Et ecce mulier Chananæa, inquit, à finibus illis egressa. Cùm audiueris Chananæam, inquit Chrysostomus, non poteris non meminisse iniquissimarum illarum gentium, apud quas etiam leges ipsius naturæ funditus euersæ fuerant: quod cùm memoria repetieris, virtutem quoq; aduentus Christi diligentiùs cogita. Qui enim eiecti sunt, ne Iudæos peruerterent, hi adeò ipsis Iudæis meliores fuerunt, vt terminis suis relictis ad Christum accederent, cùm Iudæi ad se venientem extruserunt. Egressa autem clamat, neq; enim propè accedere ausa, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à Dæmonio vexatur. Scio me esse ignotam, scio Chananæam, scio odiosam, repudiatis medicis, dæmonibus, astris, ligamentis, incantationibus, quibus tota mea gens scatet, ad te vitæ & mortis Dominum confugio, miserere mei fili Dauid, non alienum quid à tuo genere peto. Nam & Dauid proauus tuus lyra & psalterio suo dæmonia vel fugabat, vel reprimebat; tu qui longè potentior es, totum Dęmonium fuga. Neq; illud peto vt venias, vt aliquem ex discipulis mittas, aut linteamentum, sed miserearis tantùm, non enim amas & deseris. Neq; mireris hoc studium meum, filia enim mea, non vicina, non amica, non cognata malè vexatur, idq; à Dæmonio, cuius tibi malicia rectè perspecta est. Quid ad hæc Dominus? Tacet, non ex superbia Pharisaica, inquit Hieronymus, nec de scribarum supercilio: sed ne ipse sententiæ suæ videretur esse contrarius, per quam iusserat: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Nolebat enim occasionem calumniatoribus dare, perfectamq; salutem gentium passionis & resurrectionis tempori reseruabat. Et quis non moueretur cùm aliter quàm fama prædicaret, fieri videret? Audierant certè, quòd ciuitates & vicos Iudææ circumiens ægrotos curabat, & hanc vident mala sua deplorantem repelli. Poterat intrà se dicere mulier. Vnde tibi hæc inhumanitas? vnde hæc duritia in tanta præsertim fide & deuotione? Non frustra hoc fuit credite mihi: solet frequenter summus ille pater sanctis suis non respondere verbum: cumq; maximè ardere volunt, maximè frigidos effici, nullam consolationem, nullum internum gaudium, nullum blandum spiritus verbum referunt, estq; summa & maxima hæc probatio. Statim enim se ad peccatorum suorum magnitudinem referunt, ac hoc inde promanare existimant. Acerbum hoc silentium animæ ad Deum erectæ reperitur. Declarauit hoc Dauid cùm dixit: Vt quid obdormis Domine, vt quid obliuisceris nostri, vt quid despicis in opportunitatibus in tribulatione? Hoc idem Abacuc propheta: Vsquequò clamabo Domine, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiar, & non respondebis? Acerbum enim videtur, vt qui prius dulcem consolationem, dulceq; gaudium recipiebat, præcipuè ex sanctissimis vulnerũ Iesu Christi fontib⁹, ex quibus frequenter illi vitæ liquor manabat, postea videat, omnia clausa nihilq;

hilq; inueniat,quod animũ reficere posit. Facit itaq; benignissimus ille pater non aliqua inhumanitate, quæ ab eo est alienissima, sed primùm vt ostendat filios hominum, nil omninò posse facere sine illo, vt semper illud inclament: Auxilium nostrum à Domino, qui fecit cælum & terram. Vnde ipsa Ecclesia vniuersas preces suas hinc exorditur: Deus in adiutorium meum intende. Deinde vt suorum longanimitatem probet, quantum, & quàm prolixè sint persuasi de eius bonitate & misericordia. Tum vt nos eò diutiùs contineat in oratione quod est optimum & pulcherrimum, vt ea ratione presi, in nostris necessitatibus ad orationem nos totos referamus, omnis deuotionis atq; ardoris intendamus vires. Nihil enim est pulchriùs, nihil salutariùs, nihil iucundiùs, nihil cum maiore dignitate hominis coniunctum, quàm ipsa oratio, cum Deo coniunctũ esse, cùm eo simul colloqui: euenitq; sæpiùs, vt longè maius sit Dei beneficium ipsa orationis perseuerantia, quàm illud ipsum quod petitur, quod illi experiuntur, qui aliquando degustarunt quanta vis sit orationis: atq; ideò plerunq; illud quod minùs est, dare differt; vt in eo diutiùs, quod longè meliùs est, detineat: Quid enim meliùs est homini, quàm cum Deo iungi ac miscere colloquia? Grauis igitur hæc est in oratione probatio,cùm Deus oranti animæ non respondet vllum verbum. Sed ne sic quidem commoueri debet, sed potiùs seipsam exhilarare, cùm id non frustrà neq; temere, sed cum suo magno bono fieri inde certò sciat, quòd nunquàm à se petere tam diligenter siuisset, nisi exaudire debuisset. Nam & nunc demonstrat quæ & quanta constantia sit mulieris Chananææ, eamq; formam & exemplum constantis orationis Apostolis suis proponit. Conseruat hanc constantiam mulier nostra, frangit hæc claustra ac repagula, quod ipsa non potest, diuinum illum & cælestem Apostolorum comitatum compellat, vt sua causa aliquid laboris ac diligentiæ subire velint: Sciebat enim Deum amicorum suorum causa omnia facere, qui vel misericordia, vel ipsa eius importunitate victi accedunt, preces suas iungunt, dimitti eam petũt. Vel eo nomine, quòd clamet post illos, respondet Dominus: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Cogitare poterat ex latere hæc secum: Quæ est ista excusatio tua? Nunquid ideò te corpore velasti, vt vnum tantummodò angelum liberares? & integrum relinquens orbem, Pontum, & Asiam, Aegyptum, & Ciliciam, Cappadociam, & reliquas nationes, de Israel tantummodò curas? relinquis terram desertam, nationes despectas, & solis Iudæis factus es liberator? Non vides iniuriam patris tui in falsis simulacris, & dæmonum cæremoniis exerceri? An non hoc etiam Prophetæ vulgauerunt? quid dicit parens tuus Dauid? Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Quid Isaias, qui oculis suis te aspexit: Exurget virga de radice Iesse, qui dominabitur omnibus gentibus, & in eum fines terræ sperabunt. Quid Iacob Patriarcha dixit? Non deficiet princeps de Iuda, & dux de femoribus eius, donec veniat dominator omnium, cui destinatum est dominium; & hic est expectatio gentium. Quid enim Zacharias propheta? Propter nos, inquit, claudentur portæ æreæ: quoniam ab ortu solis vsq; ad occasum gloriabitur nomen Domini in omni loco, & effundentur libamina ante ipsum. Dauid ipse quid iterum dixit? omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis: quoniam Deus excelsus, terribilis rex magnus super omnem terram. Deniq; quando natus es in

carne quos vocasti? nonné magos? Apostolos etiam cùm mitteres, quid eis mandasti? Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Et nunc misera mulier, acris doloris stimulis coarctata, Rogo te, & obsecro pro filia mea, vt eam à funesta passione absoluas. Quòd autem dicit: Nō sum miss⁹ nisi ad oues quæ perierūt domus Israel: & nō audis quòd ad gentes non missus sit, respondet Hieronymus, sed quòd primùm missus sit ad Israel, vt illis non recipientibus Euangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio: Et significanter dixit ad oues perditas domus Israel; vt ex hoc loco etiam vnam erroneam ouem de alia parabola intelligamus: simul etiam vt è diuerso Iudæis ostenderet, qualem ergâ eos gereret affectum: quum infirmos eorum semel tantùm rogatus, ac ne semel quidem, statim curabat, gentilium verò non item.

21 DIffert solatia Dominus, obiurgat: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. O mira rerum conuersio, dicit Hieronymus. Israel quondam filius, nos canes. Pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur. De illis postea dicitur: Circumdederunt me canes multi. Et: Videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. Vtinam hanc Dei vocem exaudiant pontifices, abbates, qui panē filiorū inter hæreticos aut simulatos Catholicos distribuunt. Non erat bonum panem filiorum dare canibus, lupos patronos & defensores ouium quærebant, qui pro illorum mensis potant nunc eos absynthio. Impletumq; est illud quod scriptura dixit: Nolite dare sanctum Dei canibus, ne conuersi in vos, lacerent vos. Quantopere nunc sint isti canes conuersi in nos, quantopere nos mordeant, iam videmus, an potiùs sentimus. Quantò erat meliùs bonos parochos, doctos viros ea pecunia fouere, qui hos canes procul à statione fugarent ouium. Tu verò non fidē solùm hui⁹ mulieris, verùm etiam humilitatem mecum admirare, inquit Chrysostomus: nam cùm ipse Iudæos appellasset filios, adeò procul aberat, ne liuore alienæ laudis contaminaretur, vt maius adiecerit, atq; dominos nuncupauerit. Non quiescit mulier pulchra quadam inuerecundia inuerecunda, non cedit, dictum confirmat: nam & canis à domino percussus non discedit: sic etiam nec illa deficit, quin imo ansam arripit, qua potentem, qua secum luctantem superet, ab ipsis Christi verbis deprecatoriam orationem connectit. Callidum est ad impetrandum mulierum genus. Etiam domine, accipio quod das, quinimò sit mihi hoc positum contra te firmissimum præsidium, sis tu pater, sint Iudæi filij, addo ego de meo, sint domini mei; ego verò cum filia mea non canis tantùm, sed catellus etiam, & ideò quoq; ego cum filijs istis sedere nolo: ideò panem non peto: sufficit mihi sub mensa esse: attamen te hîc teneo, nam cùm canis tuus sim, de tuis micis viuere debeo: salus autem filiæ meæ catelli tui, apud te tantum Dominum mica exigua est. Scio me, inquit, panem filiorum non mereri, nec integros posse capere cibos, nec sedere ad mensam cum patre; sed contenta sum reliquijs paruulorum, vt per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem: canis sum, sequar te quasi canis, vt porrigas mihi aliquid. Victus est tandem ille, qui omnia vincere solet, & victus est Deus Sabbaoth, quem nihil vincit, perseuerantia, humilitas semper vincit: filiā à Dæmonio liberat, fidē & constantiā collaudat. O mulier, magna est fides tua, quam neq;

genus

genus tuum, tuaq́; peccata, neq; mea taciturnitas, neq; aperta negatio, neq; plagæ & obiurgatio potuerunt superare: vicisti omnē probationē & tentationem: Fiat tibi sicut vis. Magnum præmium perseuerantis orationis, vt eius causa faciat Deus sicut velit. Nam audiuimus cum Syrophenissa, inquit Chrysostomus, & muliere quæ sanguine fluxerat: Mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et: Filia, fides tua te saluam fecit.

20 NOtandum primò est, numerare & expendere huius mulieris D. Hieronymum virtutes miras. Mihi sub persona Chananitidis, Ecclesiæ fides, patientia & humilitas prædicatur. Fides, qua credidit sanari posse filiam suam. Patientia, qua totiens contempta, in precibus perseuerat. Humilitas, qua se non canibus sed catulis comparat. Canes autem ethnici propter idololatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, & cadaueribus mortuorū feruntur in rabiem.

21 NOtandum est secundò: grandem esse profectum fidei in hac muliere Chananitide, perseueranter enim primùm filium Dauid, deinde Dominum vocat, & ad extremum adorat vt Deum.

22 NOtandum tertiò: regnum cælorum vim pati, & violentos occupare illud; quod in hac muliere videmus.

23 NOtanda quartò mulieris istius in orando constantia & perseuerantia, ac lucta potiùs & certamen cum Christo domino, sed & victoria: vt quemadmodum quondam Iacob cum Domino pugnasse legitur & præualuisse: ita & hæc mulier. Pugnabant contra istam mulierem omnia ferè. Primum, Sidon & Tyrus viæ gentium, Deo ingratæ: pugnabat genus Chananæum exosum omnibus; Mater tua Chananæa, pater tuus Amorrhæus est: pugnabat quòd ne de nomine quidem cognita: pugnabat silentium & neglectus, quem prima fronte Dominus illi obtulit. Quid enim hoc est? verbum patris non loquitur: ille qui traxit, non respondet: qui quærit, inuentam non suscipit: qui persequitur, fugit: nolentes compellat, petentes aspernatur? Pugnabat cum eadem muliere non tantùm silentium, sed eò ampliùs repudium. Nō sum, inquit, missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel. Verùm ne hîc quidem magnus & deuotus cedit animus: instat, petit vlteriùs. Pugnabat deniq; contemptus & obiurgatio, quæ homines non libenter perferunt, fœmineus præsertim sexus: perfert ista, ac vnde maximè læditur vincit. Nam & catelli, inquit, edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Verum igitur & perfectum exemplum constantis & perseuerantis orationis hoc est.

24 NOtandum quintò cum D. Augustino. Si Ecclesiæ primæ lachrymæ non impetrent postulata apud Dominum, obstinato est clamore frequentandus, & sanctorum eius appetenda sunt suffragia, vt ipsi Domino supplicare pro audienda Ecclesia, dignentur: sicq́; fiet, vt qui mentem ab intentione non mutauerit, nequaquàm fructu petitionis fraudetur.

25 NOtandum sextò: fidem adultorum infantibus prodesse. Et sanata est filia eius ex illa hora. Propter humilem fidelemq́; sermonem matris, dæmonium deseruit filiam. Vbi datur intelligi, quòd per confessionem alienam in baptismo à diabolo liberentur paruuli, qui necdum per se aliquid possunt, aut boni aut mali, contrà, quàm iudicant Anabaptistæ.

Notan-

NOtandum ſeptimò: in omni precatione noſtra, non tam dignitatem noſtram, quàm dantis benignitatem nos videre debere: quin potiùs cùm nullam in nobis cauſam ſalutis inueniamus, ab eo ipſo qui noſtra omnia apud ſe poſſidet quærere, ac cum rege Dauide dicere: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris, vincas cùm iudicas, quia tu es bonus, & ego malus. Cum Manaſſe rege: Et tu Domine Deus iuſtorum non poſuiſti pœnitentiam iuſtis Abrahæ, Iſaac & Iacob, his, qui tibi non peccauerunt. Cum tribus pueris: Nō in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras coram te Domine, ſed in miſericordijs tuis. His armis & præſidijs vſa eſt hæc mulier: Miſerere mei fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur: ſcio me eſſe ignotam, ſcio exilem, maledicto genere oriundam, ſcio odioſam, ſcio peccatricem; ſed tamen miſera miſericordiam peto. 26

NOtandum octauò: perditionem Iſraelis, non ex Deo, ſed ex ipſo Iſraele factã: vbi vide quanta ſit libertas voluntatis humanæ, quæ etiam ſempiterni Dei decreta, prout fas eſt dicere, immutat, & quanta ſit labes ingratitudinis: quanta item, & quàm ſumma pietas & beneuolentia in illam gentem, quòd nulla illorum inhumanitas, nullæ ab ea profectæ iniuriæ, nulla præterita peccata erant tanta, quæ illum ab eorum ſalute dimouere poſſent, ſi modò illi diem viſitationis ſuæ cognoſcere voluiſſent. Idem tibimet ſperandũ ô Polonia, ſi modò volueris ex toto corde & perfecto pro tuis ſcelerib⁹ pœnitere, ſi vias tuas peſsimas relinquere, ſi ad cor redire, ſi veſtigia maiorũ tuorum imitari ſtudueris. 27

NOtandum nonò: puerile inuentum hoc loco vocari à Caluino doctrinã patrum, quòd hinc ſanctorum interceſsionem aſtruant, falſo iacto fundamento quòd ſancti ſint mortui. Atqui aliud docet ſcriptura: Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis: viſi ſunt oculis inſipientium mori; illi autem ſunt in pace. Aliud docet ipſe Dominus: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium. Verba Caluini ſunt: Cæterum puerile figmentum fuit, quòd hoc prætextu conati ſunt Papiſtæ ſanctos, qui mortui ſunt nobis inducere patronos: nam vt demus hanc fœminã petijſſe à diſcipulis aliquid ſuffragationis vel gratiæ, quod tamen ex textu elici non poteſt; alia tamen eſt mortuorum ratio, quàm viuorũ: adde, quòd faſtidioſè eam audiant diſcipuli: atq; vt animus illis fuerit patrocinio ſuo eam leuare, nihil tamen impetrant. Nimis feſtiuus es Caluine & impudens. Ad momentum non impetrant, at mox impetrant. Hac enim ratione neq; fides cuiusquàm, neq; oratio ardens, ſed nec Chriſti quidem humanitas omninò nobis præſidij loco habenda eſſet. Sed tu impoſtor improbus & verſutus es. Dilata eſt cauſa propter probationem mulieris. Cur autem Deus in ſocietatem precationis noſtræ multos nos aduocare iubeat ſocios, pręclarè ante omnes docet ipſe Paulus, quod Caluinus nec vidit, nec videre voluit. Adiuuantibus, inquit, vobis in oratione pro nobis; vt ex multarum perſonis facierum, eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 28

2. Corinth. 1.

NOtandum cum D. Chryſoſtomo: Habere vim pro nobis & quidem maximam, orationes ſupplicationesq; ſanctorum: ſed tunc profectò, cùm nos quoque idipſum per pœnitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora confugimus. 29

Notan-

32 NOtandum vltimò: si quis seriò facit quod facere debet, secundùm Dei voluntatem, in omni re Deum non defuturum, sed opem laturum, ac iusti voti compotem effecturum. Nec sufficit hominem operari, si Deus non adiuuet: nec Deum adiuuare, si homo non operetur. Vtrumq; enim est necessarium, id quod propheta insinuat dicens: Nisi Dominus ædificauerit domum, inuanum laborauerunt, qui ædificant eam. Cæterùm, hæc gratia & adiutorium cæleste non semper eodem modo diuiditur: sed prout disponit & ordinat sapientia & misericordia diuina. Quibusdam enim datur cum tanta facilitate, vt portam non quæsitam intrare videantur: alijs autem non conceditur, nisi priùs quærant magnis laboribus: ita vt nonnulli Deum quærant, alij à Deo quærantur: his euenit, quod ijs euenire solet, qui thesaurum inueniunt, quem non quærebant; illi instar mercatoris illius sunt, qui quærebat bonam margaritam, & tandem inuenit illam. Horum exemplum clarum & euidens habemus in duabus Euangelicis fœminis; quarum altera Samaritana nullo labore reperit illud quod non quærebat: altera summis precibus, multaq; humilitate tandem quod voluit impetrauit. Et quamùis in illa prælucere diuina misericordia, & in hac iustitia magis spectari videatur: tamen in hac non minor fuit misericordia quàm in illa. Deum enim quærere cum fide, humilitate & perseuerantia, donum quoq; Dei est, & opus misericordiæ illius. Quisquis igitur Deum hoc modo quærere vult, & scire cupit quomodo quærendus sit; Chananitidem hanc intueatur, & quærat Deum, sicut illa quæsiuit illum, cum magna fide, ardenti charitate, profunda humilitate, inuicta patientia, & longa perseuerãtia. Clamauit illa, sequuta est, importuna fuit, perseuerauit, humiliata est, abiecit sese ad pedes Iesu, & impetrauit quod desiderabat: eodem modo & tu quære, & certus esto, quòd etsi idololatra, etsi Chananæus fueris, tandem eum inuenies. Quæretis me & inuenietis; cùm quæsieritis me in toto corde vestro, inquit Dominus. Quærere autem Dominum in toto corde est, quærere eum cum fide, cum humilitate, cum patientia, cum perseuerantia, tum & oratione continua, vt eum hæc mulier quæsiuit.

SERIES Euangelij.

Marci 8.

33 CVrata Chananeæ filia, reuertitur ad Iudæam, & mare Galilææ, & ascendit in montem; & quasi auis teneros fœtus prouocat ad volandum; ibiq; sedet, & turbæ concurrunt ad eum, deducentes siue portantes secum varijs infirmitatibus oppressos: quos postquàm curauit, dedit eis cibũ: & hoc opere completo, ascendit in nauiculã, & venit in fines Mageddan. Et ascendẽs in mõtem, sedebat ibi, & accesserunt ad eum turbæ. Obserua, quòd muti, claudi, & cœci ducuntur ad montem, vt ibi curentur à Domino. Quòd autem interpres vertit debiles, in Græco scriptum est κυλλοὺς quod non generale debilitatis, sed vnius infirmitatis est nomen, significat enim manu læsum κυλλὸς, quemadmodum & qui vno claudicat pede χωλὸς appellatur. Pascit deinde quos curauit, priùs tamen aufert debilitates, vt postea sanis offerat cibos: conuocat quoq; discipulos suos, & quid facturus sit loquitur, vt magistris exemplum tribuat, cum minoribus atq; discipulis communicanda esse consilia; vel vt ex confabulatione intelligant signi magnitudinem, respondentes se panem in eremo non habere. Misereor, inquit, turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum. Miseretur turbæ, quia in trium dierum numero patri, filio, spirituiq; sancto credebant: Et non habent quod manducent. Turba semper esurit, & vbiq, indiget,

nisi saturetur à Domino: Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Esuriebant post magnas debilitates, & per patientiam futuros expectabant cibos. Non vult eos Iesus mittere ieiunos, ne deficiant in via: periclitabitur ergò qui sine cælesti pane ad optatam mansionem peruenire festinat; vnde & angelus loquitur ad Eliam: Surge, & comede, grandis enim tibi restat via.

3. Reg. 19.

34 DE hoc signo iam suprà diximus, & eadem repetere ociosi est, tantùm in his quæ discrepant immoremur. Suprà legimus: Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli dicentes, Desertus est locus: hîc discipulis congregatis ipse Dominus loquitur, Misereor turbæ, quia iam triduo perseuerant mecum. Ibi quinq; panes erant & duo pisces, hîc septem panes & pauci pisciculi: ibi super fænum discumbunt, hîc super terram: ibi qui comedunt quinq; millia sunt iuxtà panum numerum quos comedunt, hîc quatuor millia: ibi duodecim cophini replentur de reliquijs fragmentorum, hîc septem sportæ. Omnes autem partes cænæ Dominicæ adumbrantur hac præsenti refectione. Adumbratur primùm locus: in monte refecta est multitudo, in monte item Sion, vt doctissimis & vetustissimis placet Epiphanio & Ambrosio, facta & instituta est cæna illa cælestis. Adumbratur tempus: Proinde D. Ioannes de manducatione corporis & sanguinis Domini, eiusq; institutione disserturus, primùm hoc ipsum exemplũ & typũ eodẽ capite præmittit, vt rem totam verisimilem esse demõstret. Erat, inquit, proximum pascha dies festus Iudæorum, cùm panes distributi sunt: in ipso pascha cæna est instituta, qua de re loco suo plura: Adumbrantur communicantes: ex omnibus gentibus & vicis colligebatur multitudo, quæ vsa est illis panib9, nõ ex Iudæis tantùm, sed ex gentilibus etiã: hîc corporis & sanguinis Domini cib9 cõmunis omnib9 est. Adũbrãt & quasi in imagine explicãt rationes & cæremoniæ cõsecrationis: Sunt signa, sunt verba. Signa, congregati populi in cõtubernia, distributio per cẽtenos & quinquagenos, eleuatio in cælũ oculorũ. Verba, benedictio, gratiarum actio: quæ ideò non scripta sunt, quia in traditione relicta. Ita quoties hunc locum lego, toties mihi sacerdotem ante altare sacra mysteria tractantem, ac diaconis ad distribuendum porrigentem videre videor. Adumbrantur demùm ministri, qui huius sacramenti dispẽsatores esse debebant: neq; enim aut Christus ipse distribuebat, aut ipsa multitudo sibi capiebat; sed Christus quidem frangit, Apostolis autem vt turbæ distribuant porrigit. In Apostolorum ministerio, inquit Ambrosius, futura Dominici corporis & sanguinis diuisio præmittitur. Adumbratur & ipsa reliquiarum collectio, & in cophinos asseruatio: quia non canibus proijciendum, sed honorificè asseruari debuit. Sic ipsa sacramenti vis & natura penè quasi vnico exemplo explicatur. Nihil autem est quod magis in hoc sacramento perturbet, quod magis mentem moueat, quàm illud, quomodo vnus Christus plures ab omnibus eodem tempore sumptus satiet, & tamen ipse totus in se maneat. Alterum autem quomodo ipse Christus Dominus in pluribus locis esse posit. Vtrumq; hoc amplissima hac imagine septem panum explicatur. Et primus ille difficultatis nodus soluitur in hoc: nam ijdẽ quinq; panes, & hominum quinq; millia cibauerunt, & ijdem tamen integri in cophinis remanserunt, vt & vnitas panis sit conseruata, & omnes satiati. Tum ijdem illi quinq; panes, ijdem existentes in duodecim cophinis videntur, quos oculi viderunt Apostolorum, &

manus contrectauerunt, vt iam ampliùs nihil relictum sit Zuinglio, Caluino, ac reliquis sacramentarijs, cur impossibilitatem obijciant, cùm hæc visa & attrectata fuerint, atq; ab omnibus Euangelistis consignata. Magni igitur mysterij hi panes, hæc refectio est. Quemadmodũ autẽ ritũ huius sacramenti Christi Domini factum adumbrauit: ita rationem ad illud nos apparandi hæc turba nobis in seipsis expressit, quam iam nunc explicemus, vt intelligam⁹ quomodo nos ipsos ad cænam Domini præparare debeamus. Primum autem est, quòd debemus ad hoc sacramentum non inuiti, & quasi pertracti venire; sed feruentes, incitati, auidi; vt illud cum Dauide dicere possimus: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum. Istæ turbæ etiam fugientem Christum persequutæ sunt: nos autem non tanquàm ad vitam, sed tanquam ad mortem pertrahendi sumus. Deinde dimittenda est nobis domus nostra, opes & facultates nostræ, animus in seipsum colligendus: Dei immortalis beneficia, tantiq; & tam sublimis conuiuij recolenda. Quia verò fieri non potest, quin nullas infirmitates animi contraxerimus, curandum est, vt per veram contritionem, plenam & sufficientem confessionem eas expiemus: nam & ista turba ægros suos ante curandos obtulit quàm manducauerat. Nullæ pugnæ, nulla contentio in ista turba est, sed mutuò se adiuuant, mutuò sibi inseruiunt, tanquàm filij eiusdem patris; sed & nos inimicitias nostras tùm deponamus. Vacant & incumbunt curationi infirmorum, verbo Dei, ieiunio hæ turbæ: hoc idem & nos faciamus.

QVÆSTIONES EVANGELICÆ S. AVGVSTINI.

35 PRIMA. Munus quodcunq; est ex me, tibi proderit, id est, munus quod offers causa mei, ad te iam pertinebit: quibus verbis significant filij iam non sibi opus esse parentum pro se oblatione, quòd ad eam ætatem peruenissent, vt possent iam ipsi offerre pro se. In hac ergò ætate constitutos, vt possent parentibus suis hoc dicere, cùm hoc dixissent, negabant Pharisæi reos esse, si parentibus suis non præstarent honorem.

36 QVAESTIO SECVNDA. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur; id est, carnalis cupiditas, secundùm quam sentientes offendebantur de prætermissis rerum signis, vel etiam traditionibus suis, & præcepta vitæ non curabant, quæ à cupiditate animum purgant.

37 QVAESTIO TERTIA. Quòd turbæ obtulerunt Domino mutos: mutos qui Dominum non laudant, vel non confitentur, fidem signant: cœcos, qui non intelligunt, etiamsi obtemperant iubentibus: surdos, qui non obtemperant, etiamsi intelligunt: claudos, qui præcepta non implent.

Caput XVI.



IGNVM DE CAELO PHARISAEIS NEGATVR, A FERMENto illorum, hoc eſt, doctrina, Apoſtoli arcentur. Dat Petrus teſtimonium Chriſto, Chriſtus Petro, mortis futuræ, aſcenſionis Hieroſolymã ſignificationes dantur, ad martyrium diſcipuli prouocantur.

Accedunt ergò ad eum Phariſæi & Saducæi, tentantes & rogantes eum, vt ſignum de cælo oſtendat; ſignum inquam aduenientis Meſsiæ; non vt crederent, ſed vt tanquam maleficũ apprehenderent. At ille reſpondens eorum hypocriſi, dicit. Ex elementorum ordine poteſtis & ſerenos dies & pluuias prænoſcere: vos autem qui videmini legis doctores eſſe, ex prophetarum atque temporum ratione non poteſtis intelligere ſaluatoris aduentum Erat autem commune præſagium, quòd veſpere rubicundo cælo exiſtente, dicebant ſequentẽ diem clarum futurum totum. Facto, inquit, veſpere dicitis, ſerenum erit: rubicundum eſt enim cælum: & manè, hodiè tempeſtas: rutilat enim triſte cælũ. Euenit autẽ hoc ex ea cauſa, quòd veſpere rubeſcente, cæli attenuatio, & diſperſio ſignificatur, quæ poſt futura nocte conſumitur & concoquitur: manè autẽ cùm rubet cælũ, nubes nondũ concoctæ demonſtrantur, quas adueniens ſol in pluuias reſoluat. Euthymius autẽ ſic: Quemadmodũ apparentię cæleſtes, aliæ quidẽ tempeſtatẽ deſignant, aliæ ſerenitatẽ, ne aliquis ſigno tempeſtatis ad declarandam ſerenitatẽ abutatur, nec ècontra: ſic inquit, & de aduentu meo: nam primi aduentus illius debebant eſſe de terra ſigna, ſecundi è cælo, iuxta illud: Erunt ſigna in ſole. Quod ſi ſapientes eſſetis, cognoſceretis vtique quòd hæc ſigna quæ in terra fiunt, præſentis ſunt temporis: ſigna verò quæ de cælo fiunt, tẽporis ſunt alteri9, cõſummationis ſeculi. Tunc enim ſol obſcurabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum, ſtellæq; cadent de cælo. Faciem, inquit, cæli diiudicare noſtis: ſigna autem temporum non poteſtis ſcire. Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignũ Ionæ prophetæ. Tu verò conſidera, inquit Euthymius, excæcationem eorum, quòd cùm Ionam noſſent, ac præſentia verba, & priùs, & nunc quoq; audiſſent, noluerunt interrogare ac diſcere quod eſſet hoc ſignum quod diceret: tentatores enim erant ſicut dictum eſt: ideò etiam ipſe relictis illis abſceſsit. Ionæ autem ſe Dominus comparat, quòd ad futuræ paſsionis effectum in prædicationem pœnitentiæ ad Niniuitas pari ſpecie eum præmiſerat. Namq; Ionas ventis deſæuientibus proiectus è naui eſt, & deuoratus à Ceto, poſt triduum ampliùs non retentus à monſtro, non cibi conditione confectus; ſed contra generis humani naturam integer & illæſus in auras ſuperas virtute Dominicæ præfigurationis euaſit. Hoc ergo poteſtatis ſuæ ſignum conſtitutum eſſe demonſtrat, ipſe remiſsionem peccatorum per pœnitentiam prædicans, de Ieruſalem, vel ſynagoga immundorum ſpirituum dominante flatu eijciendus, & Pilati poteſtati, id eſt, ſeculi iudicio tradendus, & à morte tanquàm elementi eiuſdem monſtro glutiendus, & poſt triduum ex ea contra conditionem hominis quem aſſumpſerat non retentus, viuus atq; incorruptus emergens. Ea igitur quæ in homine de conceptu virginis ſumpto, diuinarum erant plena virtutum, cognoſci atq; intelligi ſe voluit Dominus, & prophetæ ſigno & hominis exemplo. Hæc Hilarius.

2

Hoc dicto Phariſæos & Saducæos hypocritas, reliquit, ad diſcipulos, qui

3

qui veram & ſynceram doctrinã laudant conuertitur:eos, ſumpta occaſione ex hypocriſi Phariſæorũ, monet,vt caueant à fermẽto illorũ, quod eſt hypocriſis, de quo fermento multa hoc loco philoſophatur Chriſtus, quæ diſcipuli nõ intelligũt: ſed putantes, quòd de eo cum eis loquatur, ne cum phariſæis accipiant panẽ, intra ſe cœperunt cogitare,Quia panes non accepimus.Quam eorum ſimplicitatẽ Dominus increpat, tribusq; argumentis confutat. Quid cogitatis inter vos modicæ fidei, quia panes non habetis? Mox adfert tria argumenta: primò à quinq; panibus : Nondum intelligitis, neq; recordamini quinq; panũ: ſecundò, à quinq; millibus hominum : Et quinq; millium hominum : tertiò, à ſeptem ſportis :Et quot ſportas ſumpſiſtis. Si hæ, inquit, ſuperfuerunt, quantò magis neceſſaria aderunt; modò fermentum Phariſæorum declinetis. Fermentum acetoſum eſt & exoletum : ſic & phariſæorum atq; Saducæorum doctrina, mordens animum, acerba exiſtens, & veteres traditiones antiquorum inculcans: & quemadmodum fermentum miſcetur ex farina & aqua ; ſic & doctrina Phariſæorum miſcetur ex vita & ſermone corruptis.Marcus hoc loco ſubiungit, & fermento Herodis. Fermentum Phariſæorum eſt, legem verbis prædicare, factis impugnare : fermentum verò Herodis eſt, adulterium, homicidium, & quod origo ſcelerum eſt, odium & perſecutio in Chriſtum, & ſanctos eius. Et cauete à fermento, id eſt, à doctrina corrumpente. Nec eſt mirum, ſi fermentũ dicitur hic doctrina corrumpens, ſuprà autem fermentum accipitur pro feruore fidei : quia eadem res ex diuerſis proprietatibus, benè ſignificat oppoſita & diſparata: ſicut leo aliquandò præclarè; vt in Apocal.Vicit leo de tribu Iuda; & hoc propter conſtantiam & audaciam in aggrediendo ardua & periculoſa: aliquando accipitur pro diabolo propter crudelitatẽ, ſecundùm quod dicitur, Aduerſarius veſter diabolus, tanquàm leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: ita eodem modo fermentum propter calorem incluſum ſignificat feruorem fidei; propter autem corruptionem, malam doctrinam. *Matth.* 13.

4 NOtandum autem hoc loco primum eſt ; quamùis improbi & perfidi homines inter ſe non conueniant, quamùis ſecum pugnent; contra Dominum tamen, & contra Chriſtum eius,ſponſam eius facilè conuenire. Aſtiterunt reges terræ, quod in Pilato & Herode vidimus, nunc in Phariſæis & Saducæis videmus. Qui autem ſint Phariſæi, qui Saducæi, in oratione de excidio Ieroſolymitano docuimus. Frequenter autem, inquit, Origenes, & nunc videre licet, in vita eos,qui maximè diſcrepant opinionibus, ſiue in Græcorum Philoſophia, ſiue in alijs diſciplinis, apparere concordes; vt irrideant oppugnentque Ieſum Chriſtum, qui eſt in ſuis diſcipulis.

5 NOtat ſecundo loco Lyranus: aduertendum eſſe, quòd aliqui Phariſæi & ſcribæ omiſſo ſtudio legis & prophetarum,ſtudebant in Mathematicis & potiſſimè in Aſtrologia.Vnde & vſque hodie aliqui eorum in hoc ſunt valdè curioſi: & quia Aſtrologi aliquando volunt indicare per conſiderationem aſtrorum de inchoatione legum & ſectarum diuerſarum, ideò & iſti volebant per aſtra prædicere de aduentu Chriſti, hoc autem eſt impoſsibilè : quia virtus cæli non ſe extendit ad talia,licèt ſe extendat ad quædam alia prædicenda de futura diſpoſitione aëris, vt ſiccitate, pluuia & huiuſmodi: & hoc eſt quod dicitur: Et acceſſerunt ad eum, ſi poſſent eum in aliquo capere, & rogauerunt vt ſignum de cælo oſtenderet eis, declarando tempus ſui aduentus ex aliquo ſigno cæleſti.

At ille respondet, aliquid prædicere de futura temporis dispositione potestis per considerationem cæli, quia ad hoc benè se extendit talis scientia. Rubicundum est cælum : ideò serenũ tempus erit. Talis enim dispositio cælestis, signũ est futuræ serenitatis, quia sic frequenter contingit, licèt aliquando impediatur. Et manè, supple, dicere potestis, Rutilat, quod contingit in coruscatione & tonitru, & hoc est signum tempestatis, propter quod subditur : Faciem ergò cæli, in quantũ facies cæli est signũ alicuius inclementiæ dijudicatis: signa autẽ temporũ definitorũ in præsentia Dei de aduentu Christi, non potestis per talia dijudicare, quia hic dependet ex diuina dispositione, & non ex aliqua constellatione. Et propter hoc aduentus Christi considerandus est, vt dictum est, ex dictis Prophetarum, qui hoc habuerunt ex diuina reuelatione, sicut habetur Dan. 9.

6 NOtandum tertiò, cum Origene, Pharisæos cum Saducæis à probabilitate quadam inuitari, ad credendum Iesu miraculis : non tamen vt etiam veniam mererentur, qui non inspicerent verba prophetarum impleta in factis Iesu, quæ praua vis nequaquàm facere potuisset. Siquidem animam egressam reuocare, vt iam fætens & quadriduanus è monumento prodiret, nullius erat, nisi illius qui audierat à patre, Faciamus hominem secundùm imaginem & similitudinem nostram. Quin & imperare ventis, & impetum maris sedare ; nullius alterius est, nisi illius, per quem omnia, & ipsum mare & venti facti sunt. Quid aliud declarabat ijs, qui videre poterant ; quàm quòd verè Deus esset, qui talia operaretur ? Est autem etiam doctrina ad amorem conditoris prouocans, legi ac prophetis concinens, atq; animi motus cohibens, moresque ad pietatem formans.

7 NOtat quartò Origenes, Pharisæos cum Saducæis non veritos fuisse dicere Iesum in Beelzebub principe dæmoniorum eijcere dæmonia. Existimabant autem signum de cælo non posse à Beelzebub aut ab aliqua praua virtute fieri. Sed errabant in vtrisq; signis, tum in his quæ veniebant è cælo, haud quaquàm probati trapezitæ, neque gnari discernere spiritus operantes, qui sint à Deo, qui desertores illius. Atqui conueniebat illos scire, multa quæ per Mosen aduersus Ægyptios prodigia facta sunt : cùm non venirent è cælo, tamen Dei fuisse : & ignis è cælo delapsus, super oues Iob, non erat à Deo. Siquidem eiusdem erat ignis ille, cuius erant illi, qui in captiuitatem duxerunt, quique fecerunt tres turmas equitum & iumentorum Iob.

8 NOtandum quintò: vsitatum esse, vt dum homines spirituales de cælo, rebusq; conferunt cælestibus; homines carnales interim de terra & panibus aliquid inter se pertractent. Sic modo Christo Domino de aduentu suo disputante, deque fermento, doctrina & hypocrisi Pharisæorum, Apostoli interim de pane nescio quid cogitant, ad eumque sensum doctrinam cælestem referunt.

9 NOtandum sextò: beneficia Dei facilè hominibus effluere, facileque eorum memoriam deleri. Quam hoc loco discipuli facilè quinq; panum miraculi cælestis, per manus illorũ administrati obliti sunt, ad priuatã se curã referentes?

10 NOtandum septimò: irasci Caluinum hoc loco, quòd ab eo signa petantur,

tur. Verba eius sunt. Sic hodie Papistæ, quasi nunquàm esset sancita Euangelij doctrina nouis miraculis sibi probari postulant. Euangelica doctrina sancita est, sed non Caluinistica. Et: Citiùs, inquit, citiùs ignis aquæ miscebitur, quàm vt Papæ figmenta cum Euangelio quis conciliet. Et Caluini mandata cum doctrina Christi & Catholica veritate. Definit ipse miracula virtutis diuinæ præsẽtis testimonia, ac sigilla veræ doctrinæ. Si igitur Caluinus hæc non adfert, virtute diuina caret, vera doctrina caret.

11 NOtandum octauò, cum Origene: ob eos, qui putant ex Euangelio Matthæi nullo pacto doceri Seruatoris diuinitatem, discipulis apud se cogitantibus dicentibusque, Panes non habemus, Iesum cognouisse cogitationem illorum, ac dixisse: Quid cogitatis apud vos exigua præditi fiducia, quòd panes non acceperitis? quod haud erat humanum. Vnus enim omnium ac solus cognoscit corda hominum Dominus, sicut ait Salomon.

12 NOtat nonò hocloco D. Hieronymus: istiusmodi fermentum (quod omni ratione vitandum est) habuisse Marcionem & Valentinum, & omnes hæreticos. Fermentum hanc vim habet, vt si farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur crescat in maius, & ad saporem suum vniuersam conspersionem trahat; ita & doctrina hæretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus iecerit, breui in ingentẽ flammã crescit, & totã hominis possessionem ad se trahit.

13 FErmento synagogæ refutato & reiecto, fundamenta ordinis & administrationis Ecclesiasticæ in futurum iaciuntur: primò quis futurus sit primus in Ecclesia Dei princeps, deinde, quis & qualis eius vicarius, claues & potestas assignantur, firmitas regni promittitur. Ita autem clarè hæc præscripsit, vt ampliùs nefas sit disputare, aut de Christi natura, aut de Petri vicaria potestate. Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Quæ ista Philippi Cæsarea sit: quis iste Philippus, explicat Hieronymus. Philippus iste est frater Herodis, de quo supra diximus tetrarcha Itureæ & Traconitidis regionum, qui in honorem Tyberij Cæsaris Cæsaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellauit, & est in prouincia Phænicis, imitatus Herodem patrem, qni in honorem Augusti Cæsaris appellauit Cæsaream, quæ priùs Stratonis turris appellabatur: & ex nomine filiæ eius Iuliadem trans Iordanem extruxit. Ille locus est Cæsareæ Philippi, vbi Iordanis oritur ad radices Libani: & habet duos fontes, vnum nomine Ior & alterum Dan, qui simul misti, Iordanis nomen efficiunt. Filium verò hominis ait, hoc est eum qui hominibus apparet nudus homo. Interrogauit autem non quasi ignorans, sed dispensatorio modo, vt Petrus diceret, quod sibi reuelatum erat, & cæterorum omnium opiniones, quæ de ipso erant, reprobarentur tanquàm erroneæ. Sciebat namque, quod Deus ac pater reuelauerat Petro de se, aperiens mentem eius. Vide autem quòd non circa prædicationis initia interrogauerit, sed postquàm multa magnaque docuerat, postquàm sufficientes de sua diuinitate ac æqualitate ad patrem probationes euidentes tradiderat. Hæc Euthymius. Et interrogabat, inquit, discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? Non dixit, quem me esse dicunt homines, sed, filium hominis: nè iactanter de se quærere videretur. Et

SERIES Euangelij.

nota :quòd vbicunque ſcriptum eſt in veteri teſtamento,Filius hominis, in Hebræo filius Adam ſit poſitum Illud quoque,quod in Pſalmo poſitum legimus, Filij hominum vſqueq̃uo graui corde, in Hebræo dicitur, filij Adam. Quanquàm D. Chryſoſtomus doceat, deitatem ſuam ſic eum appellare ſolitum fuiſſe; quale & illud eſt: Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, filius hominis qui eſt in cælo. Et : Cùm videritis aſcendentē filiũ hominis,vbi erat priùs. At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Hieremiam, aut vnum ex prophetis : hæc autem omnia naſcebantur ex fide futuræ reſurrectionis, quia credebantur aliquando reſurrecturi.Putabant autem illum Eliam, ob libertatem arguendi, & quia eius aduentus promiſſus erat : iamq́ue in Iudæa conſtabat tempus aduenifſe Meſsiæ, quod Elias anteuertere debuit. Hieremiam prophetam,ex vtero in mundum elatum ſapientiam diuinitus infuſam, & non ſtudio quæſitam habentem. Non plus ſentiunt noſtri Ariani,quàm vnũ eſſe ex prophetis. Si autem homo nudus eſſet, vt Apoſtoli ex vulgi ſententia dicunt, nulla interrogatione ampliùs opus eſſet,quod tamen vrget Chriſtus Domin⁹: Et expoſita aliena ſententia, de propria interrogat: Vos autem quẽ me eſſe dicitis? Reſpondet omniũ nomine Petrus, vt vnitas in omnibus obſeruetur: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Confitetur autem Chriſtũ filiũ Dei cum articulo ὁ : Nõ quiuis filius Dei, ſed ille, inquam, vnus & ſanctus, non gratia filius, ſed natura,ex ipſius patris viſceribus promanans. Deum viuum appellat ad differentiam eorum deorum, qui putantur dij, ſed mortui ſunt; qualis erat Iupiter, Saturnus &c. Viuum etiam vocat, iuxta illud Ioſue. Deus viuens ego ſum. Et Ezech. 18. Viuo ego, dicit Dominus.

ET hic ipſe eſt tantus, & talis primus in Eccleſia princeps, primũ caput Ieſus Chriſtus: ſed quis, & qualis vicarius, docet deinceps ipſum princeps caput,teſtimonioq́; de ſe Apoſtoli reddit vicẽ;mercedẽ recipit vera confeſsio. Beatus es, inquit, Simõ Bariona.Tu es Simõ filius Ionæ, tu vocaberis Cephas: Nã quia patrẽ meũ prędicaſti, ego etiã illũ nomino, qui te genuit : ac ſi diceret: quemadmodũ tu Ionæ filius es; ſic ego patris mei filius ſum. Nam aliter ſuperuacaneũ omninò atque ſuperfluũ erat dicere : Tu es filius Ionæ, inquit Chryſoſtomus. Verùm quia ille dixit: Tu es filius Dei, vt ſic ſe eſſe filiũ Dei oſtendat, ſicut ille Ionæ filius fuit, eiuſdẽ videlicet ſubſtantiæ; idcircò illud adiecit:Quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt. Quod caro & ſanguis nõ poteſt reuelare, reuelat ſpiritus ſancti gratia: ergò ex cõfeſsione ſortitur vocabulũ, inquit Hieronymus, quòd reuelationẽ ex ſpiritu ſancto habeat; cuius & filius appellandus ſit: Siquidẽ Bar-Iona in noſtra lingua ſonat filius colũbæ. Alii ſimpliciter accipiũt, quòd Simõ, id eſt, Petrus ſit filius Ioannis, iuxta alterius loci interpretationem. Simon Ioannis diligis me? Qui reſpondit: Domine tu ſcis. Et volunt vitio ſcriptorum deprauatum, vt pro Barchijonna, hoc eſt, filius Ioannis, Bariona ſcriptum ſit, vna detracta ſyllaba. Vtrumque autem nomen myſticè intelligi poteſt, quòd & columba ſpiritum ſanctum, & gratia Dei donum ſignificat ſpirituale. Illud quoque quod ait : Quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, Apoſtolicæ narrationi comparatur, in qua ait : Continuò non acquieui carni & ſanguini. Carnem ibi & ſanguinem Iudæos ſignificans, vt hic quoque ſub alio ſenſu demonſtretur : quòd ei non per doctrinam Phariſæorum, ſed per Dei gratiam Chriſtus Dei filius reuelatus ſit.

14

Appro-

15 APprobans autem Petri ſententiam, alienas reijcit, ac ad remunerationem ſe refert. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: dico non ſermone caſſo, & nullum habente opus, ſed dico tibi, quia meum dixiſſe feciſſe eſt. Sicut ipſe lumen Apoſtolis donauit, vt lumen mundi appellarētur, cæteraque ex Domino ſortiti ſunt vocabula: ita & Simoni, qui credebat in Chriſtum petram, Petri largitus eſt nomen. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Ego portas inferi reor vitia atque peccata, vel certè hæreticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. A talibus portis liberatum ſe gaudet Dauid. Tu, inquit, eleuaſti me de portis mortis, homicidij & adulterij, quæ ducunt ad mortem. Nemo itaque putet de morte dici, quòd Apoſtoli mortis conditioni ſubiecti non fuerint, quorum martyria vident coruſcare. Vel portæ inferni ſunt peccata, minæ, blandimenta, hæreſes; quibus infirmi ruunt in mortem, qui non verè ſuper petram, ſed ſuper arenam, domum profeſsionis ſuæ credendi ſunt ædificauiſſe. Et tibi dabo claues regni cælorum: & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Claues intelligimus tam ligantes quàm ſoluentes, peccatorum condonationes & abſolutiones. Habent enim poteſtatem remittendi peccata illi, qui Petri Epiſcopatus participes ſunt effecti. Quomodo ergò in lege veteri leproſum ſacerdos mundum, vel immundum facit: ſic & hic alligat, vel ſoluit Epiſcopus ac presbyter, non eos qui inſontes ſunt, vel innoxij, ſed pro officio ſuo, cum peccatorum audierit varietates, ſcit qui ligandus ſit, quiúe ſoluendus.

16 QVum confeſſus eſſet ipſum Dei filium legitimum eſſe, iam ei demonſtrat ſuæ diuinitatis dignitatem dicens: Ædificabo ſuper te Eccleſiam meam, & dabo tibi claues regni cælorum, videlicet vt ad illud introducas, ſiquidem clauigeri eſt introducere. Atqui dicet aliquis donum hoc cæterorum etiam fuit Apoſtolorum. Sed primum huic datum eſt, quia primus hic Dei filium legitimum eſſe faſſus eſt; ideo quoque poſt Saluatoris in cælum aſcenſionem, præ omnibus longo docuit tempore, multoſque introduxit ad fidē. Et quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis. Etiam hoc clauigeri proprium eſt. Ligare autem dicit, non ignoſcere. Promittit ergò, Quodcunq; peccatum non condonaueris ſuper terram, neque in cælo condonabitur à Deo: & quodcunque condonaueris hîc, erit & ibi condonatum. Tribus autem argumentis confirmat de ſua diuinitate fidem & confeſsionem Petri Chriſtus. Primum eſt, quòd ædificaturus ſit Eceleſiam, quod Dei proprium eſt. Et ædificabo, inquit, Eccleſiam meam. Secundum argumentum. quòd perpetuò eam conſeruaturus ſit: Et portæ, inquit, inferi non præualebunt aduerſus eam. Tertium, quòd daturus erat claues remittendi peccata, quod ſimiliter diuinū eſt. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Atqui priùs diſcipuli ſedata tempeſtate filium Dei confeſsi ſunt, dicentes: Verè Dei filius es, nec tamen beati prædicati ſunt. Et alij quidam Deum eſſe crediderunt, ſed nullum illorum beatificauit. Quid ergò? Dicendum eſt, quòd omnes qui illum filium Dei confeſsi ſunt, aut Deum eſſe, crediderunt: non naturâ & propriè hæc illum eſſe opinabantur, ſed adoptione, & ſecundùm excellentiam virtutis,

tutis, veluti etiam omnes sanctos Dei filios esse dicunt. Solus autem Petrus verè Christum & natura & propriè filium Dei nunc esse intellexit: ideò quoque volens Christus demonstrare, quòd solus hic rectè cognouerit, & sine errore confessus sit; ipsum beatificat, tanquàm assecutum de se diuinam reuelationem. Caro enim & sanguis, hoc est homo, non initiauit te ad sacram hanc de me confessionem; sed pater meus, tanquam huiusmodi confessione dignum. Quare libenter ab his quærerem, inquit D. Chrysostomus, qui dignitatem filij minorem quàm patris dicunt, quænam sibi maiora videantur dona, quæ pater, an quæ filius Petro largitus est? Pater quidem reuelationem ei filij sui dedit, filius autem partim, vt tam patris, quàm filij sui reuelationem vbique terrarum posset seminare: partim, vt quamùis homo esset mortalis, cælesti tamen potestate polleret, & claues haberet regni cælorum. Ita à Petro ecclesiam per vniuersum orbem amplificatam, cælo etiam ipso validiorem monstrauit. Transibunt, inquit, cælum & terra, verba autem mea non transibunt. Quomodo ergò minor est, qui hæc dedit, qui hæc Petro effecit? Hæc autem non ideò dico, quia alia patris, alia filij opera esse putem. Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: sed vt linguam eorum abscindamus, qui talia proferunt.

17 NOtandum primò, esse duo genera hominum in extremo posita: primum, quòd aura hominum more Chamæleontis viuit, vanam consectatur & captat gloriam: alterum, quòd iudicia hominum contemnit, quid quisque loquatur non curat, quòd sibijpsi tantum confidit, vt omnes alios negligat. Vitiosum est hoc vtrumque genus hominum, in extremo positum, superbum & arrogans, magis tamen posterius: medium est quoddam optimum, quòd leues sermones non curat, serios & graues consectatur; vt si quid bonum dicitur, in eo proficiat, vt in eo magis se exerceat: si quid malum, vt corrigat, & quod Aristoteles exprimit, quod iudicio suo inniti non vult; sed quærit iudicia bonorum, vt credat se esse bonum. In quo genere nunc se ipse filius Dei collocat. Quem dicunt, inquit, homines esse filium hominis? non quòd ignoret, cui omnia nota erant; sed vt exemplum det, sed vt prauas opiniones refutet, sed vt meriti & commendationis locum suis relinquat. Itaq; veteres imperatores habebant suos quos vocabat ophthalmos, qui hominum de se suffurarentur iudicia: sed & aliqui tentoria circumire solebant, vt quid quisq; de illis diceret, aut sentiret, liberiùs cognoscerent.

18 NOtandum secundò est: omnia magna populum ad Christum Dominum detulisse, Ioannis, Eliæ, summorum hominum titulos. Nisi igitur fuisset in Christo aliquid summum, quod oculis videri non posset, & ad quod reuelatione patris opus non esset, superflua fuisset hæc quæstio. Vos quem me esse dicitis? Præclarè scribit Hilarius. Est autem hæc vera & inuiolabilis fides ex Deo æternitatis, cui ob id quòd semper filius fuerat, semper & ius patris & nomen sit (ne si non semper filius, non semper & pater sit) Deum filium profectum fuisse, cui sit ex æternitate parentis æternitas. Nasci autē eū voluntas eius fuit, cuius in virtute ac potestate inerat, vt nasceretur. Est ergò filius Dei ex Deo Deus, vnus in vtroque: theoteta enim, quam deitatem latinè nuncupant, æterni eius parentis, ex quo nascendo est profectus, accepit. Accepit autem hoc quod e-

rat,

rat, & natum eſt verbum, quod fuit ſemper in patre. Atque ita filius, & æternus & natus eſt, quia non aliud in eo natum eſt, quàm quod æternum eſt. Hunc igitur aſſumpſiſſe corpus, & hominem factum eſſe, perfecta confeſsio eſt: quia ſicut æternitas naturæ noſtræ corpus accepit: ita cognoſcendum eſt, naturam corporis noſtri æternitatis aſſumere poſſe virtutem. Igitur quia ſummũ in iſta fide bonũ eſt, à diſcipulis requirit, quem ſe homines eſſe dicerent, & adiecit, hominis filium. Hæc enim confeſsionis tenenda ratio eſt: vt ſicut Dei filium, ita & filium hominis meminerimus: quia alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutẽ. Editis itaque, quæ diuerſæ de eo erant, hominũ opinionibus, quid de ſe ipſi ſentiant quærit. Petrus reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Sed Petrus conditiones propoſitionis expenderit. Dominus enim dixerat: quẽ homines dicunt eſſe filium hominis. Et certè filium hominis contemplatio corporis præferebat. Sed addendo, quem me eſſe dicunt, ſignificauit præter id, quod in ſe videbatur, eſſe aliud ſentiendum: erat enim hominis filius. Quòd igitur de ſe opinandi iudicium deſiderabat? non illud arbitramur, quod de ſe ipſe confeſſus eſt: ſed occultum erat, de quo quærebatur, in quod ſe credentium fides debebat extendere. Et dignum planè præmium confeſsio Petri conſequuta eſt, quia Dei filium in homine vidiſſet. Beatus hic eſt, qui vltra humanum oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat contuens: ſed Dei filium cæleſtis patris reuelatione conſpiciens, dignuſq; iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus agnoſceret. O in nuncupatione noui nominis felix eccleſiæ fundamentum: dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur: cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cælo: vt quæ in terris, aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cælo.

19 NOtandum hoc loco tertiò, vnam eſſe viam virtutis, erroris infinitas: quod nunc in opinionibus de Chriſto videre licet, & poſtea ſemper licuit.

20 NOtanda quartò, iudicij vulgi vanitas, & inconſtantia: præſentia odit, præterita laudat; id quod non eſt, putat eſſe, quod eſt, non eſſe: præſentibus præterita attribuit, præteritis præſentia. Dum Ioannes viuus erat, illum Meſsiam dicebant: dum Meſsias exortus eſt, Ioannem eum eſſe opinantur: ita nihil conſtans, nihil ſolidum. Sit ergò illa vitæ regula, lex Dei, recta ratio, pura conſcientia, iudicium paucorum, & ſapientum.

21 NOtandum quintò: reijci primùm hoc loco Iudæos, deinde Mahumetanos; qui Chriſtum Dominum eſſe putant ſolum hominem: reijci Ebionitas, Samoſatenos, qui prophetam tantùm: Arianos, qui minorem patre. Chriſtus tamen veram de ſe ſententiam ab Apoſtolis cognoſcere vult; nobis in poſterũ eius rei exemplum relinquens, vt ab Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris, veram de Chriſto ſententiam diſcamus. Atqui nunc contrarium Euangelicum vulgus putat. Neque enim quiſquàm eſt ex illis, qui ſe non meliùs de Chriſto intelligere præſumat, quàm omnes veteres patres, quàm omnes huius ſeculi ſacerdotes, ſumma impudentia & ſtultitia. Neque tamen hæc ex nihilo naſcuntur, ſed quia ſacerdotes ipſi plerunque plebe ipſa imperitiores, plerunque deterioris

conſci-

conſcientiæ exiſtunt. Cuius rei in primis reges, atque alij ſacerdotiorum collatores cauſa ſunt, qui talibus ſacerdotia ſuæ diſpenſationi credita à Deo, conferunt: quo nomine ſempiternam damnationem obtinebunt. Vineæ enim Domini Dei Sabaoth maceriam diruunt, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Decet igitur ſacerdotem & Apoſtolicum virum, perfectiorem de Deo, rebuſque diuinis ſenſum & ſententiam habere.

22 SExtò notanda eſt plenior expoſitio confeſsionis D. Petri. Duo hæc confeſsio continet: primum, Chriſtum neque Ioannem, neque Eliam, neque Ieremiam, neque Prophetam eſſe; ſed verum illum, tot ſeculis expectatum Meſsiam: hoc enim Chriſti nomen ſonat. Sed quoniam ne inter ipſos quidem Iudæos conſtabat, hic Meſsias, ſimplex-ne homo futurus erat, an etiam Deus: ideò non ſolùm Meſsiã eſſe, ſed etiam filium Dei viui. Qui diuinitati Ieſu Chriſti aduerſantur, eiuſque ſunt inimici, dicant hoc loco Petrum intellexiſſe, filium Dei adoptiuum atque prædeſtinatum principem in filijs. Sed eam ipſam diabolicam eſſe expoſitionem multa declarant. Primùm, ea quæ anteceſſerunt, huiuſmodi filij adoptionis omnes illi erant, quos recenſent & Ioannes & Elias, & Ieremias, & omnes prophetæ, & omnes Iſraelitæ, Deo ipſo teſtante apud Iſaiam. Filios enutriui, & ipſi ſpreuerunt me. Deinde ipſa prolatio verborum: nam omnibus iſtis vocabulis quatuor, Chriſtus filius Dei viui, additi ſunt in Græco articuli, qui quoties vocibus adiunguntur, aliquid ſingulare & præcipuum ante alia ſignificatur. Sic enim dicitur: Tu es Chriſtus, non qualiſcunq; quales fiunt alij vel reges, vel ſacerdotes: ſed tu es ille ipſe, naturalis, propter quem cæteri omnes filij ſunt: & es filius non fictitij cuiuſpiam Dei, ſed illius primi & ſummi, veri, & per ſe viuentis, qui cælum & terram fecit, Dei. Tum & collaudatur eius teſtimonium. Reſpondit Ieſus: Beatus es Simon Bariona. Confeſſus eſt antea filium Dei Chriſtum Natanael: Rabbi, tu es filius Dei. Confeſsi ſunt alij multi: Verè filius Dei hic eſt: neque tamen beati appellantur, quia non illo modo, quo iſti, filiũ Dei appellarunt: At quia omniũ Petrus hac beatitudine dignus ob eam confeſsionem eſſe iudicatur; apparet profectò ſingulari modo confeſſum eſſe filium Dei; illum inquam, de quo ipſe Dominus: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Tum illud, quod conſequitur: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui in cælis eſt. Hoc non à tuis parentibus didiciſti, non à ſacerdotibus & pontificibus, nõ humana vlla doctrina, non etiam hic aſpectus carnis & ſanguinis mei, vt exponit Hilarius, ſed pater meus qui in cælis eſt. Atque filium per adoptionem caro & ſanguis reuelare potuit, per naturã nõ potuit, niſi pater ipſe: ſic enim inquit Dominus: Nemo nouit patrẽ, niſi filius; neque filiũ, niſi Pater. Demum eius confeſsionis cauſa premium Petri, quòd fundamentum eum & caput Eccleſiæ hac confeſsione Dominus pollicetur, & tam ſolidum, vt portæ inferi non præualituræ ſint contra illud. Confitetur igitur Dominus, verum Meſsiam eſſe filium Dei viui naturalem & conſubſtantialem. Adde igitur interrogationem Chriſti, Quem dicunt homines eſſe filium hominis, reſponſioni Petri, Tu es Chriſtus filius Dei viui; facilè colliges contra omnes hæreſes, Chriſtum eſſe verum filium Dei, & filium hominis Deum ac hominem, & ampliùs non quæres quid, quomodo, quando, neque enim quicquàm Petrus addidit & beatus prędicatus eſt.

Septi-

23 SEptimò notanda est expositio confeſsionis Christi de Petro, quam sic inchoat D. Chryſoſtomus. Quemadmodum tu es naturâ filius hominis, ita ego naturâ filius Dei: tamen & ſic exiſtens mortalis homo, magnum ob tam ſolidam confeſsionem recipies honorem. Tu enim eris Petrus, hoc eſt petra, & ſuper hanc petram ego ædificabo Eccleſiam meam; eo robore, quòd portæ inferi non præualebunt contra eam; hoc eſt, vniuerſum regnum diaboli. Portæ enim aliquando ſignificant totum imperium, & principatum. Vnde illud: Semen tuum poſsidebit portas inimicorum ſuorum. Vel portæ ſunt inferni, teſte Euſebio Emiſſeno, omnes falſi prophetæ atque hæreſiarchæ; vt legitimi doctores atque paſtores ſunt portæ regni cæleſtis.

Geneſis 22.

24 NOtandum, illos qui Romanæ Eccleſiæ obedientiam excutere volunt, miras comminiſci huius loci expoſitiones. Iam enim dicunt, Chriſtum ſeipſum demonſtraſſe, atque ita ſuper hanc petram, hoc eſt, ſuper ſeipſum Eccleſiam ædificaſſe, petra enim erat Chriſtus. Iam ſupra confeſsionem Petri. Nituntur autem iſtis argumentis. Primùm, quòd eccleſia æterna, ſuper vno mortali Petro ædificari non potuit. Deinde quòd aliud fundamentũ nemo poteſt ponere, præter id, quod eſt Chriſtus IESVS. Tum etiã, quòd nonnulli patres Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus ſuper fidem & confeſsionem Petri Eccleſiam ædificandam eſſe expoſuerunt: quod quidem & nos libenter damus; ſi vel antecedentia, vel conſequentia loca paterentur, atque adeò ipſa verba Chriſti. Antecedentia quidem. Dedit ampliſsimum teſtimonium Chriſto Domino Petrus, eum eſſe Chriſtum filium Dei: reddit ille mutuum perſonæ Petri. Quomodo igitur hæc conuenient? Tu ampliſsimum mihi dediſti teſtimonium: ergò ſuper me ædificabo Eccleſiam meam, aut ſuper confeſsione tua de me. Quod eſt hoc mutuum, quæ eſt hæc remuneratio teſtimonij? planè hæc non conueniunt. Quid verba ipſa, quæ Hebraicè magis rem ipſam explicant, quàm aut græcè aut latinè. Tu es Cephas, id eſt, ſaxum; & ſuper hoc Cephas, id eſt, ſaxum, ædificabo Eccleſiam: vbi clariſsimè apparet, ad ipſius Petri perſonam rem referri. Conſequentia autem hoc maximè indicant: Et tibi dabo claues regni cælorum: quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris, erit ſolutum. Si enim hoc, Tibi dabo claues regni cælorum, refertur ad perſonam Petri: conſequens eſt, vt illud, Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, ad eandem Petri perſonam pertineat. Nam ſub eodem contextu orationis vtrumque continetur, & ſub eadem remuneratione. Neque minùs eſt dari Petro claues regni cælorum, quàm ſuper illum Eccleſiam fundari. Nam & claues hoc loco plenam ſignificant & ſupremam regiminis rationem, quod & ex ſcriptura declaratur, & ex ratione. Promittit Dominus apud Iſaiam, Sobnæ ſacerdoti ſe accepturũ ſummam poteſtatem, & daturũ eã Eliacim, ſicq; dicit: Poteſtatem dabo in manu eius, & erit quaſi pater in Ieruſalem, & dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius. Sic Chriſtus Dominus in Apocal: dicitur habere clauem Dauid, hoc eſt ſummam poteſtatem. Modus autem hic dicendi ſcripturæ ſumitur ex communi vſu. Cùm enim princeps, vel rex committit ſummam alicui poteſtatem, tradit illi claues, & qui ſe dedunt, claues tradere ſolent. Senſus igitur verborum Domini hic eſt. Tu quidem me ſpiritu Dei edoctus, ſummum regem appellaſti: & ego mutuo honore te afficiam. conſcenſurus enim ad patrem, tibi dabo claues regni cælorum; hoc eſt, ti-

Iſaiæ 22.

bi com-

bi committam summã potestatem, & administrationem Ecclesiæ meæ; ita vt quicquid à te, tanquàm à summo magistratu, cui claues trado, iudicatum fuerit, constitutum, absolutum, vel condemnatum; id apud me ratum & firmum futurũ sit. Cùm ergò idẽ sit, claues alicui tradi, & super illũ Ecclesiã fundari; ad quem vnum referri dicitur, ad eum & aliud referri certè oportet. Itaque non est possibile, saluo contextu Euangelij, alio modo locum istum intelligi. Quod cùm vidissent vetustissimi patres, Tertullianus, Origenes, Ambrosius, Cyprianus, Augustinus, hunc locum alio modo non exposuerunt. Nam quod adferunt, vel Chrysostomum, vel Theophylactum, vel Augustinum. Augustinus quidem seipsum interpretatur, licere cuique quam velit sententiam sequi: alij autem hoc potiùs docent, per confessionem id Petrum consecutum; vt Abraham pater multarum gentium dictus propter fidem, eiusque confessionem. Nam illud quod adferunt, super mortalem non posse constitui immortalem Ecclesiam: atqui Petrus quadam sui parte est mortalis, quadam immortalis: mortalis est ratione personæ suæ; quia cum senuit, ab alio cingebatur, & ducebatur quò noluit: immortalis in munere & officio suo, quòd debuisset durare vsque ad consummationem seculi docet Dauid: dum pro patribus nascuntur filij: secundùm quod illud dictũ est: oraui pro te, vt non deficiat fides tua: quæ quidem non defecit, etsi Petrus mortuus est: & nunc dicitur; portæ inferi non præualebunt. Nam quòd dicitur, Christum ipsum esse fundamentum, hoc quidem verum; sed & Christus quoque petra est, & tamen Petro nunc idem adscribit: & certum est, quòd nemo potest ponere fundamentum aliud, præter id, quod positum est, Christum Iesum; ipse tamen Christus Dominus & hæres, potest ponere fundamentum quale vult sui ædificij, vt nunc Petrum, & pòst alios Apostolos. Paulus dicit nos superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV: Et in Apocal: dicit Ioannes fundatam esse Ecclesiam super duodecim fundamenta & in ipsis nomina duodecim Apostolorũ. Summa igitur est Christum Dominum caput, petram, fundamentum suæ Ecclesiæ esse: Petrum autem subalternum vicarium, & ministrum constitutum esse; & caput similiter, & fundamentum, & petram ipsam, fundatam super angularem lapidem. Vertant se hæretici & schismatici in omnes partes, res alio modo, saluo sensu loci huius, intelligi non potest.

Apocal. 23.

OCTauò notandum, eum nexum & eam coniũctionem earum duarum confessionum esse; vt qui de vnius fide, autoritateque detraxerit, aut qui vnam praua interpretatione euerterit, vtramque euertat oportet: & quomodo vna intelligitur, ita & altera. Sic enim prior & posterior continuatur; vt continuè positæ, & ex mutua occasione profectæ esse videantur: & quemadmodum in prima confessione nullus est tropus, ita nec in secunda. Propriè dictum est: Tu es Christus filius Dei viui: si hoc negas, negabis & consequens propriè esse dictum: Beatus es Simon Bariona. Et illud: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum: & quod solueris super terram, erit solutum & in cælis: & quod ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis. Quod cùm Caluinus & reliqui non vidissent, adulterant vtrumque, & pòst Trinitarij euertunt alterum. Reddit Petrus Domino quæ eius erant: reddit item Dominus Petro illud, quod eum esse voluit: con-

25

fusio

fuſio hic nulla eſt: non ſibi tribuit Dominus,quod dat Petro. Quæ enim eſſet iſta connexio aut remuneratio; Tu es Petrus, ergò ſupra me ædificabo Eccleſiam meam? aut quid hoc ad præſens pertinet argumentum? Mentitur igitur ſtrenuè Caluinus,qui dicit Papam docere, Petrum vocari Eccleſiæ fundamentum, cùm id Hieronymus cum alijs vetuſtiſsimis patribus docuerint: qua de re cùm & alij, & ipſe aliâs plura dixerim, iterum eadem repetere nolo.

26 NOtat nonò D. Hieronymus, licèt hoc alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper illos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur: tamen propterea inter duodecim vnum eligi, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.

27 NOtandum decimò cùm D. Ambroſio, ſeruum aperire, Dominum largiri; iſtum per ſe, illum per Chriſtum: famulum claues accipere, dominum ordinare poteſtates: aliud ius donantis, aliud diſpenſantis obſequium eſſe.

28 NOtat vndecimò Origenes. Cùm multæ ſint ſimulque recenſeri numero vix poſsint inferorum portæ; nullam portam inferorum valere aduerſus petram, aut Eccleſiam, quam Chriſtus ſuper illam ædificat. Quanquàm habent nonnullam vim hæ portæ, qua nonnullos ſuperant, nimirum eos qui non reſiſtunt, nec decertant aduerſus illas; ſed eædem ab alijs ſuperantur, videlicet ab his, qui, quoniam non receſſerunt ab eo, qui dicit, ego ſum oſtium, omnes inferorum portas demoliti ſunt ab anima ſua. Verùm enimuero & illud ſcire oportet, quòd ſicuti ciuitatum portæ proprium quæque nomen habent; eodem modo portæ inferorum nominari poſſunt, iuxta ſpecies peccatorum: vt vna quidem porta inferorum vocetur ſcortatio, per quam ambulant ſcortatores: altera verò negatio, per quam, qui Deum abnegant, deſcendunt ad inferos. Iam autem & vnuſquiſque diuerſa ſentientium,quique genuerunt aliquam falſi nominis ſcientiam, portam ædificant inferorum: aliam quidem Marcion, Baſilides aliam, aliam Valentinus.

29 NOtandum duodecimò: iubere Dominum diſcipulos, ne cuiquàm dicant, eum eſſe filium Dei; vt ſeruetur œconomiæ ratio: cuius cauſam refert Euthymius. Neceſſarium enim erat, vt hoc ab ipſo patre reuelaretur, ab ipſo autem filio ante mortem ſuam confirmaretur, & à ſolis diſcipulis cognoſceretur: populares verò nunc id ſcire noluit, vſque ad reſurrectionem ſuam à mortuis, ne ſuam impedirent paſsionem. Neque enim ſimul omnia propalanda ſunt aut profananda, quod faciunt hæreſes; ſed lentè inſtillanda & perſuadenda. Silere eos Dominus iubet, donec ab illis agnitus fuerit mortis victor, nouaque conſtantia eos induerit. Tunc, inquit, præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus.

30 MAgnificum teſtimonium reddidit Petrus Domino, magnificum Dominus Petro: ne igitur tanta dignitate efferatur Petrus, ne rebus ſecundis, quod paſsim fit, inſoleſcat, ac reliqui item diſcipuli; mox transfert ad contrariam materiam ſapiens doctor ſuam orationem, mortis inquam ſuæ denunciationem, cuius mentione animi diſcipulorum concidunt, Petri autem inprimis. Primùm igitur præcipit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus Ieſus,

causam autem propositi adiungit, , quia oportet illum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum ; & tunc demum prædicationis locum futurum, eo sensu, quem notat Hieronymus. Tunc me prædicate, cùm ista passus fuero: quia non prodest Christum publicè prædicare, & eius vulgare maiestatem in populis, quem paulò pòst flagellatum visuri sint & crucifixum, & multa pati à senioribus & scribis, & principibus sacerdotũ. Et nunc multa Iesus patitur ab his, qui rursus sibi crucifigunt filiũ Dei, & cum seniores putentur in Ecclesia, & principes sacerdotum, simplicem sequentes literam, occidunt filium Dei, qui totus sentitur in spiritu. Ardebat tum præsenti amore & charitate Petrus, ideò liberiùs proloquitur: assumit magistrum solum seorsum, ne præsentibus cæteris magistrum videatur reprehendere; increpare audet an mirari, condolereque potiùs. Absit hoc, inquit, à te Domine, non erit tibi hoc : vel vt Græcè, non contingat tibi id quod dicis: parce tibi Domine, non id tibi fiat, non potest fieri, nec recipiat auris, vt in terra filius Dei occidendus sit. Non vult destruere confessionem suam, nec putat filium Dei occidi. Ideò iam beatus non prędicatur, sed obiurgatur potiùs. Multi putant, inquit Hieronymus, quòd non Petrus correptus sit, sed aduersarius spiritus, qui hæc dicere Apostolum suggerebat. Sed mihi hic error Apostolicus, & de pietatis affectu veniens nunquàm incentiuum diaboli videbitur. Vade retrò Petrus audit, vade retrò me, hoc est, sequere sententiã meã, quia nõ sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominũ. Meæ voluntatis est & patris, cuius veni facere voluntatẽ ; vt pro hominũ salute moriar : tu tuã tantùm considerans voluntatẽ, non vis granum tritici in terrã cadere, vt multos fructus afferat.

A Petro transfert orationem ad cæteros omnes, non se à morte abducendum esse; sed quemùis etiam illorum ad eandem Dei & salutis causa subeundam paratum esse debere. Si quis vult, inquit, venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ostendit autem his dictis, neminem cogi, & libero arbitrio locum relictum esse, quod negat hæresis: Non impello, inquit D. Chrysostomus, non vrgeo, sed liberam singulorum voluntatem efficiens, dico: Si quis vult. Non enim ad afflictiones & onera, nec ad supplicia & pœnas, vt cogere mihi opus sit ; sed ad ineffabilia bona conuoco; quorum ea natura est, vt facilè per seipsa vos inuitare possint. Qui deponit veterem hominem cum operibus suis, abnegat semetipsum dicens: Viuo autem ego, iam non ego, viuit verò in me Christus. Abnegat, qui nihil commune cum carne habere vult, quomodo cum illis, quos abnegamus. Tollit crucem suam, qui mundo crucifigitur, cui etiam mundus crucifixus est: sequitur Dominum crucifixũ ; qui per omnia aduersa ire, atque eadem sustinere contendit. Quemadmodum enim, qui ludicrum instituit agonem, si cui athletarum amicitiæ vinculo iungitur, nunquàm eum ob beneuolentiam tantùm, nisi etiam descenderit in certamen, coronabit, qui proprium illius videlicet laborem desiderat; & quò magis eum diligit, eò magis victorem videre cupit: sic etiam Christus, quos maximè diligit, eos non auxilio suo duntaxat, verùm etiam à seipsis vult comprobari. Si quis vult venire, inquit, post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Crucem fert, qui mortem, & omnia aduersa suffert: neque sufficit, crucem ferre, vt latrones & fures; sed sequi, hoc est, omnem virtutem imitari. Quod qui non faciunt, quæ pœna, quod

31

quod damnũ illos sequitur, docet; damnũ maximũ: Qui, inquit, voluerit animã suam saluã facere, perdet eam. Qui martyrium fugit, inuenit animam ad præsens ad aliquot annos, quam paulò post æternùm perdet: qui subit, perdit ad tempus propter Christum, vt inueniat ipsam in incorruptione & vita æterna. Quorum verborum duplicem habet expositionem Origenes: Primùm, inquit, hoc modo possumus intelligere hoc verbum. Si quis amator vitæ præsentis, & putans hanc vitam præsentem esse optimam, parcit animæ suæ timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire: iste volens hoc modo saluare animam suam, perdet illam, alienam faciens à vita æterna. Si quis autem contemnens vitam præsentem propter Christi verbum, & confidens de vita æterna vsque ad mortem pro veritate certauerit; perdet quidem animam suam, quantum ad vitam præsentem, tradens eam pro pietate in mortem, quæ abusiuè dicitur mors: sed quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam saluam faciet in vita æterna. Alio autem modo sic intelligimus textum. Si quis intelligit quæ est vera salus, & acquirere vult eam salutem animæ suæ; iste abrenuncians vitam, & denegans seipsum, & tollens crucem suam, & sequens Christum, perdit quantum ad voluntates carnales animam suam propter Christum, & propter omnem doctrinam eius: & perdens animam suam hoc modo, saluat eam per opera pietatis. Duobus similibus hoc idẽ D. Chrysostomus illustrat pulcherrimè. Qui liberis, inquit, parcit, is eos perdit: qui autem castigat & non parcit, is salutem eis præbet: quod & sapiens quidam dixit: Si percusseris, inquit, filium tuum virga, non morietur, sed animam eius eripies de morte. Et rursus: Qui refrigerat filium suum, colligabit vulnera eius: hoc & in castris fieri solet. Nam si quando militibus dux parcat, & idcircò intus semper eos detineat; tàm milites, quàm alios simul corrumpit ac perdit. Deinde, quale sit animi pręmium docet. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur? Ac si apertè dicat, inquit Gregorius: Quid prodest homini, si totum quod extra se est, congregat: si hoc ipsum solùm quod ipse est, damnat? Pro Israël apud Isaiam datur propitiatio Ægyptus, Æthyopia, & Saba: pro anima humana illa sola est retributio, de qua Psalmista: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Theophylactus: Quæ, inquit, vtilitas est, animo malè affecto, corpus benè habere? Quemadmodum si matrefamilias laceris pannis induta, famulæ nitidis vestibus ornatæ sint. Quem locum & Chrysostomus diuinitùs exponit: Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Num, inquit, aliam habes animam, quam posśis pro anima tua dare? Nam pecuniam qui amisit, aliam pro amissa potest afferre: similiter qui ædes, qui seruos, qui cætera huiusmodi amisit; animam verò si perdas, aliam pro ea dare nunquam poteris: sed si rex orbis atque Dominus esses, si omnia quæ in orbe sunt, & ipsum orbem offerres; non poteris vnam animam redimere. Non est autem mirum, si hoc in anima ita fit, cùm & in corpore similia perspicere liceat. Nam si tu diademate insignitus, naturâ morbidum & incurabile corpus habes; non poteris si mille alia corpora, mille vrbes, mille regna, infinitam pecuniam impenderes, à morbo illud vindicare. Pariter itaque de anima, imò multò magis quàm de corpore cogita, & cæteris omnibus neglectis, omnem curam, omne studium omnem operam tuam ad ipsam conferas. Neque item in futuro seculo commutationem pro anima sua dare quisquàm potest: nam hîc dare potest lacrymas,

3. part. curæ past. admonitione 21.

mas, gemitus, eleemoſynam, illic autem minimè. Iudex enim ille muneribus non corrumpitur, qui vnumquemque iuxta opera iudicat, qui etiam terribilis eſt: in gloria enim patris ſui, cum ſuis angelis veniet, nequaquàm cõtemnend'.

32 ERigit tandem & ſolatur ſuos. Times mortem, audi gloriam triumphantis: vereris crucem, auſculta angelorum miniſteria. Humilitate ſua oſtenſa, oſtendit exaltationem ſui, & cauſam exaltationis ſuę. Et tunc, inquit, reddet vnicuique ſecundùm opera ſua. Non eſt hìc diſtinctio Iudæi & Græci, viri & mulieris, pauperum & diuitum; vbi non perſonæ, ſed opera conſiderantur. Vt autem diſcant, quòd ſegnibus non ſine vltione erit ſua ſegnities; neque ſeduli præmio carebunt ſuæ ſedulitatis: vtque illi; ampliùs terreantur, hi verò maiorem accipiant conſolationem;Veniet, inquit, & tunc reddet vnicuiq; ſecundùm opera eius. Amen dico vobis, ſunt quidam de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo. Neque indies expectandum eſſe, ſed ex illis aliquos paulò poſt id viſuros, quod quidem ſequenti capite in eius transfiguratione videbimus. Poterat enim Apoſtolorum tacita cogitatio iſtiuſmodi ſcandalum ſuſtinere. Occiſionem & mortem nunc dicis eſſe venturam: quòd autem promittis te affuturum in gloria patris, cùm angelorum miniſterijs & iudicis poteſtate; hoc in dies erit, & in tempora longa differetur. Præuidens ergò occultorum cognitor, quid poſſet obijci; præſentem timorem, compenſat pręſenti præmio. Quid enim dicit? ſunt quidam de hìc ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno ſuo: vt qualis eſt poſtea venturus, ob incredulitatem veſtrã præſenti tempore demonſtretur: ſimulque vobis demonſtrabitur, in qua gloria futuri ſint illi, qui pro ipſo paſsi ſunt. Vt enim corpus eius illuſtre tunc fuit, ita & illorum per analogiam erit. Significat autem eos, quos dixit non viſuros mortem, Petrum, Ioannem, Iacobum. Eſt autem videre regnum, ſtatum futurum, in quo & ipſe veniet, & iuſti erunt. Regnum Dei hoc loco Eccleſia vocatur: & nonnullos ex diſcipulis promittebat eòuſq; victuros in corpore; donec conſpicerent Eccleſiam Dei, contra huius mundi gloriam erectam, veniente filio hominis in regno ſuo, hoc eſt, poteſtatem extendente. Quodſi regnum Dei hoc loco cæleſtem beatitudinem velimus accipere, & hoc quidam de aſtantibus viderunt in monte. Tunc verò quis guſtat & manducat mortem, inquit Origenes, quando portæ mortis præualent contra eum, vel parum vel multum?

33 NOtandum primò cum Origene. Si quis confunditur in cruce Chriſti; confunditur in diſpenſatione, per quam triumphati ſunt in ligno principatus & poteſtates, qui genus hominum debellabant: cùm deberet potiùs gloriari, quaſi fidelis, & ſciens hæc diſpenſata eſſe in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem crucifixo mundo traducti ſunt & triumphati ſunt principatus, eis ſolis qui credunt. In quibus principatibus arbitror fuiſſe etiam principem huius mundi. Et non ſic inutilis mihi videtur, qui Ieſum quidem Chriſtum dicit, tacet autem natiuitatem eius ex virgine, aut ſtellam oſtendentem natiuitatem ipſius, aut angelos in natiuitate eius gloriantes, atque dicentes: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: aut alia miracula & ſigna quæ fecit: quomodo qui Chriſtum quidem eum dicit, crucifixum autem eum abſcondit. Notan-

34 NOtandum secundò, ad omnem elationem animi supprimendam, nihil magis valere, quàm meditationem mortis & passionis Iesu Christi, qua nunc Dominus Petri animum elatum repressit, ac ad moderationem reuocauit.

35 NOtandum tertiò, alia voce loqui patrem æternum in homine, alia carnem & sanguinem. Patris fuit vox in Petro, Tu es filius Dei viui: carnis & sanguinis, Non tibi fiat hoc.

36 NOtandum quartò: videndum esse quod monet Apostolus: vt qui stat, videat ne cadat. Pulchrè stetit Petrus prima sua oratione, Tu es Christus: at turpiter cecidit, cùm dixit: Ne fiat tibi hoc Domine: quod pulchrè exaggerat D. Hieronymus. Prudens lector inquirat, quomodo post tantam beatitudinem, Beatus es Simon Bariona: &, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quod ligaueris aut solueris super terram, erit ligatum vel solutum in cælo: nunc audiat: Vade retrò me satana, scandalum mihi es. Aut quæ sit tam repentina conuersio, vt post tanta præmia satanas appellaretur. Sed si consideret qui hoc quærit; Petro illam beatitudinem & benedictionem, ac potestatem, & ædificationem super eum Ecclesiæ, in futuro promissam, non in præsenti datam intelligit. Ædificabo, inquit, super te Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & dabo tibi claues regni cælorum: omnia de futuro. Quæ si statim dedisset ei, nunquàm in eo prauæ confessionis error inuenisset locum: Vnde tota illa de vana præsumptione gratiæ Dei hæreticorum nostri seculi concidit opinio.

37 NOtandum quintò: neminem nobis ita charum esse debere, aut ita benè meritum, quin illum reijciamus, aut repellamus, si nos scandalizet, si à Dei voluntate facienda reuocet, & impedimento sit.

38 NOtat sextò Origenes: Dicet, inquit, aliquis: quoniam proprium est eorum, qui perfectam habent benedictionem erga Deum, vt non scandalizentur aliquando. Charitas enim omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, charitas nunquàm excidit. Quomodo ergò ipse Dominus, qui confirmat omnes qui confirmantur: & erigit omnes elisos, dicit ad Petrum, Scandalum mihi es? Sed ita est respondendum, quoniam non solùm IESVS non scandalizatur, sed nec omnis homo, qui in dilectione Dei perfectus est: sed quantum ad se qui tale aliquid vel agit, vel loquitur, scandalũ est alteri, licèt aliquis inscãdalizabilis sit.

39 NOtanda septimò formula abijciendorum eorum, qui nobis laqueos & scandala ponunt: vt retrò post nos eant, sequantur potiùs virtutes nostras, quàm nos ab illis abducant.

40 NOtanda octauò regula est consequendæ salutis longè dispar ab ea, quàm huius seculi hæretici sibi confinxerunt; Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.

41 NOtanda nonò & dignitas & pretium hominis, eiusque animæ: Quam,

inquit, dabit homo commutationem pro anima sua: & inde videnda est primò malicia eorum, qui ex se scandalum dant, remque tam preciosam perdunt: secundò parentum, qui liberos suos aut malè educant, aut prostituunt: deinde dominorum, qui seruis suis ad res illicitas abutuntur: pòst eorum, qui subditis suis durè & inhumaniter vtuntur: vltimò eorum omnium, qui vilis lucri causa, se, animasq; suas perdunt; quales periuri, falsi testes, lenones, scurræ sunt.

NOtandum nonò, causam secundi aduentus in mundum Christi non aliam esse, quàm vt reddat vnicuique iuxta opera eius. 42

NOtandum decimò: non tantùm nobis Christi crucem esse aspiciendam, hoc est, eius mortem & pasionem, quod hæresis docet: sed etiam nostra ipsorum crux ferenda; id est, pro Christo patiendum. 43

NOtanda vndecimò sunt & illa ex D. Hilario. Vt Dei munus est, Christum in spiritu Deum nosse: ita Zaboli opus est, Christum in homine nescire. Atque eiusdem periculi res est, vel corpus dicere sine Deo, vel Deum sine corpore. Corpus autem carnis huius in æternitate spiritus, Deo nullum est: verũ humanæ salutis causa, Christus in corpore est, quod assumpsit ex homine. Igitur post prædicationẽ pasionis accipiens diabolus facultatem (vsque ad tempus enim ab eo secesserat, quia incredibile satis Apostolis videretur, eum in quo Deus erat esse pasibilem) sumens hanc humanæ infidelitatis occasionem opinionis istius Petro insinuauit affectum. Denique ita pasionem detestatus est, vt dixerit, Absit; quo verbo rerum detestandarum execratio continetur. Sed sciens Dominus Zabolicæ artis instinctum, Petro ait: Vade post me, id est, vt exemplo se pasionis sequatur. In eum verò per quem hæc opinio suggerebatur, conuersus, adiecit: Satana scandalum mihi es. Non enim conuenit existimare, Petro Satanæ nomen, & offensionem scandali deputari, post illa indultæ, & beatitudinis & potestatis tanta præconia: sed quia infidelitas omnis diaboli opus est, Petri responsione Dominus offensus, cum opprobrio nominis, infidelitatis istius est detestatus autorem. Tum Iesus dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire &c. O beatum damnum, & iactura felix. Ditescere nos Dominus detrimento animæ & corporis voluit, & esse sui similes hortatur, quia ipse in figura Dei constitutus, vsque ad mortem humilis & obediens factus, principatum potestatis totius quæ in Deo est accepit. Sequendus igitur est cruce assumpta, & pasionis suæ, si non sorte, attamen volũtate comitandus est. Quid enim prodest occupasse mundum, & toto terrenæ potestatis dominatu seculi opibus incubare; si perdenda anima, & suscipiendum vitæ detrimentum est? Quæ autem commutatio pro anima, cùm fuerit amissa, quæretur? Cum angelis enim Christus aderit, reddens singulis vt merebuntur. Quid offeremus ad vitam? Præparatos credo terrenarum opum futuris commercijs thesauros, ambitiosos dignitatum famæque titulos, aut veteres delegatæ nobilitatis imagines. Neganda sunt hæc omnia, vt melioribus abũdemus, & contemptu vniuersorum Christus sequendus est; & æternitas spiritualium, terrenorum est damno comparanda. 44

NOtandum quoque cum Lyrinensi: Crucem Christi duobus portari modis: crux tollitur, vel cùm per abstinentiam corpus, vel per compasionem pro- 45

ximi

ximi animus affligitur. Crucem abstinentiæ habuit Paulus, dum dicebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Compassionis quoque cùm ait, Quis infirmatur, & ego non infirmor?

46 NOtandum & illud, bonis & iustis omnia cooperari in bonum, etiamsi ipsi Christum increpent, etiamsi ab ipso increpentur, quod in Petro euenire videmus: ac plagas & obiurgationes Christi meliores esse osculis inimici: zelũ ac intentionem bonã omnia consequi. Itaque impiè hoc loco Caluinus inuectus est in zelum, non tantùm Petri, sed etiam omnium bonorum, quemadmodum & illud minùs sapienter effutit. Ineptè, inquit, quidam philosophantur in voce, retrò, quasi iubeatur Petrus sequi, & non præire; cùm id Christus ipse paulò pòst interpretetur: qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

47 QVAESTIO D. Augustini. Quòd dixit, facto vespere dicitis serenum erit, rubicundum est enim cælum: id est, sanguine passionis Christi in primo aduẽtu indulgentia peccatorum datur. Et manè, hodie tempestas, rubet enim cum tristitia cælum; id est, quòd secundo aduentu igne præcedente venturus est. Faciem ergò cæli iudicare nostis, signa autem temporum non potestis? Signa temporum dixit de aduentu suo vel passione, cui simile est roseum cælum vespere: & item de tribulatione ante aduentum suum futura, cui simile est manè roseum cum tristitia cælum.

Caput XVII.



LVNATICVS CVRATVR: TRIBVTVM PRO CHRISTO ET Petro soluitur. Promiserat præcedenti capite discipulis se ostensurum gloriam suam, & gloriam patris, nec visuros mortem, donec quidam ex illis eã viderint: hoc igitur nunc facit, bonus mercator suarum mercium futurarum gustum & specimen proponit: bonus Imperator brauia sua extendit pugnaturis militibus: alter Moyses, & longè perfectior, fructus terræ promissionis populo ostendit, vuam diuitem, vuam prægrandem. Et post dies sex, assumens IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius in montem excelsum seorsum, transfiguratus est ante eos. Ducuntur seorsim, quia multi vocati, pauci electi. Et transfiguratus est ante illos. Transformatus est, corpore quidem in propria figura manente, diuino verò splendore faciem eius illustrante, speciemque illius ad maiorem Dei similitudinem immutante. Quare autem solos hos tres assumpserit, non modò tantùm, sed & aliâs frequentiùs? Quia sicut in progressu inueniemus, cæteris discipulis præstantiores erant: Petrus quidem, quòd valde diligeret eum propter fidei feruorem: Ioannes verò quòd diligebatur ab illo, propter virtutum excellentiam: Iacobus autem, quia grauis & molestus admodum erat Iudæis, in tantum, vt Herodes occiso illo, magnam præstiterit Iudæis gratiam. Vide autem quomodo Matthæus non occultauerit illos, qui sibi præpositi sunt. Hoc autem & Ioannes plerisque in locis facit, præcipua Petri encomia describens. Apostolorum namque chorus

erat

erat expers inuidiæ: Ideò autem cùm dixiſſet Chriſtus, Sunt quidam de hîc ſtantibus, horum occultauit nomina; ne cæteros contriſtaret. Nam indignos ſeſe arbitrati, doluiſſent ſe deſpici. Lucas autem dicit, quòd aſſumpſit illos, aſcenditque in montem, vt oraret. Qualis futurus eſt tempore iudicandi, talis apparuit Apoſtolis. Quòd autem dicit, transfiguratus eſt ante eos, nemo putet, eum priſtinam formam & faciem perdidiſſe, vel amiſiſſe corporis veritatem, & aſſumpſiſſe corpus ſpirituale, vel aërium. Sed quomodò transformatum ſit, Euangeliſta demonſtrat. Non ſubſtantiam, inquit venerabilis Beda, veræ carnis amittendo, ſed gloriam futuræ reſurrectionis ſuæ vel noſtræ oſtendens: quia qualis tunc Apoſtolis apparuit, talis poſt iudicium omnibus electis apparebit. In ipſo autem iudicandi tempore bonis & malis in forma ſerui videbitur, vt ipſum iudicem eſſe intelligere valeant peruerſi, quem anteà reſpuebant. Et reſplenduit facies eius ſicut ſol, veſtimenta autem eius facta ſunt ſicut nix. Vbi ſplendor faciei oſtenditur & candor deſcribitur veſtium, ſubſtantia non tollitur, ſed gloria commutatur. Transformatio ſplendorem addidit, faciem non ſubtraxit. Eſto, corpus ſpirituale fuerit; num & veſtimenta mutata ſunt, quæ in tantum fuêre candida (vt alius Euangeliſta dixit) qualia fullo ſuper terrã nõ poteſt facere? corporale eſt, & tactui ſubiacet, & non ſpirituale & aëreum, quod illudat oculis, & tantùm in phantaſmate conſpiciatur. Cur autem reſplenduit facies eius ſicut ſol? quia nihil ſole clariùs nouimus videre: ideò non ſolùm Domini, ſed & ſanctorum gloria in reſurrectione, ſolis aſpectui comparatur. Reſplenduit facies eius, diuinitatis iam demonſtratis quibuſdam radiis, vt poſſet cerni, idque quantum ipſi capere poſſent; ideò namque eam transfigurationem & paulò antè regnum Dei appellauit; vt quæ potentiæ eius ineffabilem vim, & quòd verus patris ſit filius demonſtraret, ac futuri eius aduentus exemplar præferret, propter ineffabilem ſplendorem vultus eius.

VT autem conſtaret, non aliud eſſe fundamentum legis & prophetarum quàm Chriſtum: ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes. Scribis & Phariſæis tentantibus ſe, & de cælo ſigna poſcentibus dare noluit; ſed prauam poſtulationem confutauit, reſponſione prudenti: hic verò vt augeat Apoſtolorum fidem, dat ſignum de cælo, Elia inde deſcendente, quò aſcenderat, & Moyſe ab inferis reſurgente: quod & Achas per Iſaiam præcipitur, vt petat ſibi ſignum de excelſo, aut de inferno. Lucas hoc loco manifeſtiùs ſcribit docens: Erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius quem completurus erat in Ieruſalem. Moyſes & Elias oracula legis & prophetiæ deſignant, quæ in Domino completa, & nunc doctis patent, & in futuro electis manifeſtiùs patebunt. In Moyſe quidem qui mortuus eſt, hi qui ante diem iudicij à morte ſunt reſuſcitandi: & in Elia, qui necdum mortuus eſt, hi qui viui ſunt inueniendi deſignantur, quia ſimul obuiam Dominò in aëra rapientur, & ad vitam æternam ducentur. Adeſt ergò Moyſes, adeſt Elias ad demonſtrandũ, quòd hic eſt dominus legis & prophetarũ, mortuorũ & viuentiũ Sedebat ipſa ſapientia in arcano gloriæ ſuæ ſolio: tamen de eius morte prophetę vaticinabãt, principesq́; populorũ cõgregati erãt cũ Deo Abrahã. Petrus pręſenti ſtatu delectatus in eo acquieſcit, tria tabernacula extruere vult; quẽ pulchrè alloquitur D. Hieronymus. Erras Petre: &, ſicut alius Euangeliſta teſtatur, neſcis quid dicas: noli tria tabernacula quærere, cùm vnum ſit taber-

2

nacu-

naculum Euangelij, in quo lex & prophetæ recapitulandi sunt: si autem quæris tabernacula tria, nequaquàm seruos cum Domino conferas: sed fac tria tabernacula, imò vnum patri, filio, & spiritui sancto: vt quorum vna est diuinitas, vnum sit in pectore tuo tabernaculum. Dicebat autem hæc discedente Moyse & Elia, metuens, ne tam suaue dissolueretur colloquium. Quæ Petrum dixisse putat Theophylactus, volentem Christum effugere mortem, hîc manere, non in Ierusalem ascendere: nam si quis hîc venerit, nos Moyses tuebitur & Elias, quorum alter Ægyptios vicit, alter Achabum; sed hæc frigidiora. Hæc ex stupore loquens, vt inquit Lucas, nesciebat, quid loqueretur. Res enim insueta perturbabat illũ: vel nesciebat quid diceret in eo, quòd in cælis tabernacula quærebat, vbi nulla aduersitatis est aura timenda, quia Deus omnipotens tẽplum eius est, & agnus: sed in hoc sciebat quid dicebat, Bonum est nos hîc esse, quia verè est solum hominis bonum intrare in regnum Domini sui. Quòd si Petrus videns glorificatam humanitatem, tanto afficitur gaudio, vt nunquàm velit ab eius intuitu secerni; quid putandum est de his, qui diuinitatem videre meruerunt? Porrò Apostoli cognoscunt quidem Moysen & Eliam, quos non norant, non de facie tamen, sed ex reuelatione atque sermone qui habebatur ab illis. Petro adhuc loquente, ecce nubes lucida obumbrat eos, & ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite. Pater respondet pro filio, vt illud impleretur: Ego testimonium non dico pro me, sed pater qui me misit, ipse pro me dicit testimonium. Nubes operit eum, vt qui carnale è frondibus aut tentorijs quærebant tabernaculum, nubis lucidæ operirẽtur vmbraculo. Vox quoque de cælo patris loquẽtis auditur, quæ & testimonium perhibeat filio, & Petrum errore subleuato doceat veritatem, imò per Petrum cæteros Apostolos. Hic est, ait, filius meus dilectus, huic figendum est tabernaculum, huic obtemperandum: hic est filius, Moyses & Elias serui sunt; debent & ipsi vobiscum in penetralibus cordis sui Domino tabernaculum præparare. Hic est filius meus dilectus, vt quemadmodum ego quondam populo Hebræo deducens eum in manu & dextera potenti, in nube apparui; ita & huius ipsius gloria ex nube illustris sit. Non quia genuit, inquit D. Chrysostomus, idcircò tantummodo diligit, verùm etiam quia cùm sit ipsi æqualis in omnibus, eiusdem etiam penitùs est voluntatis. Duplex igitur, imò verò triplex dilectio est, quia filius, quia dilectus, quia benè in ipso sibi complacuit. In quo mihi complacui, conquiesco & plurimum placeo: hunc igitur audite, & huic leges non præscribatis, hunc Petre sequere vsque ad crucem. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Terrentur discipuli tribus de causis, vel quia se errasse cognouerant, vel quia nubes lucida operuerat eos; aut quia Dei patris vocem loquentis audierant. Quia humana fragilitas, conspectum maioris gloriæ ferre non sustinet, ac toto animo & corpore contremiscens ad terram cadit. Quantò quis ampliora quæsierit, tantò magis ad inferiora collabitur: si ignorauerit mensuram suam: vt meliùs visio imprimeretur in eius memoria. Timuerunt valdè, inquit Origenes, spectaculi nouitatem, & testimonium vocis. Intelligentes enim discipuli ipsum esse filium Dei viui, qui visus est Moysi, & dixit: Non videbit homo faciem meam & viuet: postquàm viderunt faciem filij Dei factam sicut lumen, & audierunt testimonium Dei de ipso; non sustinentes, humiliati sunt sub valida manu Dei. Accedit Iesus, tangit, solatur, erigit, surgere nec timere iubet, quos

manu sanauerat, sanat imperio. Primùm timor expellitur, vt postea doctrina tribuatur. Accommodat huic loco Tertullianus illos scripturæ locos, in medio animalium cogitas Deus, Abacuc 3. & Exod. 33. Tergum meum videbis: Moyses gloriam Dei vidit in monte Thabor, dum filium vidit. Leuant illi oculos, neminem vident præter Christum. Rationabiliter postquàm surrexerunt, non viderunt nisi solum Iesum stantem ablata nube, ne si Moyses & Elias perseuerassent cum Domino, patris vox videretur incerta, cui potissimum daret testimonium. Vident ergò Iesum stantem ablata nube, Moysen & Eliam euanuisse: quia postquàm legis & prophetarum vmbra discesserit (quæ velamento suo Apostolos texerat) vtrumque in Euangelio reperitur. Præcipit Iesus, vt nemini visionem dicant, donec à mortuis resurgat. Futuri regni præmeditatio, & gloria triumphantis demonstrata fuerat in monte. Non ergò vult hoc in populos prædicari, ne & incredibile esset pro rei magnitudine, & post tantam gloriam apud rudes animos, sequens crux scandalum faceret. Discipuli, qui cum Christo ascenderant super montem, recordabantur traditionum scribarum de Elia Propheta: quoniam ante aduentum Christi erat venturus, vt præparet animas quæ susciperent eum. Visio autem quæ facta erat in monte, in qua etiam Elias est visus, videbatur eis non conuenire cum traditione Scribarum de Elia, quia non ante Christum videbatur eis Helias venisse, sed cum Christo. Ideò falsam existimantes traditionem Scribarum propter huiusmodi visionem de Elia dixerunt: Quid ergò Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primùm venire? Nisi causas nouerimus, quare interrogauerint discipuli super Eliæ nomine, stulta videtur & extraordinaria eorum interrogatio. Quid enim pertinet ad ea quæ suprà scripta sunt, de Eliæ aduentu quærere? Traditio pharisæorum est iuxta Malachiam prophetam, qui est nouissimus in duodecim, quòd Elias veniat ante aduentum Saluatoris, vt reducat cor patrum ad filios, & filiorum ad patres, & restituat omnia in antiquum statum. Æstimant ergò discipuli gloriæ reformationem hanc esse, quam in monte viderant, & dicunt: Si iam venisti in gloria, quomodò præcursor tuus non apparet? maximè quia viderant Eliam recessisse. Quando autem adijciunt: Scribæ dicunt quòd oporteat Eliam primùm venire. Primùm dicendo, ostendunt, quòd nisi Elias venerit, non fit secundùm scripturas Saluatoris aduentus. Decipientes Scribæ populum, dicebant Dominum non esse Messiam. Si enim esset, primùm Eliam venturum fuisse; duos Christi aduentus non discernentes, cuius prioris præcursor esse debuit Ioannes, posterioris Elias. Soliciti etiam de temporibus Eliæ requirunt, quibus respondet Dominus; Eliam esse venturum, & restituturum vniuersa, id est, reliquum quod deperierit ex Israel, ad cognitionem Dei reuocaturum; sed in spiritu & virtute Eliæ Ioannem venisse significat, in quo grauia quæque & aspera exercuissent, vt Domini aduentum prænuncians, passionem quoque præcurreret & iniuriæ & vexationis exemplo. Quæritur autem cùm Herodes & Herodias Ioannem interfecerint, quomodo quoque ipsi Iesum crucifixisse dicantur, cùm legamus eum à scribis & pharisæis interfectum. Et breuiter respondendum, quòd & Ioannis neci Pharisæorum factio consenserit, & in occisione Domini Herodes iunxerit voluntatem suam, qui illusum atque despectum remiserit ad Pilatum, vt crucifigeret eum.

NOtandum primò: quòd sicut mysterium trinitatis Domino in Iordane 2 bapti-

baptizato declaratur; ita in monte clarificatur: quia quem in baptiſmo confitemur, in reſurrectione collaudabimus. Nam hîc ſpiritus ſanctus in nube lucida, illic in columba: quique nunc ſimplici corde fidem quam percepit ſeruat; tunc aperta luce contemplabitur quod crediderat.

3 NOtandum ſecundò, dari exemplum principibus tàm ſpiritualibus, quàm ſecularibus, vt de rebus magnis & ſecretis, cum paucis & magnis communicent ac deliberent. Quod ſi hoc ſeculo factum fuiſſet, pauciores hæreſes habuiſſemus, & Reſpub. meliùs adminiſtrarentur.

4 TErtiò notandum eſt, prolixioris orationis fructum eſſe gloriam & conſolationem: nam hæc ipſa transfiguratio, orante Domino, in monte facta eſt. Cur hoc gaudium permiſtum timori? quia nondum in eo acquieſcendum fuit. Habent enim hoc omnia humana,: vt ſi ex omnibus alijs partibus perfecta ſint, illud tamen terreat, hæc non perpetua eſſe.

5 NOtandum quartò hoc loco eſt, Chriſtum IESVM ſaluatorem noſtrum fuiſſe lapidem factum in caput anguli, quem reprobauerunt ædificantes. Hunc quidem lapidem Iſaias prædixerat futurum, alijs quidem in ſanctificationem, alijs autem in lapidem offenſionis & petram ſcandali, in laqueum & in ruinam habitantibus in Ieruſalem, maximè ob tres cauſas. Primùm propter ſummam humilitatem & abiectionem. Sperabat Ieruſalem, ſperabat Iſrael Meſsiam regem magna pompa, magno ſplendore, magno apparatu venturum: venit hic humilis & pauper, factus eſt in lapidem offenſionis, & petram ſcandali. Deinde propter mortem contumelioſiſsimam crucis, de qua fuit ſcriptum in lege, Maledictus omnis qui pendet in ligno, factus eſt hic lapis in petram ſcandali, & in lapidem offenſionis morte ſua. Prædicamus, inquit Paulus, Chriſtum crucifixum, Iudæis ſcandalum, gentibus ſtultitiam. Tertiò, propter quandam difficultatem, horrorem & aſperitatem viæ, quam in cælum demonſtrabat, quæ nulla alia eſt quàm abnegatio, non ſolùm rerum noſtrarum, quod tamen ipſum perdifficile eſt, ſed noſtri etiam. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & ſequatur me. His igitur modis, his rationibus factus eſt in lapidem offenſionis, in petram ſcandali multis habitantibus in Ieruſalem. Ad quẽ lapidem, & quam petram ne item offenderent diſcipuli ſui, ac in poſterum vniuerſus populus Chriſtianus, hac ſua glorioſa transfiguratione fecit: qua & illud demonſtrauit, ſe verum illum Meſsiã promiſſum eſſe: qui etſi aſpectu quidem, & quaſi prima fronte, tanquàm nouiſsimus virorũ apparuit; reuera tamen Deus ipſe verus erat, cui omnia ſuperiora & inferiora parebant; mortem item ſuam gloriæ potiùs ſibi, quàm contumeliæ cauſam fuiſſe: dogma autem etſi difficile & aſperum ſit; in tam amaris tamen radicibus eſſe fructus ſuauiſsimos.

6 QVintò notandum eſt, quantum ad naturam transfigurationis, IESV Chriſti humanitatem à prima eius cum diuinitate hypoſtatica coniunctione fuiſſe in ſtatu beatitudinis perfectæ: & ideò omnes dotes beatificas futuræ gloriæ habuiſſe, quæ ex illo fonte bonorum omnium, diuinitate inquam, in animam promanabant primùm, demum in corpus. Quomodo tum item fiet nobis, cùm illam æternam conſequemur felicitatem. Nam ex fonte diuinitatis

eius, anima omnes dotes accepit gloriæ, quas postea ipse in caducum corpus & mortale transfudit, claritatem inquam, subtilitatem, impasibilitatem, velocitatem, & cæteras præstantes dotes. Sic igitur omnes dotes gloriæ à prima conceptione habuit humanitas IESV Christi: quas tamen dispensatiuè nostri causa in corpus non transmittebat, & ideò corpus simile corporibus nostris apparuit, vt per omnia asimilaretur fratribus suis. Et quemadmodum nubes, inquit Nazianzenus, arcet solis radios, ne ad nos perueniant; ita nube quadam omnipotentiæ diuinæ efficiebatur, ne radij gloriæ quibus anima coruscabat, in corpus transfunderentur. In hac igitur transfiguratione, ad tempus remota fuit hæc quasi nubes, omnesque dotes gloriæ, maximè claritatis, quibus anima repleta est, corpori fuerunt communicatæ, & per corpus ipsius vestimentis: & proinde facies eius apparuit sicut sol, vestimenta verò sicut nix. Hæc est claritas glorificati corporis, quantum ad naturam; qua claritate aliquando corpora nostra coruscabunt: Fulgebunt iusti sicut sol, inquit scriptura, in perpetuas æternitates. Fulsit etiam aliquando facies Moysis, quando locutus est cum Deo: sed hic fulgor duplici modo ab hoc præfato distinguebatur. Nam in Moyse fuit fulgor extrinsecus ex colloquio cum Deo: claritas autem Christi fuit ab intrinseco, ex innato gloriæ diuinæ fulgore, primùm in animam, deinde in corpus se transferente. Deinde fulgor faciei Moysis exiguus fuit, ita quòd velo obducto auferebatur: fulgor autem Christi nulla re reprimi aut coërceri potuit, ideoque in vestimenta ipsa se extulit. Hæc igitur prima fuit consolatio, hæc scandali & offensionis remotio, non debere illis mirum videri, si acerba morte morietur hîc, per quem ad eum splendorem & dignitatem peruenitur, & quod præcesit in capite, illud quoque sequetur in membris. Hac spe erectus Petrus Neronem non timuit, acerbamque crucem senex despexit: Ioannes item Domitianum, & alios: Iacobus Herodem. Verùm ne quis arbitretur ea gloria ipsum caput exornari debere, & non etiam membra, ex præteritis datur dogma futurorum. Et ecce apparuerunt in maiestate cum illo Moyses & Elias. Apostolis autem præcipuis, & non alijs apparet; vt illud significetur, quibus talis gloriæ communio maximè competere debebat, illis scilicet, qui etiam ipsi abnegantes semetipsos, crucem suam accepturi, Christumque secuturi fuerant.

NOtandum sextò, quòd quæri solet inter patres, Moyses in quo tandem corpore apparuit; num in suo proprio, quod ab angelo conditum & sepultum fuit, num in aliquo alio ad tempus facto: quomodo ex permisione diuina nonnunquàm animæ mortuorum sibi adaptant corpora. Placet quibusdam angelum in Moysi persona apparuisse, quomodo etiam angeli in Dei persona apparent. Hilarius, Hieronymus, & Augustinus putant in suo illum corpore apparuisse. Plures eam sequuntur sententiam, eum sibi ad tempus corpus conformasse, modo soli Deo cognito, quomodo animas mortuorum apparere nunc diximus. Indeq; concludunt, rem posibilem esse, vt animæ mortuorum viuis appareant tanquam in corporibus, DEO ita iubente & volente: quod de Samuele item narrat liber Regum & Ecclesiasticus. 7

NOtandum est septimò, cur Moyses, cur Elias, cur vterque simul appareant? non aliam ob causam, quàm vt hic ipse transfiguratus appareat verus Mesi- 8

Meſsias eſſe, quod mirè declarat vtriuſque præſentia. Quando locutus fuit DEVS in monte Oreb legem ferens cum populo Iudaico in igne & fulgore, perterritus populus petijt Moyſen, ne vltrà DEVS loqueretur cum illis: promittit Dominus ſe vltrà vt Deum cum illis non locuturum, ſed daturum prophetam, per cuius os cum illis locuturus eſſet, quem quicunque non audierit, ex eo ſe grauem recepturum pœnam: quæ ſic narrat Moyſes. Prophetam de gente tua & fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit Dominus Deus tuus, ipſum audies, vt petiſti à Domino Deo tuo in monte Oreb, quando concio congregata eſt, & dixiſti: Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Benè omnia ſunt locuti: Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius: loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor exiſtam. Recepit conditionem populus. Cùm igitur teſte & internuncio hæc Moyſe facta ſint, adeſt nunc teſtis hic idem Moyſes contra illos, docens hunc ipſum prophetam eſſe, de quo conuentum actum eſt: clamat pater hunc audiendum eſſe: Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, cui ex me, & mecum eſſe, ſine tempore eſt: quia nec genitor genito prior, nec genitore genitus eſt poſterior. Hic eſt filius meus dilectus, quem à me non ſeparat deitas, non diuidit poteſtas, non diſcernit æternitas. Hic eſt filius meus non adoptiuus, ſed proprius: non aliunde creatus, ſed ex me genitus: nec de alia natura factus mihi comparabilis, ſed de mea eſſentia mihi natus æqualis. Hic eſt filius meus, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil: qui omnia quæ facio, ſimiliter facit, & quicquid operor, inſeparabiliter mecum atque indifferenter operatur. Hic eſt filius meus, qui eam quam mecum habet æqualitatem, non rapina appetijt, nec vſurpatione præſumpſit, ſed manens in forma gloriæ meæ, vt ad reparandum genus humanum exequeretur commune conſilium, vſque ad formam ſeruilem inclinauit incommutabilem deitatem. Hunc ergò, in quo mihi per omnia benè complacui, & cuius prædicatione manifeſtor, cuius humanitate clarificor, incunctanter audite: quia ipſe eſt veritas & vita, ipſe virtus mea atq; ſapientia. Elias autem eam potiſsimùm ob cauſam adeſt, quòd ſe excuſabat Iudæa, quòd ſcilicet ideò credere noluit, quòd Elias nondum aderat, quem ante Meſsiam venturum fuiſſe prædixit propheta. Sic igitur omnis excluditur Chriſti humilitas, ſic vera eius effertur maieſtas. Adfert & alias cauſas iſtorum apparitionis D. Chryſoſtomus. Cuius rei gratia, inquit, Moſen & Eliam produxerit Dominus, eas cauſas quis dicere poſſet? Primùm, quoniam turbæ alij Eliam, alij Ieremiam, alij priſcorum prophetarum vnum opinabantur: idcirco Moſen & Heliam cæterorum prophetarum vertices producit; vt quàm magnũ ſit inter ſeruos & dominum diſcrimen, oculis cernerent; vtque rectè laudatum crederent Petrum, qui filium Dei eum confeſſus eſt. Deinde quoniam aſsiduè quaſi tranſgreſſorem legis Iudæi accuſabant, & blaſphemare putabant, quaſi gloriam patris nihil ad eum pertinentem vendicaret. Dicebant enim, hic non eſt ex Deo, quia Sabbatum non ſeruat. Et rurſus, De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu, homo cum ſis, Deum te facis: vt ipſa re monſtretur, quòd ex inuidia hæc criminibantur, quodque neutri horum criminum ſubijceretur, nec legis præuaricator eſſet, nec alienam gloriam ſibi acquireret, æqualem ſe patri faciendo: eos produxit in medium, quorum

Deut. 18.

2

3

 alteruter

alteruter in alterutra istarum rerum præfulsit. Mosi enim legem dedit: quare non fuisset passus Moses conculcari legem, vt Iudæi credebant; nec præuaricatorem eius, & legumlatoris hostem lator ipse vnquàm coluisset. Helias autem pro gloria Dei, zelo vtique commotus fuisset; quare non astitisset ei, qui æqualem se patri dicebat, si non esset, nec paruisset illi, qui sibi quod non habebat vendicaret. Ad hæc omnia illud etiam possumus dicere: vt tam mortis, quàm vitæ habere potestatem liquidò ac verè crederetur: vtque superiorum & infernorum Dominus ostenderetur; idcirco Moysen iam mortuum, & Heliam qui nondum id passus est, in medium produxit. Quartam verò causam (quarta enim est prioribus connumerata) euangelista quoque ipse tetigit. Quænam igitur illa est? Vt crucis gloriam ostendat: & tam Petrum quàm reliquos, qui passionem formidabant, consolaretur, & ad sublimius erigeret. Non enim tacebant, inquit, sed loquebantur de gloria, quam completurus erat in Ierusalem, de cruce videlicet, & pasione: sic enim ipsam semper appellabant. Accedit ad hæc, virtus quoque virorum illorum singularis atque præcipua, quam, maximè à discipulis flagitabat. Nam quoniam dixit: Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me: hac de causa eos qui centies pro Dei præceptorum custodia, & populo qui sibi creditus fuerat, mortem suscepissent, in mediũ producit: quorum vterque cùm animam perdiderit, inuenit eam. Sanè magna libertate aduersus tyrannos locuti sunt: alter aduersus Ægyptium, alter aduersus Achab; & quod magnum est, pro ingratis hominibus & inobedientibus, à quibus in atrocia pericula compulsi sunt: qui etsi priuati ac absque potestate fuerant, propositum tamen habuerunt ab idolorum cultu populum eripere: quorum alter tardus lingua, & voce tenuis, alter etiam aliquo modo rusticior, vterque verò secularium diuitiarum apprimè contemptor. Nam neque Moses quicquàm posidebat, nec Helias, præter melotem, aliquid habebat, præsertim cùm veteris essent testamenti, neque tanta gratia signorum pollerent. Nam etsi mare Moses scidit, sed Petrus super maria deambulauit, montes transferre poterat, varios morbos curabat, immanissimos dæmones pellebat, & sola vmbra corporis miraculosa agebat, & vniuersum orbem ad Christum reduxit. Si verò etiam Helias mortuum suscitauit; sed ab istis mille, vel antequàm spiritu essent donati, fuerunt excitati. Produxit igitur illos etiam propter hoc in medium, vt eos qui maximè populares fuerunt, imitarentur, & animi robur atque constantiam sequerentur: fierentque mites vt Moses, zelotæ vt Helias, & de alijs similiter solliciti. Alter enim triennem annonæ inopiam ad emendandum Iudaicum populum, intulit: alter dicebat: Si quidem dimiseris eis peccatum, dimitte; si autem non, dele me de libro tuo, quem scripsisti.

NOtandum octauò, qua ratione Moysen & Heliam Apostoli cognouerunt, quos nunquàm viderunt, & qui nunquàm apud Hebræos visi sunt. Respondent patres id ex eorum sermone, quem tum cum Domino habebant, cognouisse. Explicabant enim modos & figuras illas, ritus & cæremonias, quibus ipsi mortem illius adumbrauerunt. Explicauit Moyses rationem, cur & quomodò suspendisset serpentem in deserto, vt quicunque eum aspexisset, ab omni morsu serpentis liber esset. Explicabat Helias cùm excitaturus filium viduæ, extensis manibus in formam crucis, sua membra adplicuit illius membris, ex qua

ex qua figurarum explicatione facilè cognoſcere fuit, quis Moyſes, quis Helias eſſet.

10 NOtandum eſt nonò: hac Saluatoris transfiguratione ſublatum eſſe ſcandalum crucis. Nam mors illa Chriſti calamitoſa & infamis, tripliciter parere poterat ſcandalum: vel quòd improuiſo curſu eueniſſet: vel quòd declinari non poſſet: vel quòd ſuo delicto ſuſcepta eſſet. Sed omnia hæc facto hoc vnico ſublata ſunt. Non improuiſa, quæ tot figuris præſignata, tot ſermonibus prædicta fuit. Non coacta. Nam quis eum ad eam mortem cogere poſsit, cuius corpori tanta ineſſet gloria, tanta maieſtas, quam oculus humanus ferre non potuit? Non vitio & peccato ſuſcepta: quia hic eſt ille, de quo pater tam magnifice: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Sic ea glorioſa transfiguratione aufertur omne ſcandalum crucis, omne ſcandalum mortis.

11 NOtandum eſt decimò: Scopum tàm inſignis miraculi non alium Chriſto Domino propoſitum fuiſſe, niſi infirmos diſcipulorum animos confirmare, mortis ſcandalum leuare, & in diſcipulis affectum excitare, magna præmia proponendo, & magna ſua beneficia explicando. Dum enim hactenus ab infidelibus ſignum de cælo poſtulatum eſſet: tum quidem illis obtemperatum non eſt; neque enim digni erant: nunc ſponte diſcipulorum cauſa proditur ſignum de cælo in voce patris, de limbo in apparitione Moyſis, ex paradyſo in Elia, de terra in nube.

12 NOtat vndecimò Origenes, Ioannem dictum Eliam, non propter eandem animam, ſed propter eundem ſpiritum, ſicut & diſcipuli intellexerunt Chriſti. Quoniam autem ſpiritus Heliæ in Heliſæo quidem tantùm requieuit: Ioannes autem præceſsit ante Chriſtum, non ſolum in ſpiritu, ſed etiã rn virtute Heliæ; idèo Heliſæus puidem non eſt dictus Helias: Ioannes autem eſt dictus ipſe eſſe Helias.

13 NOtat duodecimò Origenes. Deus, inquit, prohibens Petrum facere tabernacula tria, in quibus habitarent ſecundùm voluntatem illius; oſtendit vnum & melius & multò præclarius tabernaculum, quàm ille facere cupiebat. Tabernaculi enim hoc eſt proprium opus obumbrare aliquos ſub ſe. Lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem & ſplendidiorem repenſationem exemplo ſuo demonſtrabat eis futuram, quæ protegeret eos ſimul & illuminaret. Quæ ſit autem nubes lucida obumbrans ſanctos, niſi fortè virtus paterna, ex qua uenit vox patris dans teſtimonium filio, quaſi dilecto, & exhortans eos qui obumbrabantur ab eo, ipſi non alij obedire. Fortè & ſpiritus ſanctus eſt lucida illa nubes, obumbrans ſanctos & Prophetas, Deo in ſe operante atque dicente: Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui. Audens autem dicam etiam Saluatorem noſtrum eſſe lucidam nubem. Nubes enim lucida obumbrat ſemper dilectos Chriſti diſcipulos Euangelium, & legem, & Prophetas; ſicut intelligunt, qui poſſunt aſpicere lumen ipſius in Euangelio, vel in lege vel in Prophetis.

14 NOtandum tredecimò, idque diligenter & ſtudioſè eſt, per totam prædi-

cationem Christi bis vocem istam super Christum de cælo à magnifica gloria demissam esse; hancque ipsam vocem eius vnctionem fuisse, primùm in baptismo, deinde in hac ipsa glorificatione: quanquàm & ante ipsam mortem, etsi non iisdem verbis, sensu tamen eodem vox de cælo delapsa est: Et clarificaui, & adhuc clarificabo. Primùm propter Arianos, vt si semel fortè illam non exaudierint aut eos effugerit, audirent iterum & iterum: Hic est filius meus dilectus, cui ex me & mecum esse est sine tempore, quem à me non separat deitas, non diuidit potestas, non discernit æternitas. Quid clarius, quid euidentius dici potuit? vt ipsi Deo ex nube loquenti credatur. Repetitum hoc idem propter nos omnes, qui sub lege eius victuri, doctrinamque eius secuturi eramus, quia hunc ipsum IESVM proposuit Deus doctorem atque magistrum: Hunc, inquit, audite: non iam ampliùs istum Moysen, aut istum Eliam, nisi quantum hunc & cum hoc docent; sed ipsum audite: qui autem non audierit, ego vindex existam. Clamat hic, Quicunque dixerit fratri suo Racha, reus erit iudicio, ipsum igitur audite. Clamat, Qui respexerit vxorem alterius viri, ad concupiscendum eam; mœchatus est eam in corde suo; ipsum ergo audite: ni feceritis, ego vltor existam. Non audierunt hanc vocem impij Iudæi, vltor omnipotens ipse extitit, vsque adhuc plaga eorum non sanata est, nec sanabitur vnquam. Hæc in oculis nostris sunt in his Iudæis, qui inter nos versantur. Astiterunt reges & principes populi contra hunc prædictum doctorem, & vltor Deus existit, tanquàm vas figuli confracti sunt. In oculis autem nostris Deum immortalem, quàm multos punitos, & plexos, ipsi videmus; quorum nomina cum ipso sonitu pereunt: Si ergo hæc audimus & videmus, nec istius doctoris vocibus obtemperamus, ipse vltor existet. Verbum Domini enim manet in æternum.

15 NOtandum quartodecimò est, Petrum hoc loco formam & speciem hominis mundani expresisse: qui etiamsi omnem Dei maiestatem videat & experiatur; semper tamen manus suas respicit tueturque: vidit Petrus præsentem Dei maiestatem, & gloriam; & tamen ipse ædificare vult tabernacula; quasi verò hic ipse Christus Dominus Moysem aut Eliam; aut seipsum sine Petri ædificijs conseruare non posset, tanquàm ipse non meliora ædificia opera angelorum extruere posset: Petrus tamen, faciamus hîc tria tabernacula. Igitur vt diximus, semper humana prudentia manus suas respicit: pauca in Dei prouidentiam reiicit, & idèo sæpè etiam deficit. Adiiciendum & illud, quæ nimis amamus, eorum ablatione tristamur: & ideo Petrus, quia specie illa Christi delectabatur, illamque adamabat, vehementer metuebat, ne ab illa auferetur, tabernacula se ædificaturum promittebat. Proinde & diabolus nobis res mundanas commendat, quòd scit eas à nobis deserendas esse.

16 NOtandum quintodecimò circa hæc verba, Faciamus nobis, obliuiosam esse humanam naturam in secundis rebus aliorum. Nobis, inquit, De Andrea, Bartholomæo, Philippo, cæterisque Apostolis, laborum ac periculorum socijs verbum nullum: quod itidem in illo pincerna regis Pharaonis aliquando apparuit. Precemur licèt omnes Panem nostrum quotidianum da nobis: & dimitte nobis debita nostra: vbi etsi cæteros omnes verbis complectamur, re tamen ipsa nos ipsos respicimus, quod nunc ipse facit.

Notan-

17 NOtandum sextodecimò, etsi cælum aspiciamus omnes, etsi aduenire illud optemus, etsi mille disputationes instituamus de eo: terram tamen nos respicere & curare omnes. Quod nunc Petro euenire videmus. Futuræ gloriæ causa commendandę hæc transfiguratio tota instituta fuit: ibi desideria omnia habere debebat Petrus: tamen, Faciamus hîc, inquit, tria tabernacula. Indeq; apparet, quòd studium rerum cælestium difficilè excitatur, exiguè ardet, facilè extinguitur. rerum autem temporalium quæ cura? Et Petrus quidem hoc loco non malè cum Christo, cum Moyse, cum cæteris dicit bonum sibi esse: nostri autem, Deum immortalem, impiè & nefariè etiam sine Christo, Moyse & Elia dicunt bonum sibi hîc esse, Deo & angelis cælo cedere, modo ipsi hîc immortales maneant: nefaria vox, impia vox. Quàm multa Christus Dominus de æterna felicitate concionatus est: omnium tamen Petrus oblitus, hîc vult esse. Est porrò ea benignitas patris clementissimi, qui rectè nouit reformare nostra deformia, vt dicta & facta nostra stulta etiam nonnunquàm, & imperfecta, modò recto zelo & fine suscipiantur, non modo non vindicet, sed etiam in bonum aliquod conuertat. Nam & hac humana Petri oratione illud nobis significare voluit, quanta sit suauitas futuræ gloriæ, quanta visionis Dei dulcedo, quanta sanctorum iucunditas, vbicunque hæc appareat, siue in cælo, siue in terra, siue in inferno cum eo. Vbique enim benè cum illo, vbique malè sine illo. Magna ergò est suauitas futuri regni, cuius tam exiguus gustus sui planè fecit Petrum obliuisci, atque hîc sublatus est ille lapis scandali, abnegationis sui ipsius, quæ plerisque difficilis esse videtur. Quis enim non libenter sibi proposito tanto gaudio omnem sufferat crucem, oblitus est Petrus omnium suorum, dicit iam hîc sibi bonum esse. Nam in mundo certè non est locus, de quo quis planè dicere possit, bonum est nos hîc esse: vagamur temerè huc & illuc; veluti pisciculi nantes auferimur, semper nobis meliora pollicemur, & semper tamen deteriora consequuntur; nec est locus vbi dîcas, bonum est nos hîc esse, præter gustum & vsum æternæ patriæ.

18 NOtandum decimoseptimò, imprudentibus postulatis Deum non respondere. Ecce nubes lucida obumbrauit eos, & vox de nube audita est; semper enim Deus ex nube dum in hac mortalitate sumus, nobis loquitur: nam postea ipse coràm nobiscum loquetur, tum quando facie ad faciem nobis apparebit Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite: quasi dicat, pollicitus sum vobis dare prophetam quem audituri estis: ecce non prophetam, sed filium meum dilectum do, dono, dico, vobis: ipsum ergò audite: non philosophos, non hæreticos docentes, quæ ipsi non didicerunt, non hunc velatum Moysen, sed ipsum audite. Audiat hæc Arriana improbitas & impietas. Aderat tunc Moyses, aderat Elias, dum hæc cælitus dicebantur à magnifica gloria, homines Deo gratissimi, filij Dei per adoptionem, de nullo tamen vox de cælo, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Alius igitur hic filius, alij illi filij. Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre.

19 NOtandum vltimò cum D. Gregorio in Dialogis. Redemptorem nostrum per mortale corpus, omne quod egit, hoc nobis in exemplum actionis præbuisse, vt pro nostrarum virium modulo eius vestigia sequentes inoffenso pede operis præsentis vitæ carpamus viam. Miraculum namque faciens, & tacere

iussit, & tamen taceri non potuit: vt videlicet & electi eius exempla doctrinæ illius sequenter in magnis quæ faciunt, latere quidem in voluntate habebant: sed vt prosint alijs, prodantur inuiti: quatenus & magnæ humilitatis sit, quòd sua opera taceri appetunt: & magnæ vtilitatis, quòd eorum opera taceri non possunt. Non ergò voluit Dominus quicquàm fieri, & minimè potuit: sed quid velle eius membra debeant, quidúe de eis etiam nolentibus fiat, doctrinę eius magisterio exemplum dedit.

Series Evangelii.

A Discipulis refert se ad turbas, lunaticus illi offertur. Et cùm venisset, inquit, ad turbam; accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens: Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur. Eum curandum discipulis tradit: illi non possunt: increpatur æger propter offerentium incredulitatem: nec tam ipse obiurgatur æger & offerentes, quàm ipsi scribæ, qui inde Christo in discipulis detrahere cœperat, vt patet ex D. Marco. Istæ autem causæ sunt, ob quas dæmon obseruans lunæ cursum corripiat hominem: primò scilicet, vt in suspicionem homines adducat, quòd creatura Dei sit mala, & ipsa luna: deinde vt vanam superstitionem astrorum astruat: deinde vt per creaturas infamare studeat creatorem. Ridet has causas imperitè, in Chrysostomi expositione, quam fictionem vocat, Caluinus, cùm idem dicat Hieronymus, & alij patres, vt res ipsa sit seria, os impudens. Mihi autem, inquit Hieronymus cum Origene, videtur iuxta tropologiam lunaticus esse, qui per horarum momenta mutatur ad vitia, nec persistit in incepto, sed crescit atque decrescit, & nunc in ignem fertur incendij, quo corda adulterantium (sicut ait Osee) fiunt sicut clibanus ignis ardens: nunc in aquas, quæ non valent extinguere charitatem: nam sæpè, inquit, cadit in ignem, & crebrò in aquam. Quòd autem dicit, obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum, latenter accusat Apostolos, & in eos culpam impotentiæ refert: cùm impossibilitas curandi interdùm non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt, fidem referatur, dicente domino: Fiat tibi secundùm fidem tuam. Respondens autem Iesus, ait: O generatio incredula & peruersa, quousque ero vobiscum? Vsquequò patiar vos? Videtur autem paulò acerbiùs inuectus esse Saluator in ægrum, eosque qui offerebant: non quòd tædio superatus sit, mansuetus ac mitis, qui non aperuit sicus agnus coram tondente os suum, aut in verba furoris eruperit: sed quòd in similitudinem medici si ægrotum videat contra sua præcepta se gerere, dicat: Vsquequo accedam ad domum tuam? quousque artis perdam industriam, me aliud iubente, & te aliud perpetrante? In tantum autem non est iratus homini, sed vitio: & per vnum hominem Iudæos arguit infidelitatis, vt statim intulerit: Afferte huc illum ad me. Et increpauit illum Iesus, & exijt ab illo dæmonium, & curatus est puer ex illa hora: secundùm Marcum, Exiuit clamans multum & discerpens eum: siue vt odium incuteret virtutis: siue vt suæ indicaret expulsionis iniuriam. Sed cur dæmon non increpatur? quia infirmus non tam vitio dæmonis, quàm propter peccata erat oppressus. Timentes Apostoli ne datam potestatem super dæmonia amisissent, interrogant vnde eueniret, quòd tum dæmonium eijcere non potuerint. Tunc accesserunt discipuli ad Iesum secretò, & dixerunt. Quare nos non potuimus eijcere illum? Dicit illis Iesus: Propter incredulitatem vestram. Christus coram multitudine incredulitatem offerentis pro causa reddit:

dit: seorsim verò discipulorum causatur incredulitatem. Etenim hi etiam priusquàm aggrederentur, diffidebant se posse laborantem curare, cùm tamen alios multos curassent: & ita cùm conarentur, non potuerunt. Crediderunt quidem Apostoli, inquit Hilarius, sed nondum perfectæ erant fidei, cùm aduersus fortem inimicum valido antagonista opus est. Amen quippe dico vobis: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dicetis monti huic, Transi hinc & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Putant aliqui grano sinapis fidem comparatam paruam dici, quòd regnum cælorum grano sinapis conferatur: cùm Apostolus dicat: Et si totam fidem habuero, ita vt montes loco transferam. Ergò magna est fides, quæ grano sinapis coæquatur. Montis translatio, non eius significatur, quem oculis carnis aspicimus, sed illius qui à Domino translatus fuerat ex lunatico. Quòd enim ait: Dicetis monti huic, transi hinc, & transibit: de dæmone intelligitur. Ex quo stultitiæ arguendi sunt, qui contendunt Apostolos omnesque credentes, ne paruam quidem habuisse fidem, quia nullus eorum montes transtulerit: cùm si vsi fuissent ea potestate, transtulissent, sed sine necessitate vti noluerunt, maiora tamen præstiterunt, nec his dissimilia. Transtulit montes Gregorius Thaumaturgus: suspendit rupes Benedictus: exsiccarunt fluuios alij. Oportet autem, vt commodiùs eijciantur dæmonia, ieiunare & eos qui eijciunt, & ex quibus eijciuntur. Hoc genus, inquit, non eijcitur nisi per orationem & ieiunium. Fuit autem hoc genus dæmonij immundum, & fornicationis, quæ ieiunio & oratione curatur. Hoc loco Caluinus quid loquatur, aut contra quem, omninò non intelligit, iuuat ipsum audire. Hinc clarè apparet, inquit, quàm ridiculè Papistæ antidotum in ieiunio constituant fugandis diabolis, cùm Dominus non aliò referat, quàm ad acuendum fidei ardorem. Cùm autem illud genus Dæmonij aliter eijci posse negat, quàm precibus & ieiunio: sensus est; vbi altas radices fixit satan, & diuturna possessione inualuit, vel vbi effreni licentia grassatur, difficilem esse & arduam victoriam, ideoque totis viribus pugnandum. Christus dicit, opus esse ieiunio, ille negat.

21 NOtandum primò, Diabolum in omni creaturæ parte nobis insidiari, quomodo tunc in luna insidiatus est, vt in posterum in omnibus syderibus, elementis, herbis, & cæteris partibus creaturæ liberiùs insidiari posset.

22 NOtat secundò contra medicos aut mathematicos Origenes. Medici inquit, loquantur sibi quæ volunt, qui nec immundum spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem, & dicunt, humida moueri in capite secundùm aliquam comparationem ad lumen lunare, quòd humidam habet naturam. Nos autem qui Euangelio sumus credentes, dicimus hanc passionem immundum spiritum in hominibus operari. Obseruat enim quædam schismata lunæ, & sic operatur, vt ab obseruatione quorundam schismatum lunæ pati homines mentiatur, & per hoc culpabilem Dei creaturam ostendat, vt omnes, sicut diximus, iniquitatem in excelso loquantur, qui existimant ex efficientia stellarum consistere causam omnium infirmitatum, siue generalium siue specialium, criminantes opera Dei, & quasdam quidem Stellas dicentes maleficas, quasdam autem beneficas, cùm nulla stella à Deo sit facta, vt malefaciat.

Notan-

NOtandum tertiò: ideò nos à Deo plerunque non impetrare quod petimus, quia malè petimus: ergò, inquit Hieronymus, quoties non accipimus, non præstantis est impoſsibilitatis, ſed culpæ deprecantium. 23

NOtat quartò D.Hieronymus, dum docemur quomodo nequiſsimus dæmon poſsit expelli omnes nos instituti ad vitam. 24

NOtandum quintò, in omni oratione noſtra, in omni curatione quædam ex parte Dei requiri, quædam ex parte noſtra, contra omnes hæreticorum errores: & neq; diuina quicquàm prodeſſe, niſi noſtra adferamus; neque noſtra, niſi ex diuinis pendeant: quod in curatione iſtius lunatici videre licet. Adferunt Apoſtoli virtutem miraculorum, fidem hic non adfert. 25

NOtat ſextò hoc loco Euthymius, optimè Dominum coram multis multorum incredulitatem repræhendere: ſemotis autem arbitris, ſuorum diffidentiam arguere. Neque enim æquum erat, vt coram multis confunderētur communes orbis præceptores. 26

NOtat ſeptimò Euthymius, Fidem nunc dici non de hoc, quòd ipſe ſit Deus, ſed ad facienda ſigna. Dicit enim. Si habeatis fidem adeò acrem & vehementem ac feruentem, ſicut granum ſinapis: illud enim talis eſt qualitatis: credentes ſine vlla trepidatione, quòd facturi eſtis ſigna, tantam habebitis virtutem, vt ipſos etiam montes transferatis ſi volueritis. Tantam autem fidem aliquem habere, videtur quidem facilè; eſt tamen etiam excelſum valdè, naſcitur ſiquidem ex libertate ad Deum. Rurſum, talis libertas eſt ex mente placidè compoſita. Eſt autem magni certaminis ex placabilitate acquirere erga Deum talem libertatem, vt credat illum daturum quicquid poſtulabitur: Petite, inquit, & dabitur vobis. Quòd ſi palam non fecerunt tranſmigrare montes Apoſtoli, ne mireris: non enim hoc ideò fuit quòd non poſſent, ſed quia noluerunt vtpotè huiuſmodi neceſsitate, aut vtilitate ſeſe illis non offerente: poſt hos namque ſancti alij Apoſtolis longè inferiores, vrgente neceſsitate, montes demigrare fecerunt, iuxta Dominicam ſententiam. Poteſt quoque mons dici Diabolus, propter opinionis ſuæ elationem, quem facilè ſancti à ſede ſua commouent quando volunt. 27

NOtat octauò idem Euthymius: genus dæmonum omnium non alio modo egreditur, niſi per ieiunium & orationem: non ſolùm eius qui ſanat, ſed eius etiam qui patitur. Oratio ſiquidem dæmoni admodùm terribilis eſt. Hanc autem fortiorem reddit, & valdè potentem efficit ieiunium, non ſinens corporis ſatietatem remittere animi firmitatem, aut fumos, qui ab ea aſcendunt turbare: cerebrum, mentemque confundere: itaque corpore firmo menteque ſine diſtinctione operante, vehementiùs igne, omnique re terribiliùs aſcendit oratio; ideò has ſemper coniunctas eſſe oportet. 28

NOtandum nonò, coërcendum eſſe vnumquemq; pro ſuo ingenio, & infirmitate, & meritò, quomodo nunc grauiſsimè Christus Dominus ſcribas du- 29

ræ

ræ ceruicis coërcet: nam cùm dociles summa humanitate alliciat, sustineat infirmos, tardos etiam moderatè excitet: flexucis istis serpentibus non parcit; quod videt nullis eos remedijs sanari posse.

30 NOtandum vltimò, si tantum virtutis in teneram illam ætatulam satanæ permissum fuit, quid nobis non timendum est, qui vitijs nostris subinde ad mortiferos ictos nos obijcimus, qui suggerimus etiam hosti nostra tela: & in quos iure suo grassari posset, nisi mirabili Dei bonitate cohibita iaceret eius libido.

31 PRædicatur iterum atque iterum & mors & resurrectio Christi: Conuersantibus, inquit, eis in Galilæa, dixit illis Iesus. Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget. Census & vectigal à Christo & Petro repetitur. Et cùm venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt: Magister vester non soluit didrachma? Ait: Etiam. Tributum hoc eo modo Patres intelligunt: Hieronymus inprimis: Post Augustum Cæsarem Iudæa facta est tributaria, & omnes censi capite ferebantur. Vnde & Ioseph cum Maria cognata sua profectus est in Bethlehem. Rursum, quoniam nutritus erat in Nazareth (quod est oppidum Galilęæ, Capharnaum vrbi subiacens) ex more poscunt tributa; & pro signorum magnitudine hi qui exigebant, non audent ipsum repetere, sed discipulum conueniunt; siue maleficiosè interrogant, vtrum reddat tributa, an contradicat Cæsaris voluntati: iuxtà quod in alio loco legimus. Licet tributa Cæsari soluere an non? Euthymius autem sic: Primogeniti omnes Hebræorum singulis annis didrachma ponebant Deo in gratiarum actionem: eò quòd olim Ægyptiorum primogenita perdiderat. Quia ergò Christus etiam primogenitus erat, qui hæc congregabant; ad ipsum quidem accedere verebantur, honorantes eum propter miracula: ad Petrum autē tanquàm principem iam discipulorum accedunt, nec exigunt, sed cum mansuetudine interrogant. Est autem didrachmum genus numismatis, quod addicebatur Leuitis, & vsui templi. Erat autem hoc non vectigal, quod exigi soleret in traiectu; sed annuum tributum Iudæis impositum in singula capita, vt tyrannis penderent, quod olim soluebant vni Deo. Scimus enim hunc censum illis fuisse præscriptum in lege, vt dimidio statere quotannis profiterentur Deum, à quo redempti fuerant, esse summum suum regem. Hoc cùm ad se transtulissent reges Asiatici, placuit Romanis exemplum: ita quasi alienati essent Iudæi à Dei imperio, profanis tyrannis soluebant sacrum censum in lege indictum. Quod priusquàm Christo referat Petrus, præuenit illum interrogatione Christus, ne scandalizentur discipuli ad postulationem tributi, cùm videant eum nosse, quæ absente se gesta sunt. Quid tibi, inquit, videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum: à filijs suis an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Iesus: ergò liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens da eis pro me & te. Nunquid ambiguum est, filios regum obnoxios non esse: & quibus regni veritas est, eos esse liberos à seruitute? Sed sermo interiùs intendit. Postulatur didrachma à populo. Lex enim in eam fidem, quæ per Christum erat reuelanda, concluditur. Ergò hoc idem didrachma consuetudine legis tanquàm ab homine poscebatur à Christo,

SERIES EVANGELII.

ſto: ſed vt oſtenderet, legi ſe non eſſe ſubiectum, & vt in ſe paternæ dignitatis gloriam conteſtaretur,terreni priuilegii poſuit exemplum, cenſu aut tributis regum filios non teneri: potiuſque ſe redemptorẽ animæ noſtræ & corporis, quàm in redemptionem ſui aliquid poſtulandum; quia regis filium extra communionem oporteret eſſe reliquorum. Demonſtrato autem primùm, quòd ipſe non debet pendere propter diuinitatem,tamen dare iubet propter humanitatem, ne offendiculum paterentur: quaſi ipſe Deum deſpicere volens, & ipſe Deo pendere didrachmum noluerit. Porrò abſurdũ videri poterat, Chriſtum cùm apparuiſſet populi redemptor, ne ipſum quidem à tributo eſſe immunem. Hoc ſcandalum vt auerteret, verbis docuit, ſola voluntate ſe eſſe obſtrictum: & miraculo idem probauit, quia terreno imperio ſe eximere poterat, qui mari dominabatur & piſcibus. Dominus noſter & ſecundùm carnem, & ſecundùm ſpiritum regis filius erat: vel ex Dauid ſtirpe generatus: vel omnipotentis verbum patris. Ergò tributa quaſi regum filius non debebat; ſed qui humilitatem carnis aſſumpſerat, debuit adimplere omnem iuſtitiam. Nos infelices, qui Chriſti cenſemur nomine, & nihil dignum tanta facimus maieſtate. Ille pro nobis & crucem ſuſtinuit, & tributa reddidit: nos pro illius honore tributa non reddimus, & quaſi filii regis à vectigalibus immunes ſumus. Non eximius autem fuit iſte cenſus: ſeptem groſſos noſtros non exceſsit: tali mundus redemptorem ſuum, & eius vicarium ſumma cenſuit; ſed ne nos quidem maioris quandoque vtrumque facimus. Quòd autem dixit, liberi ſunt filii in omni regno,intelligendum eſt liberos eſſe regum filios, id eſt non eſſe vectigales. Multò ergò magis liberi eſſe debent in quolibet regno terreno filii regni illius, ſub quo ſunt omnia regna terrena, dicebat Auguſtinus. Diſcimus item ex hoc loco, quòd tantæ Dominus fuerit paupertatis, vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo redderet,non habuerit.Sed quęret quis,quomodo,cũ in loculis Iudas portabat pecuniam? Reſpondebimus, pauperũ in vſus,in ſuos conuertere eam nefas putauit, nobiſque idem tribuit exemplum. Stater dicitur, qui duo habet didrachma, vt oſtenderetur ſimilitudo carnis, dum eodem & ſeruus & dominus pretio liberantur. Mentitur autem hoc loco Caluinus, qui Papam dicit inde immunitatem à tributis ſuis clericis inſtituiſſe, cùm eius rei primus author Deus fuerit: deinde cùm nulla gens aut natio tam fera & barbara ſit, quæ miniſtros ſacrorum ſuorum à tributis non exemerit.

NOtandum primò, docere hoc loco Saluatorem exemplo ſuo, omnem creaturam poteſtati ſublimiori debere parere: non tantùm propter metum,ſed etiam propter conſcientiam & ſcandalum; cùm ipſe exiſtens filius Dei, ſubiecerit ſe tributo Cæſaris. 32

NOtandum ſecundò, omnes leges & ſanctiones ciuiles,quæ cum recta ratione & honeſtate ſunt coniunctæ, Chriſtum Dominum hoc loco exemplo ſuo confirmaſſe. 33

NOtandum tertiò, Chriſtum Dominum eſſe verum Deum, & verum hominem. Verum Deum, quatenus eſt filius æterni regis patris omnipotentis: verum hominem, quatenus eſt filius veri regis Dauidis, contra Caluinum. 34

NOtandum quartò, hunc ipſum non poſſe eſſe niſi verum Deum, cuius 35

mare thesaurus est, pisces autem maris tributa ferunt & cōdunt. Quod pulchrè exclamat Hieronymus. Quid primum mirer in hoc loco nescio: vtrum præscientiam, an magnitudinem Saluatoris. Præscientiam, quòd nouerat piscem habere in ore staterem; & quòd primùm ipse capiendus esset. Magnitudinem atque virtutem, si ad verbum eius statim stater in ore piscis creatus est, & quod futurum erat, ipse loquendo fecerit. Euthymius autem: A mari dat tributum; hinc quoque ostendens, quòd tanquam omnium Dominus præcepit & mari: quod quasi præcepto eius subiectum, mittit piscem, qui tributum Domino deferat, nec pro ipso solùm, sed & primo eius discipulo. Nam Petrus quoque primogenitus erat: prius siquidem etiam hoc diuersimodè demonstrauit, & quando per ipsum quasi per aridam pedes ambulauit; & nunc quoq; idem rursum aliter ostendit, vario modo subiectionem illius significans.

36 NOtandum sextò, plerunque Christum Dominum causam suam cum causa Petri coniungere; tanquam ipsum principem cum suo vicario, quem nunc sibi, regumque filijs coæquauit.

37 NOtandum septimò: in omnibus scandalum vitandum esse; multaque facienda esse, quæ non debemus: modò scandalum declinemus. In quibus autem & quantum, pulchrè notat Euthymius. Docet enim, quod aliquando offendiculum cauere oportet, interdum verò illud despicere, & cum iudicio, hoc & illud facere. Vniuersaliter enim in his, quæ iuxta Dei præceptum dicuntur, aut fiunt, offendiculum oportet despicere: in his autem quæ iuxta voluntatem nostram, offendiculum curare conuenit, prout præcepit magnus Basilius.

38 NOtandum octauò: propositionem hanc, filios regum censum non soluere, veram esse vbique præter Poloniam. Nam hîc filij regum, hoc est sacerdotes, sed & reges ipsi nobilitati censum soluunt. Nam quæ bella ipsi subire deberent, hæc regiæ & sacerdotum ciuitates & oppida, sumptu suo magna iniquitate complent.

39 NOtandum nonò ex Origene, Textu hoc de statere in ore piscis inuento, conuenienter nos vti posse aduersus auaros, qui nullam habent in ore suo loquelam nisi pecuniæ. Cùm autem videris huiusmodi hominem ab aliquo Petro correptum, qui abstulit non solùm de ore eius verbum pecunię, sed & de toto affectu concupiscentiam pecuniæ; dices eiusmodi hominem in mari fuisse, & in falsis rebus huius vitæ, & in fluctibus solicitudinum auaritiæ, & habuisse in ore suo staterem, quamdiu infidelis extitit, & auarus: ascendisse autem de mari ad hamum rationabilem, & comprehensum, atq; saluatum ab aliquo Petro, qui eum docuit veritatem, vt ne habeat aliquando in ore suo staterē, sed pro eo habeat imaginem Dei, eloquia Dei.

40 NOtat D. Ambrosius, piscis nomine frequenter in Euangelio hominem designari. Audi, inquit, ô homo, quia piscis es: Simile est regnum cęlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Sunt boni & mali pisces, boni seruantur ad pretium, mali statim ardent: Bonum piscem necretia inuolunt, sed eleuant: nec hamus internecat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine: in cuius oris confessione bonum pretium reperi-

 tur,

tur, quo tributum Apostolicum, & census Christi possit exsolui. Sic enim scriptum est dicente Domino: Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum: A filijs suis, an ab alienis? Et respondenti Petro: Ab alienis, ait Dominus: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies ibi staterem: illum sumens, da eis pro me & te. Noli igitur ô bone piscis, Petri hamum timere, non occidit sed conseruat. Noli qua si vilem te contemnere, quia vides corpus infirmum: habes in ore tuo, quod & pro Petro & pro Christo offeras. Noli timere Petri retia: non enim in sinistram partem mittit, sed in dexteram, sicut iussus à Christo est. Noli timere sinum eius, quia dictum est ei: Ex hoc eris homines viuificans. Ideo misit retia, & complexus est Stephanum, qui de mari Euangelij primus ascendit habens in ore suo staterem iustitiæ. Vnde confessione constanti clamauit dicens: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Pro hoc pisce stabat Dominus Iesus: sciebat enim esse in ore eius pretium sui census. Deniq; glorioso martyrio, & Petri iudicium atque doctrinam, & Christi gratiam locuples assertor impleuit.

QVAESTIONES D. AVGVSTINI. PRIMA. Quod dixit dominus, Helias quidē venturus est, & restituet omnia, id est, vel eos, quos persecutio Antichristi cōturbauerit: vel vt ipse restituat moriēdo quę debet. SECVNDA. Quod dixit: Sępè cadit in ignem, & aliquando in aquā. Ignem ad iram, quòd alta petat: aquam ad voluptates carnis. Item quod dicunt discipuli, Quare nos non potuimus eijcere eum? ne illis miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per sinapis granum, elationem terrenam, quæ montis nomine significata est, curare vt transiret. 41

Caput XVIII.



AMBITIO DISCIPVLORVM REPRIMITVR, AD HVMILITAtem monentur, à scandalo magnis argumentis deterrentur, fraternæ correctionis leges pręscribuntur, facultas remittendi peccata datur, quam liberales esse debeamus in condonandis culpis pulcherrima parabola ostenditur. Primùm igitur instante & impendente morte magistri, istorum se ambitio quod fieri plerunque solet, prodit: & quoniam de morte & resurrectione eius nihil intellexerant, ac visibile quoddam regnum expectabant: ideò quis eorum in eo tali regno primus esse deberet, quæritur. Accesserunt ergo ad IESVM quærentes, quis maior futurus sit in regno cælorum. Factum est initium huius quæstionis in cælo, continuata in paradiso est, nunc turbat & vexat orbem vniuersum. Reprimit ac refutat tam putidam ambitionem istorum magister humilitatis, nec verbis aut argumentis, sed proposito paruuli exemplo, discipulorum factum confundit. Aduocans, inquit, paruulum, statuit eum in medio eorum & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, qui nihil de primatu, de regnis cogitant, victu & amictu præsenti contenti, non intrabitis in regnum cælorum: & quod paruuli per annos possident, vos per industriam possideatis; vt malitia non sapientia paruuli sitis. Sicut iste paruulus (cuius vobis 2

exemplum

exemplum tribuo) non perseuerat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat & aliud loquitur: sic & vos nisi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis in regnum cælorum intrare. Quam quidem conuersionem & humilitatem pueri, Origenes aliquot appositissimis exemplis eodem planè sensu quo diximus illustrat. Nos satis erit, si duo selectiora inseruerimus. Si inquit, vir aliquis constitutus, vsque eò mortificauerit viriles concupiscentias suas, in spiritu mortificans corporales actus, & semper mortem IESV circumferens in corpore suo, vt puer qui muliebria nondum tentauit, nec sensit motus viriles: iste talis conuersus factus est sicut puer. Et quantò amplius appropinquauerit pueris, recedens ab huiusmodi motibus: tantò ampliùs cæteris continentibus, & ad perfectum continentiæ ascendere non valentibus maior habetur. Et paulò pòst: Si inquit, aliquis humiliet se sicut puer. Nec enim magnum aliquid sapere cadit in puerum, neq; iactantia generis vel diuitiarum, vel aliarum rerum quæ existimantur bonę, non autem sunt, cadit in puerum: vnde videmus infantes vsque ad tertium vel quartum annum, licèt fuerint generosi, similes se præbent pueris degeneribus: nec amplius diligunt diuites pueros, quàm pauperes. Si quis ergò vir habitudinem quàm habent pueri ex ætate, in se ratione suceperit; expellens ea quæ mouent insensatos; factus est sicut puer non se extollens in honoribus, neque efferens se claritudine generis: iste talis suscipiendus est & honorandus in nomine IESV, quoniam præcipuè in talibus est IESVS. Ideò dicit: si quis susceperit vnum talem in nomine meo, me suscipit. Pueris credentes, inquit Hilarius, comparat: hi enim patrem sequuntur, matrem amant: proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, & quod audiunt verum habent. Et hæc omnium affectionum assumpta & consuetudo & voluntas, cælorum iter peruium præstat. Narrat Lyranus hunc puerum fuisse beatum Martialem, qui postea à beato Petro missus in Galliam, prædicauit Lemouicensibus fidem Catholicam. Quicunque ergò humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno cælorum. Humiles ingrediuntur in regnum cælorum, quia angusta via est, quæ illuc ducit; per quam superbi, inflati, & tumidi ingredi non possunt.

2 SEd vnde tandem initium sumptum huius ambitionis? Viderant pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate pretij arbitrati sunt, Petrum omnibus Apostolis esse prælatum, qui in redditione tributi Domino fuit comparatus: ideò interrogant, quis maior sit in regno cælorum. Dubitant autem quis de tribus illis melior iudicatus esset à Christo. Distrahebatur autem existimatio sensus eorum per varias causas. Interdum quidem Ioannem forsitan meliorem putabant esse, quòd secreta consilia ei præ cæteris fuerant declarata. Interdum autem arbitrabantur Petrum maiorem in regno cælorum, vel propter staterem hunc, qui datus est pro Christo & Petro, vel propter illud, quòd Christus dixit ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorũ non præualebunt aduersus eam. Iterum autem forsitan eorũ reuocabatur opinio, propterea quòd dixerat Christus ad Petrum, quod aliis non dixerat discipulis: Vade post me satana, scandalum mihi es, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum; ne fortè

non esset maior Petrus, sed vnus ex filijs Zebedæi. Videnſque IESVS cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ, humilitatis contentione ſanare. Non tantùm autem ipſos humiles eſſe oportet: ſed etiam humiles recipere propter Chriſtum, vt in illis Chriſtus accipiatur & honoretur. Qui ſuſceperit, inquit, vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Quid autē tali ſuſceptione beatius, inquit Euthymius, per quam ſuſcipit quis beatam Trinitatem? nam ſi filium & patrem, vtique & ſpiritum ſanctum; inſeparabilis ſiquidem beata Trinitas: nondum autem tempus tunc erat docendi de ſpiritu ſancto. Quod verò addit, me ſuſcipit, per vſum loquendi dictum eſt. Frequenter enim dicere ſolemus: quòd mihi facis, non mihi facis, ſed Deo. Ideò etiam Lucas reliquis poſitis, illud reliquit tanquam loquendi proprietatem. Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Expedit ei pro culpa accipere pœnam, quàm æternis ſeruari cruciatibus. Non enim vindicabit Dominus bis in idipſum. Quod dicit de mola aſinaria, ſecundùm ritum prouinciæ loquitur; quòd maiorum criminum iſta apud Iudæę veteres pœna fuerit, vt in profundum ligato ſaxo demergerentur. Et quoniam ipſi diſcipuli graue ſcandalum dederant ambitione & contentione ſua de primatu, ideò prolixius & vehementius exaggerat vim ſcandali: Væ, inquit, mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt autem vt veniant ſcandala. Non quòd neceſſe ſit venire ſcandala: alioquin ſine culpa eſſent, qui ſcandalum faciunt: ſed cùm neceſſe ſit in iſto mundo fieri ſcandala, vnuſquiſque ſuo vitio ſcandalis patet: ſimulque per generalem ſententiam percutitur Iudas, qui proditioni animum præparauerat. Veruntamen væ, inquit, homini illi, per quem ſcandalum venit: primùm, quia quod neceſſe eſt vt fiat in mundo, vitio ſuo facit, vt per ſe fiat: alteram cauſam adiungit Origenes: quoniam præbet ſe ſpiritibus immundis ſcandalizantibus miniſtrum, ad ſcandalizandum homines infirmos & mundanos. Væ mundo à ſcandalis. Pulchrè hoc loco Origenes: Si væ, inquit, mundo eſt à ſcandalis: non autem diſcipuli IESV ſunt de hoc mundo; ſicut nec magiſter eorum de hoc mundo eſt: nemini diſcipulorum Chriſti poteſt eſſe à ſcandalis væ, quoniam pax multa diligentibus Deum, & non eſt illis ſcandalum. Neceſſe eſt autem, vt veniant ſcandala. Non neceſsitate abſoluta docet Lyranus, ſed ex ſuppoſitione. Si enim homines velint viuere mundanè, id eſt in omnibus voluntatem ſuam adimplere, neceſſariò ſequitur ad hoc ſcandalum aliorum, quia non formidant proximos ſcandalizare. Sicut enim Deus mortem non fecit, ſic nec ſcandala creauit: ſed libertas proprij arbitrij in quibuſdam genuit ſcandalum, nolens pro virtute ſuſcipere laborem, dicebat Origenes. Ventura verò erant, inquit D. Chryſoſtomus, quia multi erant grauiter ac incurabili morbo laborantes, qui noluerunt non agere malignè, & ipſe quod futurum erat prædixit. Sed quiſpiam dicet, ſi illi curati fuiſſent, ac nemo eſſet, qui ſcandala faceret; nonnè hic ſermo falſitatis crimine teneretur? Certè ſi curari ſanarique omnes voluiſſent, non dixiſſet, Neceſſe eſt ſcandala venire: ſed quia ſua ſponte incurabiles futuros perſpiciebat, ideò ventura omninò prædixit. Veruntamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit. Offendiculum quidem à dæmone ſeminatur, inquit Euthymius, ab homine verò alitur & augetur ac recipitur, qui prauam & corruptam habet voluntatem: quem etiam nunc deplorat tanquam dæmonis miniſtrum. Sed quid prodeſt prædicere ſcandala, ſi

opem

opem non feras? An qui prædicit præmonendo & ad cautionem cohortando, opem fert? Si autem necesse est scandala venire, quomodo fugiemus ea? docet pulcherrimè D. Chrysostomus. Necesse quidem est vt veniant scandala, perire autem non omninò necesse est. Ceu si medicus quidem dixerit: Si nulla medicina vteris, necesse est vt in hunc rursum incidas morbum: non omninò perire necesse eum erit, qui vigilanter attendit. Quanquam & ipse cælestis medicus, quantum fugienda sint, quantum declinanda, docet: abijciendo scilicet quæque proxima, & quæq; charissima. Si autem, inquit, manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te. Omnis, inquit Hieronymus, truncatur affectus, & vniuersa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis vnusquisq; credentium scandalis pateat. Si inquit ita est, quis tibi coniunctus, vt manus, pes, oculus, & est vtilis atq; solicitus ad perspiciendum? scandalum autem tibi facit, & propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennã: melius est vt & propinquitate eius, & emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos, causam habeas ruinarum. Itaq; non frater, non filij, non vxor, non amici, non omnis affectus, qui nos excludere potest à regno cælorum, amori Domini præponatur. Nouit vnusquisque credentium, quid sibi noceat, in quo solicitetur animus ac sæpè tentetur. Melius est vitam solitariam ducere, quàm ob vitæ præsentis necessaria, æternam vitam perdere. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proijce abs te: bonum est tibi, oculum vnũ habentem in vitam intrare; quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Tandem quanta paruulorum dignitas sit docet: Videte, inquit, ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Inde manifestum est iustos habere angelos custodes. Dicit enim Dauid: Castra metabitur angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quos autem seruant angeli, qui tantam apud Deum habent libertatem, vt semper videant Deum, qui in cælis est, verè hos despicere non oportet; etsi non propter illorum virtutem, at saltem propter custodiam, & præsentiam angelorum, quos fecit Deus ministros eorum. Saluatorum, inquit Hilarius, per Christum orationes quotidie angeli Deo offerunt: ergo periculosè ille contemnitur, cuius desideria ac postulationes ad æternum & inuisibilem Deum, ambitioso angelorum famulatu ac ministerio peruehuntur. Faciem verò patris, patrem suum vocat. Sed & illud, quod longè maius, infert; cur eos despicere non oporteat. Non angeli tantùm, inquit, illis seruiunt, sed filius ipse Dei venit eos quærere. Atq; ita ne exemplum paruulorum contemnant, néue paruum quid esse iudicent: quanti ipsi apud Deum paruuli sint, & omnes illi qui eos imitantur, illisque similes sunt, quatuor argumentis ostendit: Primum, quòd qui illos suscipit, Christum suscipit, & ideo se illis exæquat: Deinde, quòd qui scandalizant eos, expedire illis & quasi vtile esse ad peccati medelam docuit; vt mola asinaria suspendatur in collo eorum, vt qui alijs facti sunt lapis offensionis, ipsi lapidis pondere demergantur in profundum maris: Tertium, quòd illorũ custodes & ministri sint angeli: Quartum, quòd eorum causa in mundum filius Dei venerit. Si quis ergo illos scandalo suo perdit, eum se incredibili scelere obligare. Venit, inquit, filius hominis saluare quod perierat. Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis, nonné relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quęrere eam quæ errauit? & si contigerit vt inueniat eam: amen dico vobis, quia

Psalm. 33.

gaudet ſuper eam magis quàm ſuper nonaginta nouem, quæ non errauerunt. Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum qui in cælis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis. Nonaginta quidem nouem oues, non eodem modo omnes interpretantur. Quidam putant iſtum eſſe paſtorem, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe ęqualē Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, factus obediens patri vſque ad mortem, mortem autem crucis; & ob id ad terrena deſcendit, vt ſaluam faceret vnam ouiculam quæ perierat; hoc eſt humanum genus. Alij verò in nonaginta nouem ouibus, iuſtorum putant numerum intelligi, & in vna ouicula peccatorum, ſecundùm quod in alio loco dixerat: Non veni iuſtos vocare, ſed peccatores: non enim opus habent ſani medico, ſed hi qui ſe malè habent. Hilarius hoc modo interpretatur. Ouis vna, homo intelligendus eſt, vel ſub homine vno vniuerſitas ſentienda eſt: ſed in vnius Adæ errore omne genus hominum aberrauit: ergo nonaginta nouem non errantes, multitudo angelorum cæleſtium opinanda eſt, quibus in cælo eſt lætitia & cura ſalutis humanæ. Igitur & quærens hominem Chriſtus eſt, & nonaginta nouem relicti, cæleſtis gloriæ multitudo eſt: cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore eſt relatus. Quod autem dicit ſe reliquiſſe nonaginta nouem in montibus, non alio modo factum eſt, quàm vbi Deus formam ſerui accepit, ſeipſum exinaniens, de quo & Propheta: Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manus inimicorum. Iſta parabola in Euangelio ſecundùm Lucam, cum alijs duabus parabolis decem drachmarum & duorum filiorum ſcripta eſt.

NOtandum primò, ſtultam & importunam rem eſſe ambitionem, quæ in medio naufragio gubernacula quærit, in media tempeſtate & interitu, de gubernaculis contendit, in funere decus, quod in his ipſis videre licet. Prædicit clementiſsimus pater & magiſter proximam mortem, expectatur ſolatium aliquod à dilectis diſcipulis. At illi quid? Quis, inquiunt, maior in regno cælorum. Atqui de cruce inſtituta fuit diſputatio, quod idem noſtri faciunt Interregniſtæ: qui tanquam piſcatores in turbata aqua anguillas; ſic iſti in perturbata Repub. honores & munera venari ſolent: à quibus Deus omnem ſucceſſum bonum auertat. 12

NOtat ſecundò Origenes, ſciuiſſe Chriſti diſcipulos, non eſſe æqualitatem ſanctorum in regno cæleſti: & cùm non ſit æqualitas, eſſe aliquem maiorem & minorem; ſed quomodo maior & quomodo minimus, hoc diſcere cupiuiſſe. Niſi fortè cautius eſt dicendum: qui eſſet quidem minimus, Apoſtolos ſciuiſſe ex eo quod alibi docuerat ipſe: Si quis ſoluerit vnum ex mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Et quis eſſet magnus, ſciuiſſe ex eo, quod ait: Si quis fecerit, & ſic docuerit, hic magnus vocabitur. Sed ex multis magnis quis eſſet maior, hoc eis non fuiſſe manifeſtum. Et quòd multi quidem ſunt magni, non autem æqualiter magni, indicat nomen magni poſitum in perſona Iſaac, qui proficiens magnus fiebat, donec efficeretur magnus valde. Scriptum eſt autem idipſum etiam in Moyſe, & in Ioanne Baptiſta, & ipſo etiam Saluatore. 13

NOtandum tertiò, quomodo Apoſtolos, Apoſtolicoſque viros Deus docendis 14

cendis alijs præficit, ita vicißim ipsos nonnunquam per paruulos quosdam abiectos homines instituere solet, quemadmodum nunc proposito illis paruulo facit, vt magna per parua confundantur & instruantur.

3 NOtandum quartò, veterem & perpetuam regulam, humilia Deo amica & proxima esse, magna autem & superba eum à longe cognoscere: contrarium mundus sequitur modum, qui paruos humiles ridet, affligit, depredatur, omnibus malis diuexat: & ideo stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Beati ergo humiles, qui Deum & eius adiutorium secum habent.

4 NOtandum quintò, magnam esse mercedem bonorum operum. Qui inquit, suscipit vnum ex minimis, me suscipit: atqui diuersum quid docet hęresis.

5 NOtanda sextò est doctrina de scandalo ex D. Basilio in regulis breuioribus Interrogatione 64. Cùm Dominus noster Iesus Christus dicit: Vtilius est ei, vt imponatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis istis: Quid est scandalizare? aut quomodo id euitare poterimus, ne adeò horribile iudicium veniat in nos? Responsio. Sanè scandalizat quidem aliquis, quandocunque dictis factisque legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit; vt serpens Euam, & Eua Adam: vel quandocunq; prohibet exequi voluntatem Dei; vt Petrus Dominum quando dixit: Absit à te Domine, non erit tibi hoc: cui tum dictum est, Vade post me satana, scandalum mihi es; quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. Vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum quæ vetita sunt, conuenienter illi quod scriptum est ab Apostolo his verbis: Si quis enim viderit te, qui habes scientiam, in idolio recumbentem: nonné conscientia eius, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Quibus illicò adiungit: Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Oritur autem scandalum pluribus ex causis. Vel enim ab eo qui scandalizat scandalum nascitur: vel ab eo qui scandalizatur causa proficiscitur, cur scandalizetur: atque in his item, non vno atque eodem modo. Aliquando enim ex malitia, aliquando autem ex inscitia, vel huius, vel illius. Est præterea, quando in ijs quæ rectè vel dicuntur, vel fiunt eorum qui scandalizantur, malitia magis declaratur: aut enim mandatum Dei aliquo faciente, aut his, quæ in libera potestate posita sunt, libere vtente scandalizatur qui scandalizatur.

6 NOtat Origenes septimò, bonum quidem fuisse, vt ille qui factus est oculus, dignus esset capite Christo, & toto ecclesiastico corpore. Si tamen conuersus oculus ille factus fuerit scandalum corpori vniuerso, eijciatur oculus scandalizans, & extra omne corpus expellatur; vt sine illo oculo residuum corpus saluetur: quàm cum illo oculo debilitato totam ecclesiam mittat in gehennam intenebratam, videlicet per oculum malum. Christum autem caput ecclesiæ esse, non ego, sed Apostolus intellexit. Sacerdotes autem rationabiliter possunt dici ecclesiæ oculus, quoniam & speculatores habentur. Diaconi autem, cæterique ministri manus; quoniam per eos opera spiritalia vniuersa geruntur. Populum autem esse pedes Ecclesiæ, quibus omnibus parcere non

oportet, si scandalum Ecclesię fuerint facti. Possumus autem hoc textu vti etiam de domesticis nostris, & quasi membris ita nobis dilectione coniunctis, siue parentibus, siue amicis quadam familiaritate dilectis: quibus parcere non oportet animæ nostræ nocentibus.

NOtat octauò Lyranus ex hoc loco, melius esse homini mori corporaliter, quàm malo exemplo suo facere alium ruere in peccatum mortale; quia ex hoc meretur mortem æternam, quæ est grauior morte corporali. 7

NOtat nonò D. Hieronymus, magnam esse dignitatem animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiam sui angelum deputatum. Vnde legimus in Apocal. Angelo Ephesi, Tyatiræ, & angelo Philadelphiæ, & angelis quatuor Ecclesiarum, scribe hæc. Apostolus quoq; præcipit velare capita in Ecclesijs fœminas, propter angelos. Addit & illud pulchrè Theophylactus, hinc colligi, quòd etsi omnes angelos habemus; peccatorum tamen angelos tanquam pudore suffusos ob peccata eorum quos custodiunt, non audere, nec libertatem habere precari pro eis. Sumantur autem & bonorum virorum angeli, isti cum libertate aspiciunt faciem patris, & deprecantur pro eis propter eam quam habent fiduciam & audaciam, & hoc est quod dicit Dominus: Angeli illorum vident semper faciem patris. Etsi enim misi veniant, sic exterius implent ministerium; vt nunquam intus desint per contemplationem. Mittuntur ad hominum salutem, & tamen semper vident faciem patris: quia quolibet misi veniunt, intra ipsum currunt, qui vbique est. 8

NOtat decimò, dari hoc loco à vero pastore Christo pastoribus quærendarum ouium exempla. Relinquit omnia vnius ouis causa, idq; vilioris ex omnibus, vadit, quærit, defatigatur, inuentam ouem non pulsat, non obiurgat; sed blandè reponit in humeros non alienos, non substitutorum, aut vicariorum, sed suos: portat autem cum gaudio & lætitia, neq; prius portare desinit, quàm in quieto salutis portu reponat. 9

NOtandum vltimò ex Lyrano, quomodo magis est gaudium ex peccatore, quàm ex iusto: & quando maius est gaudium super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Quia vt quotidiè experimur, qui illicita non commiserunt; in rebus licitis sæpè sibi præbent vsum, ad cælestia anxiè non anhelant: & quia securi sunt, ad bona agenda pigri remanent: è contra autem plerumque peccator facit. Maius ergo gaudium de eo, quàm de stante iusto. Vt dux in prælio plus diligit militem eum qui post fugam reuersus, hostem fortiter premit, quàm eum qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Sed & sunt quidam iusti, de quibus tantum est gaudium, vt eis nullus pœnitens præponi posit: qui etsi non sint malorum conscij, sibi tamen licita respuunt, in omnibus se humiliant. Quantum ergo gaudium est, si humiliter plangat iustus: cùm tantum sit, si quod malè gessit, damnat iniustus. Quod præclarè Christus Dominus in parabola prodigi filij, atq; eius qui semper faciebat voluntatem patris, demonstrauit. 10

SERIES EVANGELII.

DIxerat superius, neminem ex minimis etiam contemnendum esse; sed omnes amandos ac magnificiendos. Verùm cùm multi inueniantur morosi, 11

vaniloqui,

vaniloqui, inobedientes, multi delinquant, multi improbi ſint: nunc igitur cùm talibus quid ſit agendum docet: neque contemnendos eſſe, neq; illorum vitia ferenda; & peccata quidem illorum condonanda, ipſos autem fraterna admonitione corrigendos, aut etiam excommunicatione feriendos. In qua doctrina reliqua pars conſumatur capitis; vt non tantùm ipſi ſcandala non demus, ſed etiam illa in alijs corrigamus. Quanquam & ad eum ipſum, qui ſcandalizatur, referri poteſt, vt conuertat eum qui ſcandalizat. Dicit autem corrigendum eſſe, non contumelia afficiendum aut infamandum. Atque adeò ambitione illorum repreſſa & refutata, ad patientiam & amorem nunc eos prouocat. Inquit igitur: Si peccauerit in te frater tuus: ne, inquit, contemnas, ne negligas eum, corripe autem inter te & ipſum ſolum. Corripiendus eſt ſeorſim, ne vbi ſemel pudorem amiſerit, remaneat in peccato: & ſi quidem audierit, lucratus es animam eius; vt per alterius ſalutem nobis quoque acquiratur ſalus: ſi ſoli non pareat, adhibendum eſſe fratrem: ſi amplius pertinax ſit, & alterum; idque vel corrigendi ſtudio, vel commonendi ſub teſtibus. Quod ſi hæc omnia ſpernat ac deſpiciat; tum demùm denunciandum eſſe Eccleſiæ, ſummo & ampliſsimo in chriſtianiſmo tribunali, vt deteſtatione eum habeat; vt qui non potuit pudore ſaluari, ſaluetur opprobrijs. Si quis autem ſummæ Eccleſiæ authoritati parere nolit, ſit tibi deinceps incommunicabilis, cum quo nullam ineas vitæ ſocietatem tanquam immedicabili. Quia ſolus non valuiſti curare, aſſume tecum adhuc nõ multos, ne ille publicari ſe reputans durior efficiatur; ſed vnum aut duos auxiliatores: vt ſi perdurauerit non molleſcens, ſint etiam teſtes tuæ manſuetudinis, & duriciei illius: vtque ſecundùm veteris legis ſententiam, in ore ſiue per os duorum teſtium vel trium, ſtet, hoc eſt, confirmetur omne verbũ: puta te feciſſe quod in te eſt, nihilque prætermiſiſſe. Primùm enim ſolus abijſti ad eum, deinde alijs quoque aſſumptis. Si Eccleſiam, inquit, non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, qua pœna nulla grauior neque maior eſſe poteſt. Tu verò conſidera, inquit D. Chryſoſtomus, quomodo publicanum ad exemplum ſummæ nequitiæ ſemper poſuit. Etenim ſuperius dixit: Nonné publicani quoque hoc faciunt? ac deinde: Publicani præcedent vos, ait, in regnum cælorum: id eſt, quia valde improbitate condemnantur. Audiant hæc attentè, qui ſibi quæſtus iniuſtos excogitant, qui fænus fænori adijciunt. Cur autem iſtum cum publicanis collocauit? Vt certè & illum qui pertulit iniuriam conſolaretur, & hunc meritò perterreret. Verùm ne quis eam pœnam contemnat, ne quis homines eos qui ſententiam ferunt eſſe dicat. Poſſet ſiquidem contemptoris fratris hæc occulta eſſe reſponſio, vel tacita cogitatio: Si me deſpicis, & ego te deſpicio: ſi me condemnas, & mea ſententia condemnaberis. refutat hoc grauiſsimè Saluator, & docet quæ ſit authoritas eorum, qui hanc pænam irrogaturi erant, Apoſtolorum inquam, quæ ſua eſt. Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunq; ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Hoc autem eo ſenſu Euthymius dici putat. Quidquid vos in terra cenſueritis, aut per ſententiã decreueritis; hoc Deus in cælo ratum habebit; ſiue eos qui ſunt incurabiles ab Eccleſia amputaueritis, ſiue poſtmodum reſipiſcentes receperitis. Quo loco pulchrè D. Hilarius: Ad terrorem metus maximè, inquit, quo in præſens omnes continerentur, immobile ſeueritatis Apoſtolicæ iudicium præmiſit: vt quos in terris ligauerint,

uerint, id est, peccatorum nodis innexos reliquerint: & quos soluerint, confessione videlicet veniæ receperint in salutem, hi Apostolicæ conditione sententiæ in cælis quoque sint ligati aut soluti. Negat hoc frustrà & sine ratione Caluinus quod Ecclesia affirmat, confesionem scilicet peccatorum quæ in Ecclesia fit hoc loco intelligi: cùm eodem sensu hæc eadem paulò antè de Petro dicta sint: vt planè conuincantur ineptiæ Caluini, qui de prædicatione verbi dicta esse putat, cùm hæc manifestisimè ad delictorum correctionem, pœnarumque irrogationem referantur. In tantum autem humanæ pacis studuit concordiæ; vt vnitatis merito, omnia quæ à Deo precanda sint, impetranda esse confirmet: & vbi duo atq; tres pari spiritu ac voluntate collecti sint, ibi se medium eorum pollicetur futurum. Ipse enim qui pax & charitas est, sedem atque habitationem in bonis & pacificis voluntatibus collocauit. Vbi fuerint, inquit, duo vel tres congregati, ibi sum in medio eorum. Istiusmodi consensus aliquot exempla affert Origenes ex scriptura. Hoc tali consensu, inquit, non multi consentiunt sibi per omnia, sed duo fortè vel tres, sicut Petrus, & Iacobus, & Ioannes. Consenserunt autem & duo, Paulus & Sosthenes scribentes Corinthijs epistolam primam. Item Paulus & Timotheus mittentes secundam. Et tres consenserunt, vt esset Christus in medio eorum, Paulus, & Syluanus, & Timotheus scribentes Thessalonicensibus.

QVomodo ergo frequenter aliqui duo in dilectione existentes, & Deum concorditer de aliquo postulantes non exaudiuntur? quia non sunt similes Apostolis. Neq; enim simpliciter dixit: Si duo consenserint, sed, si duo ex vobis, hoc est similes vobis, virtutem colentes: vel quia non eam diligentiam afferunt ad orandum, quam debent & possunt: vel sibi inutilia petunt, alijs aduersa & nociua: vel pro indigno postulant: vel omninò alia aliqua ratio adest, quæ repulsam meretur. Qui autem facienda faciunt, & si illis expedit; statim quod petunt consequuntur, mentiri enim non potest qui promisit. Atqui etiam vnus virtuti addictus, si sic petat exaudietur, sed non tantum, quantum duo concordes. Vel ad extremum quod annotauit Origenes, non exaudiuntur orantes: quia non consentiunt sibi per omnia super terram, neque dogmate, neq; conuersatione. Igitur & præmium pollicetur, inquit Hieronymus, vt sollicitius festinemus ad pacem, cùm se dicat inter duos & tres medium fore: iuxta illud exemplum tyranni, qui duos amicos (cùm vnus ad visendam matrem reuerti vellet, & amicum pro se vadem daret) sic probare voluit; vt vno tento, alterum dimitteret: cumq; reuertisset ad condictam diem, admirans amborum fidem, rogauit vt se haberent tertium. In nomine autem meo, hoc est propter me, propter mea præcepta, & non propter aliam causam: ibi sum in medio eorum colligans & custodiens eos, ac complens eorum petitionem. Fœdè hoc loco blasphemat Caluinus sancta vetera concilia, quibus hæc verba impudenter negat conuenire, quem ipsum audire iuuat. In eo se, inquit, crassa Papistarum prodit inscitia. Clamant non potuisse errare concilia, ideoq; standum omnibus eorum decretis: quia quoties duo aut tres congregantur in nomine Christi, ipse in medio eorum est. Atqui imprimis quærendum erat, conuenerint necné Christi nomine, de quorum fide, doctrina & affectu ambigitur. Hoc dum omittunt vel inuoluunt Papistæ, quis non videt astutè discrimen inter sacros & profanos

profanos conuentus ab illis confundi, vt poteſtas quidùis agendi ab Eccleſia ad hoſtes Chriſti iuratos transferatur.

16 QVæ liberalitas condonandarum iniuriarum, quàm prolixa, quàm munifica eſſe debeat, quærit deinde Petrus. Tunc accedens ad eum dixit: Domine, quotiens in me peccabit frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? In alieno parcus & tenax diſpenſator Petrus. Reſpondet Chriſtus, apud quem propitiatio eſt, & apud quem copioſa redemptio: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſq; ſeptuagies ſepties. D. Baſilius inquit: Poteſtas dimittendi, non abſolutè data eſſe videtur, ſed ſi dicto audiens fuerit, qui pœnitens ſit; & conſenſerit cum eo qui animum ipſius curat. Septuagies ſepties, inquit Chryſoſtomus, non ſignificat hic vnum, ſed immenſum, continuum, & ſemper. Nam ſicut μυρίακις, hoc eſt, decies millies ſignificat frequenter apud Græcos: ita ſanè & ſepties apud Hebræos, & multò magis ſeptuagies, ac inſuper quòd ex vtroque compoſitum eſt, ſeptuagies ſepties. Quia ergo infinities in Deum peccamus: infinitis vicibus iuſſit ignoſcere his qui in nos delinquunt, ſi ſemper reſipiſcunt. Eum namq; qui non reſipiſcit, poſt tertiam monitionem repelli iuſsit tanquam ethnicũ & publicanum. Quomodo enim quis remittet ei, qui remiſsionem non quærit?

17 NOtandum primò, proceſſum iuris chriſtiani hoc loco præſcribi: primùm vt proximos inter illos & nos ipſos moneamus: deinde, vt adhibitis quibuſdam fratribus: tertiò, vt eos Eccleſiæ denunciemus, pòſt vt excommunicentur: excommunicatos autem tanquam ethnicos & publicanos fugiamus. Et hic eſt ſtatus iuris chriſtiani; & quod amplius eſt, vix non ex malo eſt.

18 NOtat ſecundò Origenes, differentiam eſſe inter fratrem, & eum qui nominatur frater. Et quoniam diſtant à ſe, propterea dicit Apoſtolus: Si quis frater nominatur in vobis, ſit autem fornicarius, aut auarus, aut idolorum cultor, & cætera, cum talibus nec cibum ſumere. Nemo enim idolorum cultor, aut fornicator, aut auarus frater eſt: & quamùis nomen baiulet Chriſti: tamen frater nominatur, non autem & frater propriè eſt.

19 NOtat tertiò, ſummam & vltimam pœnam in populo chriſtiano excommunicationem eſſe, quæ deteriorem ethnico & publicano facit.

20 NOtat quartò D. Hieronymus, deterioris deteſtationis eſſe, qui ſub nomine fidelium agunt opera infidelium, quàm hos qui apertè gentiles ſunt.

21 NOtandum quintò, ſi illi qui ob modicum ſcandalum, aut delictum erga proximum, Eccleſiæ præcipienti aut decernenti non parent, deteriores ſunt ethnicis & publicanis: ergo longè deteriores erunt, qui in fide & religione catholica illi credere nolunt, eamque calumniantur. Ex quo genere ſunt hæretici ac ſchiſmatici omnes.

22 NOtandum ſextò contra Anabaptiſtas, Eccleſiam viſibilem eſſe, & non ex ſolis iuſtis conſtare, neq; ad eius conſtitutionem omnibus indiuiduis opus eſſe, cùm nulla ratione, nulloque modo illi quidquam dici poſsit (iuxta illud: Quod ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus) ſi inuiſibilis & infinita eſſet.

Notandum

NOtandum septimò cum Paulo, hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem deuitandum esse, quia peruersus est, quia ethnico & publicano deterior: ergo neque ad matrimonium admittendum. Sic enim Paulus: Nolite, inquit, fratres iugum ducere cum infidelibus. Atqui hic deterior infideli. Quod prolixiùs demonstrat Tertullianus in epistola ad vxorem suam. Vnde præclarè D. Chrysostomus docet, nec dari oportere auxilium inimicis Dei, nec ab eis accipi. Qui enim petit auxilium ab inimicis Dei, de auxilio Dei desperat, vtiliores sibi existimans inimicos Dei, quàm Deum. Qui autem dat auxilium inimicis Dei, aduersatur Deo: Deo enim volente conterere inimicum suum, ipse eum defendere tentat. Quoniam autem nec accipere oportet ab inimicis Dei, docet nos historia de Asa rege patre Iosaphat: quoniam verò nec dare, instruit nos scriptura de Iosaphat Asæ regis filio. 23

NOtandum octauò, honestissima nomina & munera turpium hominum vita & moribus deformari, ac infamia reddi: quomodo nomen & officium publicani per se honestum, & quòd Christus honorauit reddendo tributum, auaritia & rapacitate hominum turpe redditum est. 24

NOtandum nonò cum Ioanne, vbi amor & charitas, ibi Deum esse: contrà, vbi rixæ, lites, ibi diabolum præsidere, quod in hæresibus videmus. Si duo, inquit, ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. 25

NOtat decimò Lyranus, duplicem esse correptionem: vnam quæ est peccantis punitio propter conseruationem iustitiæ, & ista non ordinatur semper ad correctionem delinquentis, quia aliquando sibi infligitur pœna mortis, & ideò principaliter est ad conseruationem iustitiæ & terrorem aliorum: & talis correptio non pertinet ad singulares personas, sed ad iudicem, ad quem pertinet conseruare iustitiam inter homines, & propter hoc talis correptio est actus iustitiæ. Aliam esse correptionem quæ ordinatur ad fratris peccantis emendationem, & hæc est actus charitatis, & pertinet ad omnes: quia sicut dicitur in Ecclesiastico: Vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Et ideo sicut quilibet tenetur proximum ex charitate diligere: ita tenetur defectus eius ex charitate per emendationem corrigere, si tamen probabiliter credat, quòd ex sua correctione debeat se emendare. 26

VNdecimò notat idem Lyranus, quando locus est priuatæ correctioni, & quando non. Quando publicè peccatur, tùm publicè etiam peccata arguenda sunt, iuxta illud D. Pauli: Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Quando autem priuatim in nos quis peccat, tùm priuatim corrigi debet. Cuius prima ratio est: sicut enim medicus corporalis si debito modo procedat, nititur inducere sanitatem cum minimo dispendio corporis, & sine membri abscisione; & si non possit, tunc abscindit membrum minus nobile, vt conseruetur magis nobile vel totum corpus: sic ille qui fratrem peccantem occultè corripit, charitatiuè debet tentare, si possit fratrem emendare absque detrimento suæ famæ: quia fama computatur inter maiora bona hominis citra virtutes: & ideò corrigens fratrem, debet quantum potest eius famam conseruare. Alia causa est, quia amissa fama vel læsa, efficitur homo inuerecundus, & per conse- 27

per consequens minus à peccato retrahitur quàm prius. Est ergo debitus processus in correctione charitatiua, vt homo corrigat fratrem suum inter se & ipsum solum: vt sic possit eum saluare cum omnimoda integritate suæ famæ.

28 DVodecimò considerandum est, si peccatum occultum fratris esset in præiudicium communitatis; vt si aliquis tractaret secretè cum aliquibus ciuibus, qualiter ciuitas esset hostibus tradenda; vel si aliquis hæreticus in secreto corrumperet fideles; tunc secreta correptio vel admonitio non esset expectanda, sed statim esset prælato denunciandum, qui possit tali periculo præcauere.

29 TErtiodecimò obseruandum, quod licet offensa sit semper remittenda, non tamen iniuria. Si enim ex remissione iniuriæ & pœnæ debitæ, sequeretur pronitas, in eo cui remittitur, ad facilius peccandum non esset bonum ei remittere. Similiter si ex tali remissione esset scandalum aliorum, & omissio iustitiæ, & in similibus casibus.

30 NOtandum quartodecimò, eorum verborum: Vbi duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo: afferri hanc ab Origene expositionem: quam & ipse à quodam vetustissimo patre se accepisse testatur. Est & alia, inquit, expositio verborum istorum, quam exposuit aliquis ante nos, exhortans ad castitatem coniuges. Si duo, inquit, vestrum conuenerint, id est, vir & vxor ex consensu semetipsos ab inuicem separantes à corporali coniunctione, vt vacent orationi: tunc enim orantes de omni re quamcunque petierint consequentur, præstante eis Deo per talem castitatis consensum.

31 NOtat quintodecimò D. Basilius, vt Christus inter duos vel tres in nomine suo congregatos sit medius, hoc poterimus promereri, si nos ad voluntatem ipsius conformauerimus. Sic enim inquit apud Ioannem: Si quis diligit me, mandata mea seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui verò congregati sunt, non vt voluntati Domini pareant: ij licet in vnum in nomine Domini conuenisse videantur, illud tamen nihilominus audiunt: Quid me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico?

32 SEquitur illustris parabola plena doctrinæ & energiæ, in qua omni modo ad similitudinē humilitatis ac bonitatis suę instruit, & ad molliendos ac frāgendos turbidorum motuum nostrorum aculeos, placabilitatis suæ cōfirmat exemplo. Scopus autem parabolæ istius est, si non remiserimus peccata proximorum; non tantùm lingua & ore, sed de ipsis cordibus nostris: idem nobis parentem cælestem facturum. Eundem sensum notat Origenes. Illud, inquit, nos instruit parabola, quòd etiam eorum peccatorum, quæ iam nobis à Deo indulta sunt, reuocationem faceret Deus, etiam post indulgentiam: nisi indulserimus offendentibus nos ita ex corde, vt nec modicam aliquam memoriam offensionum earum apud nos reseruemus. Termini autem parabolæ isti sunt. Homo rex est Christus Dominus, vel pater eius: serui eius est vniuersa creatura: debitor est peccator: debita peccata: venditio est abalienatio à Deo (ille enim qui venditur, in alterius domini ius succedit) vxor caro est, quæ conniuet animæ: liberi, actus praui: debitor, item seruus nequam, est proximus, ille qui mutuat, iste qui inhumanè extorquet: conserui, angeli Dei: carcer & tortores, in-

SERIES Euangelij.

tores,infernus & diaboli,incolæ & miniſtri eius. Senſum igitur colligit D. Hieronymus. Præcipere Chriſtum Petro ſub comparatione regis ac domini, & ſerui, qui debitor decem millium talentorum à domino rogans veniam impetrauerat: vt ipſe quoque dimittat conſeruis ſuis minora peccantibus. Si enim ille rex & dominus, ſeruo debitori decem millium talentorum debitum tam facilè dimiſit; quantò magis ſerui conſeruis ſuis debent dimittere minora? Quod vt manifeſtius fiat,dicamus ſub exemplo. Si quis noſtrum commiſerit adulterium, homicidium, ſacrilegium, maiora crimina decem millium talentorum, rogantibus dimittuntur,ſi & ipſe dimittat minora peccantibus. Sin autem ob factam contumeliam ſimus implacabiles, & propter amarum verbum perpetes habeamus diſcordias; nonné nobis videmur rectè redigendi in carcerem, & ſub exemplo operis noſtri hoc agere,vt maiorum nobis delictorum venia non relaxetur? Cùm cœpiſſet rationem ponere,oblatus eſt ei vnus,qui debebat ei decem millia talentorum: cùm autem non haberet vnde redderet, iuſsit eum dominus eius venundari, & vxorem, & filios, & omnia quæ habebat & reddi. Repetit acrius pater cæleſtis debitum, non tamen hoc ex crudelitate, ſed ex compaſsione: vt tali ſententia territus deprecaretur, ac remiſsionem conſequeretur. Niſi enim eo fine talem protuliſset ſententiam; nequaquam deprecanti remiſiſſet debitum. Nam ſi facilè remiſsionem percepiſſet;futurum erat,vt gratiæ magnitudinem non cognoſceret: propter hoc ergo in magnam neceſsitatem eum redegit, vt ad memoriam in poſterum reuocare poſsit, qua condemnatione abſolutus eſſet, & compaſsiuus etiam ipſe erga ſuum fieret debitorem proprijs adactus calamitatibus. Vbi benignè condonat omnia Dominus: hîc tu vides pœnitentiæ vires ac Domini humanitatem. Pœnitentia ſiquidem fecit ſeruum à malitia cadere: ſtans enim firmus in prauitate, non poterat remiſſionem accipere: Dei verò humanitas ſiue benignitas omninò ignouit, & æs alienum remiſit. Atqui ſeruus non omnimodam remiſsionem, ſed longanimitatem ac procraſtinationem quærebat. Procidens autem,inquit, ſeruus ille, orabat eum dicẽs:Patientiam habe in me,& omnia reddam tibi.Miſertus autẽ dominus ſerui illius,dimiſit eum,& debitũ dimiſit ei. Continentur autẽ hac parabola decem argumẽta,quibus Dominus & perſuadet vt ignoſcamus culpas proximorum,& æquitatem damnationis illorum, qui non ignoſcunt demonſtrat. 33

PRimum, pater cæleſtis, qui ipſe nihil cuiquã debet,ignoſcit: quantò magis nos ignoſcere debemus, qui & illius & aliorum debitores ſumus?

SEcundum, ſi pater cæleſtis nobis multa condonat, decem namque millia talenta: nos certè noſtris parua condonare debemus.

TErtium, ſi pater cæleſtis parum rogatus ſine omni ſatisfactione condonat: quantò magis nos cum aliqua ſatisfactione condonare debemus?

QVartum, ſi pater cæleſtis ſua nobis condonat: quantò magis nos aliena? quid enim habemus, quod non acceperimus?

QVintum, ſi pater cæleſtis ſeruo, cum quo nihil commune habet,condonat: quantò magis nos conſeruis & fratribus condonare debemus, cum quibus nos natura,conditio,vocatio coniunxit?

SExtum, ſi ea res angelis Dei gaudium facit ſi fiat, triſtitiam ſi omittatur parit, debemus condonare.

Septimum,

SEptimum, si eius rei ratio patri cælesti est reddenda, & hæc nobis exprobranda sunt; certè curandum est diligēter, ne in ea parte tam strictæ rationi obnoxij efficiamur: Serue, inquit, nequam, omne debitum dimisi tibi.

OCtauum, si alio modo nostra delicta nobis non condonabuntur; curandum est anxiè, vt condonemus: Nonné, inquit, oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum?

NOnum, si carcer, si tortor eam rem sequuntur; curandum est ea mala vt effugiamus. Tradidit, inquit, eum tortoribus.

DEcimum, si in inferno nulla redemptio, hic conueniendum est cum aduersario.

34 NOtandæ primò partes diuinæ bonitatis, docet, prouocat, terret, benignè condonat, condonat plura quàm petitur, condonat gratis, condonat seruo nequam & inutili: ex æquo disceptat cum eo, qui omni sermone indignus est: & patienter ac leniter eum conuincit, qui per se condemnatus est: ostenditque quo ipse sibiipsi priorem etiam gratiam subuertit, & ex eo vltionem adduxit. Et cùm non posset soluere, non eum scelestum nominauit, sed eius potius misertus est: quando verò erga conseruum suum non est motus compassionis affectu, hunc & scelestum appellauit & puniuit. Sicut enim, inquit Origenes, pius & misericors rex, non dixit imprimis ei, sibi oblato quasi debitori talentorum multorum, serue nequam & male: hoc enim reseruauit, vt non de pecunijs, sed de conseruo in carcerem misso diceret: tunc autem & improperauit ei de indulgentia debitorum donata propter petitionem. Audiamus nos, qui non compatimur, & horreamus; sciamus quòd ipsi nos ipsos omninò condemnamus: Dei misericordiam, quam erga nos exhibuit, subuertentes, suppliciumque æternum accersentes.

35 NOtandæ secundò partes humanæ prauitatis, increpat, suffocat fratrem, amicum, conseruum, idque rei paruæ causa, beneficij recens accepti obliuiscitur. Neque formam supplicationis veritus est, qua & ipse misericordiam percepit: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: neque sermone placatus est, per quem & ipse seruatus erat: neque à simili propriæ meminit calamitatis, sed permansit omni fera crudelior. Atqui non pro æquali erat supplicatio: ipse etenim pro talentis, hic pro denarijs rogabat: & ipse pro decem millibus, hic autem pro centum: & ipse dominum, hic autem conseruum: & dominus tantum debitum ipsi vniuersum remiserat, ipse verò neque dilationem conseruo dedit.

36 NOtandum tertiò, Deum omnipotentem non longo opus habiturum tempore, vt ponatur nobiscū ratio de omnibus actibus vitæ nostræ: quamùis in tanta seruorum multitudine necessarium multum tempus habere videatur, quo vsque ad finem perueniant omnia, quæ ab initio mundi vsque ad consumationem seculi, non vnius, sed multorum seculorum sunt gesta ab omnibus. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, vt vnusquisque sentiat proprios actus bonos, vel malos; citò omnia ab omnibus omni tempore gesta, singulis quibusq; faciet in mente ineffabiliter quadam virtute. Nec enim sicut nos volentes

lentes in mente facere alicui ea quæ fecit, opus habemus tempore sufficienti, ad consumationem eorum quæ dicuntur à nobis,& in memoriam rediguntur: sic & Deus opus habet tempus,volens nobis in mente facere omnia quæ gessimus in vita, vt cognoscentes vniuersa quæ fecimus, intelligamus propter quæ aut punimur aut honoramur.

NOtandum quartò, nihil esse quod magis offendat cælestem parentem, quàm ingratitudinē,ac recentis beneficij obliuionē:quę quidem beneficia ille non aliam ob causam in nos confert, quàm ob nomins sui glorificationem, & vt partem illorum in proximos nostros diffundamus, ac cum illis communicemus; quod quí non facit, eius abutitur beneficijs, quod in isto videmus. Notandum & illud,graue peccatum esse,post visitationem Domini non conuerti. 37

NOtandum quintò cum Euthymio,peccata quę in Deum committimus, infinitis modis plura esse his,quæ delinquunt in nos fratres nostri. Nam quisq; nostrum Deo debitor est, decem millium talentorum, hoc est multi ac magni reus debiti: debemus enim illi multas grauesque pœnas, propter magna grauiaque peccata. Quisque autem eorum qui in nos deliquerunt nobis debitor est centum denariorum, videlicet parui vilisque debiti, si conferatur ad decem millia talentorum. Cum ergo Deo tanta debeamus, nisi erga nostros debitores misericordia vsi fuerimus,subuertemus etiam quæ iam nobis supplicantibus remiserat: vt postmodum omnium pœnæ à nobis sine vlla compassione expetantur. 38

NOtandum sextò cum Propheta, graue talentum esse peccati, quod talentum plumbi vocat Zacharias: illud tamen sua munificentia superat æterni patris benignitas. 39

NOtandum septimò ex Hieronymo, formidolosam esse sententiam,si iuxta mentem nostram sententia Dei flectitur atque mutatur: si parua fratribus non dimittimus, magna à Deo nobis non dimitti. Et quia potest vnusquisq; dicere: Nihil habeo contra eum, ipse nouit, habet Deum iudicem, non mihi curæ est quid velit agere, ego ignoui ei; confirmat Dominus sententiam suam, & omnem simulationem fictæ pacis euertit dicens: Si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. 40

QVAESTIO D. AVGVSTINI. PRIMA. Quod Dominus dicit: Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, id est humilibus, quales vult esse discipulos suos; non obtemperando, vel etiam contraueniendo;sicut de Alexandro ærario Apostolus dicit: expedit ei vt mola asinaria suspendatur collo eius, & præcipitetur in profundum maris, id est, congruit ei, vt cupiditas rerum temporalium, cui stulti & cœci colligantur, eum deuinctum pondere suo deducat ad interitum. SECVNDA. Quòd oblatus est Domino debitor decem millium talentorum: & iussit eum venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi: intelligendum est decem præceptorum legis eum fuisse debitorem, & pro cupiditate atque operibus suis, tanquam vxore & filijs pœnas soluere debuisse,quod est pretium eius:pretium enim venditi,supplicium damnati intelligitur. Quod dixit: Noluit ignoscere conseruo suo, sed abijt, & misit eum 41

ſit eum in carcerem: & reliqua. Intelligendum, tenuit contra eum hunc animum, vt ſupplicia illi vellet. Conſerui autem qui narrauerunt domino quæ fiebant, poteſt intelligi Eccleſia, quæ & illum ſoluit, & illum ligat.

Caput XIX.



Apite decimonono repudium prohibet, castitatis limites ponit, paruulos ad ſe vocat, viam perfectionis præſcribit, auaritiam accuſat. Diues caput, continet ſimul & præcepta & conſilia perfectionis, qualia nullum aliud. Venit igitur Iesvs in Iudæam, congregantur tauri pingues, proponunt more ſuo quæſtionem, non vt diſcant, ſed vt capiant, & perdant. Proponunt autem quæſtionem difficilem, inuidioſam vſque adhuc, & quæ plerumq; principes offendere ſolet, quæ Ioannem, quæ Roſenſem, quæ Morum, quæ multos alios præſtantiſsimos viros perdidit, quæ tum in communi vſu ventilabatur, & contra quam plurimum delinquebatur: num ſcilicet liceat dimittere vxorem qualibet ex cauſa. Quantò enim deterior efficitur Reſpub. ad interitumq; propendet magis: tantò frequentiora diuortia fiunt, quæ ex ſuperbia & inſolentia naſcuntur. Ita Romæ quidem ad 500. annos nullum diuortium fuit; ac is qui primum fecit, iurauit ſe id feciſſe nullo vitio vxoris, ſed quòd tantum ſterilis eſſet. Idcircò vt in re odioſa Phariſæorum Scribarumque factio interrogat eum, vtrum liceat homini dimittere vxorem qualibet de cauſa, vt quaſi cornuto teneant eum ſyllogiſmo, & quodcunque reſponderit captioni pateat. Si dixerit dimittendas eſſe vxores qualibet ex cauſa, & ducendas alias; pudicitiæ ſibi prædicator videbitur dicere contraria. Si autem reſponderit, non omnem ob cauſam debere dimitti; quaſi ſacrilegij reus tenebitur, & aduerſus doctrinam Moyſi, ac per Moyſen Dei, facere iudicabitur. Igitur Dominus ſic reſponſionem temperat, vt decipulam eorum tranſeat, ſcripturam ſanctam ducens in teſtimonium, & naturalem legem, ne quidquam calumniari poſsint: primamque Dei ſententiā ſecundæ opponens, quę non voluntate Dei, ſed peccantium neceſsitate cōceſſa eſt. Non legiſtis, inquit, quia qui fecit hominem ab initio maſculum & fœminā fecit eos? Et dixit. Propter hoc dimittet homo patrē & matrē, & adhærebit vxori ſuę, & erunt duo in carne vna. Itaq; iam non ſunt duo ſed vna caro: quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Non dixit non legiſtis me feciſſe, nam hoc odioſum fuiſſet: non dicit pater fecit; ſed indifferenter ait: Qui fecit à principio, vt indicet communia eſſe opera Trinitatis. Tanta autem vis eſt coniugij, vt & parentes eius cauſa relinqui poſsint: Propter hoc, inquit, relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ. Quo loco tale argumentum latere videtur. Si parentibus non eſt licitum repudium, neque coniugibus. Quia arctius eſt vinculum coniugij, quàm parentum. Neque tamen ſtatim ſequitur, vt cùm quis vxorem accepit, debeat parentes relinquere: ſed res in comparatione verſatur, ſi alterutrum relinquendum eſſet, vxori potiùs adhærendum eſſe. Sed quid eſt quod in Geneſi hæc verba Adæ tribuuntur: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, hic autem Deo ipſi? An quòd ea quæ dixit Adam ex Deo eiusque inſtinctu dixit, itaque eius

 que eius

que eius sermo, Dei sermo fuit. Vna caro dicuntur propter affectum & copulam. Cuius totius doctrinæ sensus hic est, Deum & naturam à principio vnam solam fœminam viro despondisse, & ideò plures eum habere noluisse. Verùm diceret quis, vnam quidem quemuis habere debere vxorem, ea ratione, vt vnam repudiet & alteram accipiat: refellit id Dominus, eum nunquam quàm semel accepit vnam vxorem deserere posse: & ideò si alteram accipiat, duas habebit: quod ita Saluator demonstrat. Quemadmodum si quis membra sua & partem sui aliquam à se diuellere posſit, tamen illa non poteſt aliena esse, cùm sit pars eius: ita & vxor, cùm sit os ex osſibus, caro de carne, nunquam alteri poteſt, ita vt si centum alias accipias, illa tamen semper vxor tua erit. Quemadmodum igitur scelus est in duo diuidere vnam carnem, sic & mulierem à viro suo diripere, iniquisſimum est. Nec in hoc stetit, sed Deum quoq; attulit, inquit D. Chrysostomus. Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet. Ita ostendit & præter naturam, & contra legem esse repudium: præter naturam quidem; quia vna caro diuiditur: contra legem autem; quia cùm Deus coniunxerit, ac iusserit non separare, contra præcepta Dei fit, si separetur. Refert hæc Caluinus ad vtriusque speciei diuisionem in Sacramento, sed planè infulsè. Respondent deinde pharisæi, scripturam scripturæ more hæreticorum opponentes. Quid ergo Moyses mandauit dari libellum repudij & dimittere? Ait illis. Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permiſit vobis dimittere vxores vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis: Quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Respondet Dominus, non Dei, qui secum nunquam pugnare solet, sed Moysis fuisse hoc, non tam præceptum, quàm indultum; quod malitia illius gentis non tam illi persuasit, quàm ab illo extorsit. Sed eò amplius ostendit, nec ipsum Moysen causam eius fœditatis fuisse, sed ipsorum improbitatem & duritiam cordis. Probat autem nec Moysis, nec Dei legem istam fuisse; quia non fuit sic à principio: hoc est in statu naturæ institutum, sed hominibus lapsis per peccatum permissum est, propter maius malum vitandum, non tanquam licitum, sed sicut minus malum. Neq; enim legem tulit de repudijs, vt ea suo suffragio approbaret; sed cùm aliter restringi non posset improbitas, quod maximè tolerabile erat, remedium attulit; vt vir falsum vxoris pudicitiæ testimonium redderet. Lex enim non nisi in mulierum fauorem lata erat, ne postquam iniustè eiectæ essent, dedecus aliquod subirent. Vnde colligimus inflictam viris potiùs fuisse pœnam; quàm venia, aut permissu accensam fuisse eorum libidinem. Quod totum pulchrè explicat D. Hieronymus. Sola, inquit, fornicatio est, quæ vxoris vincat affectum, imò cùm illa vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit, à marito non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente scriptura: Qui adulteram tenet, stultus & impius est: vbi est fornicatio, ibi liberè vxor dimittitur. Et quia poterat accidere, vt aliquis calumniã faceret innocenti, & ob secundarum copulam nuptiarum veteri crimen impingeret; sic priorem dimittere iubetur vxorem, vt secundam prima viuente non habeat. Quod enim dicit, tale est: *Si non propter libidinem sed propter iniuriam dimittis vxorem; quare expertus infelices priores nuptias nouarum te immittis periculo?* Nec non quia poterat euenire, vt iuxta eandem legem vxor quoque marito alteri nuberet, eadem cautela præcipitur, ne secundum accipiat virum. Et quia meretrix, & quæ

semel

ſemel fuerat adultera,opprobrium non timebat:ſecundo præcipitur viro,quod ſi talem duxerit, ſub adulteri ſit crimine. Tunc autem iuxta Lyranum dimittenda eſt, ſi in peccato perſeueret: ne vir videatur eſſe fautor malitiæ eius. Et hoc intelligendum eſt, quantum ad cohabitationem, & debiti redditionem; non autem quantum ad vinculum, quod non ſoluitur niſi per mortem: quia remanet adhuc vinculum illius,dimiſſo viro priori.Et ex hoc verbo patet intellectus literæ immediatè præcedentis, quæ defectiua eſt: quia eadem ratione, qua vxor dimiſſa propter fornicationem, non poteſt duci ab altero viro; ſic nec vir eam dimittens poteſt ducere alteram: quia æqualiter manet vinculum matrimonij ex vtraque parte. Ratio autem huius eſt: quia matrimonium eſt coniunctio maris & fœminæ ad educationem,ad cultum diuinum multiplicãdum. Ad hoc autem, quòd proles ſit apta ad cultum diuinum, & poſsit ſibi ſufficere poſt emancipationem à parentibus,requiritur magnus temporis tractus: quia oportet filium generari, educari & doceri, & ſibi de neceſſarijs vitæ à parentibus prouideri. Quia ſecundùm quod dicit Apoſtolus, Parentes debent theſaurizare filijs, & non filij parentibus. Quia autem in alijs animalibus & auibus filij nati in modico tempore ſunt ſufficientes victum ſibi quærere: ideò maſculus & fœmina non coniunguntur inſeparabiliter per totam vitam; ſed tantùm ſpe educationis filiorum. At inter homines,quia interim antequam primus ſit ſufficienter educatus, naſcuntur vel ſaltem poſſunt naſci alij, quibus ſimiliter oportet per parẽtes prouideri, ad quod requiritur vlterior tractus tẽporis magnus, inde eſt, quòd matrimonium neceſſariò inſeparabile eſſe debet. Iubet autem adulteram eijcere, nec permittit eam cuiquam accipere: primùm propter fœtus confuſionem,&propter dubitationem cuius ſit id,quod pariendum eſſet: deinde,quia triſte putabat & incõueniens eadem natura,liberos eoſdem ſimul cum tempore, & matrem & nouercam videre & compellare poſſe.

2 NOtandum primò, quemadmodum primus creator omnium à principio monogamiam ſanxit & confirmauit: ita & naturam ipſam,legemq́ue eius ſempiternam, rationem denique ipſam hoc idem voluiſſe, hoc idem docuiſſe. Ita Heſiodus prima initia domus ac ſocietatis humanæ ponit iſta, virum, fœminãq́ue, bouemq́ue aratorem: quod idem Ariſtoteles,elementa ciuitatis ſtatuens, in principio ſuorum Polyticorum repetit. Plato certè non duos ſolùm dicit à principio conſtitutos, ſed vnum tantùm cohærentem, ac ex duobus conſtantem marem & fœminam: quos poſtea ob arrogantiam dij ſecuerunt, ac duos eſſe voluerunt, vt vnuſquiſq; medium ſuum quærat & amet.

3 NOtat ſecundò D. Hieronymus, præmium nuptiarum eſſe, vt ex duabus vna caro fiat,caſtitas iuncta ſpiritui, vnum efficiat ſpiritum.Idem notat D. Hieronymus,Deũ coniũgere vnam carnem faciendo carnem viri & fœminæ, hanc hominem non poſſe ſeparare, niſi forſitan ſolum Deum. Homo ſeparat,quando propter deſiderium ſecundæ vxoris primam dimittit. Deus ſeparat,qui & coniunxerat, quando ex conſenſu propter ſeruitutem Dei(eò quòd tempus in arcto ſit) ſic habemus vxores,quaſi non habentes: ridet hæc omnia & negat hæreſis.

4 NOtandũ tertiò,verba iſta: Propter hoc dimittet homo patrẽ,Adami eſſe in ſpiritu Dei prophetantis,primò de vxore ſua,quam ipſe nunquam antea cùm

vidisset ex somnio cognouit: deinde de Ecclesia, quæ similiter ex latere alterius Adam educi debuit, sic loquitur, ac si præsentem videat. Notat hæc D. Paulus: Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.

5 NOtandum quartò, quantum ad aliam causam diuortij, quam ipse Paulus assignare videtur, propter disparem religionem, vbi gentilis christianam coniugem repudiat ac reijcit, in ea parte nihil peccati inesse. Sic enim scribit D. Paulus: Quod si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi, in pace autem vocauit nos Deus. Vnde enim scis mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis vir, si mulierem saluam facies? nisi vnicuique sicut diuisit Dominus, vnumquemque sicut vocauit Deus, ita ambulet: & sicut in omnibus Ecclesijs doceo. Vnde patet D. Paulum alienationi à Deo ac offensioni diuinæ dissidium cum homine mortali anteferre. Hæc autem de merè infidelibus dicere videtur. Nam de hæreticis non idem puto esse iudicium, cum quibus melius est iugum non subire, quàm subitum deserere.

6 NOtandum quintò, commune ac proprium esse ius vtriusque partis, hoc est mariti & vxoris, sicuti mutua & par est fidei obligatio, tam viri, quàm vxoris. Dico autem vobis, inquit, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliã duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.

7 NOtandum sextò, si adultera ex lege lapidabatur, quorsum repudium? An id pendebat ex voluntate mariti, num illam lapidari velit, an tantummodo dimittere? Si tale crimen erat, cuius solus maritus conscius fuit, dimittebatur, præsertim marito non instigante. An hoc de publico & notorio adulterio intelligebatur tantùm? an tum per abusum negligebatur?

8 NOtandum septimò, virum meretricem quidem dimittere debere, malè autem morigeratam castigare & tenere: idque tribus modis. Primùm docendo secundùm Deum: si autem contempserit timorem Dei improperando, vt vel homines erubescat: si nec pudorem sentit frequenter confusa, faciat illi quod præcepit Salomon: Cor durum baculo percute. Ergo primùm admone, quia multum proficit doctrina iustitiæ. Deinde confunde, quia frequenter & pudor frænum est vitiorum. Tertiò, iustum est vt castigetur quasi ancilla, quæ erubescere nescit vt libera. Pulchrè autem hoc loco author operis imperfecti describit mulierem. Quid aliud, inquit, est mulier, nisi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, necessarium malum, naturalis tentatio, desiderabilis calamitas, domesticum periculum, delectabile detrimentum, mali natura boni colore depicta?

9 NOtandũ octauò, turpiter errasse, dum alios insimulat erroris, Caluinum. Ea enim diuortia, quæ fornicationis causa suscipiuntur, libera esse ex vtraque parte ad alias vxores accipiendas docet, quod primùm cum recta ratione pugnat: nam hac ratione melior esset conditio eorum diuortiorum, quæ adulterij causa fiunt quàm aliorum, quod & cogitare turpissimum est: tum hac eadem ratione multi spontè adulteria committerent, vt ab illis quæ illis inuisæ sunt, & quas oderunt liberentur: sed etiam cum superiori doctrina Christi id pugnat, & Christi clara sunt verba: qui dimissam duxerit, de eo diuortio dicitur, quod fornicatio-

fornicationis causa fuit, nam alia omninò prohibentur: & apud D. Paulum communiter de omni diuortio oratio instituta. Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super terram. Et si vxor dimiserit virum suum, & alij nupserit, mœchatur. Iis autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro suo non discedere. Quod totum præclarè docet Augustinus. Non est ergo, inquit, quòd exhortemur eos qui reconciliari timent coniugibus adulteris pœnitendo sanatis, nisi ad custodiendum continentiam: quoniam mulier alligata, quàm diu siue mœchus siue castus vir eius viuit, mœchatur si alteri nupserit: & vir alligatus, quàmdiu siue mœcha, siue casta vxor eius viuit, mœchatur si alteram duxerit. Hæc namque alligatio, quandoquidem non soluitur etiamsi per repudium vxor casto corpore separetur; multò minus separatur, si non separata mœchatur: ac per hoc eam non soluit, nisi mors coniugis, non in alterum corruentis, sed de corpore exeuntis. Sed quæ æquitas, vt vno peccante vterque puniri debeat, ita vt alteram vxorem ducere non posit? an quod fieri non potest, vt vterq; eius mali occasionem nō dederit? an propter educationem susceptorum liberorum? an vt reconcilientur, & ad se redeant? an eam ob causam, vt ita viuant, ac inter se gerant quasi semper secum victuri, nec vnquam aliud iugum subituri? Hæc ille de adulterinis coniugijs cap. 13. lib. 2.

10 NOtandum nonò ex Irenæo, præcepta quædam posita Iudęis propter duritiam illorum, & quòd nollent esse subiecti. Manifestauit hoc Dominus cùm dixissent ei: Quare ergo præcepit Moyses dare libellum repudij, & remittere vxorem? dicens eis. Hæc vobis propter duritiam cordis vestri permisit: ab initio autem non ita factum est: Moysen quidem excusans, quasi fidelem seruum, vnum autem qui ab initio masculum & fœminam fecit Deum confitens: illos autem arguens tanquam duros & non subiectos, & propter hoc aptum duritiæ eorum repudij præceptum à Moyse accipientes.

11 NOtandum decimò, pro tempore ac ingenijs hominum sine crimine aliquando mutari mores & leges: quomodo in naturali lege nulla erant diuortia, in lege Moysi, propter duritiam cordis Iudæorum sunt permissa: in lege Christi sunt penitus (excepta fornicationis causa) sublata. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quòd si dormierit vir eius, liberata est à lege, cui vult nubat, tantùm in Domino. Beatior autem erit, si sic permanserit secundùm meum consilium. Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeā, inquit Paulus.

12 NOtandum vndecimò, quæ sit causa tanti sacramenti, tantæ sanctitatis eius nexus. Quia bonum quantò melius, tantò communius, suiq; magis communicatiuū. Cùm igitur Deus sit summū & optimum bonum: duo autem in illo eluceant, summa castitas, & summa fœcunditas: vtriusq; hominem esse participem voluit. Ad conseruandam castitatem remouit vagos concubitus: ad retinendam fœcunditatem dedit matrimonij sacramentum, originem generis humani, Rerumpub. cæli etiam seminarium, neq; quodùis sacramentum, sed magnum in Christo & Ecclesia: vt igitur hîc est nexus sempiternus & inseparabilis, ita & illic.

13 NOtandum duodecimò, Origenē dimissionem patris & matris pulchrè ad Christum

Christum & Ecclesiam retulisse. Sed & Christus, inquit, vir reliquit patrem propter Ecclesiam, cum quo erat, cùm in forma Dei esset: reliquit etiam matrem cùm esset & filius Ierusalem, quæ erat sursum, secundùm corpus: & coniunctus est vxori suæ, isti quæ ceciderat huc, & facti sunt in carne vna. Propterea enim & ipse caro factus est, cùm esset verbum, & habitauit in nobis: & sunt vna caro, quoniam de muliere Ecclesia dicitur: Vos estis corpus Christi, & membra ex membro.

NOtandum vltimò, adulterij maximum esse malum, grauem malorum poenam. Itaque Saluator summam diuortiorum absurditatem, maximam poenam declarans, non aliam proponit, quàm quòd moechatur cum illa. Quòd si repudiata abuti scelus est lethale, quid cõiugata? Hęc non videt mundus & perit. Grauitatem eius sceleris designat Iob in lege naturæ. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruentur alij. Hoc enim nefas est & iniquitas maxima, ignis vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina. Notanda denique pulcherrima matrimonij benedictio in lib. Ruth cap. 4. Faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, sicut Rachel & Liam, quæ ædificauerunt domum Israël; vt sit exemplum virtutis in Efrata, & habeat celebre nomen in Bethleem: fiatque domus tua sicut domus Phares, quē Thamar peperit Iudæ de semine, quod tibi dederit Dominus ex hac puella. 14

SERIES Euangelij.

DEterriti rigore legis matrimonij discipuli, ac insolubili nexu, graue iugum esse dicunt, ac melius esse vt non nubatur affirmant. Onerosum enim ac durum valde illis videbatur, inquit Chrysostomus, omni nequitia plenam mulierem retinere, & tam atrocem beluam in penetralibus domus sæuientem fouere: ac ea ratione Dominum à præceptis ad consilia, à coniugio ad continentiam & virginitatem, à trigesimo fructu ad centenarium transire faciunt. Nam si ipsius tantum fornicationis causa vxor dimitti potest: si hæc est causa hominis cum vxore, si eam ob causam iuncti & conglutinati sunt, vt vnum sint & inseparabiles per totam maneant vitam: quid si erit temulenta, si iracunda, si malis moribus, si luxuriosa, si gulosa, si vaga, si iurgatrix, si maledica? tenenda erit istiusmodi: volumus nolumus sustinenda est. Cùm enim essemus liberi, voluntariæ nos subiecimus seruituti. Videntes ergo Apostoli hoc tam graue iugum vxoris, proferunt motum animi sui, & dicunt: Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere. Non negat bonus magister, onus & iugum matrimonij esse difficile: non negat & illud, sine vxore permanere bonum esse: sed illud docet, non omnes capere id posse, non omnibus id conuenire, non omnibus datum esse: atque ita sapienter doctrinam & consilium suum temperat, vt & præsumptionem auferat, vtpotè in re difficili; & desperationem, vt quam multi consecuti sunt, & siue spontè, siue inuiti perferunt: Non omnes, inquit, capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Altus est status, ad quem infirmi non possunt ascendere. Nemo autem putet, inquit Hieronymus, sub hoc verbo vel fatum, vel fortunam introduci; quòd hi sint virgines quibus à Deo datum sit, aut quos quidam casus ad hoc adduxerit: sed his datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent, laborauerunt. Omni enim petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur. Posibilitatem igitur facti simul cum exhortatione demon- 15

ne demonſtrat per enumerationem eorum qui hæc ſuſtinent & perferunt. Ponit igitur tria genera eunuchorum, id eſt, caſtratorum, qui tantam flammam ignis ſuſtinere poſſunt. Sunt, inquit, eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum. In vno poſuit, inquit Hilarius, naturam, in altero neceſsitatem, in tertio voluntatem. Naturam in eo qui ita naſcitur: neceſsitatem in eo qui ita factus eſt: voluntatem in illo, qui ſpe regni cęleſtis talis eſſe decreuerit, cui nos ſimiles effici, ſi ita poſsimus, admonuit. His omnibus ad optandam eligendamque virginitatem inducit. Poſsibile namq; id eſſe hominibus, hoc ferè modo confirmat. Cogita tecum, ſi aut natura eunuchus eſſes, aut iniuria hominum ſic effectus, quid faceres, cùm & huiuſmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem conſequereris? Gratias igitur Deo agas: quia magna præmia, rutilanteſque coronas habebis; ſi ita viues, quemadmodum ſine aliquo illi præmio: imò verò multò facilius, tutius atq; iucundius: tum quia ſpe retributionis corroboraris; tum quia conſcientia virtutis gaudes. Cùm ergo de ijs eunuchis dixerit, qui niſi etiam ipſi mente ſe contineant, fruſtrà & incaſſum tales ſunt: ac de ijs qui vt cælos nanciſcantur, ſe continent: ſubiunxit rurſus dicens: Qui poteſt capere, capiat. Ita magis animat, atq; incendit: vel quia magnitudinem virtutis oſtendit; vel quia inæſtimabili miſericordia ſua noluit rem in neceſsitatem legis concludere, & ad hæc poſsibile id eſſe monſtrat, vt eligendi cupiditas creſcere poſsit. Loci iſtius interpretationem ex Hieronymo iuuat adſcribere. Triplex genus eſt eunuchorum, duorum carnalium, & tertij ſpiritualis. Alij ſunt qui de matris vtero ſic naſcuntur: alij ſunt quos vel captiuitas facit, vel delitiæ matronales: tertij ſunt, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, & qui cùm poſſent eſſe viri, propter Chriſtum eunuchi fiunt; iſtis promittitur præmium: ſuperioribus autem, quibus caſtimoniæ neceſsitas, non voluntas eſt, nihil omninò debetur. Poſſumus & aliter dicere. Eunuchi ſunt ex vtero matris, qui frigidioris naturę ſunt, nec libidinis appetentes: & alij qui ab hominibus fiunt, quos aut philoſophi faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in fœminas, vel perſuaſione hæretica ſimulant caſtitatem, vt mentiantur religionis veritatem, ſed nullum eorum conſequitur regnum cælorum, niſi qui ſe caſtrauerunt propter Chriſtum. Addit de eiſdem caſtrationibus Euthymius, primam nullam ſuſtinere calumniam, ſecundam vituperari, tertiam verò laudabilem eſſe, eorum videlicet, qui ſeipſos caſtrauerunt, vt regnum cælorum conſequerentur, non nouacula ferrea exſecantes genitalia, ſed continentia inſaniam concupiſcentiæ amputantes, & amore virginitatis, coitus amorem emarceſcere ſinentes. Quorum enim naturam manus humana transformauit, ferrumq; deprauauit; non tantùm ob ſeruatam virginitatem laudantur, quantum hi qui veluti libidinis accuſati vltionem ſuſceperunt, quæ id etiam vincat, quod à ferro eſt auxilium. Reliquit igitur rem in voluntate. Qui poteſt capere, capiat, hortantis vox eſt, & milites ſuos ad præmium pudicitiæ concitantis, ac ſi dicat: qui poteſt pugnare pugnet, ſuperet ac triumphet.

16 NOtandum igitur imprimis hoc loco, Chriſtum Dominum à virginitate, omniq; caſtitate non deterrere, vt putat hæreſis: ſed potiùs ad eam cohortari, ac vbi ſemel illam amplexi ſumus, eam conſtanter & grauiter colere, & ideo

non temerè nec leuiter, ſed maturè & deliberatè ad eam, exploratis viribus, debere accedere. Docet hoc D. Hieronymus. Quod,inquit,Chriſtus dicit,qui poteſt capere capiat, vt vnuſquiſq; vires ſuas exploret,vtrum poſsit virginalia & pudicitiæ implere præcepta. Per ſe enim caſtitas blanda eſt, & quemlibet ad ſe alliciens, ſed conſiderandæ vires ſunt, vt qui poteſt capere capiat.

17 NOtanda ſecundò, grauiſsima quinq; argumenta ad perſuaſionem virginitatis hoc loco, à Saluatore poſita. Primùm ab exaggeratione incommodorum matrimonij, quod iam ex Hieronymo audiuimus. Deinde ab eius excellentia & dignitate, quòd non res quædam vilis & humana ſit, ſed gratia ac donum Dei, dona autem Dei ſunt perfecta. Quibus datum eſt. Tertiò à ſingularitate, quòd non ſit res communis, ſed paucis quibuſdam munere diuino communicata. Non omnes capiunt verbum iſtud. Quartò à difficultate ipſa, difficilia ſiquidem pulchra. Vltimò, quòd etſi difficilis, tamen non impoſsibilis, Qui poteſt capere capiat, cùm ſit donum Dei, à quo omnia bona facilè impetrari ſolent, qui omnibus dat, & nulli exprobrat, vt ſcribit Iacobus.

18 NOtandum tertiò, virginitatem Dei donum eſſe, quod iam multis ante ſeculis docuerat Salomon. Puer, inquit, eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus coinquinatum: & vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat ſumma ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum. Similiter Paulus: Vnuſquiſq; proprium donum habet ex Deo,alius quidem ſic,alius autem ſic. Quamuìs autem virginitas Dei donum, non tamen tale, quod otioſis ac negligentibus, & incautis donetur, ſed multum vigilantibus, ac Deum deprecantibus. Ideo addit Salomon: Adij Dominum,& deprecatus ſum illum ex totis præcordijs meis. &c.Petite enim,ait,& dabitur vobis,petentibus,inquam,non ſimpliciter, ſed feruenter & perſeueranter, & vt ſemel dicam ſicut oportet. Quod item veteres patres docent, ſolos illos ſermonem hunc ſuſcipere & ferre, quibus datum eſt à Deo,datum autem eſt his qui petiuerunt. Significatum eſt ergo virginitatem Dei donum eſſe, datum his qui petunt vt oportet.

19 NOtandum quartò, neminem hunc locum melius expoſuiſſe, quàm ipſe Paulus expoſuit illo loco. De virginibus præceptum Domini non habeo,conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis, exiſtimo enim hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſsitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem, ſolutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco. Qui idem Catholicæ Eccleſiæ eſt ſenſus, quæ idem docet, vt qui poteſt capere capiat. Ad virginitatem neminem cogit: ſi tamen quis ſpontanea voluntate ſe Deo deuouit, hunc vota cum Dauide Deo ſoluere iubet, hunc primam irritam fidem facere cum Paulo prohibet, contrà quàm facit & docet hæreſis.

20 NOtandum quintò, duo genera hominum eſſe, quæ contra hunc ſenſum ſcripturæ, ac Eccleſiæ Dei peccant: primum illud, quod cùm ſe vireſque ſuas in perferendis ęſtibus humanis probaſſet nunquam,nullas ardentes preces pro

ea re

ea re ad Deum vnquam fudiſſet, nullum ſui experimentum dediſſet an capere poſſet, deſperata tota cauſa, in liberius cœnum ſe ſubitò conijcit, quales huius ſeculi hæretici ſunt planè omnes. Secundum genus hominum eſt, qui cùm nunquam vires ſuas continentiamq; ſuam probaſſent, vel honorum tamen cauſa, vel fortunarum nouis votis quibus pares eſſe non poſſunt, ſe obligant, ac nouos ordines, qui à caſtitate ſeparari non poſſunt, magno aliorum ſcandalo & ſua damnatione accipiunt. Quomodo & illi, qui cùm plurimos annos caſtè vixiſſent, æſtusque iuueniles rectè ſuperaſſent, ſenes demùm iugo abiecto noui fiunt mariti; quomodo Lutherus, & reliqua huius ſeculi hæreticorum fex fecit.

21 NOtandum ſextò, quemadmodum primum & ſecundum genus eunuchorum, de quibus dictum eſt, nullum refert præmium, niſi fortè patientiæ, ſi fortiter & patienter conditionem ſuam fert; ita hoc tertium, contrà quàm mentitur Caluinus, maximum habet propoſitum præmium, quod Iſaias explicat: Et non dicat eunuchus, hoc eſt ille, qui ſe propter regnum cælorum caſtrauit, & Gregorio teſte, qui compreſsis motibus carnis affectum in ſe praui operis abſcidit, lignum ſum aridum, ſterilis ac inutilis ſum, nulla præmia carnis noui, neq; illum pœniteat ſortis & conditionis ſuæ. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, (Caſtitas enim ſine bono opere nihil valet) dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus. Nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.

22 NOtandum ſeptimò, Deum non tantùm impoſsibilia nobis non præcipere, ſed ne difficilia quidem, contrà quàm mentitur Caluinus, & alij hæretici. Ideò nunc virginale decus, quod aliquid in ſe difficultatis habere videtur, non præcipit, ſed conſulit miſericors & miſerator Dominus, ne puniat ea, quæ facilè præſtari non poſſunt.

23 NOtandum octauò, ad omnem actum virtutis motu liberi arbitrij opus eſſe, contrà quàm negat Caluinus: nam & in virginitate, etiamſi donum ſit, Dominus tamen motum liberi arbitrij noſtri requirit, Qui, inquit, poteſt capere capiat: quod idem in eadem re adnotauit D. Paulus: Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſsitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuam, benefacit; & qui non iungit, melius facit.

24 NOtandæ nonò ſunt circa hunc locum quatuor gemmæ atq; grana Caluini. Primum, de neceſsitate matrimonij: Deus, inquit, qui pronunciauit bonum eſſe, vt viro adiutrix ſit mulier, contempti ſui ordinis pœnam exiget, quia nimium ſibi arrogant mortales, dum ſe à cæleſti vocatione eximere tentant. Quo ſtante, tum illud Chriſti locum nullum habebit: Qui poteſt capere capiat: cùm iuxta iſtum non liceat capere, Deusque vindex ſit in eos, qui capere velint. Tum & ipſum donum caſtitatis fruſtrà datur, cùm illud prehendere per iſtum non liceat. Secunda gemma & granum illud eſt de his, qui caſtitatem eligunt: vnde ſequitur, alios omnes, qui à coniugio abhorrent, ſacrilega audacia (gigantum more) cum Deo pugnare. Hoc igitur modo vterq; D. Ioannes, hoc modo virgo ſancta, hoc modo D. Paulus, hoc modo multa reliqua millia virginum cum

num cum Deo pugnauerunt: hoc modo hi omnes, de quibus Christus dicit illis datum esse, & qui se propter regnum Dei castrauerunt: hæc fidus interpres non videt, sed isti omnes, quos ipse tertia linea ponit: Vt, inquit, curis omnibus soluti, sese alacrius ad pietatis officia accingant. Tertius flosculus, in quo ostendit virginitatem, omnemque castitatem meritoriam non esse. Insulsè, inquit, exponunt multi ad promerendam æternam vitam, quasi cœlibatus meritorium aliquem cultum in se contineat, sicuti Papistę fingunt statum esse angelicum. Atqui ista non est expositio, sed textus & verborum Christi euersio, qui se castrauerunt propter regnum cælorum, non alio sensu, nisi vt consequantur illud. Quomodo Scęuola manum suam propter gloriam adusisse dicitur. Et Dauid cor suum inclinasse ad iustificationes Domini, propter retributionem. Quarta gemma est, iudicium de S. Hieronymi ingenio. Hieronymus, inquit, nimis luculentum maligni, peruersiq; ingenij specimen in eo edidit. Tu autem insani & perditi. Sic isti sanctos Dei, sic patres veteres, sic doctores Ecclesiæ, sic columnas fidei Christianæ tractare solent, sic de illis loqui & sentire, dignissimi, quibus cœno ora obstruantur.

ET ecce offeruntur illi paruuli tanquam viro iusto, prophetæ ac vero filio Dei, vt manus eis imponat, & oraret more veterum prophetarum atque iustorum super eos & pro eis. Tunc oblati sunt ei, inquit, paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret: discipuli autem dum nolunt magistrum turbari, increpabant eos. Non quòd nollent eis saluatoris & manu & voce benedici, sed quòd nec dum plenissimam habentes fidem, putarent eum in similitudinem hominum offerentium importunitate lassari. Cum tumultu credo matres filios obtrudebant. Iesus verò ait illis: sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire. Iubet Dominus sini & admitti eos, vt veniant ad se, vt probaret se esse filium illius, qui alta à longe cognoscit, & humilia respicit in cælo & in terra, talium enim est regnum cælorum. Addit Marcus: Et amplexabatur eos. Significanter autem dixit talium, non istorum, vt ostenderet, non ætatem regnare sed mores, & his qui similem haberent innocentiam & simplicitatem præmium repromitti. Apostolo quoq; in eandem sententiam congruente. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensu autem vt perfecti sitis. Talium est, inquit author operis imperfecti, regnum cælorum, qui casti sunt ex virtute, sicut pueri ex ætate. Talium est, qui simplices oculos habent sicut pueri, & non cognoscunt differentias personarum. Ecce enim puer, si viderit hominem, nihil aliud videt in eo, nisi hoc solum quia homo est: non dignitatem eius intelligit, non considerat vestem ipsius. Vir autem perfectus, cùm hominem viderit, non aspicit quia homo est; sed statim cogitat de dignitate illius, & æstimat vestimenta ipsius. Vides ergò, quia sapientior est imperfectus puer, quàm perfectus vir? Vir enim non hominem aspicit, quem Deus fecit Dominus: sed ornatum, quem diabolus adinuenit. Puer autem non ornatum aspicit, quem diabolus adinuenit; sed hominem, quem Deus creauit. Priusquam puer veneno diabolico mundialis malitiæ repletus fuerit, cognoscit opus factoris: cùm verò inebriatus fuerit mundi spiritu, iam non aspicit opus factoris, sed illecebras corruptoris. Quemadmodum autem superius in eunuchis commendauit nobis virginitatem & castitatem: ita nunc in paruulis commendat, ac author est voluntariæ obedientiæ. Totum hunc locum refert Hilarius ad vocationem gentium.

Notandum

26 NOtandum primò, impositionem manuum, vt antiquissimum, ita sanctissimum ritum & cæremoniam esse: significauit enim virtutis & protectionis diuinæ repræsentationem; quomodo Isaac per impositionem manuum suarum Iacobo & Esau filijs suis, Iacob duodecim futuris patriarchis, Ioseph filijs suis Manasse & Ephraim benedixerunt. Præsens locus, inquit D. Chrysostomus, instruit omnes parentes, vt filios suos indesinenter sacerdotibus offerant, offerant Christo. Non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cuius nomine manus imponitur.

27 SEcundò notandum, meritò Ecclesiam Dei hac eadem cæremonia in primarijs vti sacramentis, Baptismo, & collatione sacramentorum, ordinum primorum, antistitum creatione, quod hæresis ridet & contemnit.

28 TErtiò notandum, illos, qui paruulos à Christo arcent, esse hoc tempore insidiosos & fallaces Anabaptistas, qui infantes à baptismo arcent, in quo primus est ad Christum accessus, prima incorporatio, ad quorum refutationem Christus Dominus non modò paruulos recipit, sed etiam osculatur, amplexatur eos; qui accessum illorum prohibent, obiurgat. Et cùm accepisset eos in vlnas, impositis super eos manibus, benedixit illis.

29 QVartò notandum, illos, Apostolos, Apostolicosq; viros à Christo arcere, qui homines simplices vel ad pœnitentiam accedentes repellunt, vel seuerius tractãt, vel alia sacraméta illis gratis & libéter non impertiũt, eosq; inde deterrent. Quibus duobus locis, nihil mutatis verbis, per Ieremiam grauissimè Dominus comminatur: Curabant, inquit, contritionem filiæ populi mei cum ignominia. Et qualis illa apud Dionysium Areopagitam Demophili monachi obiurgatio, Epistola.

Hierem. 6 & 8.

30 NOtandum quintò, illos item Apostolicos viros non minus à Christo arcere, sed exitiosius longè, qui parochos & curæ animarum præfectos à suis ouibus, quæ sunt membra Christi, auocant, ac ad sua seruitia, profanaque munera & officia auertunt.

31 NOtandum sextò, graui superbia & contumeliarum scelere se illos obligare, qui summi Pontificis, Apostolicorum virorum, qui Christi personam in mundo gerunt, benedictionem ac manuum impositionem contemnunt, quam Christus hîc in maximi doni loco paruulis istis impartitur.

32 NOtandum septimò, nullum frequentius ac celebrius in tota scriptura axioma esse quàm hoc, Deum superbis resistere, humilibus autem dare gratiam & benedictionem, quod iam multoties audiuimus, & quod nunc in admissione paruulorum conspicimus.

33 NOtanda octauò sunt duo insignia Caluini ab hoc loco alienissimè posita mendacia. Primum est. Videmus, inquit, quid in Papatu acciderit, magno se Christo deferre honorem putant, si coram panis frustulo se prosternant: fœtida coram Deo abominatio, fœdum mandatum, Et fœdum mendacium: Papistæ enim sub speciebus panis & vini Christum adorant, non ipsum panem & vinum. Rursus, inquit, quia non honorificum putabant esse nomen, aduocati

obire pro nobis munus, innumeros sibi patronos creârunt, atqui hoc modo ereptus ei mediatoris honor. Et hoc crudum mendacium est:nam & nos vim & dignitatem mediatoris cum Paulo agnoscimus, & sanctos tanquam amicos Dei, ipsi peccatores nobis adiungimus.

FIt deinde transitus à virginitate, obedientia, ad voluntariam paupertatem, quod est tertium inter Christi consilia. Ecce accedit vnus, quærit, magister bone, quid boni faciam, vt vitam æternam possideam? qui dicit ei: quid me interrogas de bono, vnus est bonus, Deus: si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Interrogat iste quæ mandata: recenset eadem mandata Dominus. dicit ille hæc se à iuuentute seruasse: perfectionem hic quærit,quid adhuc desit: addit præceptis consilium Dominus: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, & veni sequere me. Iste autem qui interrogat, quomodo vitam consequatur æternam,adolescens est, & diues, & superbus: & iuxta alium Euangelistam, non voto discentis, sed tentantis interrogat. Aliud tamen putant Græci,inter quos Euthymius. Non erat hic, inquit, adolescens dolosus aut fictus, vt aiunt quidam, neque intuitus illum Iesus dilexisset eum,quod dixit Marcus; sed in cæteris quidem bonus erat, vitæque cupidus æternæ, sed auaritiæ spina pingue suæ animæ aruum perdiderat. Quisquis tamen ille erat, qui magistrum vocauerat bonum & non Deum, vel Dei filium confessus erat didicit, quamùis sanctum hominem comparatione Dei non esse bonum, de quo dicitur: Confitemini Domino quoniam bonus. Ne quis autem putet in eo quod bonus dicitur,excludi à bonitate Dei filium,legimus in alio loco: Pastor bonus,ponit animam pro ouibus suis. Et in propheta: Spiritum bonum terramque bonam. Igitur & Saluator non bonitatis testimonium renuit, sed magistri absq; Deo exclusit errorem: Quid me, inquit,interrogas de bono? Vnus est bonus Deus. Hoc autem dixit,non homines priuans bonitate,sed eam quæ propriè Dei bonitas est nos docuit, simulque adulationem repulit, & instruxit nos, ne falsis laudibus assentiamur. Addit principaliora præcepta,proponit vt ea testimonio & autho ritate sua confirmet & honoret. Si autem vis, inquit, ad vitam ingredi, serua mandata. Dicit illi, quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies. Non adulterabis. Non facies furtum. Non falsum testimonium dices. Honora patrem tuum & matrem, & diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed cur præcepta primæ tabulæ omisit? an quod hæc ex illis indicentur & se prodant: qui enim non diligit proximum quem videt, Deum,quem non videt,quomodo diliget? an quòd præcepta primæ tabulæ magis in cognitione, quàm in actione consistant? Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deest? Mentiebatur, teste Hieronymo, hic adolescens. Si enim quod positum est in mandatis: Diliges Dominum, & proximum tuum sicut teipsum, opere complesset; quomodo postea audiens, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, tristis recessit? quia habebat possessiones multas. In præceptis legalibus actiua vita commendabatur, de cuius perfectione gloriantem ad Euangelicæ contemplationis decorem saluator transmisit. Additque consilium præcepto, vt dixi,vt eum vel instrueret,vel eius simulationem proderet,dicens: Vade & vende quæ habes, & da pauperibus,& habebis thesaurum in cælo: dixit hoc consolans eius auaritiam,ac promittens,quòd iterum thesaurum reconderet,

deret, nec id tantùm, ſed & quid melius, quia in cælo. Vocabat autem theſaurum in cælo bonorum retributionem operum, qui ibi his qui digni fuerint repoſitus eſt. Quod autem addit, Veni ſequere me, tantundē eſt ac ſi dicat: gradere iuxta veſtigia meæ conuerſationis, ſequere mea præcepta, hoc enim tibi deficit, quia legalia adimpleſti. Refugit hic tanquam anguem pede preſſum: erat enim multas habens poſſeſsiones, hoc eſt multas ſpinas, quæ illum retinebant, ac retrahebant, & quæ ſementem Domini opprimebant. Subijcit his verbis talem occupationem Origenes: Non ſic, inquit, debemus intelligere, vt in ipſa die, vel in ipſo tempore quo tradiderit bona ſua pauperibus, efficiatur omninò perfectus; ſed conſequenter: ex illa quidem die incipiet ſpeculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes, vt incipiat ex eo proficere, ſicut Iſaac propter adiutorium Dei collatum in ſe, & magis atque magis creſcet per ſingulos dies, donec adiutus ſicut Iſaac magnus efficiatur valdè in omni virtute, omni videlicet malitia auulſa ab anima eius. Et ſic, qui hanc expoſitionem defendere vult, dicere non cogetur perfectum hominem fieri, per hoc ipſum, quòd tradiderit bona ſua pauperibus, alias delinquentem. Cùm audiſſet autem adoleſcens verbum, abijt triſtis, triſtatus triſtitia ſeculi, quæ mortem operatur. Erat enim habens poſſeſsiones multas, quas diligebat. Si intelligere vis hiſtoriam ſecundùm expoſitionem aliquorum, in dimidio inuenis hunc adoleſcentem laudabilem, in medio autem vituperabilem. Laudabilem quidem, quia nec occidit, nec adulteratus eſt, nec aliquid eorum fecit quæ prohibet lex: ſed adhuc adoleſcens conſtitutus honorauit patrem & matrem. Vituperabilem autem, quia triſtatus eſt in verbis Chriſti, vocantibus eum ad perfectionem, & promittentibus ei, vt ſi tradidiſſet omnia quæ habebat, magnus efficeretur. Hinc Dominus ſe ad periculum diuitiarum explicandum confert: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnum cælorum. Et quomodo Abraham, Iſaac, & Iacob diuites intrârunt in regnum cælorum? Et in Euangelio Matthæus, Zachæus diuitijs derelictis Domini teſtimonio prædicantur? Sed conſiderandum, quòd eo tempore quo intrauerunt, diuites eſſe deſierunt. Tam diu ergo non intrabunt, quàm diu diuites fuerint. Et tamen quia difficilè contemnuntur, non dixit impoſsibile eſt diuites intrare in regnum cælorum, ſed difficilè: vbi difficilè ponitur, non impoſsibilitas prætenditur, ſed raritas demonſtratur: & vt melius cauſam intelligant Apoſtoli, iterum idem maiori emphaſi repetit: Facilius eſt, inquit, camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Quod primò difficile dixit, id ipſum progrediens, cameli atq; acus comparatione valdè impoſsibile oſtendit, inquit Hieronymus. Si enim quomodo camelus non poteſt intrare per foramen acus, ſic diues intrare non poteſt in regnum cælorum: nullus diuitum ſaluus erit. Sed ſi legimus hiſtoriam, quomodo cameli Madian & Epha veniant Ieruſalem cum donis & muneribus, & qui prius curui erant, & vitiorum prauitate diſtorti, ingrediantur portas Ieruſalem videbimus, quomodo & iſti cameli quibus diuites comparantur, cùm depoſuerint ſarcinam grauem peccatorum, & totius corporis prauitatem, intrare poſsint per anguſtam portam & arctam viam quæ ducit ad vitam. Camelum autem hoc loco intelligimus, vel animalia vaſta, & multis oneribus preſſa, vel funes per quos anchoræ ad ſiſtendam nauim in mare dimittuntur. Eſt autem optimum exemplum: nam ſicut foramen acus non eſt capax cameli propter nimiam ſui anguſtiam, & propter grandem illius molem ac tumorem;

ita quoque via, quæ ducit ad vitam, non capit diuitem propter sui angustiam, & propter huius tumorem: oportet ergo omnem repellere tumorem iuxta Apostolum, & attenuari per voluntariam paupertatem. Auditis autem his discipuli, mirabantur valdè: acceperant enim hoc sensu, ac si imposibile esset diuitem saluari, & ideò quærunt: Quis ergo poterit saluus esse? Clementia sua seueritatem sententiæ suæ temperat Dominus, solaturque & diuites & Apostolos: Apud homines, inquit, & humanis viribus est hoc imposibile; apud Deum, & eius virtutem omnia posibilia. Ostendit, inquit Origenes, quomodo ex seipso imposibile est camelum per foramen acus intrare, posibile autem quantum ad Deum. Sic & diuitem, quantum ad ipsum pertinet, imposibile est intrare in regnum cælorum; posibile autem quantum ad Deum, qui potens est ineffabili sua virtute, aut grosítudinem malorum mali hominis subtiliare, aut angustiam introitus facere ei capacem. Iuuat denique hoc loco exemplum eiusdem Euangelij inserere ex Origene, quod se apud Hebræos inuenisse testatur. Scriptum est, inquit, in euangelio quodam secundùm Hebræos, si tamen placet alicui suscipere illud, non ad authoritatem, sed ad manifestationem propositæ quæstionis. Dixit, inquit, ad eum alter diuitum: Magister, quid bonum faciens viuam? dixit ei. Homo, leges & prophetas fac. Respondit ad eum: feci. Dixit ei, vade vende omnia quæ posides, & diuide pauperibus, & veni sequere me. Cæpit autem diues scalpere caput suum, & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis legem feci & prophetas? quoniam scriptum est in lege: Diliges proximum tuum sicut teipsum: & ecce multi fratres tui filij Abrahæ amicti sunt stercore morientes præ fame, & domus tua plena est multis bonis, & non egredietur omninò aliquid ex ea ad eos. Et conuersus dixit Simoni discipulo suo sedenti apud se: Simon fili Ioannæ, facilius est camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum.

NOtandum primò, commune esse axioma legis vniuersæ, vitam æternam bonis operibus acquiri. Legis primum naturæ fuit hoc axioma: Si verè egeris, recipies. Legis Moysi similiter: Qui fecerit, inquit, hæc, viuet in eis. Leuit. 18. Eadem est doctrina Christi: Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. Ipsum solum Euangelium nouum, à factis vitam æternam remouet, quod hic ipse præsens videt adolescens: Quid, inquit, boni faciam, vt vitam æternam posideam? 35

NOtandum secundò, quid sit illud quod facere debemus vitæ ęternæ causa, non aliud scilicet quàm mandata Dei. Probat hoc imprimis Moyses in Deut. Considera, inquit, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, vt è contrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius, & custodias mandata illius, ac cæremonias atque iudicia, & viuas. Et paulò post. Testes, inquit, inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atq; obedias voci eius, & illi adhæreas. Probat ipse Saluator: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Quibus locis scripturæ, & alijs multis impulsus Caluinus, coactus est scribere ista quæ addam; vt quisque cognoscat, quàm mirè rem inuoluat, nec sibi constet. Fateor ego, inquit, quod mercedem vitæ æternæ Deus le- 36

us legis obseruatoribus promisit, nisi obstaret carnis nostræ infirmitas, hanc viam tenendam esse. Sed nostro vitio fieri scriptura docet, vt necesse sit nobis donari, quod meritis non consequimur. Si quis nobis obijciat, frustrà proponi iustitiam in lege, cuius nemo vnquam fieri compos poterit, Respondeo: quia rudimentum est, quo perducimur ad precariam iustitiam, minimè superuacaneum esse. Ideo Paulus vbi dixit factores legis iustificari, à legis iustitia omnes excludit? Nequaquam omnes, cùm omnes ad bona opera in omnibus ferè epistolis suis cohortetur: mandata autem eius, & iustificationes eius, rudimenta appellari nusquam legimus, sed nec ipse Caluinus authorem eius doctrinæ habet. Sed vtinam hoc saltem constanter dixisset: sed verte folium.

37 NOtandum tertiò, Caluinum, dum vult omnem perfectionem vitæ abolere, omnia consilia Christi auferre, hoc ipsum consilium si vis perfectus esse, ad legem & præcepta conferre contra omnium sententiam: quod ne fingere videamur, iuuat ipsius verba adscribere. Nam si quicquam nunc præter legis mandata exigeret Christus, secum ipse pugnaret, nuper legis mandatis perfectam iustitiam comprehendi docuit, quomodo igitur conueniet legem defectus argui? Adde quod falsa esset, quam prius citaui, Moysis contestatio: Ergo Christus non vnum præter legis obseruationem iuueni deesse intelligit, sed ipsam legis obseruationē. Quæ omnia inde falsa esse colliguntur: primùm, quòd lex hæc nusquam docuit, nec legi particula consilij adhibetur, Si vis: deinde, quòd pœna nulla adiungitur, quod in legibus fieri solet: vltimò, quòd ad hæc non omnes obligantur: quinimò ipse Caluinus fatetur, peccare eum qui vendat omnia & det pauperibus; cuius verba hæc sunt: Retinere ergo quod in manum nostram posuit Deus, si modò parcè & frugaliter nos, & familiam alentes, partem aliquam pauperibus erogemus, maioris virtutis est, quàm omnia dilapidare.

38 NOtandum quartò, quòd impudenter Ecclesiam Caluinus calumniatur, cùm dicit: Hoc autem Christi responso, vulgare illud axioma, quod ex Hieronymo hauserunt Papistæ, refellitur: Quisquis legem dixerit obseruatu impossibilem, anathema sit. Clarè enim pronunciat Christus, possibile non esse hominibus viam salutis tenere, nisi quatenus illis Dei gratia succurrit. Primùm hoc loco nullum verbum Christus Dominus de gratia Dei ponit. Deinde, nunquam Ecclesiam quantum ad bona opera, gratiam à natura separare; Pelagiani separabant, ideo pro hæreticis ab Ecclesia habiti sunt.

39 NOtandum quintò, quæ sit causa, cur cùm diuitiæ sint naturâ bonæ, sint Dei donum, cur relinqui iubentur, & dari pauperibus? Duas causas hoc loco Christus innuere videtur: quia impediunt, ne sequamur humilem & pauperem Christum: Et sequere me. Secunda, quia arcta est via in cælum, illæ tumidæ & inflatæ. Quod si diues difficulter, auarus nullo modo. Si enim condemnatur qui non dat quæ sua sunt; multò amplius qui rapit aliena. Vnde præclarè D. Ambrosius: Diuitias, inquit, non inuenies fructuosas, si habens subsidia largitatis, neges alimenta pauperibus, excludas inopem subsidio destitutum, aliena extorqueas, quia præuales potestate.

40 NOtandum sextò cum Euthymio, auaritiam corrumpere omnem virtutem, & ideo in principio studij virtutis deponendam esse.

NOtandum septimò, exaggerationem de diuitiarum difficultate & impossibilitate, omni generi hominum vtilem esse, nempe diuitibus, vt de periculo suo admoniti caueant; pauperibus, vt sorte sua contenti, non adeò cupidè appetant, quod maiori noxæ quàm lucro futurum esset. 41

NOtandum octauò, propositionem istam, Quæ hominibus impossibilia sunt, apud Deum possibilia esse, respondere perfidæ Capharnaitarum atque Caluini querelæ: Quomodo hic carnem suam potest dare ad manducandum, cùm apud Deũ omnia sint possibilia? Cuius propositionis pulchram rationem adfert Irenæus: Quoniam homines de nihilo non possunt aliquid facere, sed de materia subiacenti: Deus autem quàm homines hoc primo melior eò, quòd materiam fabricationis suæ, cùm antè non esset, ipse adinuenit. Obijcit autem hoc loco Euthymius: Quòd si Deo omnia sunt possibilia; vtiq; & facere malum Deo possibile est. Quibus nos dicimus, quòd facere malum, non est potentiæ, sed impotentiæ. Ideò etiam peccata Dauid appellauit imbecillitates siue infirmitates, dicens: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum. Et Paulus ait: Quum nos essemus infirmi siue peccatores. Præterea & alio modo iuxta Gregorium theologum: Principium mali est, negligere bonum: Quomodo autem bonum negliget, qui est ipsa bonitas? 42

NOtat nonò & hæc circa hunc locum Hieronymus: In potestate nostra esse, vtrum velimus esse perfecti. Tamen quicunque perfectus esse voluerit, debet vendere quæ habet: & non ex parte vendere, sicut Ananias fecit & Sapphira; sed totum vendere: & cùm vendiderit, dare omne pauperibus, & sic præparare thesaurum in regno cælorum. Et hoc ad perfectionem nõ sufficere, nisi post contemptas diuitias, Saluatorem sequatur; id est, relictis malis, faciat bona. Faciliùs enim sacculus contemnitur, quàm voluptas. Multi diuitias relinquentes, Dominum non sequuntur. Sequitur autem Dominũ, qui imitator eius est, & per vestigia illius graditur. Qui enim dicit, se in Christum credere; debet, quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare. 43

NOtandum decimò: Totum hunc locum, D. Hilarium ad Legem eiusq; imperfectionem referre: vnde hoc totum argumentum commodò repeti, ac populo proponi potest. 44

NOtat vndecimò D. Augustinus in Epist. ad Paulinum: Bona terrena, arctiùs diligi adepta, quàm concupita. Aliud enim est, nolle incorporare quæ desunt: aliud, iam incorporata diuellere. Illa enim, velut extranea, iam repudiantur: ista, velut membra, præscinduntur. Et D. Chrysost. in Matthæum: Appositio diuitiarum maiorem apponit flammam, & vehementer fit cupido. Et quia cupiditas est venenum charitatis; ideò possessio diuitiarum reddit hominem difficilem ad perfectionem acquirendam; non tamen facit impossibilem. Faciliùs est camelum transire: ex quo patet, quòd illud, quod dicit diuitem impossibilè intrare in regnum cælorum, intelligitur non de quocunq; diuite, sed de diuite confidente in diuitijs, & in ipsis finem constituente. Et hoc debet hîc subintelligi. 45

Audierat Petrus Christum diuiti dicentem: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ possides, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis, 46

& veni

& veni ſequere me. Deinde, quia conſiderauit adoleſcentem cum triſtitia abeuntem, quoniam præpoſuit multas poſſeſsiones habere in terris, quàm eſſe perfectus in Deo: conſiderans quoque & difficultatem diuitum ingrediendi in regnum cælorum; ideo quaſi qui ipſe non facilem rem conſummauerit in eo quòd vniuerſa reliquit, & ſecutus eſt Ieſum; itaque magis confidens de affectu ſuo, quàm de ipſa quantitate rerum relictarum, fiducialiter dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Quæ verba pulcherrimè Origenes expendit: Secuti ſumus te, inquit, poteſt dici ſecundùm omnia, quæ pater reuelauit Petro, eſſe filium ſuum: ſecuti ſumus te iuſtitia, ſecundùm quòd iuſtitia es: ſecuti ſumus te ſanctificationem, ſecundùm quòd ſanctificatio es, & ſapientia, & pax, & veritas, & via ducens ad Deum, & vita vera. Propter quod, quaſi victor athleta, poſt luctamen agonothetam interrogat, quæ ſint præmia certaminis huiuſmodi, quæ adhuc neſciebat. Quid vtique erit nobis? quærit, num hoc idem relaturus & ipſe, & cæteri ſint, quod iuueni promittebatur; & num hæc communis lex, an priuatum priuilegium futurum ſit: Et num ſcilicet quid plus aut minus accepturi ſint, cùm & non vendiderint omnia, nec dederint pauperibus, ſed tantùm reliquerint. Reſpondet Dominus: nõ vni diuiti, ſed omnibus communiter, qui reliquerint omnia, hæc debere propoſita eſſe. Grandis autem fiducia: Petrus piſcator erat, diues non fuerat, cibos manu & arte quærebat; & tamen loquitur confidenter: reliquimus omnia. Quo loco & D. Chryſoſtomus: Quænám ſunt hæc omnia, quæ te dicis, beatiſsime Petre reliquiſſe? arundinem, retia, nauiculam, vniuerſumque piſcatorum artificium: hoc tu Omnia vocas. Sed quia non ſufficit tantùm relinquere; iungit quod perfectum eſt: Et ſecuti ſumus te, fecimus quod iuſsiſti: quid igitur dabis nobis præmij? Non dixit autem tantùm: quòd reliquiſtis omnia: hoc enim fecit Socrates Philoſophus, & multi alij diuitias contempſerunt; ſed, qui ſecuti eſtis me (quod proprium eſt Apoſtolorum atque credentium,) in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ (quando & mortui de corruptione reſurgent incorrupti) ſedebitis & vos in ſolijs iudicantium condemnantes duodecim tribus Iſraël, quia vobis credentibus illi credere noluerunt. Qui ergo propter fidem Chriſti & prædicationem Euangelij omnes affectus contempſerũt, atque diuitias & ſeculi voluptates; iſti centuplum accipient, & vitam æternam poſsidebunt. Quamuìs autem theſaurus iſte communis eſt virginitati, obedientiæ, atque virtutibus; propriè tamen ſumpta metaphora, ad opes & facultates refertur. Secuti autem Apoſtoli ſunt Dominum, inquit Hilarius, in regeneratione lauacri baptiſmi, in fidei ſanctificatione, in adoptione hęreditatis, in reſurrectione ex mortuis. Hæc enim illa regeneratio eſt, quam Apoſtoli ſunt ſecuti, quam lex indulgere non potuit, quæ eos ſuper duodecim thronos, in iudicandis duodecim tribubus Iſraël, in duodecim Patriarcharum gloria copulauit. Cæteris quoque contemptu ſeculi ſe ſequentibus, centeſimi fructus copiam pollicetur. Hic centeſimus fructus eſt, qui in centeſima oue cum cæleſti lætitia expletur. Hic centeſimus fructus eſt, quem perfectæ terrę vbertas conſequetur. Qui Eccleſiæ honor iam in Saræ cognomento eſt deſtinatus, & iactura Legis ac fide Euangelica promerendus eſt. Atque ita ex nouiſsimis primos efficientes, quia nouiſsimi efficiuntur ex primis. Regenerationem autem vocat Euthymius à mortuis reſurrectionem, quaſi iteratam viuificationem: duodecim autem ſedes, innuunt fruitionem ſiue requiem, ac præcellentiam duodecim diſcipulo-

rum, &

rum, & regni sui communicationem. Iudicantes autem dixit, hoc est, condemnantes: non quòd ipsi iudicaturi sint; sed sicut octauo capite dicebat, Niniuitas ac reginam Austri condemnaturos generationem illam; ita & hos nunc ait condemnaturos duodecim tribus Israël. Ideò autem non dicit orbem, sed Israëlitas suos, contribules, cognatos suos: condemnabunt enim eos, non quasi iudicantes, sed quia is qui iudicabit, à fide horum sit condemnaturus illos: siquidem cum eisdem moribus ac legibus & hi & illi sint enutriti; hi tamen crediderunt, illi verò credere noluerunt. Sed quid præcipui pollicetur eis? inquies. Si quod Niniuitæ & regina habebunt, id etiam discipuli possidebunt. Multa quoque alia in superioribus istis obtulit, & in sequentibus pollicetur; quamùis aliquid occultius in hoc etiam significatur, maiora istis illos habituros. De illis enim simpliciter dicitur: Quia viri Niniuitæ resurgent, & condemnabunt hanc generationem: de regina quoq; Austri similiter: de istis verò non ita simpliciter: sed, quando filius hominis in sede maiestatis suæ sedebit, tunc & vos sedebitis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël. Vnde significatur, quia tam regni, quàm gloriæ participes futuri sunt. Quicunque reliquerit fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, aut domum, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternã possidebit. Habebunt igitur pro his qui huius sunt cognationis, etiam quæ cum Deo est cognationem & fraternitatem: pro agris, paradisum: pro marmoreis palatiis, sanctam ciuitatem Ierusalem: pro patre, Deum: pro matre, Iesum: in eaque perfectione pro socijs & sodalibus, communionem sanctorum: pro vxore & sororibus, matrem Dei, & omnium sanctarum virginum & martyrum Christi consortium. Cùm autem dicit: Quicunque reliquerit vxorem; non simpliciter præcipit dirimenda esse matrimonia; sed sicut in superioribus dicebat: Qui perdit animam suam propter me, inueniet ipsam: non vt nosmetipsos interimamus, non vt animam nostram violenter à corpore disiungamus; sed vt religionis pietatem cæteris omnibus anteferamus: ita de vxore quoque ac fratribus intelligendum est.

47 NOtandum primò: Insitum esse humanæ naturæ, vt, quæ ad omnes pertinent, & pauci, & non multũ curẽt: ac, vbi priuatum quid se obtulerit, in id toti incumbant, ad se suaque statim festinent & propensi sint; quomodo nunc Petrus, relicto iuuene, relictis diuitibus, ad se suaque redit, &, nisi fallor, aliquid mundanum respexit.

48 NOtandum secundò: Formulam hanc, Ecce nos reliquimus, formulam perfectorum ac religiosorum esse, non tantùm in affectu, quod omnium est; sed & in effectu. Verendumq; esse, ne pro hac formula illa succedat: Ecce nos quæsiuimus omnia, & secuti sumus mundum; quid ergo erit nobis? vt gemat Ecclesia, esse intra viscera sua diuites, qui in seculo fuerunt mendici, teste Hieronymo.

49 NOtandum tertiò, sigillum & arrhabonem esse mercedis bonorum operum, hæc ipsa concepta & iureiurando ipsius iudicis approbata verba: Amen amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israël; quidquid nugetur ac comminiscatur hæresis. Veritas enim mentiri non potest; verbum Domini manet in æternum.

50 NOtandum quartò: Quod Matthæus dixit, Propter nomen meum, Marcũ interpretari, propter Euangelium; hoc est, prædicationem Euangelij: Lucas autem, Propter regnum Dei: vt intelligamus hæc eadem esse, & vnum pro alio sæpiùs poni. Quemadmodum autem, quando dicebat, Qui perdiderit animam suam mea causa, inueniet eam, non hoc dicebat, vt nosmetipsos interimamus; sed vt ipsi etiam animæ nostræ, fidem quæ in ipsum est præponamus; ita & nũc dicens, Qui reliquerit vxorem, non hoc dicebat, vt nuptias penitus diuidat; sed vt ipsi coniugi quoque præponamus, & ipsum, & Euangelium, & regnum Dei.

51 NOtandum quintò, quòd Iudicare accipitur tripliciter. Vno modo principaliter, sicut iudex qui profert sententiam; & hoc modo solus Christus iudicabit. Alio modo pro Sedere in loco eminenti iuxta iudicem, sicut assessores iudicis; & hoc modo Apostoli & alij perfecti cum Christo iudicabunt. Tertio modo largè accipitur: scilicet per sententiam iudicis approbare; & hoc modo omnes electi iudicabunt, qui sententiam iudicis approbabunt. Considerandum etiam, licèt iudiciaria potestas, quæ competit alicui per modum assessoris, conueniat Apostolis & viris perfectis, ratione suæ perfectionis suprà alios eminentis; tamen magis attribuitur voluntariæ paupertati, quàm alijs virtutibus: & hoc per quandam correspondentiam. Sicut enim exaltatio correspondet humilitati, sic iudiciaria potestas paupertati: quia pauperes in hoc mundo conculcantur & peruersè iudicantur, quia etiam eorum bona in malum accipiuntur, ideò è contrario eminentia sedis iudiciariæ competit eis in regeneratione. Est tamen & aliud quartũ genus iudicandi exemplo & specimine, quomodo Christus Dominus Niniuitas ac reginam Austri condemnaturam prædicit generationem illam improbam & adulteram Scribarum & Pharisæorum.

52 NOtandum sextò: Duplicem à Saluatore proponi iustitiæ perfectæ mercedem; alteram quidem temporalem; Centuplum accipietis: sic enim interpretatur D. Marcus: In tempore hoc. Alteram æternam, Et vitam æternam possidebitis: etiamsi hoc quod de temporali mercede dicitur, magis in ipsis successoribus quàm in Apostolis impletum est. Docuit hoc Isaias: Pro eo quòd fuisti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generatione & generationem. Et suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Et alio loco: Vos autem sacerdotes Dei vocabimini, ministri Dei nostri dicetur vobis. Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum superbietis. Pro confusione vestra duplici & rubore laudabunt partem eorum. Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis. Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Sed & res ipsa postea docuit: modica reliquit Petrus, vt diximus, at nunc imperij tenet sedem: sic Paulus, Iacobus, ad cuius sepulcrum ex toto curritur orbe. Non ita frequens fuit domus & familia D. Francisci; at nũc quis eam rectè numerare possit? hoc eodem modo D. Dominici, Benedicti, Bernardi, & aliorum.

Notandum

NOtandum ſeptimò: Quærere Iuſtinum martyrem, Si,inquit,relinquentibus patrem,& matrem,& filios, &c. centuplum promiſit Dominus: ergo & vxores centenas accipient.Igitur cùm multi illis propter præceptum relictis,deceſſerint pauperes,& ſoli ac deſerti; nonné falſa eſt illa promiſsio? 53

RESPONSIO. Quemadmodum patres & matres, & fratres, & ſorores,dicit eos,qui familiari affectione Chriſtum accipiũt, relictis parentibus,fratribus, ſororibus: ſic & vxorem dicit eam, quæ relictis propter Chriſtum alijs, curat eũ qui reliquit eam,quæ naturâ erat vxor. Eccleſia verò Chriſti Domini,quæ ab initio Chriſtianæ prædicationis,ab aduerſarijs ſuis gentilibus tam diu infeſtatur ac diripitur, vndénam tantum ſpiritualium rerum& hominum, quantum videmus,adepta eſt incrementum, niſi quòd diuina viuaq; vox Seruatoris tam multiplicem mercedem pollicita, etiam præſtitit? Vnde diuites & viri & fœminæ, afferentes ſuas facultates, in ſolitudine illos qui illuc ſeceſſerant, quæſiuerunt, & eorum egeſtati ſubuenerunt, quemadmodum cognouimus ex hiſtoria ſanctorum veterum virorum,niſi quòdDominus Chriſtus per eos promiſſum ſuum perduxit ad exitum?

NOtandum octauò: Veterem Euangelij legem iſtam fuiſſe: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, centuplum accipiet.Noua autem Euangelij regula & perfectio eſt:Niſi quis acceperit vxorem, filios & filias, non intrabit in regnum cælorum: quàm diſpar hæc ab illa! 54

NOtat nonò de ſede Iudæ Euthymius: Quid ergo? Iudaſné etiam ſedem habebit & condemnabit? Nequaquam. Communis enim facta eſt promiſsio ad duodecim diſcipulos, ne per hanc Iudas in vllo cæteris deterior haberetur, ipſe verò animæ prauitate ſeipſum hac priuauit. Eſt enim Dei lex à Ieremia peruulgata ad Iudæos, quæ dicit: Si conuerſa fuerit gens illa ab iniquitatibus ſuis, pœnitebit & me malorum quæ cogitaueram facere illis. Deinde ait: Et ſi fecerit malum coram me,vt non audiat vocem meã, pœnitebit & me de bonis quæ decreueram facere illis. Quid ergo ait iſta lex? Si comminatus fuero vt faciam tibi malum,& tu corrigaris;ſoluam meam ſententiam. Et ſi promiſero tibi bona,& ignauiter egeris; ſoluam meam promiſsionem: tua enim cauſa factus es ea indignus. Pœnitentiam ergo in Deo intelligimus pro noſtri mutatione, cuius nos omninò cauſa ſumus. An ſedes Iudæ ſit ſublata,ſucceſſori autem eius in æterna tempora relicta,aliâs copioſiùs docuimus. 55

NOtandum vltimò: Poſt promiſſa ditia,opulenta,quæ Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis propoſuit,ne illorum animi efferrentur,ac nimis ſecuri efficerentur,hac propoſitione demùm totum caput concluſiſſe: Et erunt nouiſsimi primi,& primi nouiſsimi; & multos eſſe vocatos,paucos electos: quibus propoſitionibus omnis vana fiducia & præſumptio hæreticorum confunditur. 56

QVAESTIO D. AVGVSTINI. Quod ait Dominus, diuitem non intrare in regnum Dei, & diſcipuli dicunt: Quis poteſt ſaluus fieri? cùm pauci ſint diuites in comparatione multitudinis pauperum; intelligendum, quòd omnes qui talia cupiunt,in eorum numero haberi animaduerterint. 57

Caput

Caput XX.



PARABOLAM DE OPERARIIS PROPONIT, PROFECTIONEM suam in Ierusalem, & ea quæ ibi euenire debebant, prædicat, ambitionem discipulorum frangit, duos cœcos illuminat. Scire debemus, inquit Origenes, quoniam, si parabola Iesu, in quo thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt, discussa fuerit, tanta dogmata sapientię in mysterio abscondita inueniuntur his qui possunt talia inuenire, vt maximè de ista parabola dicat Saluator: Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio, & eructabo abscondita à constitutione mundi. Occasio itaque parabolæ hæc est: Promisit Dominus Petro & alijs discipulis magnifica præmia: Centuplum accipietis, & vitam æternam posside bitis, thesauros, thronos: quibus ne efferantur, néue nimis securi sint, illud addidit, nouissimos fore primos, & primos nouissimos. Hoc igitur, quod simpliciter dixit, parabola illustrat. Scopus autem parabolæ hic est: Sic, inquit, erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, multi sunt vocati, pauci electi. Sensus parabolæ est, eandem esse diuinæ vocationis rationem, ac quasi quispiam operarios ad vineæ suæ culturam certo præmio conducat, alios deinde submittat sine pactione, quibus tamen parem mercedem rependat. Terminos quidem parabolæ præclarè explicat D. Hieronymus, iuxta varias sententias: Mihi videntur, inquit, primæ horæ esse operarij Samuel & Hieremias, & Baptista Ioannes; qui possunt cum Psalmista dicere: Ex vtero matris meæ Deus meus es tu. Tertiæ verò horæ operarij sunt, qui à pubertate seruire Deo cœperunt. Sextæ horæ, qui matura ætate susceperunt iugum Christi. Nonæ, qui iam declinant ad senium. Porrò vndecimi, qui in vltima senectute; & tamen omnes pariter accipiunt præmium, licèt diuersus labor sit. Vnde hoc ipsum intelligens post horam iam vndecimam, cùm esset propè solis occasum & ad vesperam, Ioannes Euangelista loquitur: Filioli mei, nouissima hora est. Et nota, quoniam illi, qui aut prima hora vocati sunt, aut tertia, aut sexta vel nona, non responderunt: quia nemo nos conduxit; omnes enim illi conducti fuerunt, & habuerunt notitiam Dei, & sciuerunt Dei promissa. Gentes autem solæ neque Deum sciebant, neque Dei promissa, ideò inexcusabiliter responderunt: Nemo nos conduxit. Cùm autem sero factũ fuisset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Considera, quia serò, non autem manè reddit mercedem: ergo adhuc stante seculo isto iudicium est futurum, & vnicuique merces sua reddenda. Propter duas rationes iudicium in hoc seculo fit: Primùm, quia illic ipsa beatitudo ventura ipsa est merces iustitiæ, ideò non in illo seculo fit iudicium, sed antè illud. Deinde ante aduentum diei illius pręmittitur iudicium, ne videant peccatores beatitudinem diei illius, dicente propheta: Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Et simul considera, quòd iniustitiam patris familias, quam in vndecimę horæ operarijs omnes pariter accusant, in seipsis non intelligunt. Murmurauerunt enim aduersus patrem familias, dicentes: Quoniam hi nouissimi vna tantùm hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. Si enim iniquus est pater familias, non in vno iniquus est, sed in omnibus: quia non sic laborauit tertiæ horæ operarius, quomodo ille, qui prima hora est mis-

 sus in

ſus in vineam: ſimiliter & ſextæ horæ operarius, minus laborauit tertiæ horæ o-perario; & nonæ, ſextæ horæ operario. Omnis itaq; retrouocatio gentibus inuidet,& in Euangelij torquetur gratia.Reſpondens autem pater familias,dixit: Amice,non facio tibi iniuriam. Ergo illi non dolebant quaſi fraudati de mercede ſua; ſed quia illi ampliùs,quàm merebatur,acceperant. Hoc eſt enim proprium inuidiæ,quando alteri aliquid additur: ſic dolent inuidi, quaſi illis ſit aliquid ſubductum,quod illi eſt additũ : Vt puta,ſi viderit fieri aliquem ditiorem, putat inuidus ſe pauperem factũ: ſi alter ſapientior fuerit factus,ita dolet,quaſi ipſe ſit inſipiens factus.Intelligis,quia ex vana gloria naſcitur inuidia? nam ideò dolet eſſe ſecundus,quia deſiderat eſſe prior. Vnde & Saluator concludens parabolam: Erunt,inquit,primi nouiſsimi, & nouiſsimi primi : quòd Iudæi de capite vertuntur in caudam, & nos de cauda mutemur in caput. Sunt qui hanc parabolam aliter diſſerant: Prima hora volunt miſſum eſſe in vineam Adam & reliquos patriarchas vſque ad Noë. Tertia ipſum Noë vſque ad Abraham & circumciſionem ei datam. Sexta, ab Abraham vſque ad Moyſen, quàm Lex data eſt. Nona,ipſum Moyſen & prophetas. Vndecima, Apoſtolos & gentium populum,quibus omnes inuident. Addo,illam vineam ſignificare Eccleſiam,iuxta Gregorium: operarios,fideles omnes iuxta Ambroſium: laborem,obedientiam præceptorum Dei, iuxta Hilarium Can. 20: diem, vel totum hoc mundi tempus ſeculis diſtinctum,vel vitam hominis,vt Nazianzenus &alii interpretantur: denarium,Deum ipſum. Per parabolam operariorum,inquit Irenæus, qui varijs temporibus in vineam mittebantur,vnus & idem Dominus oſtenditur, vocans alios quidem ſtatim in initio mundi fabricationis, alios verò poſt hoc, & alios circa medietatem temporum, & alios progreſsis iam temporibus, item alios in fine;vt ſint quidem multi operarij ſecundùm ſua ipſorum tempora, vnus autem eſt,qui conuocat eos pater familias: Etenim vinea vna,quoniam & vna iuſtitia, & vnus diſpenſator;vnus enim ſpiritus Dei, qui diſponit omnia.Similiter autem & merces vna: omnes enim acceperunt ſingulos denarios, imaginem & inſcriptionem regis,agnitionem filij Dei,quæ eſt incorruptela.Inuenire autem dicitur operarios: Tunc autem vnumquemque inuenit,quando illi obediens efficitur; ait enim Paulus: Vbi verò beneplacuit ei,vt me ſepararet ab vtero matris meæ; tunc autem beneplacuit,quando huic obediuit,qui eſt vnicum præmium ſanctorum,præmium perfectum & infinitum. Sed ſi opus & meritum finitum, quomodo merces infinita?Ego ſum merces tua magna nimis. Et,Dominus pars hæreditatis meæ. Quia in omni opere noſtro duo conſideranda ſunt: Primum, qua parte à Deo per Chriſtum eſt: deinde, qua à nobis: & ex illa prima parte, qua à Deo per Chriſtum eſt, cùm infinita ſint iſta propter conferentem & meritum,merces finito operi infinita debetur; quod opus ex parte noſtri vile & abiectum,vt & vires noſtræ vix, ac ne vix quidem placidum aſpectum cæleſtis parentis mererentur. Rectè autem infinitum hoc ac cæleſte pretium declaratur denario;quia hic numerus neque habet maiorem,neque æqualem,& omnia in ſe cõtinet. Si ergo mercenarij ſumus, cognoſcere debemus,quæ ſunt opera noſtra: mercenarius enim ſine opere non poteſt eſſe. Opera autem noſtra ſunt opera iuſtitiæ: non vt agros noſtros colamus & vineas, non vt diuitias acquiramus & congregemus honores; ſed vt proximis proſimus. Et quamuis hæc ſine peccato facere poſſumus,tamen non ſunt opera noſtra, ſed diaria noſtra. Sicut ergo nemo ideò ſic conducit mercenarium, vt hoc ſolùm faciat, quòd manducet: ſic

2

3

4

cet: ſic & nos non ideò vocati ſumus à Chriſto, vt hæc ſola operemur quæ ad noſtrum pertinent vſum,ſed ad gloriam Dei. Et ſicut mercenarius, qui hoc ſolum facit quod manducat,ſine cauſa ambulat in domo: ſic & nos,ſi ſola hæc facimus, quæ ad noſtram pertinent vtilitatem, ſine cauſa viuimus ſuper terram. Et ſicut mercenarius priùs aſpicit opus ſuũ,deinde diaria ſua: ſic & nos, ſi mercenarij Chriſti ſumus, primùm debemus aſpicere,quæ ad gloriam Dei pertinẽt proximique profectum, (Quia charitas & verus amor erga Deum non quærunt ſua,ſed ad libitum amati cuncta deſiderat perficere) deinde quæ ad noſtram vtilitatem.Et ſicut mercenarius totum diem circa Domini opus impendit,vnam autem horam circa ſuum cibum:ſic & nos omne tempus vitæ noſtræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei; modicam autem partem circa vſus noſtros terrenos.Et ſicut mercenarius,ſi qua die opus non fecerit,erubeſcit intrare domum,& petere ſibi panem; quomodo tu non confunderis intrare in Eccleſiã, & ſtare ante conſpectum Dei, quando nihil boni in conſpectu Dei geſsiſti?

2 NOtandæ primùm ſunt quinque inæqualitates in Eccleſia Dei, quæ videntur ſummam quandam iniquitatem & inhumanitatem patrisfamilias demonſtrare, in quibus tamen ſumma eſt æquitas & humanitas. Prima inæqualitas eorum, qui citò currere incipiunt, ſeriùs tamen præmium accipiunt quàm illi qui modò incipiunt, vt Petrus & latro in cruce: quorum alter citò currere incipit,alter verò ſerò; citiùs tamen hic, quàm ille præmium accipit. Secunda inæqualitas eorum,ex quibus alij citiùs incipiunt,alij ſeriùs; par tamen accipiũt præmium, quod in Euangelio apparet. Tertiò, inter eos quorum alij minore difficultate acquirunt parem gloriam cum illis, qui ſubeunt maiores labores & difficultates; quales illi ſunt,qui,vbi conuerſi fuerint,ſubitò moriuntur. Quartò, inæqualitas eorum, qui paucis aduerſis ſuperatis, par accipiunt præmium cum illis qui multa aduerſa ſubiêrunt; quomodo diuites ſancti cum mendicis, quomodo alij modica patiuntur, alij in omni miſeria omnem traducunt vitam. Vltima inæqualitas eorum, qui exiguo munere plura conſequuntur quàm alij: maximè vt publicanus, vt vidua gazophilacij, & iſti qui ſine pacto laborauerũt.

3 NOtandum eſt,has,vt videntur,inæqualitates,ſummam in ſe habere ęqualitatem,ſi miſericordiam & iuſtitiam patrisfamilias ſpectes. Primò, quòd paterfamilias ſua dat,non aliena,& proinde nulli obligatur: ſecundò, quòd omnibus plus dat quàm merentur,& ideò non eſt quòd aliquis de illo queratur, nulliq; fit iniuria:tertiò,quòd ipſa vocatio ad opus,gratis ac ex beneficio facta ſit.Vult autem eam inæqualitatem apparere pater cæleſtis, eam ob cauſam, vt doceat; quòd,quamuìs merita noſtra maximam vim habeant ad vitam æternam conſequendam, eius tamen totius mercedis radicem & primum principale initium gratiam eſſe, omneq; meritum inde vim habere. Hæc igitur dum hæreſis non diſtinguit,mentitur. Agnoſcimus bona opera meritoria eſſe: quia denarium, hoc eſt,ſummam & perfectam mercedem, accipiunt omnes; omnia tamen ex gratia pendêre, quam iſta iuſta & æquiſsima inæqualitas demonſtrat.

4 NOtandũ tertiò, magnũ eſſe vſum huius parabolæ tam in doctrina, quàm in vita. In doctrina primùm valet contra illos hęreticos,qui dicunt, bona quidẽ opera neceſſaria eſſe, præmium tamen nullum illis propoſitum eſſe, ſed ipſi fidei tantùm. Refutat hoc præſens parabola, dicens: tolle quod tuum eſt. Deinde

inde abutebantur isto loco veteres hæretici,Iouinianus & alij,ad ostendendam æqualitatem gloriæ ex virtute denarij. Cui errori pulchrè respondet D. Augustinus, Esse quidem vnum præmium Deum ipsum,sed non in eodem genere:sic enim pares essemus matri Dei, Ioanni Baptistæ,angelis Dei; quomodo sol omnibus lucet,sed non in eodem gradu; & Dominus ipse omnib. causa salutis est, sed iuxta cuiusque dispositionem. Tertiò abutuntur hoc loco mali Christiani ad dilationem pœnitentiæ, quos præclarè refutat Nazianzenus in oratione in sanctum Baptisma: Verùm, inquit, dicet quispiam: quid mihi emolumenti res ea attulerit, si per baptismum præoccupatus fuero, atque omnes vitæ suauitates & oblectamenta mihi ipsi huiusmodi celeritate præclusero, cùm voluptatibus interim indulgere liceat, atque ita demùm baptismi gratiam assequi? Neque enim,qui priores in vinea laborârunt, meliori idcirco conditione fuerunt; æqua nempe mercede postremis quoque persoluta.Negotio me liberasti,quisquis es,qui hac vteris oratione, dum procrastinationis istius arcanum ęgrè tandem extulisti: & quamuis consilij tui peruersitatem improbem; eo tamen nomine te laudo,quòd eam apertè confessus es. Verùm age, & parabolam hanc expone,ne hoc scripturæ loco per imperitiam offendaris.Primùm hîc de baptismo non agitur,sed de his qui alijs atque alijs temporibus fidem amplectuntur, atque in pulchram vineam, hoc est Ecclesiam, ingrediuntur. Nam ex qua die atque hora ad fidem quisque accesit, ab eadem quoque ipsi operam nauare necesse est. Deinde, tametsi quantum ad laboris modum plus contulerint, qui priores ingresi sunt; non tamen quantum ad animi liberæque voluntatis modum. Eaque etiam ratione postremis fortaßè amplior merces debebatur, etsi quodammodo absurdum videri posit quod dico. Nam quòd posteriùs ingressi sint,ea causa fuit,quia posteriores ad vitis excolendæ operam vocati sunt. In cæteris autem rebus, quantum alios antecelluerint, videamus. Illi enim non priùs crediderunt,nec ingresi sunt, quàm ipsis ex conuentu merces constituta fuisset: hi nulla conducti mercede ad laborem accesserunt, quod quidem maioris fidei argumentum est. Ad hæc illi inuidi, & queruli, ac murmuratores inuenti sunt: his nihil tale obijcitur. Tum etiam illis mercedis rationem habebat, quod donabatur,licet improbis atque peruersis: his gratiæ. Quare meritò factum est,vt,amentiæ stoliditatisque damnati, ampliori quoque mercede caruerint. Quid autem ipsi quoque accepturi erant,si seriùs ipsis venire contigisset? æquam vtiq; mercedem. Qua igitur fronte operarum conductorem criminantur,velut in æquæ mercedis persolutione ab æquitate recedentem? Hæc omnia sudoris gratiam primis subtrahunt ac labefactant,etiamsi priores labore fatigati sint; ex eoque efficitur, vt æquali huic mercedis distributioni æquitas sua constet,nimirùm animi voluntate cum labore compensata. Sed demus,baptismi quoque vim & facultatem,iuxta expositionem tuam,hac parabola designari: quid tandem prohibet quominùs ipse & prior ingressus, & diei æstum perpessus,postremis non inuideas, vt humanitate quoque ipsa,animique facilitate & benignitate superior sis,ac remunerationem non beneficij gratięque,sed debiti loco accipias? Huc etiam accedit, quòd ita demum operarios mercedem accipere vult parabola,si in vineam ingresi fuerint, ac non ab ea aberrauerint: quod quidem periculum tibi imminet. Quamobrem, si tibi exploratum esset, fore,vt ita sentiens,ac de labore & operatione aliquid malitiosè subtrahens,baptismum consequereris; ignoscendum tibi esset ad huiusmodi rationes confugienti

gienti, ac nonnihil commodi ex Domini humanitate & clementia facere cupienti; vt illud non dicam, hoc ipsum, impensiùs laborare, vberioris mercedis loco habendum esse; his quidem certè, qui animo sunt non omninò illiberali & sordido. Cùm autem periculum tibi sit, ne, dum huiusmodi lucra consectaris, à vinea prorsus excidas: & dum parua & exigua obiter colligis, forte ipsa mulcteris: age, verbis meis obtempera, primisque hisce interpretationibus & oppositionibus missis factis, simplici animo, & citra argutationem ad baptismum accede, ne, antequam spei compos fias, ex hac vita abripiaris, atque imprudens in perniciem tuam huiusmodi captiones & argutias comminiscaris. Hucusque Nazianzenus: & hoc quidem ex parte doctrinæ. Ex parte autem vitæ, quid nobis hæc ipsa proponit & repræsentat parabola? neque enim frustrà ab Ecclesia in principio Septuagesimæ proponitur, in qua meditatio vniuersæ vitæ nostræ Christianis proponi solet. Septem autem continet capita hoc Euangelium, quę semper ob oculos nostros proposita habere debemus. Primò, vocationem nostram: nos scilicet, & non alios, vocatos esse, nullo nostro merito, causa nulla; Memores, inquit, estote vocationis vestræ. Secundò, Causam vocationis, propter quam scilicet vocati sumus: quam explicat Paulus, vt simus sancti, Deo dicati, per omnia Deo placentes, in conspectu Dei in charitate: vnde operarij vocati. Tertiò, venturæ horæ aliquando tempus, qua operarij operum rationes reddituri, vocandi sunt, ac pro opere, vel præmia, vel pœnas relaturi, vt cessent & requiescant à laboribus suis. Quartò, breuitatem temporis, & incertitudinem eius diei: totum enim hoc, vni comparatur diei. Quintò, magnitudinem gloriæ, pro qua certatur & dimicatur, quæ Deus ipse est. Sextò, seueritatem patrisfamilias, qui otiosos non perfert: quantò magis operarios iniquitatis? Septimò, incertitudinem vocationis nostræ: Multi, inquit, vocati sunt, pauci electi.

5 NOtandum quartò: nihil magis saluti obesse, quàm alterum, alteriusque opus, se ipso omisso, intueri: quod ni esset, isti operarij nullã hodie inter se contentionem fecissent: omnibus enim plus quàm meruerunt, satisfactum fuit; sed quisque alterius potiùs laborem quàm suum, considerabat: ideoque illud elogium referunt, Oculus tuus nequam, quia ego bonus; id est, ex mea bonitate scandalum tibi accersis, aut, tua nequitia meam metiris bonitatem. Quod cùm diabolus optimè norit, nihil magis satagit, quàm vt nos à cognitione & examine nostri reuocet ad aliorum vitam curiosè inuestigandam. Se igitur quisq; respiciat, se examinet, se præstare cupiat, & viuet.

6 NOtandum est quintò, otiosum pulchrè ab authore Operis imperfecti describi: Quis ergo, inquit, est otiosus? qui opus Dei non operatur. Puta, si alienas res tollis, non es otiosus, sed mortuus: si autem aliena quidem non tollis, tamen nec de tuis rebus impotentibus das, tunc otiosus es: nam qui aliena non tollis, non quidem peccas; tamen nec iustitiam, nec misericordiam operaris. Vis non esse otiosus? ne aliena tollas, & de tuis des, & operatus es in vinea Domini & coluisti misericordiæ vitem. Inebriaris, in delicijs es, non es otiosus: sed sicut ait Apostolus, viuens mortuus es. Si autem mensuratè manducas & bibis, non quidem peccas, quia non malè manducas, tamen otiosus es, quia nullam ieiunij operaris virtutem. Vis ergo non esse otiosus? ieiuna, & quod manducaturus fueras diurno, da impotenti, & coluisti ieiunij vitem. Item, fornicaris, mortuus es,

non otiosus:si autem tuam habes vxorem, non quidem peccas, nec tamen castitatis operaris vitem: visque esse non otiosus? sine vxore es: ne quæsieris vxorem. Si vidua es, noli transire ad secundas & tertias nuptias,& operata es castitatis vitem. Sed fortè dicis: sine vxore esse non possum;Ostendo tibi vt vxorem habeas,& castitatis vitem colas: Abstine te à menstruata, abstine te à prægnante,erubesce facere quod animalia non faciunt. Omne animal conceptionis suę seruat honorem & tempus: homo autem solus contemnit. Quando dies festus est,aut dies ieiunij,serua vt impleas Apostolicum præceptum: Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu, vt vacetis ieiunio & orationi. Item, si inuides meliori,mortuus es, non otiosus: si autem nec inuides, nec congaudes, otiosus es.Non solùm ergo non inuideas,sed etiam congaudeas meliori,& beneuolentiæ vitem colis.

7 NOtandum sextò: apprimè fugiendum esse,ne de iudicijs Dei sententiam feramus,néue ab illo rationem repetundarum quæramus: quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis dedit illi prior, & retribuetur ei? Sua dat &ex suo,vincit semper cùm iudicatur:ne ergo simus computatores munificentiæ eius,ne illud audiamus: Oculus tuus nequam, quia ego bonus.

8 NOtandum septimò: curandum esse, ne tanquam inutilia terræ pondera in mundo viuamus,sed vnicuique in ordine & vocatione sua sudandum ad laudem & vtilitatem proximi; dum veniat iustus iudex, qui nobis paratam & propositam coronam est restituturus; qui labor sine vocatione inanis & inutilis esse solet.Vocamur autem omnes,modò obtemperare velimus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Qui sibi viuit,vt otiosus redarguitur, qui & vsque ad vltimam ætatem differt,rectè ei dicitur:Quid hìc statis tota die otiosi? vel in vltimis resipiscite.

9 NOtandum & illud D. Pauli: ne ea quæ à tergo sunt obliuiscamur, sed cogitemus quid adhuc nobis sit residuum, nosque ad strenuè currendum incitemus. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi: quia multi vocati, pauci electi.

10 NOtandum nonò:blasphemare hoc loco Caluinum,dum venerandam antiquitatem sugillare vult,cùm Deum aliquid frustrà ad capiendos homines pręcipere putat: Quamùis enim Deus olim Iudæis mercedem operum promiserit; scimus tamen hoc loco caruisse effectu. Falsum est: nam & Abraham,Isaac & Iacob, quorũ se Deum appellat propter cæremonias & iustificationes, iustificati primùm,deinde salui facti sunt, imò duces sanctorum & iustorum facti,quod idem de Mose, sanctisque regibus ac prophetis intelligendum est. Nemo impudentiùs vnquam mentitus est,quia nemo salutem meritis suis vnquam adeptus est; & hoc falsum est: quia & isti non meritis suis tantùm, sed in spe & fide Messiæ venturi, illiusque agni, qui occisus est ab origine mundi, iusti & salui facti sunt; qua in re D. Paulus totum caput ad Hebræos vndecimum consumpsit.

11 NOtandum decimò & illud: murmur quidem nullum futurum extremo illo die iudicij,vbi satiabuntur omnes,& iustum Dei agnoscent iudicium:sed illud solum Christum demonstrare, nullam causam murmuris futuram. Effingit

autem

autem parabola, inquit Euthymius, primos murmurantes, impositumque illis silentium, non quòd in regno cælorum futura sit inuidia: (nam si hìc adhuc viuentes, iusti suas animas pro hominibus ponunt, multò magis ibi, videntes eos saluos esse, gaudent) sed tale figuratum est murmur, impositumque silentium, ad solam demonstrationem diuinæ benignitatis, erga eos qui postremi veniũt; vt confidant, quòd nihil illis oberit postremos venisse, si deinceps operati fuerint. D. Gregorius hanc murmurationem docet nihil aliud esse, quàm dilationem præmij, quam sustinuerunt Patres sancti in limbo, vsque ad pasionẽ Christi; quod tamen Lyrano non placet: quia murmuratores hoc loco dicuntur nequam: quod non potest dici de sanctis patribus in limbo existentibus: & in fine parabolæ concluditur: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Quanquam hæc omnia per similitudinem dici putarem, quasi per hipotesim: cùm in parabolis non omnia ad vnguem rebus ipsis respondere posse doceat D. Chrysostomus, & nos superiùs docuimus.

12 Exclusa omni præsumptione ac inani securitate, nunc animos suorum ad res aduersas ferendas erigit atque præmunit. Prædicit se Hierosolymam iturũ, atque, quid ibi passurus sit, iuxta vaticinia prophetarum proponit: illos bono animo esse iubet, quod quidem non semel, sed toties discipulis inculcat, ne, cùm venerit persecutio, & crucis ignominia, scandalizarentur. Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam: omnia hæc vberiùs postea explicabunt Euangelistæ, & nos in nostro Iosepho explicauimus. Paulus, qui hortatur nos fieri suos imitatores, sicut ipse imitatus est Christum, sciens Christum per hæc ad manifesta pericula promptisimè ascendisse, scientem quòd tradendus fuerat principibus sacerdotum & scribis, & condemnandus fuerat morte, & gentibus erat tradendus ad deludendum, & flagellandum, & crucifigendũ, simile aliquid fecit. Cùm enim Agabus accepisset zonam eius, & alligasset sibi manus & pedes, dicens: Hæc dicit spiritus sanctus, virum, cuius zona hæc est, sic eum alligabunt Iudæi in Ierusalem, & tradent in manus gentium: audiens ista Paulus, imitatus suum magistrum, in Ierusalem promptisimè ascendebat. Et cùm aliquid humanum passus fuisset ab his, qui propter dilectionem eius cœperant flere, & prohibere, ne ascenderet in Hierosolymã, dixit: Quid facitis, flentes & confringentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori paratus sum pro nomine Domini nostri Iesu Christi. Seorsim autem de his disserit illis, siquidem non multos hæc scire oportebat, ne offenderentur. Nam si hæc audientes discipuli turbabantur, multò magis turbæ. Cur ergo non dictum est de his ad turbas? Dictũ est quidem, sed non manifestè: Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: & alibi similia illis obscurè dicebat, sicut in sequentibus inueniemus. Addit D. Lucas, illos nihil earum rerũ, quæ dicebantur, intellexisse; cuius ignauiæ & tarditatis adfert D. Chrysostomus causam: quia alios quidem ab aliis excitatos, & audierant, & viderant: de mortuo verò, qui seipsum excitasset, & sic excitasset, vt nunquam in posterum moreretur, neque audierant vnquam, neq; viderant. Præterea & de eo, quòd occidendus esset Christus, vbi ad humanas respiciebant operationes, credebant hoc & contristabantur: vbi verò diuinas in mentem assumebant: increduli permanebant, quia scilicet, quod de morte audierant, etsi nõ clarè dispensationis huius mysterium sciebant, intellexerunt.

tamen. Resurrectionem verò non intelligebant, nec quæcunq; per eam mirificè facturus erat,& erat occultatum hoc ab eis:id est,non suscipiebant tales de hac re sermones, suspicantes & hos aliquam esse parabolam.

NOtandum primò: pericula præuisa minus ferire, & ideo Dominum sæpius mala proponere, vt suos cautiores & animosiores efficiat: sed parum hoc profuit apud non benè dispositum & incautum animum. Relicto eo,pòst fugerunt omnes: & hoc est, quòd Ecclesia Dei toties nobis proponit futura & extrema nostra, iuxta Salomonis præceptum: Memorare nouissima,& in æternũ non peccabis. 13

NOtandum secundò: summam & argumentum passionis Domini,quasi in parua tabella vniuerso mundo proponi, quæ postea latè & fusè explicanda, ac veluti in patentem quandam mappam transferẽda erat: eodemq; loco aliquot fidei articulos de Christo proponi, eum scilicet traditum, passum, flagellatum, mortuum,à morte demum rediuiuum resurrexisse; quæ prima & summa capita fidei & spei nostræ sunt. 14

NOtandum tertiò: tradidisse Iudæos Christum gentibus,ipsos in æternum sibi amisisse, ac postea in earundem gentium manus & potestatem deuenisse. Hæc merces traditorum est,vt,cùm alios prodiderint,ipsi pereant. 15

NOtandum quartò:ChristumDominum se illum esse demonstrare,de quo scripsit Isaias: Oblatus est,quia ipse voluit, vt,qui spontè omnib. partibus mortis & passionis suæ se offerat; vtpote ille,cuius oculis nihil absconditum sit, sed omnia,æquè absentia atque præsentia,futura vt præterita pateant. 16

NOtandum quintò: miram erga Christum Dominum Apostolorum dilectionem: qui, etsi non ignorarent, illum ad certam mortem proficisci; eum tamen sequi voluerunt,ac ne pericula quidem, quæ eis proponebantur, intelligere voluerunt. 17

NOtandum sextò: quæ ingrata sunt cognitu, non facilè ab hominibus admitti,aut intelligi; & ipsi nihil horum intellexerunt. 18

NOtat octauò Lyranus: Ideo Dominum noluisse in mundo prosperari, sed grauia pati; vt ostenderet, nos, qui per primorum parentum nostrorum delectationem cecidimus,cum amaritudine & contritione redire debere. 19

NOtandum vltimò: ad omnem illicitam mollitiem componendam, & ad omnes virtutes excitandas, nullam rem vim maiorem habere, quàm frequentem meditationem mortis & passionis Iesu Christi. Ideo nihil frequentius ante eam mortem Christus inculcabat, quàm eius ipsius recordationem ac memoriam; atque etiam nunc sponsa eius, Ecclesia sancta, tot festis, & cæremoniis ac sacramentis, proponit atque inculcat. 20

TVnc accedit ad eum mater filiorum Zebedæi, adorans & petens aliquid ab eo: nulli dubium quin à filiis inducta. At qua occasione? vel illa certè,quòd toties ingeminabat Hierosolymã,in qua &ipse Christus dominus,&omnes prophetæ sedem futuri Mesiæ prædixerant: vel illa, quam ponit D. Hieronymus, vt,cùm 21

vt,cùm Dominus dixerit: Filius hominis tradetur principibus sacerdotum & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent gentibus ad illudendum & flagellandum,& crucifigendum;& ignominiam pasſionis timentibus diſcipulis nunciaret,illa gloriam poſtulet triumphantis. Hac, vt reor, ex cauſa, quia poſt omnia dixerat Dominus, Et tertia die reſurget: putauit eum mulier poſt reſurrectionem illicò regnaturum, & hoc, quod in ſecundo aduentu promittat, in primo eſſe complendum; &, auiditate fœminea,præſentia cupit, immemor futurorum. In hoc ergo regno primas ſedes quærit & petit mater filijs. Marcus certè docet, eos ipſos primùm veniſſe cum illis verbis: Magiſter,volumus, vt quidquid petierimus,facias nobis.At illi dixerunt ei:Da nobis,vt vnus à dextris, alter à ſiniſtris tuis ſedeamus in gloria tua: à quo repulſi, ad matrem ſe contulerunt. Quærit Dominus more ſuo à muliere, quid velit, quid petat; non de ignorantia, ſed ex perſona eius dicitur, qui flagellandus & crucifigendus erat: quomodo & in Æmorrhouſa:quis me tetigit? Et de Lazaro: vbi poſuiſtis eum? In veteri quoque teſtamento: Adam,vbi es? Et: deſcendens videbo,ſi iuxta clamorem,qui venit ad me,perficiant: ſin autem non eſt vt ſciam. Interrogat, non quòd neſciat,ſed vt ipſi vlcus aperiant,& curentur,& ad martyrium incitentur. Nihil enim de gloria Apoſtolorum ambigebatur, &, iudicaturos eos, ſermo ſuperior expoſuit.Poſtulat autem mater,errore muliebri,& pietatis affectu,neſciens quid peteret: Dic, inquit, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam,& alter ad ſiniſtram in regno tuo. Rem magnam, inquit D. Chryſoſtomus, angelicis humeris formidandam, petit: nullus enim profectò à dextris, nullus à ſiniſtris eius ſedebit; inacceſsibilis quippe ſedes eſt illa, non hominibus dico ſanctis & Apoſtolis,ſed angelis & archangelis,cæteriſq; virtutibus. Quod quaſi præcipuum vnigeniti priuilegium Paulus poſuit,dicens: Ad quem autem angelorum dixit vnquam,Sede à dextris meis? Et ad angelos quidem inquit, Qui facit angelos ſuos ſpiritus: ad filium autem,Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi. Sed delectat culmen honoris, quos nondum exercuit via laboris. Reſpondens autem Ieſus,dixit: Neſcitis quid petatis.Nec mirum,ſi iſta arguatur imperitiæ,cùm de Petro dicatur,quando tria vult facere tabernacula: neſciens quid diceret. Petit igitur mater quod filij voluerunt; ignoſcitur matri: matrem cogitate,mater poſtulat, & Dominus diſcipulis loquitur, intelligens, preces eius ex filiorum pendêre voluntate. De medijs igitur, quibus regnum illius acquiri ſolet, in primis quærit: à triumpho maturo ad pugnas & certamina reuocat: Poteſtis calicem bibere, quem ego bibiturus ſum, & baptiſmo,quo ego baptizor, baptizari? Calix vocatur mors & martyrium, vt oſtendatur illius ſuauitas, tanquam ſi quis calicem bibat: deinde,quòd non ſit moleſtum & prolixum;ſed quemadmodum,ſi quis ſitiens biberit calicem,ſtatim obdormiat: ſic martyriũ præſens ſequitur hominis quies & præmium. Calicem in ſcripturis diuinis intelligimus pasſionem: iuxta illud, Pater, ſi poſsibile eſt,tranſeat à me calix iſte. Et in Pſalmo, Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam,& nomen Domini inuocabo:ſtatimq; infert,quis iſte ſit calix,Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Leuatur autem crux communione calicis: quid enim iucundius,quàm cum Chriſto communia habere omnia? quem ego,inquit, bibiturus ſum. Baptiſma autem vocat mortem, quòd omnes nos purget. Perſpice autem,inquit D. Chryſoſtomus,qualiter, ipſo interrogationis modo, & hortatur, & allicit: non enim dixit, Poteſtisné

veſtrum

vestrum effundere sanguinem ? sed quónam pacto ? Potestis bibere calicem? deinde alliciens inquit: quem ego bibiturus sum;vt communicatione laborum cum ipso promptiores redderentur. Baptismum deinde idipsum appellauit, vt magnam orbi futuram expiationem hinc significaret. Illi autem,desiderio quodam animi,confestim promittunt,dicentes: Possumus. Dulce bellum inexpertis: conditionem suscipiunt, ad omnia sufferenda se paratos esse; nesciebant quid pollicerentur,modò petitis perfrui liceret.Dixit autem illis, Calicem quidem meum bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: sedere autem ad dexteram, vel ad sinistram meam, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Quod sic intelligendum est: Regnum cælorũ est dantis,non accipientis: non est acceptio personarum apud Deum : sed quicunque talem se præbuerit,vt regno cælorum sit dignus,hic accipiet: quod non personæ,sed vitæ paratum est.Si itaq; tales estis,qui consequamini regnum cælorum, quod pater meus triumphantibus & victoribus præparauit, vos quoque accipietis illud. Alij de Moyse & Elia dictum volunt, quos paulò antè in monte viderant cum eo loquentes: sed mihi nequaquam videtur. Ideò eni m sedentium in regno cælorum vocabula non dicuntur, ne, paucis nominatis, cæteri putarentur exclusi. Accendit eadem cæteros Apostolos ambitio, succensent similiter non tam matri,quàm filijs; vt illi carnaliter petiuerunt esse super omnes, sic isti carnaliter contristati sunt,esse aliquem ante se: quisque enim occultè spem primatus inter se fouebat. Subintelligitur autem,vel ex responsione Domini, vel ex indignatione apostolorum, quòd filij matrem immiserint ad grandia postulanda; quos duplici argumento repellit. Primò illo,quòd regnum suum non sit ex hoc mundo : secundò,quia quidam opinabantur,tempus illud, non regni solùm esse,sed etiam requiei: ille itaque hoc quoque, quod in se est, corrigit; demonstrans,hoc potiùs esse tempus afflictionis & cædis: proinde calicem illis & baptismum proponit,hoc est,crucem & mortem. Et bonum quidem erat istorum desiderium,sed inconsiderata petitio; quæ ideò non confunditur,quia de amore Domini nascebatur: quare non voluntatem eorum, neque propositum,sed solam ignorantiam culpauit. Humilis magister & mitis, inquit Hieronymus, nec cupiditatis immodicæ illos arguit postulantes,nec decem reliquos indignationis increpat liuoris: sed tale ponit exemplum,quo doceat,tum illum maiorem esse,qui minor fuerit, & illum dominum fieri, qui omnium seruus sit; tum & vt ostendat,tyranni eam esse pasionem,morisque adeò gentium,prima quæque appetere. Scitis,inquit,quia principes gentium dominantur eorum,& qui maiores sunt,potestatem exercent in eos. Frustrà igitur illi aut immoderata quæsierant, aut isti dolent super maiorum desiderio: cùm ad summitatem virtutum,non potentia, sed humilitate veniatur. Quicunq; voluerit inter vos maior fieri,sit vester minister; & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Denique sui proponit exemplum,vt,si dicta paruipenderent,erubescerent ad opera: & dicit,Sicut filius hominis non venit ministrari,sed ministrare,&dare animam suam redemptionem pro multis. Non dixit autem, Animam suam redẽptionẽ dare pro omnibus,sed,pro multis: id est,pro his, qui credere volũt. Ministrabat autem curans ac sanans quorundam corpora, quorundam & animas &corpora simul;hæcque erat summa vitæ illius.

Notandum

22 NOtandum primò: importunam & præposteram rem esse ambitionem: dum enim res inclinant, illa crescere vult. Prædixerat se Dominus in Ierusalem iturum, illic omnia acerba perpessurum; luctus & fletus locus fuit, metus & contritionis: isti interim sedes atque thronos somniant, de primatu & dominatu contendunt; nec de quibusuis sedibus, sed de illis, ex quibus Lucifer cecidit, & quæ illi soli debentur, de quo dictum est, Sede à dextris meis. Suffert patienter hæc, & condonat misericors & miserator Dominus.

23 NOtandum secundò: Cur Christus Dominus docet, non esse suum, illis dare regnum, cùm ille sit, qui omnia habet quæcunque & pater, & in cuius manu posita sunt omnia, & cui tradita sunt cuncta à patre eius? Nam, si ea verba, quibus dicit non esse suum, ad humanitatem referas, vt quidem à pluribus patribus referuntur; minimè hac ratione difficultatem euademus: nam & omnia illa, quæ ad gubernationem Ecclesię, ac vniuersæ naturæ pertinent, sunt illi tradita; iuxta illud: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Rem igitur diligentiùs, ne aliqua ansa & occasio Arianismo detur, expendamus: ad cuius rei euidentiã tria notanda sunt. Primùm notat D. Chrysostomus, Dextrum & sinistrum, significare summum gradum gloriæ in regno Christi; quale est illud, Sede à dextris: & illud, Dominus quidem Iesus assumptus est, & sedet ad dexteram patris. Secundò obseruandum est, Deum posse sine omni merito, cum demerito etiam, hominem saluare: legem tamen eum ordinariè statuisse, vt meritis intercedentibus agat, gradusq; gloriæ, pro gradibus gratiæ conferat, idque æterna dispositione; atque ij sunt, quibus datum est à patre. Tertiò notandum, in Christo domino, ex parte eius humanitatis, hæc quatuor reperiri: Primum, acceptare illũ dispensationem patris: Ita pater, quoniam sic placuit ante te. Secundò, dare media ad gloriam: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Tertiò, dispensare & distribuere gradus gloriæ: Dedit iudicium filio, vt, quemadmodum hi honorificant patrem, ita honorificent & filium. Quartò, filium per omnia obedire patri, nec mutare ordinem à patre præfixum: In hoc veni in mundum, vt facerem voluntatem patris. In his igitur verbis, Dare vobis non est meum: primò non negat, sed dispensatorem esse graduum gloriæ: non enim simpliciter dicit, Non est meum dare; sed dicit, Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo; paratum est autem illis, qui bona egerint, & in mandatis eius se exercuerint, ac calicem eius biberint. Secundò, non hoc Christum dicere, impossibile quid illos petere (etiamsi contrarium indicet Ambrosius) sed illud potiùs, eos quidem iusta & honesta petere, quin & possibilia, non tamen aut ordine suo, aut debita via & medijs. Tertiò, illud solum Christum negare, se paternos limites, quos consequendæ glorię assignauit, violare nec velle, nec posse. Quartò, non auferre Christum dominũ spem istis consequendæ gloriæ, iuxta D. Hieronymum, sed modum consequendæ gloriæ proponere, tanta præmia non cognationi & affinitati, aut vlli humanæ affectioni, sed calici atque baptismo deberi. Res tota tali exemplo illustratur: Ad editorem munerum atque certaminis, quo multi atque præclari athletę confluant, duo quidam, ipsi præcipua familiaritate coniuncti, accedunt, qui, amicitia principis freti, postulare audeant, vt victores ipsi pręconio declarati, coronentur; quibus ille respondeat, Non est meum id dare vobis, sed quibus labore atque sudore præparatum est. Num igitur, quasi non potentem illum id facere

facere condemnabimus? Nequaquam; sed iustitiam eius admirabimur,& quoniam non personam,sed rem respicit,laudabimus. Quemadmodum igitur editorem munerum,atque certaminis principem haud dicemus coronam donare non posse, sed nolle luctationis transgredi leges,& iustitiæ ordinem conturbare: sic vtique Christum id dixisse affirmamus. Perpulchrè Euthymius: Et quomodo,qui omnipotens est, ad hanc sedem dandam redditur impotens ? Quòd dixit,Non est; non impotentiæ est,sed iustitiæ: nam,quia gratis sibi dari primatum petunt, Non est,inquit, meum, dare gratis primatum, siue primam sedem: (id siquidem significat dare) iustus enim sum, nec personarum acceptor; sed hoc,ait,est illorum quibus paratum est à patre meo:paratum est autem his, qui digni sunt vt hoc consequantur. Non enim sola mihi cæde communicare, primam conciliat sedem, sed primas omnium ferre etiam in cæteris virtutibus:inde autem maximè traduxit illos. A patre autem meo dixit, tum, vt patrem honoraret,tum,vt seipsum demonstraret tanquam idem cum patre potentem: Ego,inquit,& pater vnum sumus.

NOtandum tertiò:quæ causa sit, quòd, cùm in eo errore omnes ferè apostoli versarentur,quòd regnum illud præsens & temporale iudicarent, cur illos ab eo statim non liberet errore ? An,cùm tria vera,& quasi fundamenta,de illo opinarentur,in vno solo errabant? Illud primùm opinabantur, esse aliquod regnum Dei: deinde, Apostolis in illo primum & præcipuum locum deberi: tertiò,Christum eius regni principem,distributorem,& arbitrum futurum. In modo tantùm errabant,quòd illud in terra quærebant, quod in cælis reconditum fuit.Cùm igitur in substantia non errarent,& cùm adhuc cælestium essent ignari atque minus capaces: ideo, ne illos perturbet, & in maiorem errorem inducat,parcit illis,condescendit infirmis animis,iuxta illud Isaiæ:Calamum quassatum non confringet,& linum fumigans non extinguet. An,quòd regnum istud neque planè terrenum, neq; planè cæleste esse debuit, sed mixtum, vt aliâs copiosè docuimus. an quòd homines rebus terrenis faciliùs alliciantur & teneantur:non est tamen vlla deceptio deterrere & deijcere spe minori aliquem, vt ad maiora prouehatur. 24

NOtandum quartò : Si ipsius filij non est dare partes Ecclesiasticas, nisi illis quibus paratum est à patre: quantò magis non est regum atque principum, aut plebis, aut mortalis vllius hominis, præter eam regulam, quam ipse hæres præscripsit,bona Ecclesiastica distribuere? 25

NOtandum quintò : Si non licet partes sanctorum dare sanguini, aut cognationi, aut vlli necessitudini: quantò magis pecuniæ, obsequijs, ambitioni, & reliquis malis artibus ? 26

NOtanda sextò sunt mala, quæ magistratus per ambitionem acquisitos, consequuntur. Primò,diabolicæ machinæ, & tentationes maiores,quàm in vllo genere vitæ, teste Clemente Romano. Secundò, quia, quæ fuerunt priuata peccata,& quæ vni soli nocebant, pestes efficiuntur publicæ, teste Nazianzeno.Tertiò,quia cum priuata virtute & vitæ innocentia potest aliquis, ob subditorum delicta,damnari: Basilius in Moralibus. Quartò, in morte reddendæ rationis stricta ratio: nam & pro se, & pro subditis: Isidorus De summo bono. Quintò,quia magistratum gerere,est mediatorem esse Dei &hominum;qualem 27

hominem oportet esse Deo gratissimum. Sextò, quia huic generi hominum non debentur auxilia specialia: sine quibus nihil, nec priuatim, nec publicè, rectè geri potest.

28 NOtandum septimò: Primatum appetere & diligere, ethnicorum morbum & affectionem esse. Principes gentium dominantur eorum. Vos autem non sic.

29 NOtandum octauò cum authore Operis imperfecti, Aliud esse opus bonum, aliud primatum honoris: & opus quidem bonum desiderare, bonum est; primatum autem honoris concupiscere, vanitas est. Quoniam bonum opus implere, nostræ voluntatis, & nostri operis est & laboris; propter quod & nostra est merces: primatum autem consequi, iudicij Dei est; propter quod ex primatu honoris, nescio si aliquam mercedem iustitiæ adipisci meremur. Nam desiderium primatus, ex iactantia nascitur cordis: qui autem humilis est corde, & indigniorem se alijs arbitratur, secundùm illud præceptum Apostolicum, quod ait: Alter alterum æstimans superiorem se, nunquam desiderat superior apparere: primatus enim fugientem se, desiderat; desiderantem se, fugit.

30 NOtandum nonò, neminem posse esse participem regni Christi, qui non fuerit crucis & passionis eius particeps: contrà quàm docet hæresis. Potestisné, inquit, bibere calicem, quem ego bibiturus sum?

31 NOtandum decimò: quomodo calicem martyrij filij Zebedæi, Iacobus videlicet & Ioannes, biberint: cùm scriptura narret, Iacobum tantùm Apostolum ab Herode capite truncatum, Ioannes autem propria morte finierit. Sed, si legamus historias Ecclesiasticas, in quibus fertur, quòd & ipse propter martyrium sit missus in feruentis olei dolium, & inde ad suscipiendam coronam Christi athleta prodierit, statimque relegatus in Pathmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse, & bibisse Ioannem calicem confessionis, quem & tres pueri in camino biberunt, licèt persecutor non fuderit sanguinem.

32 NOtandum vndecimò: Christi regnum non esse de hoc mundo: hoc est, non sequi viam mundi. Nam principes gentium dominantur eorum. Regnum autem Christi non est sic, sed qui est maior, sit tanquam qui ministrat.

33 NOtandum duodecimò: non ideò maioris & minoris, superioris & inferioris, præpositi & subiecti non esse differentiam, vt hæretici arbitrantur, quia principes gentium dominantur eorum; cùm vel ex hoc loco colligatur, in Ecclesia Dei alios maiores, minores alios futuros: Qui, inquit, inter vos est maior, sit tanquam qui ministrat: sed hoc tantùm doceri, eum qui maior est, dominatũ sibi accipere non debere; sed potiùs munus quoddam ministerij exequi, vocationem expectare debere, ac in quæsito magistratu moderatissimè sese gerere.

34 NOtandum tredecimò: notare Origenem hoc loco, superbiam & fastum sacerdotum veteris Ecclesiæ. Nos autem, inquit, siue non intelligentes voluntatem diuinam, positam in scripturis, siue contemnentes talem commendationem Christi, tales sumus, vt etiam malorum principum mundi excedere superbiam videamur: & non solùm quærimus sicut reges acies præcedentes, & terribiles nos, & accessu difficiles, maximè pauperibus exhibemus, & tales sumus ad

eos, qui nos interpellant, vt propter aliquid deprecentur: ſicut nec tyranni, & crudeliores principibus mundialibus ad ſubiectos. Et eſt videre in quibuſdam eccleſijs,& præcipuè ciuitatum maximarum, principes populi Chriſtiani, nullā affabilitatem habentes,vel habere ad ſe permittentes. Epiſcopi autem quidam crudeliter comminantur, aliquando quidem occaſione peccati, aliquando autem contemnentes pauperum curam,cùm ſit ſcriptum: Quantum magnus es, tantum humilia te,& inuenies gratiam coram Domino. Hæc autem diximus, volentes oſtendere, quòd Eccleſiarum principes, principum mundialium imitatores eſſe non debent: ſed imitari debent Chriſtum acceſsibilem, & mulieribus loquentem,& pueris manus imponentem,& diſcipulis ſuis pedes lauantem atque tergentem,exemplum eis dantem,vt & ipſi ſimiliter faciant fratribus ſuis. Forſitan autem, & quoniam Dominus conſtitutus ſeruiebat pro ſalute hominū generi noſtro,propterea dicitur formam ſerui ſuſcepiſſe, & humiliaſſe ſe vſque ad mortem;propter quod & Dominus eum ſuperexaltauit. Qui vult ergo exaltari,ſimilia faciat, vt exaltetur per ea: ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.

QVartodecimò notandum: falsò ex hoc loco,vbi Chriſtus dicit,ſe animam ſuam ponere pro multis,ſcribere Caluinum: Quidquid de putidis ſuis ſatisfactionibus garriunt Papiſtæ. Porrò, cùm nos ſibi morte ſua in peculium acquiſierit Chriſtus,adeò immenſæ eius gloriæ nihil derogat hæc,de qua loquitur ſubmiſsio,vt eam maximè illuſtret: nam hoc non iactationis aut deſidiæ cauſa proponitur à Chriſto,ſed exempli;vnde non dicit,Pro omnibus,ſed Pro multis, qui imitati & ſecuti fuerint: Qui vult venire poſt me,abneget ſemetipſum, &c. 35

SERIES Euangelii.

Excluſa & depulſa oculorū mentis caligine,quam ambitio in manus diſcipulorum induxerat,(parū enim quidā ex his qui foris ſunt, intereſſe dicebat, vtrū quis vino,an ambitione ebrius ſit) ad curandū eam, quæ oculorū eſt,cœcitatē,ſeſe refert.Egrediētib. enim illis ab Iericho,ſequebatur Ieſum turba multa. Teſtimonium ſtudioſi agricolæ eſt, meſsis fœcunda, aſsidui autem doctoris documentum: eccleſia plena: negotiatoris proſperata felicitas, apotheca multiplex. Quis autem non deſideret Dominum, aut quis non ſequatur eum, quem etiam duo cœci, antequam corporaliter viderent,ſpiritualiter aſpexerūt; & antequam audirent,crediderunt? Nimirum hæc eſt illa roſa in campis Iericho,de qua ſapientia loquitur per Salomonē: Sicut palma exaltata ſum in Cades,& ſicut plantatio roſæ in Iericho. Ergo hæc eſt illa ſpecioſiſsima roſa,ſanctitate iuſtitiæ candida, & paſsionis ſanguine rubicunda. Sicut enim roſa, antequam videatur, ſentitur: & antequam inueniatur, tenetur in odoribus ſuis: ſic & Dominum tranſeuntem de longè,duo cœci, antequam viderant, diuinitatis eius fragrantiā ſenſerūt.Ecce,inquit,duo viri cœci ſedentes ſecus viā,vbi audierunt quia Ieſus tranſibat,clamârunt: Domine,miſerere noſtri, fili Dauid. Marcus vnum ſolum, quaſi principalem cœcum fuiſſe dicit,Timæi filium,Bartimæum: alterum autem obſcurum quendam illi miniſtrātem, & eum deducentem. O tenebræ omni lumine clariores! inquit Chryſoſtomus: ô acutiſsimus cœcitatis aſpectus! Putas quanti homines ſani, & iuxta Ieſum, qui via eſt,ambulantes,hominem illum putabant: & duo cœci, & longè ſedentes,Deum proſpexerunt. Turba autem increpabat eos,vt tacerent. Increpabant,inquit Hilarius, 36

non quòd

non quòd silentium causa honoris exigerent: sed acerbè à cœcis audiunt, quòd ipsi negarent Dominum esse Dauid filium. At illi magis clamabant, dicentes: Domine, miserere nostri, fili Dauid. Stat Iesus: quid sibi velint, interrogat. Multæ foueæ erant in Iericho; multæ rupes, & prærupta in profundum vergentia: idcirco Dominus stat, vt venire posśint, & vocari iubet, ne turbæ prohibeant, ac interrogat quid velint. Quid vultis, inquit, vt faciam vobis? O Domine, quid interrogas, quod ipse oculis vides? Infirmitas clamat, & vt quid vocem perquiris? Non quæro propter pasśionem, sed propter fidem: non cupio audire quid dolent, sed volo cognoscere quid de me sentiunt: Tu Domine occultorum es cognitor, & nescis quid de te sentiunt? Etiam scio: sed volo vt procedant ad medium populi, & cunctis audientibus dicant quid velint: & dum cœci me Dei filium confitentur, confundãtur videntes, qui me hominem tantùm putant. Dominum me vocant, & verum dicunt: sed dum filium Dauid dicunt, dissipant quod benè confessi sunt. Nam abusiuè & homines domini dicuntur: verè autem nemo Dominus est, nisi Deus. Si ergo dicunt, Domine fili Dauid, abusiuè, secundùm hominem, me honorant: si autem solummodo dominum, secundùm deitatis diuinitatem me confitentur. Misertus illorum, tangit oculos eorum, & confestim respiciunt, & sequuntur eum. Tangit oculos, & præstat artifex, quod natura non dederat: aut certè, quod debilitas tulerat, donat misericordia: statimque viderunt, & secuti sunt eum. Qui ante in Iericho contracti sedebant, & clamare tantùm nouerant; postea sequuntur Iesum, non tam pedibus, quàm virtutibus. Quid autem mysticè per hos cœcos veteres intellexerint, pulchrè simul & breuiter explicat Hieronymus: Duo, inquit, cœci erant iuxta viam; Cœcos appellat, qui necdum dicere poterant, In lumine tuo videbimus lumen. secus viam: quia videbantur quidem legis habere notitiam, sed viam, quæ Christus est, ignorabant: quos plerique Pharisæos intelligunt & Saducæos, alij verò vtrumque populum, & veteris testamenti & noui: quòd alter scriptam legem, alter naturalem sequens, sine Christo cœcus erat. Hi, quia per se audire non poterant, audierunt præconia Saluatoris: & confessi sunt filium Dauid. Sin autem vterque cœcus refertur ad populum Iudæorum, hoc quod sequitur, Increpabat eos turba, super ethnicis intelligendum est: quos Apostolus monet, ne glorientur & superbiant contra radicem suam: sed cùm ipsi inserti fuerint ex oleastro in bonam oliuam, nequaquam debeant inuidere priorum saluti. Miserere nostri fili Dauid: Increpantur à turbis, & nihilominus tacent, sed crebriùs idipsum ingeminant, vt desiderium plenum veræ lucis ostendant.

37 NOtandum primò: Christum Dominum nullo loco, nullo tempore, cuiquam generi hominum defuisse: nam Iericho multos latrones & prædones alebat, qui egredientes, vt testis est Hieronymus, & descendentes de Ierusalem, interficere & vulnerare consueuerant: idcirco venit Iericho Dominus, vt liberaret vulneratos, & cœcos illuminaret.

38 NOtandum secundò: Cælestem patrem, ac vnigenitum eius filium, nulli, in simplicitate & veritate se inuocanti, deesse: turbas, quæ nos impediunt, hoc est, tentationes & cupiditates mundi huius, & reliqua scandala, contemnenda esse, illis resistendum, opposituq; magis vrgendum Increpanti, tumultui cogitationum, curarũq; carnalium, inquit Beda venerabilis, nostro spirituali studio atque oratione

que oratione resistendum est; quem firma animi constantia oportet superare, ne impediat clamore suo doctrinam Christi.

NOtandum tertiò: omnes partes corporis Christi, propter hypostaticam vnionem, diuina virtute præditas fuisse, omnemq; languorem curandi, vim habuisse: quod in cœcis istis apparet. Tetigit, inquit Euangelista, oculos eorum, & continuò viderunt. 39

NOtandum quartò: qui à Christo illuminantur, illos Christum sequi debere, & non ampliùs mundo adhærere: quod nunc cœcos facere videmus. 40

NOtandum quintò: in his cœcis formam & signum gentilis populi fuisse. Obiter isti curati sunt, & illi eodē modo curati: per auditū isti Christū cognoscūt, & illi per auditum cognouerunt: arcent istos turbæ à Christo, arcebant Iudæi, & tyranni ac persecutores, suos subditos: confessi sunt isti Christum & secuti, idem gentiles fecerunt. 41

NOtandum sextò: vulgare fuisse in Israël, Messiam pro filio Dauid haberi, quod isti cœci vident: Nestorius, & multi, hoc seculo, hæretici, non vident: vt impleatur scriptura, quod à Domino dictum est: In iudiciū mundi huius veni, vt, qui vident, non videant, cœci verò respiciant. 42

NOtandū vltimò: quòd transiens Iesus audit, stās illuminat: quia per humanitatem misertus; per verbi æternitatem, quæ non morietur, lumen reddit. 43

QVAESTIO D. AVGVSTINI PRIMA. Quòd Dominus seorsum se duob. discipulis passurum refert, ad confirmandum in posterum testimonium fecit: quia dixit, In ore duorum vel trium testium, stabit omne verbum. Vt enim neq; vulgaretur quod dicebat, neque careret humani testimonij firmitate, paucioribus, quàm duobus, dicere non potuit, vel ad sacramentum charitatis ostendendum: minùs enim, quàm inter duos, charitas esse non potest. Erat autem ille, non necessitate debiti propter peccatum suum, sed ad soluenda nostra peccata, charitate passurus. SECVNDA. Ab Iericho egreditur Dominus: iam de ista terra resurrectione discedens. Sequuntur eum turbæ multæ, credūt in eum populi & gentes. Duo autem cœci sedentes iuxta viam, significant de vtroq; populo quosdam, iam cohærentes per fidem dispensationi temporali, secundùm quam Christus via est, & desiderantes illuminari, id est, aliquid de verbi æternitate intelligere, quod, transeunte Iesu, impetrare cupiebant, id est, per meritum fidei, qua creditur filius Dei & natus homo propter nos, & passus: per hanc enim dispensationem quasi transit Iesus: quia talis actio quasi temporalis est. Oportebat autem, vt tantum clamarent, donec resistentis sibi turbæ strepitū vincerent: id est, tam perseueranter animum intenderent orando atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quæ tanquam turba obstrepit cogitationi, lucem veritatis æternæ videre conanti; vel ipsam hominum carnalium turbam, studia spiritualia impedientem, fortissima intentione superarent. Itaque audiens Iesus, qui ait, Petenti dabitur, & quærens inueniet, & pulsanti aperietur, venientes ad seipsos, scilicet desiderij ardore peruenientes ad id quod desiderāt, stans eos tangit atque illuminat. Non enim, sicut illa dispensatio temporalis, ita etiam verbi æternitas transit, quæ, in seipsa manens, omnia inno- 44

mnia innouat. Quapropter, quia fides incarnationis temporalis, ad æterna intelligenda nos præparat, transeunte Iesu admoniti sunt, vt illuminarentur, & à stante illuminati sunt. Temporalia enim transeunt, æterna stant.

39

Caput XXI.

40



N CAPITE XXI. GLORIOSVS ET TRIVMPHALIS CHRISTI Domini in vrbem ingressus continetur: ementes & vendentes de templo eijciuntur: colentium se puerorum studium defenditur: ficui sterili & fructu vacuæ maledicitur: cum Pharisæis disputat Dominus: eorumq; ingratitudinem & malitiam aliquot refutat parabolis. Egreditur itaque de Iericho, turbis eductis indè quàmplurimis, & cœcis reddita sanitate, appropinquat Hierosolymis, magnis ditatus mercibus, salute credentium reddita, ingredi cupit vrbem pacis, & locum visionis Dei, & arcem speculatorij. Frequenter ingressus est vrbem Ierusalem, sed non cum his laudibus: non Rex vocatus, quod semper fugerat, nisi modò cùm ascendit passurus. Quod ideò factum est, vt ampliùs illorum aduersum se excitaret inuidiã, quia iam tempus passionis instabat. Venit igitur Bethphage ad montem olíueti, qui sacerdotum viculus erat, & erat situs in monte olíueti. Quia, licèt sacerdotes non haberent hæreditates ex prima terræ sortitione; habebant tamen vrbes ad habitandum, & suburbana ad alenda iumenta, ex secunda asignatione Domini. Mittit duos discipulos, & dicit eis: Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam, & pullum alligatum cum ea, soluite & adducite mihi, & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quòd Dominus his opus habet, & confestim dimittet vobis: vt ostendat se esse Dominum vniuersorum, & per eum omnes alios rerum suarum dominos esse. Nemo enim, inquit Origenes, alius dominus illorum erat, qui ligati sunt, nisi ille de quo ait Apostolus: Nobis autem vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia. Quidã dicunt hos duos esse, Petrum & Philippũ, qui primùm gentiles ad Christum adduxerunt: Philippus Samariam, quam asinam interpretantur: Petrus Cornelium, quasi Samariæ pullum. Duo autem mittuntur ad soluendum, teste Theophylacto: D. quidem Paulus ad gentes, D. autem Petrus ad circumcisionem, hoc est, Iudæos. Sed & nunc duo semper mittuntur: Euangelium, & Pauli scripta: Petrus solet sequi, maioris humilitatis causa. Istam asinam dicit Lyranus communem fuisse pauperibus, non habentibus animalia, & qui operabantur in ea, dabant sibi pabulum, & facto opere, reducebant ad locum determinatum, vt alius indigens posset accipere eam, & pullus eius nutriebatur cum ea pro consimili opere. Ite in castellum, inquit, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet, & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus: sedens super asinam, & pullum, filium subiugalis. Confirmat totam causam testimonio prophetæ. Expendit eam prophetiam Hieronymus: Aut, inquit, Dominus insedit asinæ, & pullus absq; sessore fuit: aut, si pullo (quod magis competit) vsus est ad sedendum, asina ducta est libera. Ergo, cùm historia vel impos-

Num. 35.
Ios. 21.

41 42 43 44

ſibilitatem habeat, vel turpitudinem,ad altiora tranſmittimur:vt aſina iſta,quæ ſubiugalis fuit,& edomita iugum legis traxerat, ſynagoga intelligatur: Pullus aſinæ laſciuus & liber,gentium populus, quibus ſederit Ieſus, miſsis ad eos diſcipulis ſuis duobus,vno in circumciſionem, & altero in gentes. Ecce rex tuus venit tibi manſuetus,aſcendens ſuper iugalem, & pullum nouum: non currus, inquit Chryſoſtomus,vt cæteri reges, agens: non vectigalia exigens:non elatus tumore:nec ſatellitibus conſtipatus; ſed magnam vndiq; monſtrans humilitatem. Interrogetur ergo Iudæus, quiſnám regum aſina vectus Hieroſolymam intrauerit; neminem profectò præter Chriſtum dicere poſſunt. Faciunt apoſtoli quod iubet:adducunt aſinam & pullum eius:veſtimenta ſua imponunt ſuper eam. O eximiam in magiſtrum charitatem. Veſtis, inquit Beda, Apoſtolica,vel doctrina virtutum,vel diſcretio ſcripturarum, vel Eccleſiaſticorum dogmatum varietas intelligi poteſt: quibus, niſi anima inſtructa fuerit & ornata, ſeſſorem Deum habere non meretur. Quia ſancti martyres, propriȩ ſe carnis amictu exuentes, ſimplicioribus Dei famulis viam ſuo ſanguine parant,vt videlicet inoffenſo greſſu mentis, ad ſupernæ mœnia ciuitatis, quò Ieſus ducit, incedant. Turbæ autem ſummum honorem illi facientes, tanquam Deo & Meſsiæ ſuo; ſternebant veſtimenta ſua in via, ne iumentum allideretur, & ramos de arboribus ſternebant,vt viam complerent. Vt triumphũ deſignantes Apoſtoli, veſtimenta ſua ſuper aſinam ponunt: turba, quæ vilior eſt, ſubſternit pedibus aſinæ, necubi offendat ad lapidem,ne calcet ſpinam, ne labatur in foueam. Nam in Lege veteri erat hoc vſu & conſuetudine à populo Iſraël receptum, vt rege vncto feſtinaret vnuſquiſque, tollensq; palliũ ſuum, poneret ſub pedibus regis in ſimilitudinem tribunalis. Frondes ſternebant in via, vt praua recta facerent, & æquarent inæqualia: quò rectiùs atq; ſecuriùs, in corde credentium, Chriſtus dæmonum atque vitiorum victor incederet. Ramos etiam de arboribus cædunt,qui in doctrina veritatis ſententias Patrum excerpunt, & eas in via Dei ad auditoris animum venientes,humili prædicatione ſummittunt. Multi ſternũt veſtimenta ſua in via,quando corpora ſua edomant, vt ei iter ad mentem parẽt, vel exempla bona ſequentibus præbeant. Turbæ autem quæ præcedebant, veterem illum prophetarum & patriarcharum chorum deſignantes: & quæ ſequebantur, futuros declarantes fideles Apoſtolos, martyres,& doctores: clamabant, Oſanna in excelſis: Benedictus qui venit in nomine Domini: Oſanna in altiſsimis. Et hi,licèt diuerſis quidem temporibus fuerint; tamen in omnibus vnus exultationis ſpiritus fuit. Itaque illi quidem, prophetantes de Chriſto venturo,clamauerunt, Benedictus qui venit in nomine Domini: hi autem,laudantes clamãt de aduentu Chriſti iam impleto: Oſanna filio Dauid, Adueniens autem dicitur Chriſtus pro Expectatus: vel, quem ſecundario aduentu in dies expectamus. Oſanna filio Dauid, quid ſignificet,docet Hieronymus. Ante omnes,inquit,plurima, in breui epiſtola ad Damaſum tunc Romanæ vrbis Epiſcopum,me dixiſſe memini, & nunc perſtringam breuiter. In centeſimo decimoſeptimo Pſalmo, qui manifeſtè de aduentu Saluatoris ſcriptus eſt,inter cætera hoc quoque legimus: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli: A Domino factum eſt iſtud,& eſt mirabile in oculis noſtris. Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea. Statimque iungitur: O Domine, ſaluum me fac: ô Domine benè proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domi-

mo Domini, &c. Pro eo quod habetur in Septuaginta interpretibus: ω κύριε σω-σον δὴ, id eſt, O Domine ſaluum me fac: in Hebræo legimus, *Ana Ieue, euſioe na*. quod manifeſtiùs interpretatus eſt Symmachus, dicens: Obſecro Domine. Deinde Dauid filium nuncupant, in quo agnoſcunt regni æterni æternitatem. In excelſis: quia aduentus Chriſti non tantùm hominum, ſed totiusmundi ſalus eſt, terrena coniungens cæleſtibus, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quàm diſpares poſt aliquot dies auditæ ſunt voces: Tolle, tolle, crucifige eum. Hæc mundi eſt conſtantia. Reliquæ partes acclamationum apud alios ſunt legendæ Euangeliſtas, vt & de palmarum geſtatione apud Ioannem. Fuit autem hoc ſymbolum rerum lætiſsimarum, & earum, quæ ad futurum Meſsiæ aduentum pertinebant. Quale eſt illud præceptum de feſto tabernaculorum: Sumetis die primo fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulasq; palmarum, & ramos ligni denſarũ frondium, & ſalices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo veſtro. Et alio loco: Egredimini in montem, & afferte frondes oliuarum, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti; & ramos palmarum, & frondes ligni nemoroſi, vt fiant tabernacula, ſicut ſcriptum eſt. Et 2. Machab. 10. Thyrſos & ramos virides, & palmas præferebant ei, qui proſperauit mundare locum ſuum. Dum autem ingreſſus eſt templum, commota eſt vrbs vniuerſa, dicens: Quis eſt iſte? Turbæ autem dicebant: Hic eſt propheta ille à Moyſe prædictus, cuius aduentus iam imminet, & quem in expectatione habemus.

Leuit. 23.

2. Eſd. 8.

2 NOtandum primò: Magni regis triumphũ hunc eſſe: quo de morte, peccato, & diabolo deuicto, magnificè triumphauit. Et olim quidem reges, non niſi confecto prœlio, & victoria parta, triumphabant: (homines enim erant: ſciebant incertum eſſe exitum belli, neque certi erant de euentu rei.) At hic Rex cæli, in cuius potenti manu ſunt fines terræ, certus erat ante ſecula de euentu ſuæ victoriæ, certus de hoſtis profligatione: ideò ante victoriam triumphum ducit. Credibile eſt autem angelos ipſos victoriæ illi interfuiſſe, atq; glorioſum triumphum deduxiſſe.

3 NOtandum ſecundò: Cur in Ieruſalem venerit, & cur aſinæ inſederit. Quemadmodum enim aſinus fert onera, & veſtes viatorum: ita Rex Meſsias totius orbis onera in humeris ſuis portauit: iuxta illud: Et Deus obuiare fecit in eo peccatum omnium noſtrûm. Hęc omnia eiſdem modis, vt per prophetam enarratum eſt, Dominus Ieſus Chriſtus compleuit; vt, quemadmodum non coactus, ſed ſpontè voluit ſacrificari: ſic etiam ad locum ſacrificij, vrbem ſcilicet Hieroſolymitanã ingreſſus; vt in ciuitate, & in die illo, quo myſticus agnus immolabatur, verus etiam immolaretur: & vbi toties iam fuerant antea occiſi prophetæ, ibi quoque prophetarum Dominus occideretur: atque, vt, vbi paulò ante tanto cum honore acceptus erat, ibidem condemnaretur, & crucifigeretur: vt eius paſsio tantò eſſet ignonimioſior, quanto locus erat magis publicus, & dies ſolennior: hanc obcauſſam, qui villam Bethlehem locum elegerat natiuitati, nunc ciuitatem Ieruſalem eligit locum ſacrificio: vt gloria natiuitatis abſconderetur in abiecto oppidulo Bethlehem, ignominia verò paſsionis in vrbe Hieroſolymitana magis diuulgaretur. Quemadmodum autem triumphatores conſcendunt currus triumphales, vt meliùs ab hominibus conſpiciantur

Iſa. 23.

& colantur: ita iste rex cæli conſcendit aſinum, & pullum eius, ad calcandum omnem faſtum tumoris humani. Mirabile ſanè ſpectaculum. Deus vltionis, qui ſedet ſuper Cherubim, qui ambulat ſuper pennas ventorũ, cui millia milliũ miniſtrãt angelorum, & decies millies centena millia aſsiſtunt; hic idem inde venit manſuetus & humilis, qualis nobis hîc offertur, vt non fugias eum, ſicut olim Adam in paradiſo terreſtri, & populus Iudaicus cùm lex daretur; ſed vt appropinques illi, teque illi iungas, videns eum ex leone in agnum conuerſum.

Notandum tertiò: Vnde tandem adfuit ad rem præſentem, vel hæc effuſio turbæ, vel puerorum tanta manus? vnde rami, flores, palmæ? Duplicem eius rei occaſionem aſsignant docti: vel fama miraculorum & doctrina tanti doctoris permotas turbas: eo ipſo tempore, quo in aduentum Meſsiæ omnes planè erant effuſi, in horasq; illum expectabant: vel ex antiquo & ſolenni diei ritu, Deo ita ordinante & prouidente. Decima hæc dies fuit primi menſis, in qua ex lege & traditione apportabantur in vrbem agni, qui quartadecima luna offerri debebant: vt medio hoc tempore examinarentur & probarẽtur, num digna & munda futuri eſſent hoſtia. Moris autem fuit, vt eadem die, qua agni adferebantur, vniuerſa turba cum omni ſplendido ornatu, cum floribus & palmis, ad excipiendum tam gratam victimam Domino, pueri vel inprimis ad omnes panegyres obeundas planè effuſi progrederentur. Quod & tunc accidiſſe Dei ordinatione, probabile eſt, qui & volũtatib. noſtris pro libitu ſuo abutitur: vt, dum ad vmbratilem agnum accipiendum exeunt, verum illum, & per tot ſecula exoptatum agnum, ferentem peccata mundi, hoſtiam in odorem ſuauitatis acciperent, ac ſolita pompa ac ſolennitate in vrbem inducerent. Venit autem in forma non increpantis, vt fugias & abſcondas te tanquam Adam: non in rubo ardenti, ne verearis accedere tanquam Moſes: non in nube, aut in columna ignis, à cuius facie mota eſt terra, à facie Dei Iacob: non in fulgure & tonitru, vt legem daturus in monte Sinai: non in voce tubæ, ad quam reſurgent mortui, & ibunt, qui bona egerunt, in vitam æternam: ſed venit pauper & mãſuetus, ſuper aſinam & pullum eius: & cùm hactenus cor tuum non diſſecuerit vi ſuæ potentiæ, vel magnitudine ſuæ maieſtatis; nunc illud expugnare vult & ſuperare magnitudine ſuæ humilitatis, & amoris ſui fortitudine: & qui quondam pugnabat aduerſus mundum rigore, diluuio, ferro, igne, cædibus, terrorib. & minis, nec vnquam homines ad deditionem compellere potuit, nunc nouũ belli genus elegit, procedens non ſuppliciis, ſed beneficiis: non rigore, ſed amore: non ira, ſed beneuolentia: non maieſtate, ſed humilitate. Accedite igitur ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Venite ad illum omnes qui laboratis & onuſti eſtis, & ipſe reficiet vos. Diſcite ab illo: quia mitis eſt, & humilis corde. Cum ramis oliuarum: hoc eſt, & pietatis, & miſericordiæ: cum floribus virtutum: cum palmis fortitudinis & inuicti animi occurramus redemptori Domino.

Notandum quartò: Ab Origene præcedentes Ieſum, dici, qui ante aduentum Chriſti fuerunt ſancti prophetæ, & cæteri iuſti: ſequentes autem, qui fuerunt poſt aduentum ipſius, Apoſtoli, cæterique fideles, qui ſecuti ſunt verbum Dei. Tamen non aliud dicebant qui præcedebant, aliud autem qui ſequebantur: ſed omnes clamabant inſimul conſona voce, humanam quidem Chriſti diſpenſatio-

dispensationem laudantes in eo quod dicebant: Osanna filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini: restitutionē autem eius in sancta, in eo, quod dicebant; Osanna in excelsis.

6 NOtandum quintò: Quoniam hic talis actus apud mundum, qui ex facie iudicare solet, ridiculum quid videri potuit: ideò Euangelista adfert testimonium prophetæ: in quo longè ante propheta hoc totum drama non prædixit tantùm, sed veluti in tabella depinxit: Exulta satis filia Sion: iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum, filium asinæ. Tuus, inquit, rex, & tibi venit: ac si diceret, Regem hunc fore totum tuum, omnesq; labores & molestias eius fore in tuum vsum. Tibi venit: tibi nascitur: tibi laborat: tibi ieiunat: tibi orat: tibi viuit: tibi moritur: tibi denique resuscitatur, & in cælos ascendit. Nec offendat te nomen regis: quia rex iste non est sicut alij reges huius seculi, qui potiùs sibi regnant, & suæ student vtilitati, quàm subditorum: hos depauperātes, vt alios ditent, & vitam eorum exponentes periculo, vt suam conseruent. Hic nouus rex non isto modo dominabitur: ipse namque suo dispendio te ditabit, & suo sanguine redimet: vitā tibi dabit, vitā propriam pro te ponens. Hoc enim est quod ipse dicit apud Ioannem, sibi datam potestatem super omnem carnem, vt omnibus suis daret vitam æternam. Hic est ille principatus, de quo loquitur propheta: Et factus est principatus super humerum eius, & non super humeros populi, vt labor & onus illius sit, fructus verò & vtilitas nostra.

NOtandum sextò: hunc eundem Zachariæ locum Talmudistas similiter 7 veteres, atque antiquam traditionem, ad Christi Domini paupertatem & humilitatē referre, ac de illis interpretari. Rabbi igitur Salomō sic inprimis inquit: Non potest hoc exponi, nisi de rege Mesia: quia dictum est hîc: Et dominium eius à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Et, Non inueniemus talem dominatorem in domo secunda: hoc est, tempore secundi templi fuisse. Ex quibus apertè liquet, regnum Mesiæ spiritualiter intelligendum esse: cùm regnum temporale, & paupertas simul esse non posint. Ad hoc etiam facit, quòd Rabbi Salomon Adarsan, in expositione Genesis, super illud 49. cap. eiusdem libri dictum: Ligans ad vitem pullum suum: sic dicit: Cùm venerit Mesias in Ierusalem, ipse erit cingens asinum suum, & equitabit, & super eum veniet in Ierusalem, vt ducat seipsum in paupertate, vel humilitate: sicut scriptum est Zach. 9. cap. Pauper & humilis, equitans super asinum vel asinam. Sequitur in lib. Genes. ibidem: Et ad palmitem, fili mi, asinam tuam. Quando enim veniet ad congregandum Israël: sicut dictum est Zach. 10. Sibilabo eis, & congregabo eos: quia redemi eos. tunc equitabit super filium asinæ suæ. Et sic dicit Zach. 9. cap. Et super pullum, filium asinæ. Hæc traditio. Item in Beresit Rabba super illud Genes. 49. cap. scriptum: Non recedet sceptrum de Iuda, cum cæteris ita legitur: Non recedet sceptrum. Hic est rex Mesias, filius Dauid, qui venturus est ad confringendum regna in virga, vel cum virga: sicut dictum est Psal. 2. Confringes eos in virga, vel virga, & tanquam vas figuli proijcies eos. Sequitur & scriba vel contritor de medio pedum eius. Hic est etiam rex Mesits, qui venturus est ad conterendum gentes pedibus suis: quemadmodum dictum est Isaiæ 26. cap. Conculcabit eam pes

am pes, pes pauperis. Iſte enim pauper eſt Meſsias, de quo dictum eſt Zach. 9. cap: Pauper, & equitans ſuper aſinam. Hucuſque traditio.

Notandum ſeptimò: Multis quidem modis filium Dei paupertatem ſuam in hoc mundo declaraſſe: primùm, dũ in præſepio naſcitur: deinde, dũ vbi reclinet caput non habet: dum cenſum exiguum vnde ſoluat non inuenit, aut vnde pauperum diſcipulorum eſuriem ſatiet; nunquam tamen illuſtriùs aut ea humilitas, aut ea pauperies ſeſe commendauit. Habet enim hæc ipſa inuectio multas humilitatis & paupertatis partes. Primùm: vile admodum iumentum; neque id ſolum, ſed quod, more ruſtico, ſequebatur aliud: deinde, iumentum non ſuum, ſed alienum: tertiò, non alicuius cogniti aut perſpecti amici, ſed quod ſors tum fortè obtulerat, iumentum vagum potiùs & deſertum, quàm curatum: quartò, nullæ ſellæ, ephippia nulla, ornamenta nulla: quintò, veſtimenta alteri longè rei comparata, quàm veſtiendis iumentis. & portandis hominibus: iſtaq; veſtimenta diſcipulorum, quos ipſos ſeminudos demùm ſequi oportuit, vt hæc tanta humilitas & paupertas, mundi faſtum & opes calcet & condemnet. Quis eſt igitur iſte rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Quantus eſt ergo iſte rex gloriæ, cui throni & dominationes occurrunt! 8

Notandum octauò: Vt ſummam paupertatem & humilitatem Saluatoris noſtri hic ipſe actus declarat: ita ſimul diuinam eius virtutem & maieſtatem. Primùm: quòd æquè præſentia & abſentia nouit: quod ex hoc loco colligitur: Ite, inquit, & inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea. Deinde, quòd futuras etiam hominum voluntates & inclinationes perſpectas habet: Et confeſtim dimittet ea. Demùm, quòd cuncta imperio & dominatui ſuo ſubiecta eſſe demonſtrat. Magna hæc ſunt: ſed illa maiora, quòd eum turba, & puerorum multitudo, verum ac per omnia æqualem patri Deum eſſe agnoſcit. Laus enim hæc, Oſanna in excelſis, eſt ſumpta ex Pſal: 117. qui in ipſius ſolius Dei honorem ſemper in templo canebatur: O Domine, ſaluum me fac: ô Domine, benè proſperare: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Vnde notandum contra recentes Iudæos, atque adeò Arianos, maiorem partem hominum tum in ea opinione fuiſſe, quòd rex Meſsias Deus futurus eſſet: neque enim vnquam illi eam laudem, quæ Dei eſt, tribuiſſent: O Domine benè proſperare: quam & ipſe Zacharias oſtendit, Et loquetur pacem gentibus, & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à fluminibus vſq. ad terminos orbis terrarum. 9

Notanda eſt nonò hoc loco Caluini impudentia: qui receptiſsimam Patrum interpretationem aſini & pulli deridet, interpretationem quæ propemodum ab ipſis profluxit Apoſtolis. Iuuat ipſum audire. Nihilo etiam eſt aptior allegoria, quam nonnulli in aſina & pullo excudunt: Aſinam populi Iudaici figuram eſſe volunt; qui pridem ſubactus, & iugo legis aſſuetus erat. Gentiles autem repræſentari per pullum, qui expers ſeſſoris fuerat. Chriſtum ergo aſinæ primùm inſediſſe, qui à Iudæis incipere debuit, poſtea tranſiſſe ad pullum, quia gentibus quoque ſecundo loco præfectus erat. Et Matthæus quidem videtur vtramque equitationem notare: ſed cùm frequentes ſynecdochæ in ſcri- 10

pturis

pturis occurrant,nihil mirum,si pro vno duo nominet. Cæterùm ex aliis Euangelistis liquidò constat,Christũ non nisi pullo vsum esse. Et dubitationem eximit Zacharias,qui pro familiari linguæ Hebraicæ vsu, rem tandem bis repetit. Atqui, homo impudens, hæc ipsa interpretatio est Iustini martyris & philosophi,Apostolorum temporibus vicinissimi,quam postea Hieronymus, & ferè omnes Patres secuti sunt. Iuuat Iustinum ipsum audire: Quòd autem etiam asinam iugalem vnà cum suo pullo spiritus propheticus,ac patriarcha Iacob in bonis eius recensent,atque ipse,vt dixi,discipulis suis imperat animal vtrumque adducere,prænunciabantur etiam à vestra synagoga quidam credituri in eum vnà cum gentibus. Quemadmodum enim gentes significabat pullus indomitus; sic asina clitellata vestrum populum: gestatis enim legem à prophetis impositam.

11 NOtandum decimò: Præter hæc omnia maximum nobis hîc dari argumentum mundi inconstantiæ: commodamque offerri occasionem mundum fugiendi,eiusque gloriam contemnendi, quæ & vanissima est, & suos amatores tandem in extrema adducit pericula. Vis autem videre, quanti faciendus est honor ille,& illa gloria: intuere hoc loco honorem,quem mundus exhibetDomino, & videbis, eundem mundum, qui illum recepit tanta cum pompa, post quinque dies eum Barraba peiorem censere, & magnis clamoribus ad mortem petere clamando & vociferando, Crucifige,crucifige. Qui itaque hodie extollebat illum,& laudabat tanquam filium Dauid, hoc est, tanquam sanctum sanctorum,cras omnium hominum pessimum,vitaq; vel ipso Barraba indigniorem iudicabat. Dic sodes, ecquod exemplum habere posses manifestius ad intelligendum quid sit gloria: & quo loco habendum sit testimonium & iudicium hominum? Ecquid leuius, cœcius, infidelius, inconstantius, quàm iudicium & testimoniũ mundi? hodie ait,cras negat: hodie laudat,cras vituperat: hodie leuiter extollit super nubes,&cras maiori cum leuitate vsque ad abyssum deijcit: hodie dicit,Osanna filio Dauid, cras Barraba iudicat magis sceleratum. Tale est iudicium huius beluæ multorum capitum, fallacis huius monstri, in quo nec fidelitas vlla est,nec veritas: quod nec hominum vitæ parcit, nec animæ,nec fortunis, nisi ob commodum proprium: sicut nec aliquem honorat, nisi vtilitas quædam inde ad se deriuetur. Nulli bonus est mundus, nisi huic, qui prodigus est erga ipsum,etiamsi ille paganus sit & ethnicus: & nulli malus: nisi à quo secundùm merita sua tractatur,etiamsi is miracula faciat: non enim alia mensura virtutem metitur,quàm proprio commodo. Sed de illius fallaciis & imposturis quid dicam? Cui vnquam fidem datam seruauit? cui vnquã quod promisit dedit? quocũ diu amicitiam coluit? quẽ diu,eo quod dederat, vti permisit? cui vnquam vinum vendidit,quod non esset aqua dilutum,& mille mixturis vitiatum? In eo tantùm constans & fidelis, quòd nulli fidelis est. Mundus perfidus ille Iudas est, qui osculo suo amicum prodit, & occidendum tradit. Mundus est infidelis ille Ioab,qui benignè amplectitur amicum,quem salutat in dolo, & clam interficit: promittit vinum & dat acetum: promittit pacem,& clam fouet bellum: malè seruatur, peius acquiritur. Periculosum est mundum tenere, & relinquere difficilè. O munde peruersissime, falsus promissor es,& verus impostor: publicus adulator es, & secretus proditor: in principio dulcis es,& in fine amarus: in vultu benignus es, in manibus crudelis:

crudelis: in beneficiis auarus es, & in doloribus prodigus: exteriùs pulcher es, interiùs nihil pulchritudinis est in te: aspectu floridus es, & sub floribus spinæ sunt.

SERIES Euangelii.

INfert igitur æterni parentis filius in domum patris sui magnificum triumphum, & qui ingressu suo paupertatem & humilitatem suam nobis commendauit: hîc seueritate sua, in eos qui inquinabant domum patris eius, maiestatem & diuinitatem suam amplissimè demonstrat. Ingreditur igitur in templum Dei: eijcit ementes & vendentes de templo: mensas nummulariorum euertit, & cathedras vendentium columbas; ementes & vendentes grauissima oratione percellit: Domus mea, domus, inquit, orationis est: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Ad quem totum locum rectè intelligendum, illud annotat D. Hieronymus: Hoc primùm, inquit, sciendum est, quòd iuxta mandata Legis, augustissimo in toto orbe templo Domini, & de cunctis penè regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hostiæ, (maximè festis diebus) taurorum, arietum, hircorum: pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum & turtures offerentibus: accidebat plerumque, vt, qui de longè venerant, non haberent victimas. Excogitauerũt igitur sacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat ad sacrificia, vendebant; vt & venderent non habentibus, & ipsi rursum empta susciperent. Hanc stropham eorum crebra venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, & non solùm hostias non habebant: sed ne vnde emerent quidem aues & vilia munuscula. Posuerunt itaque & numularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam: sed quia erat Lege præceptum, vt nemo vsuras acciperet, & prodesse non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nihil haberet, & interdum sortem perderet; excogitauerunt & aliam technam, vt pro numulariis collybistas facerent: cuius verbi proprietatem latina lingua non exprimit. Collybiæ dicuntur apud eos, quæ nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula: verbi gratia, frixi ciceris, vuarum passarũ, & poma diuersi generis. Igitur, quia vsuras accipere non poterãt collybistæ qui pecuniam fœnerati erant, pro vsuris accipiebant varias species; vt, quod in numo non licebat, in his rebus exigerent, quæ numis coëmuntur: quasi non idipsum Ezechiel prædicauerit, dicens: Vsuram & superabundantiam non accipietis. Istiusmodi Dominus cernens patris in domo negotiationem, seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, (iuxta quod scriptum est in 68. Psal: Zelus domus tuæ comedit me.) fecit sibi flagellum de funiculis, & tantam hominum multitudinem eiecit de templo, dicens: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum. In speluncis enim latronum nihil aliud fit, quàm cædes, & animalium mactationes, sortitiones, & partitiones item eorum quæ direpta sunt. Latro verò est, & templum Dei conuertit in latronum specum, qui lucra de religione sectatur, cultusque eius non tam cultus Dei, quàm negotiationis occasio est. Bis autem ea virtute Christus vsus est: primò, in principio prædicationis suæ, quod notat D. Ioannes: secundò in exitu, in quo se demonstrat regem & sacerdotem esse simul, ad quem purgandi templi partes pertineant.

Notandum

13 NOtandum primò: Datum esse exemplum omnibus regibus atque principibus spiritualibus, præsertim autem in primo aditu suarum Ecclesiarum, vt in omni suo tempore, læto & aduerso, ad Deum, eiusque sanctum templum recurrant primùm: neque solùm dicis causa veniant, sed si quid deforme aut sordidum illic reperiant, corrigant atque eijciant.

14 NOtandum secundò: Omnia quæcunque sunt patris, esse similiter & filij: & contrà, quæ filii sunt, eadem patris esse. Domum illam, quam æterno patri Salomon ædificauit, domum suam appellat, idque scriptura Isaiæ confirmat: Domus mea domus orationis vocabitur: ac veluti dominus domus & pater familias eam à scandalis & sordibus expurgat. Domus mea, inquit, domus orationis vocabitur. Hinc illud præclarè hoc loco autor Operis imperfecti: Hoc erat, inquit, proprium boni filij, vt & veniens, ad domum curreret patris, & illi honorem redderet, qui genuit eum; vt tu imitator Christi factus, cùm in aliquã ingressus fueris ciuitatem, primùm ante omnem actum ad Ecclesiam curras. Hoc erat boni medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad originem passionis incederet: nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus, quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primùm festinat: quia, si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita, si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Non eijcit autem inde Cherubim sculpta, quod nunc Euangelici faciunt: quia hæc ad ornamentum domus Domini pertinebant, non ad inquinationem, vt hæretici putant.

15 NOtandum tertiò: Primarium vsum templorum esse orationem, posteaquam sacrificia cruenta desinere debuerunt; sunt tamen & alii non inferiores vsus, quos D. Bernardus enumerat. Quis enim parietes eius sanctos dicere vereatur, quos manus sacratæ pontificum tantis sanctificauére mysteriis? Extunc quoq; & deinceps sanctarum inibi lectionum resultare frequentia, sanctarum orationum deuota murmurare susurria: sanctarum reliquiarum honorari beata præsentia: sanctorum spirituum indefessa noscitur custodia vigilare. Et infrà: Licet enim parietes hos & dici sanctos, & esse faciat consecratio episcoporum: frequentatio scripturarum: instantia orationum: reliquiæ sanctorum: visitatio angelorum; minimè tamen eorum sanctitas propter se credenda est honorari, quos nec propter se certum est sanctificari. Quinimò sancta est propter corpora domus: corpora propter animas: animæ propter spiritum inhabitantem.

16 NOtat quartò hoc loco D. Hieronymus mysticè: Quotidie, inquit, Iesus ingreditur templum patris, & eijcit omnes tam Episcopos, & presbyteros, & diaconos, quàm laicos, & vniuersam turbam de Ecclesia sua, & vnius criminis habet vendentes pariter & ementes: scriptum est enim, Gratis accepistis, gratis date. Mensas quoque numulariorum subuertit: Obserua, propter auaritiam sacerdotum, altaria Dei, numulariorum mensas appellari. Cathedrasque

drasque vendentium columbas euertit: qui vendunt gratiam spiritus sancti,& omnia faciunt,vt subiectos populos deuorent: de quibus dicit, Qui deuorant populum meum sicut escam panis. Iuxta simplicem intelligentiam, columbæ non erant in cathedris, sed in caueis,nisi fortè columbarum institores sedebant in cathedris,quod penitus absurdum est: quia in cathedris magistrorum magis dignitas indicatur, quæ ad nihilum redigitur, cùm mixta fuerit lucris. Quod de Ecclesiis diximus,vnusquisque de se intelligat. Dicit enim Apostolus: Vos estis templum Dei,& spiritus sanctus habitat in vobis. Non sit in domo pectoris vestri negotiatio: non ementium vendentiumque commercia: non donorum cupiditas: ne ingrediatur Iesus iratus & rigidus, & non aliter mundet templum suum,nisi flagello adhibito, vt de spelunca latronum,& de domo negotiationis,domum faciat orationis. Eadem docet D.Hilarius: Ergo eorum, qui sancti spiritus donum venale habent, cathedras euertit,quibus ministerium à Deo commissum negotiatio est: admonitionis eius commemorans autoritatem,quæ in propheta teneatur: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur,vos autem fecistis eam speluncam latronum. Sed neq; emere Iudæos in synagoga, neque vendere spiritum sanctum posse existimandum est: non enim habebant vnde vendere possent,neque erat quod emere quis posset, sed præfiguratio futurorum dictis præsentibus continetur:Ecclesiæ vitia in ipso aduentu Domini claritatis esse purganda.

17 NOtat Origenes: Esse in templo Christi vendentes columbas, & tradentes simplices sicut columbas,& orantes,dicentes: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo,& requiescam? tradentes eas principibus, quib. non oportebat. Et arbitror, conuenire verbum de venditoribus columbarum eis,qui tradunt Ecclesias auaris, & indisciplinatis, & irreligiosis Episcopis, aut presbyteris. Notat similiter diaconos, qui non benè tractant Ecclesiasticarũ pecuniarum mensas; sed semper de eis fraudant,& ipsas,quas dispensant, non secundùm iustitiam dispensant, & diuites fiunt de rebus pauperum. Hoc est esse numularios,pecuniarum mensas habentes,quas Christus euertit.

18 NOtat hoc loco Lyranus: magnos latrones, in speluncis suis existentes, quando sciunt aliquos parum habentes transire, non exire de speluncis, sed mittere famulos suos ad illos spoliandum: sed quando sciunt homines transire multum pecuniosos,currere illic de primis. Itidem multos Canonicos, quando sciunt magnum lucrum temporale,currere ad Ecclesiam: sed quando modicum est lucrum,remanere in domibus suis,& recreationibus,& ad Ecclesiam suam clericos suos mittere.

19 NOtandum est etiam hoc loco, quo honore & munditia Deus templum suum esse voluerit; per quod (vt addit D.Marcus) vetuit ne quis vas ferret: hoc est, non est passus,quicquam illic à sacris alienum spectari: nam vas quoduis supellectilis genus notat. In summa,quidquid templi reuerentiæ & maiestati obstat, Christus sustulit.

20 VLtimò notandum: institui nos hoc loco, vt pro Ecclesia, & eius decore magno,& libero animo agamus. Zelus,inquit,domus tuæ comedit me: nunquam eo

quam eo animo aggressus est quidquam Dominus. Neque tamen hæc nundinatio aut intra sancta sanctorum, aut intra sancta quæ sub tecto erant, exercebantur; sed solùm in atrio vbi hostiæ mactabantur, & quod tecto caruit; quod tamen & ipsum etiam nomine templi aliquando vocabatur.

21 TEmperat cælestis imperator seueritatem suam mira lenitate: Accedũt ad eum cœci & claudi in templo, & curantur. Quid tum inuidia? tacétne? quiescítne? nequaquam. fremit: irascitur: in blasphemias prorumpit. Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes, & dicentes: Osanna filio Dauid; indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Quibus ipse poterat dicere: Et vos videtis quid ego facio: illos loquentes attenditis, & me facientem non consideratis: ego enim factis interpretor voces illorum; sed mitis Dominus verbis prophetæ respondere maluit: Vtique, inquit, nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Tanquam si dicat: Esto: istud mea culpa est, quia isti clamant; nunquid mea culpa est, quia ante tot millia annorum hoc futurum propheta prædixit? Et relictis illis, abiit foras extra ciuitatem in Bethaniã, ibique mansit. Expendit totum hunc locum D. Hieronymus: Mihi inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius esse, quòd vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, vt postea crucifigeretur, scribis & pharisæis contra se sæuientibus, & videntibus lucra destrui sua, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eijcere multitudinem, mensasq́. subuertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maiestas lucebat in facie: cùmque manum non audeant inijcere sacerdotes; tamen opera calumniantur, & testimonium populi atque puerorum, qui clamabant: Osanna filio Dauid: vertunt in calumniam; quod videlicet hoc non dicatur, nisi soli filio Dei. Videant ergo episcopi, & quantumlibet sancti homines, cum quanto periculo dici ista sibi patiantur, si Domino, cui verè hoc dicebatur (quia necdum erat solida credentium fides) pro crimine impingitur. Hilarius, Cessantibus, inquit, prudentium iudiciis, hanc sibi à pueris ac infantibus, quorum sit regnum cælorum, confessionis gloriam præparatam, respondit: quia prudentes & principes seculi sapientiam Dei reprobauerint, Christum regenerationis paruuli & lactentes sint prædicaturi. Et debebatur quidem hic honor sacerdotibus, vt ab eis primo loco omnia profecta esse viderentur: ideò enim creabantur, vt ex eorum labiis omnes peterent legis scientiam, denique vt Dei exercituum angeli essent ac interpretes; sed quia perfidè veritatis lucem extinxerunt, appositè respondet Christus, Nihil eos proficere, dum salutis doctrinam supprimere conantur, quæ potiùs ex lapidibus erumpet, quia lapidibus potiùs ora & linguas formabit, quàm vt testibus filii sui regnum careat. Prudenter autem sententiam & responsionem moderatur Dei sapientia contra istorum iudicium: neque enim dixit (quod scribæ audire cupiebant) benè facere pueros, quòd illi testimonium perhibeant; nec rursus, eos errare: pueros esse: ætati ignoscendum; sed profert testimonium ex 8. psal. quo prædictum fuit, hæc talia pueros aliquando facturos, simulque se verum Deum demonstrat, de quo eum locum composuerat Dauid: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Sed neque ipsi pueri locuti sunt, quæ loquebantur: sed os tantùm

SERIES Euangelij.

 præbebant

præbebāt ſpiritui ſancto,vt inſtrumēta eſſent illius:neq; ipſorū conceptus erāt verba,ſed ipſius oris tantùm,quod à gratia Dei mouebatur, denunciatque,ſe opus habere ad illuſtrandam gloriam ſuam mutis oratoribus, infantibus pueris, qui à matrum vberibus adhuc pendent: qui quanquam muti ſint; attamen mirabilis Dei prouidentia,quæ in ipſis relucet,inſtar eſt ſonoræ & magniloquæ facundiæ. Relinquit deinde ingratos & incredulos,oſtendens,ſe in ea vrbe locum non habere,in quam tanto apparatu paulò ante receptus eſt, tum vt recedendo compeſceret,quos reſpondendo non potuit: quia malitia non compeſcitur ſermonibus,ſed excitatur: malum enim hominem meliùs locum dando potes vincere,quàm reſpondendo: nam ſi contendis irrationabilem ratione placare; & illum non placas,& te ipſum ſubuertis. Simul denique illud indicans,quòd tantæ fuerit paupertatis,& ita nulli adulatus ſit, vt in vrbe maxima nullum hoſpitem, nullam inuenerit manſionem, ſed in agro paruulo apud Lazarum ſororesq. eius habitaret: eorum quippe vicus Bethania erat.

NOtandum primò: modum & rationem cultus, quo Dominum Iudæa excepit, nuſquam in ſcriptura contineri: ſed merè ex tempore ſpiritus ſancti inſpiratione edoctum eſſe. Fruſtra igitur hæretici contendunt, Nihil extra ſcripturæ verbum agendum eſſe. 22

SEcundò notandum: nihil vnquam iniquiùs tuliſſe phariſæos,quàm hunc ipſum cultum & reuerentiam Chriſto exhibitam: non alia cauſa, niſi quòd eum cernebant ad latriam ſoli Deo debitam pertinere. Diſpenſatoriè ordinauit Deus,vt pueri quoque laudarent eum, quò ab omni contradictione excluderentur Iudæi, videntes filios qui apud ſe fuerant enutriti ac inſtructi, mirabiliter ac ſupernaturaliter motos ad Chriſti laudem: verùm illi fiunt multò ex hoc impudentiores,atque inuidia dirupti inſaniunt. Quod autem ad prophetam pertinet, os quidem erat infantium, id autem quod dicebatur, potentiæ ipſius erat, qua diſertam reddebat immaturam lactentium linguam. Et hoc quoque miraculoſè factum eſt ad diſcipulorum conſolationem, vt de ſe ipſis confiderent,quòd,qui diſertam fecerat balbutientem linguam,ſapientem etiā facturus erat eorum ruditatem. Erat & hoc figura gentium, quæ, cùm ad Theologiam & diuina verba balbutirent,repentè ita perfectè reſonârunt, vt ab omnibus exaudiri poſſent. 23

TErtiò notandum eſt: pro nulla parte cultus ſui Saluatorem magis decertaſſe cum turbis & phariſæis,quàm pro iſta: etiamſi nihil tale præſcriptum, aut à Moſe,aut à lege ipſa, hi ipſi pueri habuerint. 24

QVartò notandum eſt: ſapienter Eccleſiam Dei hoc tempore eodem cultu,ſalutatione,adoratione in ſacramento ac in manibus ſacerdotum Chriſtum colere,quali eum adorârunt pueri ac turba inſidentem aſino: etiamſi reclamet hæreſis,fremat & frendeat, quomodo etiam tum frendebant & rumpebantur phariſæi. 25

SERIES Euangelij.

REuertitur altera die in ſua caſtra imperator: paſtor ad oues: medicus ad ægros: paterfamilias ad familiam: hæres vineæ ad vineam. Ita autem reuertitur, 26

titur,vt ne in ipso quidem itinere otiosus à salutari doctrina, curandisque animis sit. Ac primùm, sumpta ex leui causa occasione, illud docet, frustra se omnem laborem suscipere: frustra crucem & mortem subiturum: frustra fidem & gratiam plantaturum,nisi populus saluandus ipse faciat quod in eo est: nisi fructus dignos pœnitentiæ agat: nisi fidem operibus confirmet, vel certã faciat atque commendet. Cuius tractationis argumento, omnem doctrinam huius temporis hæreticorum refutat: quod quidem iam antea exemplo vitis fructum non ferentis,abundè declarauit. Occasio ea est. Redit in vrbem, esurit, vel veritatem humanæ carnis ostendens,vel esuriens salutem credentium, vel æstuans ad incredulitatem Israëlis: vel nouo miraculo occasionem doctrinæ præparans: Videt arborem fici: venit ad eam, & fructum non inuenit: quem ne ferret vnquam,maledixit; & arefacta est continuò ficulnea. Et videntes discipuli,mirati sunt,dicentes: Quomodo continuò aruit? Respondens autem Iesus,dixit illis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis,non solùm de ficulnea facietis: sed etsi monti huic dixeritis: tollere, & iacta te in mare,fiet. Et omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis. Ficum intelligit D. Hieronymus synagogam & conciliabulum Iudæorum: iuxta viam erat: (habebat enim legem, & ideò iuxta viam erat quia non credebat in viam:) venit ad eam (stantem scilicet, & immobilem, & non habentem Euangelii pedes.) nihilque inuênit in ea,nisi folia tantùm: promissionum strepitum: traditiones pharisaicas,& iactationem legis, & ornamenta verborum,absq; vllis fructibus veritatis; vnde & alius Euangelista dicit: Nondum enim erat tempus ficuum, siue quòd nondum tempus venerat saluationis Israël, eò quòd nondum gentilium populus subintrasset: siue quòd tempus præteriisset fidei, quia ad illum primùm veniens, & spretus transisset ad nationes. Sic autem aruerunt folia,vt truncus ipse remaneret,& fractis ramis vireret radix,quæ in nouissimo tempore,si credere voluerit, virgulta fidei pullulet, impleaturq; scriptura dicens: Est arbori spes. Quemadmodum autem tunc ficus synagogam designabat,ita nunc eos populos designat,de quibus propheta: Populus iste labiis me honorat. Et illos de quibus Christus ipse: Non omnis qui dicit mihi Domine,domine,intrabit in regnum cælorum. Maledixit autem ficui, ne in sempiternum fructum faceret; vt suam vltricem ostenderet potentiam. Arefecit quoque plantam,quæ pro cæteris maiorem habet humorem,vt maius fiat miraculum. Ne ergo inquiras,cur punita sit planta, quę nihil offenderat: sed solùm intuêre miraculum, eumque admirare qui operatus est. Punita est enim,non quòd peccauerit, sed vt discerent qui sequebantur, quòd etiam vltionem sumere posset Christus. Vt enim antea multa miracula plena humanitatis fecit: ita nunc hoc vnum specimen seueritatis exhibet,non in homines,sed in arborem,vt antea in porcos. Ostendere autem voluit benignissimus medicus in vili arbore,quòd postea facturus est in nobis omnibus.

27 NOtandum primò: veteres prophetas non solùm verbis,sed aliquando factis prophetauisse: sicut Isaias ambulauit discalciatus,in signum quòd populus sic duceretur captiuus. Ieremias cathena lignea se vinxit, signans futuram captiuitatem: ita Christus maledixit ficui,non propter malitiam arboris,vel defectum eius: (quia nondum erat tempus ficuum, vt dicitur Mar. 11.) sed ad significandum,

ficandum,quòd sacerdotes,qui erant sine fructu bonorum operum, essent maledicti à Deo.

NOtandum secundò hoc loco cum D. Paulo: neque circumcisionem quidquam in Christo valere,neque præputium: sed fidem,quæ per dilectionẽ operatur: dignos fructus parit,sterilis non est. 28

TErtiò notandum est: non sufficere vt mala non agamus, nisi etiam bona agere contendamus: nam in ficu hac nihil mali inerat, sed quia fructus non protulit bonos,damnata est. 29

NOtat quartò D. Hieronymus: Dominum passurum in populis, & baiulaturum scandalum crucis, debuisse discipulorum animos signi anticipatione firmare. Vnde & discipuli mirantur, dicentes: Quomodo continuò aruit? Potuit ergo Saluator eadem virtute etiam inimicos, & manus eorum aridas facere,tum cùm cædebatur, qui ficum virentem vno verbo aridam fecit, nisi eorum per pœnitentiam expectasset salutem. 30

NOtat insuper hoc loco D. Hieronymus: latrare contra nos gentilium canes in suis voluminibus, quæ in impietatis propriæ memoriam reliquerunt, asserentes,apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerint. Quibus nos respondebimus,multa facta esse signa à Domino, iuxta Ioannis Euangelistæ testimonium, quæ si scripta essent, mundus capere non posset. Non quòd mundus volumina capere non potuerit,quæ potest,quamùis multiplicia sint,vnum armariolum,vel vnum capere scrinium, sed quòd magnitudinem signorum præ miraculis & incredulitate ferre non possit. Igitur & hæc credimus fecisse apostolos, sed ideò scripta non esse, ne infidelibus contradicendi maior daretur occasio. Quanquam & illud ab hoc genere non est remotum,quod de suo narrat Gregorius: Nam quadam die ex eo monte, qui eius monasterio in excelso prominet,ingentis saxi moles eruta est, quæ per deuexum montis latus veniens,totius ruinam cellæ omniumq; fratrum minabatur. Quam cùm venientem desuper vir sanctus vidisset, frequenti voce nomen Christi inuocans,extensa mox dextera,signum ei crucis opposuit, eamq; in ipso deuexi montis latere cadentem fixit. Et quia locus ei non fuerat quo inhærere potuisset; aspicitur ita, vt nunc vsque montem cernentibus casura pendêre videatur. Et illud 3. lib. de Frigidiano Luneñ. ciuit. Episcopo cap. 9. Sed neq; hoc,inquit,sileam, quod narrante viro venerabili Venantio Luneñ. episcopo, me ante biduum contigit agnouisse: Lucanæ namque Ecclesiæ sibimet propinquæ, fuisse miræ virtutis virum Frgidianum nomine narrauit episcopũ, cuius hoc opinatissimum à cunctis illic habitantibus testatur memorari miraculum,quòd Anseris fluuius,qui iuxta illius vrbis muros influebat, sæpè inundatione facta,cursus sui alueum egressus, per agros diffundi consueuerat,& quæcũque sata & plantata repererat,euertebat. Cùmque hoc crebrò fieret,&magna eiusdem loci incolas necessitas vrgeret, dato studio operis, eum per loca alia deriuare conati sunt: sed quamùis diutiùs laboratum fuisset, à proprio alueo deflecti non potuit. Tunc vir Domini Frigidianus rastrum sibi paruulum fecit, ad alueum fluminis accessit,& solus orationi incubuit, atq; eidem flumini præ-

cipiens

cipiens vt ſequeretur, per loca quæque ei viſa ſunt, raſtrum per terram traxit; quem,relicto alueo proprio,tota fluminis aqua ſecuta eſt, ita vt funditus locum conſueti curſus deſereret,& ibi ſibi alueum,vbi tracto per terram raſtro,vir domini ſignum fecerat,vendicaret: & quæque eſſent alimentis hominum profutura ſata vel plantata,vltra non læderet. Et de Sabino epiſcopo Placentino eodem lib. Dialog. cap.10. Huius quoque Venerabilis viri Venantij epiſcopi aliud miraculum relatione cognoui,quod in Placentina vrbe perhibet geſtum, quòd vir quoque Dei veraciſsimus Ioannes, in hac modò Romana ciuitate locum præfectorum ſeruans, qui in eadem Placentina vrbe eſt ortus & nutritus, ita vt epiſcopus memorat,quia geſtum fuerit,atteſtatur. In ea namque ciuitate Sabinum nomine fuiſſe aſſerunt miræ virtutis epiſcopum: cui, cùm die quadam ſuus diaconus nunciaſſet,quòd curſus ſui Padus alueum egreſſus, eccleſiæ agros occupaſſet,totaque illic loca nutriendis ſeminibus profutura, aqua eiuſdem fluminis teneret: venerabilis vitæ Sabinus epiſcopus reſpondit, dicens: Vade,& dic ei, Mandat tibi epiſcopus vt te compeſcas, & ad proprium alueum redeas: quod diaconus eius audiens,deſpexit & irriſit. Tunc vir Dei accerſito Notario dictauit,dicens: Sabinus Domini Ieſu Chriſti ſeruus, commonitorium Pado: Præ cipio tibi in nomine Ieſu Chriſti domini noſtri, vt de alueo tuo in locis iſtis vlteriùs non exeas,nec terras eccleſiæ lædere præſumas. Atque eidem notario ſubiungit,dicens: Vade,hoc ſcribe,& in aquam eiusdem fluminis proijce. Quo facto,ſancti viri præceptum ſuſcipiens,ſtatim ſe à terris eccleſiæ aqua fluminis compeſcuit,atq; ad proprium alueũ reuerſa, exire vlteriùs in loca eadem non præſumpſit. Qua in re Petre quid aliud, quàm inobedientium hominum duritia confunditur,quando in virtute Ieſu & elementum irrationabile ſancti viri præceptis obediuit? Et illud lib.3. Dialog. cap.15. Euthicius, qui Florentii in via Domini ſocius fuerat, magnus poſt mortem claruit in virtute ſignorum. Nam cùm multa ciues vrbis illius de eo ſoleant narrare miracula; illud tamen eſt præcipuum,quod vſque ad hæc Longobardorum tempora omnipotens Deus per veſtimentum illius aſsiduè dignabatur operari. Nam quotiẽs pluuia deerat,& æſtu nimio terram longa ſiccitas exurebat, collecti in vnum ciues vrbis illius eius tunicam leuare, atque in conſpectu Domini cum precibus offerre conſueuerant. Cum qua dum per agros pergerent exorantes, repentè pluuia tribuebatur,quæ plenè terram ſatiare potuiſſet. Ex qua re patuit, eius anima quid virtutis intus,quid meriti haberet,cuius foris oſtenſa veſtis irã conditoris auerteret.

32 NOtandum etiam & illud: refutari hoc loco errorem Origeniſtarum,& eorum,qui illos ſecuti,finem damnationis æternæ aliquando fore ſtatuunt: hîc autem Dominus damnat ficulneam in æternũ: Nunquam, inquit, ex te fructus naſcatur in ſempiternum.

33 NOtandum & illud eſt cum D. Hilario: Humilitatis exempla Chriſtum Dominum in hominibus exhibuiſſe: ſeueritatis autem in rebus. Nam vbi adferre voluit procuratæ à ſe ſalutis exemplum, virtutis ſuæ poteſtatem in humanis corporibus exercuit;ſpem futurorum & animæ ſalutem curis præſentium ægritudinum commendans. Nunc verò, vbi in contumaces formam ſeueritatis conſtituebat futurę ſpeciem,damno arboris indicauit,vt infidelitatis pericu-

lum ſine detrimento eorum, in quorum redemptionem venerat, indicaretur.

34 NOtandum præterea: quantum valeat maledicendi verbum: nempe, ſterilitatis damnatur arbor: ſicuti rurſum benedicit Deus, quum fœcunditatẽ ſua voce inſpirat; quod in quinque panibus factum videmus. Cæterùm clariùs ex Marco liquet, non protinus aruiſſe ficum, vel ſaltem id non fuiſſe obſeruatũ à diſcipulis, donec poſtridie à frondibus nudatam viderunt. Idem quoq; Marcus vni Petro aſsignat, quod Matthæus communiter omnibus diſcipulis: ſed cùm Chriſtus in plurali numero reſpondeat, colligere facilè eſt, vnum rogaſſe omnium nomine.

35 NOtandum & illud: falsò hoc loco Caluinum docere, Papiſtas firmitatẽ & certitudinem fidei abrogare, cùm potiùs præſumptionem & temeritatem damnent. Laudamus fidem, ſed eam quæ per dilectionem operatur: neque enim militi ſufficit fidem ſeruare, niſi ipſe pugnet ac dimicet.

SERIES Euangelij.

36 DVm de ficulnea diſputatur, ecce ſynagoga, quam ficulnea ſignificabat, adeſt: & ipſa folia vacua ferens: adſunt ſcribæ & phariſæi: folia contumeliæ, folia fraudis & calumniæ ferunt: in qua poteſtate hoc agat quærunt, aut quis illi dedit hanc poteſtatem: in qua poteſtate ementes & vendentes de templo eijciat, cœcos ſanet, & alia. Cognoſcentes enim, inquit Origenes, plura de poteſtatibus & gradibus ſacramentorum cæleſtium, ſiue ex traditione maiorum, ſiue de ſecretis quibuſdam: vtrum autem rationabiliter, aut irrationabiliter excitati, videbant Ieſum multa prodigia facientem, non ſine poteſtate aliqua ei ſubiecta: & ideò poteſtatis illius ſpeciem & proprietatem volebant audire à Chriſto. Etſi quidem fuiſſent principes ſacerdotum aliqui ſancti; qualis fuit Aaron, vel Eleazar, vel Phinees, vel quicunque eorum, qui benè functionem ſuã conſumauerunt: quaſi non tentantibus, ſed diſcere cupientibus, & dignis huiuſmodi ſcientia, ſine dubio declaraſſet myſteria poteſtatum, & differentias earum manifeſtaſſet. Diuerſis autem verbis eandem quam ſupra calumniam ſtruunt, quando dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit hic dæmonia. Quando enim dicunt, In qua poteſtate hæc facis? de Dei poteſtate dubitant, & ſubintelligi volunt, diaboli eſſe quod faciat: addentes quoque, Quis tibi dedit hanc poteſtatem? Manifeſtiſsimè filium Dei negant, quem putant non ſuis viribus, ſed alienis ſigna facere. Hieronymus Num, inquit, vt ſacerdos? atqui nemo fuit ſacerdos ex tribu Iuda: an vt rex? at iſte nullum ius ad templum habebat. Iſtorum foliis alia ſimilia obijcit Chriſtus Dominus folia: Quærit, baptiſmus Ioannis vnde fuerit, de cælóne, an ex hominibus? quærit, nõ quòd ipſe neſciret, ſed quòd ipſi qui audierunt indigni erant, vt qui dolosè omnia agebant, & vt qui capere volebant, caperentur ipſi. Colligit ſe aſtutia: folia ſua recognoſcit: vident, ſi dixerint De cælo; dicturum, quare non credidiſtis illi? ſi autem, De terra, dixiſſent, hoc eſt, humanam doctrinam illum tradidiſſe; timebant turbam, quæ Ioannem, vt prophetam, magni faciebat: quibus vt primùm vidit ſilentium impoſitum, ne ſe quidem dicturum ait, in qua poteſtate ſigna illa faceret. Hoc autem eſt, quod vulgò dici ſolet, inquit Hieronymus: Malo arboris nodo, malus clauus aut cuneus infigendus eſt. Poterat Dominus aperta reſponſione tentatorum calumniam confutare: ſed prudenter interrogat,

interrogat, vt suo ipsi vel silentio, vel sententia condemnentur. Illi in eo, quòd nescire se responderant, mentiti sunt: consequens ergo erat iuxta responsionē eorum Dominum quoque dicere, Nec ego scio: sed mentiri veritas non potest, & ait: Nec ego dico vobis. Ex quo ostendit illis, & illos scire, sed respondere nolle; & se nosse, & ideò non dicere, quia illi versutè agerent. Et statim infert parabolam, qua & illos arguat, & ad gentes regnum Dei doceat transferendum.

37 NOtandum primò in hoc loco, hanc ipsam pharisæorum interrogationē: siue ipsorum personam spectes, siue rem ipsam, siue Christi personam iustam & laudabilem esse. Nam & ex parte ipsorum munus erat eorum cognoscere de omni noua doctrina: Labia enim sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. siue rem ipsam: omnis enim qui aliquid noui aggreditur in rebus diuinis, hoc primùm demōstrare debet, in qua potestate hoc agat, & quis ei dederit eam potestatem, contra quàm faciunt hæretici: siue Christi personam, qui semper illud est professus, doctrinam suam non esse suam, sed eius qui misit eum, patris. Hoc modo Paulus posuit dissensionem inter Pharisæos & Saducæos, volentes eum occidere, vt habetur Act. 23. Et appellauit Cæsarem, ne traderetur Iudæis in Ierusalem, Act. 25. In quo igitur hæc quæstio peccat? in fine & intentione: quia hoc malo animo & ficto faciebant, vt Christum in odium vocarent, ac pòst occiderent.

38 NOtandum secundò: respondendum esse aliquando stulto iuxta stultitiā eius, ne sibi sapiens esse videatur; non tamen aut semper, aut diutiùs.

39 NOtandum tertiò: veritati nihil magis aduersum & inimicum esse, quàm timorem & fauorem hominum: quod nunc in pharisæis & scribis perspicitur. O miseram hominibus placendi cupiditatem! Deum contemnunt, homines verò timent, & ad eorum gratiam omnia operantur.

40 NOtandum vltimò: per hoc ostendere Christum, quòd malignantibus, quales erant isti, non sunt Dei secreta reuelanda: sicut Christus dixerat: Nolite sanctum dare canibus: sed eorum malitia prudenter est declinanda.

41 NOn moratur diutiùs Dominus, veritatis magister, in foliis: atque à calumniis ad solidam & seriam doctrinam se transfert: & vt sciant, se nihil inscio, nihil inuito atque nolente fieri aut futurum, & ne vllam postea excusationem adferant, proponit illis ea omnia, quæ in posterum euentura erant: vocationē gentium: reprobationem Iudæorum: mortem & resurrectionem suam: futuri item iudicij rationem. Idq; partim in parabolis, more suo, partim aperta doctrina, atque ea ipsa doctrina, tanquam sigillo quodam obsignat omnem in posterum doctrinam suam: vt, quia apertè nolebant respondere sapientiæ, in parabolis caperentur, inquit Gregorius. PRIMÒ igitur generalis proponitur parabola: in qua illud demonstratur, omnem illum, quicunque legem Dei acceperit, eamque opere compleuerit, illi anteferendum esse, qui nudis verbis & promissionibus se commendat: quem quidem parabolæ scopum ipse

SERIES Euangelij.

Saluator

Saluator generali explicat propositione: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Termini parabolæ sunt: Homo quidam, pater, inquam, æternus. Duo filii, quorum primus iussus à patre in vineam abire, recusat, & postea pœnitentia motus, vadit in vineam, & operatur: gentilem populum omnesque peccatores significat, cum quo per naturalem legem Deus est locutus: quia nunquam Deus destitit homines incitare ad bonum per occultos instinctus. Alter filius, qui promptè se iturum obtulerat, nec iuit, populus est Hebræus. Gentiles deseruerãt viã Dei: sed ad prædicationẽ Christi & apostolorũ credentes, opera pœnitentiæ humiliter egerunt: Hebræi hypocritæ & sycophantæ, omnia de se pollicebantur, nihil autem re ipsa exsequuti sunt, cum istis conuentio facta est in veteri lege. Promissa illorum magnifica Exod. 24. referuntur: Omnia quæcunq; dixerit Dominus faciemus. Iosue 24. Eligite quod placet, cui potissimùm seruire debeatis: vtrum diis quibus seruierunt patres vestri in Mesopotomia, an diis Amorrhęorum, in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea seruiemus Domino. Respondit populus, & ait: Absit à nobis vt relinquamus Dominum, & seruiamus diis alienis: Dominus Deus noster ipse eduxit nos & patres nostros de terra Ægypti, de domo seruitutis: fecitque videntibus nobis signa ingentia, & custodiuit nos in omni via per quam ambulauimus, & in cunctis populis per quos transiuimus, & eiecit vniuersas gentes, Amorrhæum habitatorem terræ, quam nos intrauimus: seruiemus igitur Domino, quia ipse est Dominus noster. Dixitq; Iosue ad populum: Non poteritis seruire Domino: Deus enim sanctus & fortis æmulator est, nec ignoscet sceleribus vestris atque peccatis: si Dominum dimiseritis, & seruieritis diis alienis, conuertet se, & affliget vos atque subuertet, postquam vobis præstiterit bona. Dixitque populus ad Iosue: Nequaquam ita vt Iosue erit, sed Domino seruiemus. Et Iosue ad populum: Testes, inquit, vos estis, quia ipsi vobis elegeritis Dominũ, vt seruiatis ei. Quod paulò post cõsequutum est: quia Iudæi legem susceptam non obseruauerunt, sed ad idololatriam, & prophetarum occisionem, & ad infinita mala declinauerunt, vt habetur in lib. Iudicum, & lib. Regum. Iubet igitur Saluator ipsos sententiam ferre, quisnám ex his duobus fecerit voluntatem patris. Ferunt contra se sententiam, dicentes: Primus. Infert igitur & Saluator suam mentem: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Hi sunt duo filii, qui & in Lucæ parabola describuntur, frugi, & luxuriosus: & de quibus Zacharias propheta loquitur: Assumpsi mihi duas virgas: vnam vocaui decorem; & alteram vocaui funiculum, & paui gregem. Primò dicitur gentilium populo per naturalis legis iustitiam: Vade, & operare in vinea mea: hoc quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qui respondit superbè: Nolo. Postea in aduentu Saluatoris, acta pœnitentia, operatus est in vinea Dei, & sermonis contumaciam labore correxit. Secundus autem filius, populus Iudæorũ est, qui respondit Mosi: Omnia quæcunque dixerit Dominus faciemus; & non iuit in vineam, quia interfecto patrisfamiliâs filio, se putauit hæredem. Alii verò non putant gentilium & Iudæorum esse parabolam, sed simpliciter peccatorum & iustorum, ipso quoque Domino propositionem suam differente: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Sed quæ tandem salutis causa meretricum & publicanorum? Hier: E ò quòd illi, qui per mala opera Deo se seruire negauerunt, postea pœnitentiæ baptismum

acceperint

acceperint à Ioanne: Pharisæi autem qui iustitiam præferebant, & legem se Dei facere iactabant, Ioannis contempto baptismate, Dei præcepta non fecerunt. Vnde dicit, Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ: quia opera perfectionis faciebat, & quia Christum annunciabat, qui est ipsa iustitia sempiterna, vt habetur Daniel 9. & non credidistis ei: publicani verò & meretrices crediderunr illi. Venit ad vos non per ignauam vitam, sed per viam virtutis, vt fide dignus haberetur, tanquam missus à Deo, & non credidistis ei, cùm resipiscere vos admoneret, parariq; ad susceptionem regni Dei: vos autem, videntes quomodo publicani & meretrices crediderunt illi, & ad prædicationẽ Ioannis conuersi erant, non resipuistis postmodum ad credendum. Est autem in hoc loco diuersa lectio, quam D. Hieronymus sic explicat: Sciendum est, inquit, in veris exemplaribus non haberi Nouissimum, sed Primum; vt proprio iudicio condemnentur. Si autem Nouissimus voluerimus legere, manifesta est interpretatio, vt dicamus, intelligere quidem veritatem Iudæos, sed tergiuersari, & nolle dicere quod sentiunt: sicut & baptismum Ioannis scientes esse de cælo, dicere noluerunt.

42 NOtandum primùm est: vt in ciuilibus, ita in aliis rebus, diuinis præsertim, neminem pauciora præstare, quàm illum qui multa pollicetur: lingua enim potiùs omnia conficit, quàm manu.

43 NOtandum secundò: præsumptionem in omnibus maximè declinandam esse: Isti enim scribæ & pharisæi putabant se oculos esse populi, atque ab eo qui iudicat æquitatem, meretricib. & publicanis inferiores iudicantur: factaq; lux in tenebras, & tenebræ in lumen, & iustificata est præ illis Sodoma.

44 NOtandum tertiò: neminem, quantumuis abiectæ conditionis, planè cõtemnendum esse: cùm de scribis & pharisæis, perfecti officii viris, hoc decernatur: Meretrices & publicanos eos antecessuros in regnum Dei.

45 NOtandum quartò: ætatem nullam esse tam seram, aut conditionem tã fœdam, cui ad pœnitentiam aditus non sit, & per consequens ad regnum cælorum: quandoquidem meretricibus & publicanis regni cælestis possesio promittitur. Nemo desperet, quia bonum Dominum habemus, dicebat Ambrosius.

46 VLtimò obseruat Theophylactus: multos vsque ad hodiernam diem polliceri Christo & patri eius, se monachos futuros & sacerdotes: vbi autem promiserint, pigriùs agere: alios autem nihil horum polliceri; nihilo tamen meliùs quàm aut monachi, aut sacerdotes viuunt: quod duorum fratrum exemplum superiùs explicatum docet.

47 SEcunda parabola ad eundem finem reprobationis Iudæorum, & vocationis gentium, eiusq; causas, refertur ad quem & superior: sed longè clariùs & euidentiùs. Cuius sensus ille est: Hos reprobatos, illos autem receptos esse: non alia de causa, nisi quòd hæredem contempserunt, in eumq; manus iniecerunt: quem

runt : quem finem ipſe explicat : Ideò malos malè perdet, vineam autem loca bit aliis agricolis, qui reddent ei fructũ tẽporib. ſuis. Parabolæ tres ſunt partes: Enumeratio beneficiorũ Dei, Ingratitudo humana, & Vindicta ingratitudinis. Terminos parabolæ interpretatur D. Hieronymus : Homo iſte pater familias eſt, qui plantauit vineã, qui habebat duos filios: & qui in alia parabola conduxit operarios in vineam ſuam : de qua & Iſaias pleniſsimè per Canticum loquitur : Cantabo, inquit, dilecto meo canticum patruelis mei, vineæ ſuæ : Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Ad extremum inferens : Vinea Domini Sabbaoth domus Iſraël eſt. Et in pſalmo : Vineam de Ægypto, inquit, tranſtuliſti : eieciſti gentes, & plantaſti eam : & ſepem circumdedit ei, vel murum vrbis, vel angelorum auxilia : & fodit in ea torcular, aut altare, aut illa torcularia, quorum & tres pſalmi titulo prænotantur, octauus, & octogeſimus, & octogeſimus tertius : & ædificauit turrim : haud dubium quin templum de quo dicitur per Michæam: Et tu turris nebuloſa, filia Sion. Et locauit eam agricolis, (quos alibi vineæ operarios appellauit) qui conducti fuerant hora prima, tertia, ſexta, nona, & vndecima. Et peregrè profectus eſt; non loci mutatione : nam Deus vnde abeſſe poteſt, quo complentur omnia ? & qui dicit per Ieremiam : Ego Deus appropinquans, & non de longinquo, dicit Dominus. Sed abire videtur à vinea, vt vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat. Cùm autem appropinquaſſet tempus fructuum. Locum hunc Origenes accommodatiſsimè tranſtulit ad ætatem hominum : quem huic loco iuuat inſerere. Sicut, inquit, in vineis eſt aliquod tempus, quando principium fructuum demonſtrant : & aliud, quando florent quæ ſunt demonſtrata : & aliud, quando acerbeſcunt fructus : & aliud quando variant : & aliud, quando vindemiandi eſt tempus fructus perfectos & paratos ad præbendum vinum. In omnibus itaque primum vitæ tempus eſt infantia : & eſt tunc vinea nihil oſtendens, niſi tantùm habens in ſe vitalem virtutem. Cùm autem cœperit poſſe loqui, tempus eſt generationis. Quantum autem proficit anima pueri optata, tantum & vinea quæ operatur in eo, id eſt, verbum Dei naturaliter inplantatum proficit, & producit indicia botrionum futurorum; florentium quidem adhuc, & odorẽ ſuauitatis futuræ virtutis inprimis dantium. Poſtea autem & acerbeſcunt, quando malitia quidem eſt in iuuentute, non autem permanet : ſed neceſſariò ſuperueniens eſt propter ætatem, ſed, vt ita dicam, ſemper ad virtutem pergẽs. quam ſi quis manducauerit, ſecundùm prophetam, obſtupeſcere facit dentes : ſi autem non ea fuerit vſus, ſed ſemper quaſi per aliquam viam adducat eam ad virtutem, ex parte incipit variare, non autem & vuam habet perfectam. Eſt autem & poſt perfectum ſtatus aliquis ſtudioſus, quando vinea operata fructũ profert maturum, & ſtudioſos botriones, diuerſos atque perfectos charitatis, & gaudii, & pacis, & longanimitatis, cæterarumq; virtutum quas apoſtolus refert, & multæ ſcripturæ. Eſt enim aliqua botrio, ſecundùm quod ſcriptum eſt, Beati pauperes ſpiritu : & altera, Beati mundi corde. Et quid neceſſarium eſt dinumerare ſingulas beatitudinum cauſas, quaſi diuerſas botriones ? Hæc autem diximus, volentes oſtendere quid ſit quod ait : Cùm autem appropinquaſſet tempus fructuum : proſequitur Euangeliſta : Miſit, inquit, ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius : & agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium cæciderunt, vt Ieremiam, vt Michæam, qui percuſſus in maxillam à Sedecia filio Chanaan : quando & dixit ei prophetanti Pſeudopropheta; qualis ſpiritus Dei

qui locutus

qui locutus est in te: vt Aaron & Moysen, quos flagello cæsos dimiserunt vacuos. Hinc Dauid: Vexatus est Moyses propter eos: alium occiderunt, sicut Amos, quem Osias vecte per tempora transfixit: vt Isaiam, qui serra fuit sectus ex pręcepto Manasse, regis Iuda: vt Zachariã, inter templũ & altare. Vel lapidauerunt, vt Naboth: & sicut Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, sicut in 2. lib. Paralip. positum est. Cùm enim spiritus Dei induisset Zachariam filium Ioiadæ sacerdotem, & stetisset in conspectu populi, & dixisset eis: Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos? Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium, in atrio domus Domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius secũ, sed interfecit filium eius. Qui cùm moreretur, ait: Videat Dominus, & requirat. Quod autem dicit, alios & alios eum misisse, patientiam & bonitatem ostendit patrisfamiliâs, quòd frequentiùs miserit, vt malos colonos ad pœnitentiam prouocaret: illi autem thezaurizauerunt sibi iram in die iræ. Porrò: quod iungitur, Verebuntur fortaſsè filium meum: hoc dixit, non quasi quid futurum esset nesciret: (sciebat namque, quòd hunc reueriturì non essent) sed tanquam id quod fieri deberet; ac si diceret: Oportet vt reuereantur filium meum. Lucas autem ait, quòd dixerit dominus vineæ: Quid faciam? mittam filium meum dilectum, fortaſsis hunc intuiti reuerebuntur. Dixit autem non ex ambiguitate, Quid faciam? sed ex humani generis amore: ostendens, quantum illi sint curæ ingrati, nondum eos punire volendo, sed modum quærendo, quomodo hos exaſperatos redderet mansuetos. Dictio autem ἴσως apud Lucam (pro qua vertimus Fortaſsis) id quod decens est & æquum innuit. Cogitauit ergo apud se, quamuis neque afficere contumelia seruos meos debuerant: quia, qui seruis faciunt iniuriam, Dominum exhonorant; tamen mittam filium meum, qui totum poſsidet in natura. Si amare eum voluerint, est quod ametur in eo: quia post me solus est bonus; si voluerint eum timere, est quod timeatur in eo: quia post me solus terribilis est Deus. Hæc Imperfecti Operis autor Hom. 40. in Matth. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt: quod tale mihi videtur, inquit Origenes, quantum ad se alienum eum esse iudicauerunt à vinea & colonis, quando sententiam mortis contra eum tulerunt: quem & extra vineam omninò statuerunt, vt locum etiam prædixisse videretur, vbi crucifigendus erat. Et dixit eis Iesus: Cùm ergo venerit paterfamilias, quid faciet colonis illis? Responderunt ore proprio iudicati, quòd malos malè perdet, & vineam dabit aliis agricolis. Aut enim prophetant, quemadmodum Caiphas sacerdos, qui non ex se dixit verum, sed quia sacerdos fuit anni illius, prophetauit; sic & isti non ex se prophetauerunt contrà se: quoniam tollenda eis erant eloquia Dei, & gentibus danda, fructum in tempore suo daturis. Propterea autem parabola vsus est, inquit D. Chrysostomus, vt hanc ab ipsis sententiam eliceret: quod & in Dauid factum est, quando de parabola Nathan sententiam tulit: Viuit Dominus, inquit, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.

84 NOtandum primò: Iesum Christum esse verum filium Dei, vnicumq; di-

lectum hæredem vniuersorum, per quem facta sunt sæcula: cui omnes patriarchæ & prophetæ seruierunt: cuius omnes homines hæreditas est: cuius synagoga colonus fuit confessione ipsorum Iudæorum. Ecce, inquiunt, hæres est: venite, occidamus eum, & hæreditatẽ eius capiemus: contrà quàm mentiuntur impii Ariani atque Ebionitæ; contra quos nullus locus clarior aut illustrior esse potest, vbi non nomine, sed reipsa se Dominum cunctorum esse, Dominus ostendit.

SEcundò notat & illa Hieronymus præclarè: Porrò, inquit, quod iungitur: Verebuntur fortè filium meum: non de ignorantia venit: (quid enim nesciat paterfamilias, qui hoc loco Deus pater intelligitur?) sed semper dicitur ambigere Deus, vt libera homini voluntas reseruetur. Interrogemus Arium & Eunomium: Ecce pater dicitur ignorare, & sententiam temperat; & quantum in nobis est, probatur esse mentitus. Quidquid pro patre responderint, hoc intelligant pro filio, qui se dicit ignorare consumationis diem. 49

TErtiò notare debent prælati atque sacerdotes, se non dominos, sed colonos vineæ Domini esse: neque qualescunque, sed illos qui fructus deberent ferre; & ita, vt aliquando istorum fructuum rationem strictam sint reddituri. Fructus autem isti sunt, vt populum seuerè arguant: collapsam restituant pietatem: expergefaciant sopitos animos, Deique cultum & nouam vitam reducant; quod ni faciant, tum illud eos consecuturum: Malos malè perditurum, & aliis locaturum vineam. Quod iam in Asia, Græcia, Aphrica, Vngaria apertè experti sunt. Assentiuntur autem isti apud Matthæum huic sententiæ, imò ipsi eam proferunt: apud Lucam deprecantur. Audita enim Domini sententia, dixerunt, Absit. Verùm si propiùs expendamus sensum, nulla est repugnantia: quia de pœna, quam meriti erant tales serui, non dubium est, quin assensi fuerint Christo: sed cùm in se tam crimen, quàm iudicium conferri sentirent, hoc ipsum deprecati sunt. 50

NOtandum quartò: quærere hoc loco Origenem: Quomodo Deus mittens filium suum, dicit: Reuerebuntur filium meum: quasi qui non præsciebat, quod ei fuerat euenturum. Nec enim videntur secundùm textum præsentem: Iudæi reueriti eum: & inuenitur in hoc Deus nescîsse futurum. Sed dicere, aliud esse factum, impium est: iterum dicere, quoniam reueriti sunt eum coloni, falsum est. Coloni enim videntes filium, dixerunt apud se: Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hęreditas. Subijcit ipse solutionem: Nisi fortè, inquit, hoc modo soluamus. Sicut enim quasi de omnibus Iudæis occisuris sic dicit generaliter: Coloni autem dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum; & tamen non omnes Iudæi occiderunt Christum, sed qui secundùm carnem fuerunt Iudæi: secundùm spiritum autem Iudæi non occiderunt Christum, sed crediderunt in eum. Sic generaliter quasi de omnibus colonis dicit: Reuerebuntur filium meum; & tamen non omnes illum reueriti sunt, sed illi tantummodò, qui secundùm spiritum fuerunt Iudæi, qui crediderũt in eum; vt illud quidem quod ait: Reuerebuntur filium meum: videatur impletum in illis Iudæis, qui intelligentes Christum, crediderunt in eum: hoc autem quod dictum est, Hic est hæres, venite occidamus eum: in illis impletum sit, qui 51

ſit, qui videntes Chriſtum, & cognoſcentes filium Dei, nihilominus occiderũt eum.

52 NOtandum quintò: ſolenne eſſe prælatis atque ſacerdotibus ea prædicere, & quaſi diuinare, quæ ad eorum ipſorum nonnunquam excidium pertinent; quomodo nunc iſti euidenter in ſe ferunt ſententiam: Malos malè perdet. Et paulò poſt in concilio Annæ: Ne veniant Romani, & tollant locum noſtrum & gentem.

53 NOtandum ſextò: Si Deus vineam ſuam tam egregiè conſepiat, vt nulla vis illam expugnare poſsit: murum extruxit: turrim erexit: torcular conſtituit; longè munitiùs Eccleſiam ſuam eundem ſepſiſſe ac tueri. Deus igitur refugium noſtrum & virtus: non timebimus vt transferantur montes in cor maris. Viriliter agamus: confortetur cor noſtrum, & ſperemus in Domino.

54 NOtat vltimò gloſſa ordinaria: cuique locari tum vineam colendam, cùm myſterium baptiſmi datur, quod operando exerceat. Mitti ſeruos vnum & alterum, cùm lex, pſalmus, propheta legitur, quorum monitu benè operetur: ſed miſſum cædi, eijci, cùm ſermo contemnitur, vel (quod peius eſt) blaſphematur. Hæredem, quantum ad ſe, occidere, qui filium Dei conculcauerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Perdito malo, vineam alii dari, cùm damnum gratiæ, quod ſuperbus perdit, humilis accipit.

55 TVlerunt ſuperbius ac liberius decretum Scribæ & Phariſæi: Malos, inquiunt, malè perdet: tanquam non contra ſeipſos latum, ſed contra alios. Putabant enim Scribę & Phariſęi, ſe euectores potiùs, ac inauguratores regis Meſſiæ futuros, quàm deiectores aut occiſores: quod contrarium illis Chriſtus dominus prophetarum teſtimoniis demonſtrat. Vos pro magno abſurdo dicitis fieri non poſſe, vt vineæ coloni impiè contra filium Dei conſpirent. Quid? an non ſcriptura ipſa prædixit, à plebe quidem, multitudine, puerorumq́; turba ſuſcipiendum eam partem pſalmi docere, quam pueri occinuerunt, Oſanna, Benedictus qui venit in nomine Domini: ab illis autem repudiandum & reprobandum eiuſdem pſalmi parte doceri: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Vniuerſam deinde parabolam immutato nomine, de ipſis, non de aliis dictam eſſe, apertè explicat: de eo, inquam, contemptu & reprobatione, quam contra regem Meſsiam admiſerunt, qui eos ipſos contriturus & comminuturus erat. Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum. Id autem totum vt meliùs intelligatur, notandum illud inprimis eſt: Regem Meſsiam inter cætera epitheta & cognomina Lapidem vocari: Lapis qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram. Et Iſaiæ 28. Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretioſum, fundatum fundamine: qui crediderit, non feſtinet. Eundẽ locum Rabbi Salomon exponens, ſic inquit, exponendum eſt: Ecce ego ſum, qui fundaui iam in Sion lapidem: hoc eſt, iam definitum & decretum eſt coram

me: & constitui regem Mesiam, qui est lapis probatus. Quod autem dicitur, fundatum fundamine, vel fundamentum fundamenti, id est, fundamentorum, sic intelligi debet, ac si dicatur fundamentum perfectissimum. Hæc ille. Ionathan quoque Chaldaicè ita hæc transtulit: Ecce ego constituo in Sion regem Mesiam, regem potentem, robustum & fortem. Ita & illa psalmi verba: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: Rabbi Salomo sic interpretatur. Exponens enim illud Mich: cap. 5. Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël, sic infert: Hic est Mesias, filius Dauid, sicut dictum est psal: 118. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Hic non est à Deo: hic se dicit mundum: reprobauerunt ipsum cùm dicebant: Samaritanus est hic, & dæmonium habet; ipse autem vbi resurrexit à mortuis, factus est in caput anguli: hoc est, in caput Ecclesiæ, conuertens Iudæos & ethnicos in vnam fidem. Vt vnum angulus tenet ædificium, ita Christus constituit & retinet Ecclesiam. Mirabile autem hoc ædificium est in oculis nostris: primùm, quia à Domino est: deinde, ob pulchritudinem, in qua erectum est: tertiò, ob miracula, quòd mirabiliter confirmatum & roboratum sit, eiusq. doctrina mirabilis.

56 NOtanda secundò hoc loco est traditio illa: dum ædificabatur Salomonis templum, variam & multiplicem pro operis dignitate, & infinitæ materiæ copiam, tam lignorum quàm lapidum conuectam esse, in qua lapidem quendam, qui in nullam partem templi rectè ingredi potuerat, frustrà sæpiùs tractatum, ac ad multiplices vsus tentatum, vltimò extra fabricam, ne molestus esset, proiectum fuisse, diuque frustrà otiosum iacuisse. Dum tandem successu temporis duo parietes templi in vno angulo coniungi debuissent, ad quam rem cùm lapis nullus reperiri potuisset, illi rei idoneus & accommodatus ille ipse abiectus & repudiatus, ita ad eam rem contulit, ac si illi soli rei comparatus ac reseruatus fuisset, factusq; est in caput anguli, quod nullus alius potuit. Itaque coniunxit duos parietes, vt vnus esset. A Domino hæc facta esse in figura, testantur prophetæ, ac in oculis nostris mirabilia esse; vtpote quæ regem Mesiam designarent, qui primùm ab istis ædificantibus sit reprobatus; postea factus est in caput anguli, duosque populos, Gentilium & Iudæorum, in vnam fidem coniunxerit. Quod totum signũ latiùs explicat D. Petrus: Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapidem offensionis, & petram scandali, iis qui offendũt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Sed hic filius, inquit Hilarius, lapis est ab ædificatoribus improbatus, & in fastigium angularis electus, & in oculis omnium mirabilis, & inter leges atque gentes lateris & ædificii vtriusque coniunctio. Quòd si aliquis eam traditionem non recipit, tum hoc ipsum more aliarum parabolarum infinitè de omni re primùm repudiata, deinde assumpta, dictum existimet: Simile esse regnum cælorum: acsi ædificantes repudient lapidem, qui postea fuit in caput anguli. Quos enim suprà operarios, & vinitores, & agricolas appellârat, nunc ædificatores, id est cæmentarios vocat. Vnde dicit Apostolus, Dei agricultura, Dei ædificatio est. Hi ergo cæmentarii, quomodo & vinitores accipiunt vineam, sic acceperunt lapidem, quem vel in fundamentis ponant, iuxta architectum Paulum: vel in angulo inter parietes, vt populum vtrumque consocient, qui reprobatus ab eis, factus est in caput anguli.

guli. Et hoc à Domino factum eſt, non humanis viribus, ſed Dei potentia.

57 NOtandum tertiò: eadem D. Petrum prolixiùs de hoc lapide adferre, quę hîc adferuntur: Ad quem accedentes lapidem, viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & ipſi tanquam lapides viui ſuperædificamini: domus ſpirituales in ſacerdotium ſanctum: offerentes ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. Propter quod continet ſcriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, probatum, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur credentibus honor: non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapidem offenſionis, & petram ſcandali iis qui offendunt verbo, nec credunt, in quo & poſiti ſunt.

58 QVartò: notanda eſſe tria ad eam doctrinam rectè intelligendam. Primum, Iudæos triplici pœna punitos eſſe: Temporali ablatione regni: Spirituali obcæcatione: & populi gentilis, quem illi præ ſe contempſerunt, in partem & ſortem illorum vocatione. Quæ omnia fuerunt à prophetis prædicta, Deut: 21. Iſaiæ 71. Dan: 9. Oſeæ 1.

59 NOtandum quintò eſt: quanquam debuerint ob ingratitudinem ſuam Iudæi reprobari; non tamen omnes: maior tamen illorum pars, teſte Ambroſio lib. 1. de vocatione gentium. Hier: ſup. 23 pſal. Dicit igitur Dominus, Meſsiam quem reprobauerunt ædificantes, cùm debuiſſet tantùm vnius parietis eſſe lapis, ob ingratitudinem Iudæorum factum eſſe duarum gentium: hoc eſt, Iudæorum atque gentilium, ad quos ſolos pertinebat tota gratia, ex eaque pleroſque deiectos eſſe, & in illorum locum alium parietem repoſitum. Vbi duæ illorum pœnæ notantur: Spiritualis prima: quòd magna pars ex eo lapide eſt deiecta, qua ablatum eſt ab illis regnum, & datum genti facienti Dei voluntatem. Temporalis, quia repoſiti fuerant in locum eorum inimici, quando diſperſi ſunt per vniuerſum orbem: hoc enim ſignificat λικμήσει, hoc eſt, comminuet. Offendent ex eis plurimi, inquit Iſaias, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Dicit autem, non vi aliqua humana, aut conſilio hæc facta eſſe, ſed à Domino, Quod ipſe explicat: Ideò dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quibus duab. pœnis viſibilibus addit tertiam longè grauiorem, ſempiternùm duraturam: Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: quod euênit ante mortem Chriſti, cùm non crediderunt illi prædicanti: poſt reſurrectionem verò, cùm reſurgentem negauerunt, ſuper capita illorum hic lapis reuolutus eſt. Sed & alio modo hunc locum exponit D. Hieronymus: Aliud eſt offendere Chriſtum per mala opera, aliud negare. Qui peccator eſt, & tamen in illum credit, cadit quidem ſuper lapidem, & confringitur, ſed non omninò conteritur: reſeruatur enim per pœnitentiam ad ſalutem. Super quem verò ille ceciderit, hoc eſt, cui lapis ille irruerit, & qui Chriſtum penitus negauerit, ſic conteret eum, vt ne teſta quidem remaneat, in qua hauriatur aquæ puſillum. Sed quæ cauſa eſt huius tantæ reprobationis? non vna, ſed plures. Primùm, quia abuſi ſunt fructibus vineæ. Secunda cauſa: impium homicidium prophetarum, in quos, tanquam in-

Iſaiæ 8.
Iſaiæ 28.
Pſal. 17.

quam insani ægri, violenter inuaserunt. Tertiò: temporalium rerum spiritualibus rebus antelatio: dum enim imperium tenere volunt, cælum simul cum imperio amiserunt: Et hæreditatem, inquit, accipiemus. Quartò: summa vinitorum ingratitudo; quorum causa cùm omnia facta essent, sepes, turris, torcular, omnia hæc contempserunt, ac impiè hæredem inuaserunt. Quintò: superba præsumptio legis & iustitiæ: quod prolixè Paulus in ea epistola quam ad Romanos scribit, explicat. Sextò: infidelitas & durities cordis extranea: Quia, inquit, non cognouisti tempus visitationis tuæ. Septimò: finalis impœnitentia: Quoties volui congregare, & tu noluisti? Cuius libet hoc loco nobis damna & incommoda audire. Primum, eum qui non pœnitet, soluere magnam vsuram diabolo; vt docet D. Ambrosius in lib. de Tobia. Gregorius in Homil 11. in Ezechielem: quæ vsura in dies magis ac magis crescit: peccatum enim per pœnitentiam non expiatum, aliud post se deterius trahit, vt arcus, quum magis intenditur, tantò magis dat signum vt caueas, & nisi caues, magis ferit. Secundum illud damnum emergens adfert: quia maius damnum trahit. Tertium, quod adfert malum inexplicabile: quia interim nullum veniale peccatum remitti potest, dum mortali, tanquam pondere, & maximo lapide premitur, ob quod postea in purgatorio pati cogitur. Quartum, quòd magnum lucrum facit cessare: quia nulla bona opera illi prodesse possunt, nullæ indulgentiæ, non merita, neque suffragia sanctorum, qui in mortali peccato degit: & quamùis bona opera post pœnitentiam redeant; non tamen illa quæ in mortali peccato sunt facta. Quintum, quòd per eam impœnitentiam peccator ob expectationis ingratitudinem Deum magis exacerbat, & ipse magis induratur, & confirmatur in morbo, vt difficiliùs curari possit, Sextum, quia id neque spiritus sanctus, neque recta ratio suadet: sed solùm hostes nostri, mundus, diabolus, caro, vitæ nostræ maximi insidiatores, retinentes nos, **álbo zábawiáiąc nas/áż po nas opráwcy przyydą.** Septimum, quòd nulla seria & solida de causa pœnitentiam differamus, spe scilicet vltimi termini, qui & incertissimus est, & occupationibus impeditus: vnde Augustinus de pœnitentia & morte: Si quis securus est, ego non sum securus.

Notandum sextò: Pharisæos, quamùis duro corde essent, & propter incredulitatem & impietatem in filium Dei hebetes; tamen apertas propositiones negare non poterant, & intelligebant, contra se omnes Domini sententias dirigi: vnde volebant quidem eum interficere, sed timebant turbas: quia sicut prophetam eum habebant. Semper turba mobilis est, nec in proposita voluntate persistens, atque in morem fluctuum diuersorumque ventorum, huc illucque trahitur: quem nunc quasi prophetam venerantur & colunt, postea contra eum clamant. Crucifige, crucifige. Vbique homines timent: Christus tamen & parabolas sanè dixit, & prophetiam adduxit, vt timore correpti, malitiam relinquerent: ipsi verò occidere magis illum quærebant. Atqui sciebat, quòd mutandi non essent; attamen vbique quod suum est facit, nihilque prætermittitur eorum quæ conueniunt. 60

Notare item hoc loco debent principes sacerdotum, & seniores populorum: notare populus ipse Christianus, nihil vocationem, nihil successiones & magnificos titulos prodesse: nihil promissa & cæremonias, vbi sempiterni Dei maiestas 61

maiestas fuerit læsa, & in quos lapis hic ceciderit. Nam si ramis naturalibus non pepercit, quid insititiis facturus est? Regnum Dei hæreditario iure apud se residere Iudæi putabant: ideoque securè obstinati erant in suis vitiis: nos in eorum locum repentè præter naturam successimus: multò itaque minùs nobis affixum erit, nisi in veræ pietatis radice nitatur.

62 NOtandum & illud: quemadmodum legitimam vocationem peccata & delicta non impediunt, quod in his ipsis colonis ac vinitoribus apparet: ita talem solam vocationem, si functionibus & fructibus careat, nihil ad æternam vitam conferre, magis iudicium contra nos, quàm sententiam pro nobis ferre. Garrit autem hoc loco Caluinus contra magistratus Ecclesiasticos, falsa assumens, ac disparia comparans.

63 QVAESTIONES S. AVGVSTINI. PRIMA: Quod Dominus dicit discipulis suis: Dicetis monti huic, tolle te, & iacta te in mare: de superbia dixit, quæ ad seculares pertinet: Hoc tibi seruus Dei dicere debet, vt eam à se repellat; quia ipsi non congruit, vel quòd per eorum fidem, quia per eos Euangeliũ prædicatum est, ipse Dominus, qui mons appellatus est, ablatus est à Iudæis, vt in gentes, tanquam in mare porrò iaceretur

SECVNDA: Quod Dominus dicit, Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum; de his dicit, quod cadent super eum, qui illum modò contemnunt, vel iniuriis afficiunt: ideò non dum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, vt non ambulent. Super quos autem cadit, veniet illis desuper in iudicio cum pœna perditionis: ideò dixit, Conteret eos, vt sint impii tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ.

Caput XXII.



ARABOLAM NVPTIARVM ET AMPLI PRANDII CONTINET: Pharisæorum congressum de tributo Cæsaris, & Saducæorum de futura resurrectione explicat: de summo mandato ac de rege Messia quæstionem complectitur. In illis quidem mortem Christi, hîc gloriosam resurrectionem explicat. Deterius horum ingenium quàm vinitorum: nam vinitores alicuius causa occidunt & contumelia afficiunt, fructuum scilicet vineæ: isti gratis vocantur ad nuptias, & manus illi inferunt: quid cædi cum nuptiis? Quæ quidem nuptiæ vitæ cælestis, & in resurrectione suscipiendæ æternæ gloriæ sacramentum sunt. Parabola idem argumentum habet, quod & superiores de reprobatione Iudæorum, & vocatione gentium: hoc ampliùs, quòd reprobationem Iudæorum non ex parte Dei, sed vitio ipsorum euenisse per recusationem conuiuii, docet: tum & illud, quòd genus vocationis seuerius esse notat eadem reprobatione, si vocationi suæ non respondeant. Metuere iubet scopus parabolæ: siquidem id solum trahendum est hinc, quòd neminem securum esse oporteat, eò quòd ad nuptias intrauerit, sola videlicet in Christum fide: sed post-

quam baptiſmate ablutus eſt,opus eſt veſte nuptiali indui, hoc eſt,renatum eſſe,ac dignum futuris nuptiis. Eſt autem hæc veſtis & ornatus, vita pura ac ſplendida,in modum veſtis virtutibus contextæ. Per iſtas nuptias intelligitur Verbi incarnatio : tunc enim Deus fecit nuptias filio ſuo.quando naturam humanam copulauit naturæ diuinæ in vno ſuppoſito. Quæ quidem nuptiæ celebratæ ſunt in vtero virginali,de quo Chriſtus exiit, tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Multos eſſe vocatos, paucos electos, perſonarum circumſtantiarum & rerum comparationes. Hieronymus ſic explicat: Rex,qui fecit nuptias filio ſuo,Deus omnipotens eſt: fecit autem nuptias Domino noſtro Ieſu Chriſto,& Eccleſiæ, quæ tam ex Iudæis, quàm gentibus congregata eſt. Seruus primus inuitans ad nuptias,Moyſes eſt: ſerui ſecundò miſsi,meliùs eſt vt prophetæ intelligantur quàm Apoſtoli; ita tamen ſi ſuprà Seruum ſcriptum fuerit: ſin autem Seruos ibidem legas; híc ſecundi ſerui apoſtoli intelligendi ſunt. Prandium paratum,& tauri,& altilia occiſa: vel per metaphoram opes regiæ deſcribuntur,vt ex carnalibus intelligantur ſpiritualia: vel certè dogmatum magnitudo,& doctrina Dei lege pleniſsima ſentiri poteſt. Parabola præcedens ea tractauit, quæ ad paſsionem vſque tranſierunt: puta, Dei prouidentiam,qua erga Iudæos vſus eſt: prophetarum cædem: & tandem ipſius Saluatoris occiſionem; hæc autem, quæ nunc proponitur, ea quæ poſt crucem contigerunt,indicat: regnum cælorum vocans Deum patrem, nuptias verò myſticam filii coniunctionem ad Eccleſiam credentium. Duplicem autem intelligimus huiuſmodi coniunctionem,& quæ hîc per fidem & cæteras virtutes, & quæ illic magis ſupernaturaliter perficienda eſt. Id autem vocat nuptias,tum propter deſiderium quod habet ad Eccleſiam, tum propter ipſius Eccleſiæ gaudium: ſiquidem & Baptiſta ſponſum illum appellauit, & ille Baptiſtam amicum ſponſi. Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo,& miſit ſeruum ſuum vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Iterum miſit alios ſeruos,dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui: tauri mei,& altilia occiſa ſunt,& omnia parata: venite ad nuptias. Seruos dicit Apoſtolos, qui primùm Hieroſolymis docuerunt: Inuitatos verò Iudæos, qui primùm ad huiuſmodi nuptias fuerant inuitati, olim quidem à prophetis,poſtmodum verò à Baptiſta: ſiquidem ad hunc populum ipſos ſeruos tranſmiſit pręterea quoque ab ipſo ſponſo. Et vide hinc quidem Iudæorum prauitatem, illinc autem Saluatoris bonitatem: illi occiderunt, ipſe verò,cùm eſſent homicidæ, rurſum vocat eos ad gaudium ſempiternum: illi ab eo reſiliunt. Prandium autem, & tauros, ac altilia mactata ſiue parata dixit iuxta morem,qui ſeruari ſolet in nuptiis. Et hîc quidem dici poſſunt deliciæ diuinorum dogmatum,& Sacramentorum vſus: in futuro autem cæleſte gaudium & fruitio: per tauros verò & altilia pretioſitas ac magnificentia conuiuii declaratur. Et tauri, iuxta Hilarium, ſaginati, glorioſa martyrum ſpecies eſt, qui confeſſione Dei, tanquam hoſtia electa ſunt immolati. Saginata verò homines ſpirituales,tanquam cæleſti pane,ad euolandum aues paratæ,cæteros accepti cibi vbertate expleturæ. Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villam ſuam,alius verò ad negotiationem ſuam. In villam abeuntes iſti intelliguntur,qui ſe carnali ac delicatæ vitæ dederunt: ager enim cuiuſque proprius eſt corpus eius. In mercatum autem proficiſcuntur illi, qui quæſtuoſæ ſe vitæ dedunt. Hæc igitur nuptiarum impedimenta,etſi omnes,maximè tamen

ſacerdotes

ſacerdotes declinare debent. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius,& contumeliis affectos occiderunt.. O impudentiam! inquit Euthimius: Non ſolùm non venerunt, ſed & eos qui ad ſe miſsi erant, contumelia affecerunt & occiderunt. Et in præcedenti quidē parabola illi iugulati ſunt,qui fructus repetebant: in hac autem,qui ad nuptias vocabant. Quid huic inſaniæ æquari potuit? Rex autem cùm audiſſet,iratus eſt, & miſsis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos,& ciuitatem illorum ſuccendit. De quo dictum fuerat ſuperiùs: Simile factum eſt regnum cælorum homini regi; quando inuitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appoſitum eſt: quando ad vltionem venit,hominis non fit mentio, ſed regis tantùm. Exercitus ſeu vltores dicuntur angeli,ſiue Romani,ducibus Tito & Veſpaſiano. Indignis autem repertis his qui primùm inuitati fuerant, iubet ire ad exitus viarum,vt, quoſcunque inuenerint,vocent ad nuptias. Exitus viarum,gentilis populus, quaſi qui in viis non fuerit,ſed in ſemitis tantùm. Dixit autem id, ſignificans abiectionem gentium: primùm ſiquidem Apoſtoli Iudæis prædicabant, cùm adhuc apud eos eſſent; poſtquam autem illos eiecerunt,dixit eis Paulus: Vobis oportuit primùm loqui regnum Dei: quia autem indignos vos iudicâſtis, ecce conuertimur ad gentes. Atqui poſtquam reſurrexit Chriſtus,ſtatim hos ad gentes emiſit,dicens: Euntes docete omnes gentes Et egreſsi ſerui eius in vias,congregauerunt omnes quos inuenerunt,malos & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium. Intrauit autem rex,vt videret diſcumbentes, id eſt,in ſua fide quieſcentes. Intrat autem rex iſte dupliciter: Generaliter intrabit in futuro iudicio: ſpecialiter in morte cuiuslibet hominis. Et vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Homo iſte, omnes qui ſociati ſunt malitia intelliguntur. Quis autem eſt carens veſte nuptiali? qui non indutus eſt viſceribus miſericordiæ,humilitatis,& fraternæ dilectionis. Veſtis enim nuptialis,præcepta ſunt Domini & opera, quæ ex lege & Euangelio complentur,nouique hominis efficiunt indumentum: iſta item veſtis nuptialis Charitas eſt,quæ diuidit inter filios Dei & perditionis: vt dicit Auguſtinus. Dicitur autem veſtis nuptialis ſecundùm Gregorium, quia ea indutus Chriſtus ad nuptias venit, quando ex charitate incarnari voluit. Si quis ergo in tempore iudiciali inuentus fuerit ſub nomine Chriſtiano non habere veſtem nuptialem, hoc eſt,veſtem ſupercæleſtis hominis,ſed veſtem pollutam,id eſt,veteris hominis exuuias; hic ſtatim corripitur,& dicitur ei: Amice, quomodo huc intrâſti? Amicum vocat,quòd inuitatus ad nuptias eſt: arguit eum impudentiæ, quòd veſte ſordida munditias polluerit nuptiales. At ille obmutuit: in tempore enim illo non erit locus pœnitentiæ,nec negandi facultas, quando omnes angeli & mundus ipſe teſtis futurus eſt peccatorum. Et quia in fallendis hominibus plurimum artis ſoleat habere ſimulatio, quæ ſi nos vel ſecreto mentis alienæ,vel ſimplicitate iudicii noſtri fefellerit; tamen Deum latere non poterit. Ideò ingreſſus Deus felicis reſurrectionis iſtius cælum & hominem accumbentem ſine nuptiali veſte conſpiciens,interrogat quomodo ſit ingreſſus. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Manus ligatas ac pedes,fletumque oculorum,vel ad comprobandam reſurrectionis intellige veritatem: vel ideò ligantur manus & pedes,vt malè operari & currere deſiſtant ad effundendum ſanguinem. In fletu quoque oculorum & ſtridore dentium per metaphoram

phoram membrorum corporalium magnitudo oſtenditur tormentorum. Interiores quoque tenebras dicimus cœcitatem cordis, exteriores verò æternam noctem damnationis, in quam tunc inuitus proijcitur, qui nunc ſponte cecidit in cœcitatem cordis.

NOtandum primò eſt: Deum omnes velle ſaluos facere, & ad agnitionem veritatis venire, ſtante integra eius præſcientia: & ideò omni tempore ſeruos ſuos ad ſaluandos homines mittere, orare, obſecrare, cogere etiam. 2

NOtandum ſecundò: perditionis noſtræ, iuxta prophetam, in nobis cauſam eſſe; vt qui vel carnalia deſideria, vel momentaneas opes æternæ Dei vocationi anteferamus, ac ſimpliciter ad eius conuiuium venire recuſemus. 3

NOtandum tertiò: ingratitudinis, cuius ne nomen quidem veteres latini habere voluerunt, magnam vim eſſe, vt quæ id efficiat, vt eorum munerum quæ nobis gratis Deus conferre ſolet, eum aliquando pœnitere ſoleat: quod in hac parabola videmus: Rex, inquit, cùm audiſſet, iratus eſt, & miſsis exercitibus ſuis occidit homicidas illos. 4

QVartò notat D. Hieronymus: inter eos qui non recipiunt Euangelii veritatem, multam diuerſitatem eſſe. Minoris criminis ſunt, qui occupati aliis rebus venire noluerunt, his, qui contempto inuitantis affectu, verterunt humanitatem in crudelitatem, & tentos ſeruos regis vel contumeliis affecerunt, vel occiderunt. In hac parabola ſiletur ſponſi occiſio, vt per ſeruorum mortes contemptus oſtendatur nuptiarum & ſponſi. 5

NOtandum quintò: veſtem indignam nuptiis, diuerſos diuerſo modo interpretari; alios ſaccum auaritiæ: purpuram ſuperbiæ: aurum inanis gloriæ: pelles ouium ſimulatæ iuſtitiæ; alios arma iracundiæ: alios habere veſtimentum ſordidum luxuriæ: alios latum diſſectione inuidiæ: alios incompoſitum negligentia acediæ. Veſtem nuptialem pulchrè D. Macarius Ægyptius martyr Homil: 20. interpretatur: Si quis nudus eſt, carens indumento diuino & cæleſti, quod eſt ſpiritus ſancti virtus, ſicut dictum eſt: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: ploret, preceturq; Dominum, vt illud ſpirituale indumentum cælitùs accipiat, vt in anima ſua, diuinæ operationis experte, nudaque induatur. Multa enim paſsionum ignominia circumdatus eſt, qui ſpirituali indumento indutus non eſt. 6

NOtandum ſextò: ſi per gratiam Deus ad nuptias vocat, cur ea in illos abutatur ſeueritate? Quia conuenit eum qui ad nuptias regias vocatus eſt, digno nuptiis regiis ornatu omninò ingredi, & decenti ſtola gratię vocationis reſpondere. In pauperis enim & abiecti hominis nuptiis, facilè ſe quiſque excuſare poſſet, quòd non ita facilè illarum cauſa magnum ſumptum facere poſsit. In magni autem regis nuptiis ablata eſt omnis excuſatio, & in quarum ſplendorem rex multa conferre ſolet: in proximo namque eſt ornatus, ac inuentu facilis, ſi modò verè illum quæſierimus. Iuſtè itaque illum eijcit, qui ornatus non erat, tanquam ſegnem & negligentem, & qui ornatus eſſe potuit: ſiquidē 7

ſicut

ſicut iniuſtè erga illũ egerũt, qui nõ venerũt, ita & qui ſordidi ingreſsi ſunt. Data eſt vnicuiq; veſtis nuptialis, cùm domũ hanc ingrederetur, veſtis Chriſti: Quicunque enim in Chriſto baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. Catenam vocat detentionem, ſiue ceſſationem operationis, quæ manibus ac pedibus perficitur. Tunc enim ceſſabit omnis peccatorum operatio, nec ampliùs vel vna actio ad iudicem placandum dabitur: operationis ſiquidem præſens tempus eſt, futurum verò retributionis. Ligantur autem manus, quia iniqua perpetrabant: pedes verò, quia ad peccatum gradiebantur. Proſequitur ſimiles dubitationes Hilarius: Numquid inuitandorum habitum deſignauerat? Deinde cùm inuitari quouſque iuſsiſſet, quomodo vnus omnibus poterat eſſe veſtitus? Aut ſi certus ex conſuetudine conuiuantium in nuptiis habitus ſoleret eſſe, ab inuitantibus ac miniſtris potuiſſet inhiberi: ſed quia malos intelligere non omniũ eſt, & humana ſimplicitas difficilè fraudulentiã ſimulatæ mentis intelligit; idcirco hunc malum & indignum cœtu nuptiali Deus ſolus inuênit. Veſtitus autem nuptialis eſt gloria ſpiritus ſancti, & candor habitus cæleſtis: qui bonæ interrogationis confeſsione ſuſceptus, vſque in cœtum regni cælorũ immaculatus & integer reſeruatur. Hic itaque tollitur, & in tenebras exteriores mittitur, quia multi vocati ſunt, & pauci electi. Non eſt igitur paucitas in inuitatis, ſed raritas in electis: quia in inuitante ſine exceptione publicæ bonitatis humanitas eſt, in inuitatis verò de iudicii merito probitatis electio eſt.

8 NOtat ſeptimò Theophilactus: ingreſſum quidem eſſe in conuiuium ſine omni diſcretione: gratia enim Dei omnes vocamur, tam boni quàm mali; vitam tamen eorum qui ingreſsi ſunt, ſine examine non eſſe. Itaque Dei quidem eſt vocare: electos autem fieri, ſine nobis non eſt, vt quibus pondus diei & æſtus perferendus ſit. Addit D. Hilarius: Vocationem quidem nos bonos efficere debuiſſe: quia ſancta eſt, & ex optimo affectu inuitantis profecta; ſed per vitium inemendatæ voluntatis, diſcrimen eſt vocatorum.

9 NOtandum eſt octauò contra Anabaptiſtas: Eccleſiam Dei veram vſque ad conſumationem mundi, ex malis & bonis conſtare debuiſſe: ſic enim inquit Euangeliſta, Et egreſsi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes, malos & bonos; quos inuenerunt, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium: quos vſque ad aduentum regis ſimul manſuros fuiſſe, ſignificat hic qui non habebat veſtem nuptialem: & ideò hæ ipſe nuptiæ de regno cæleſti, vbi nihil coinquinatum eſt, intelligi non poſſunt.

10 NOtandum & illud nonò: nuptias has multas ob cauſas dici: ſimilitudines multas nuptiarum habere. Habent ſponſum Chriſtum: ſponſam Eccleſiam: deſponſatorem patrem cæleſtem: amicos ſponſi apoſtolos, viroſq; apoſtolicos; habent tapetia, hiſtorias veteris & noui Teſtamenti, quæ à Septuageſima vſque ad finem anni Eccleſia extendere ſolet; habẽt muſicam verbi Dei: choros, & aliam hilaritatem: ſacras cæremonias; dapes atq; cibos, ſacramenta: præcipuè autem corporis & ſanguinis Domini. Vnde Lyranus: Prandiũ meum paraui, videlicet Sacramenta Eccleſiæ & doctrinam, quibus reficitur anima: & potiſsimùm Sacramento Euchariſtiæ, in quo datur nobis caro Chriſti in cibum, & ſanguis eius in potum.

Notandum

NOtandum decimò: inter cæteras exitiosissimas huius seculi labes, quibus communis salutis nostræ inimicus populum infecit Christianum, hæc vna est, nescio an non omnium exitiosissima, temeraria quędam fiducia, aut potiùs præsumptio. Docent enim hæretici, certitudine fidei Christianæ credendū esse cuique, qui modò in Christum credidit, eum in gratia Dei esse: illi peccata dimissa: eum nullo pacto perire posse: illi certam patere salutem: (fide autem Christiana illis rebus credimus, quibus non possunt subesse falsa, & quæ alio modo fieri est impossibile.) quæ vox maiorem partem primum abrogat Euangelii, eam ipsam, quæ ad pœnitentiam, anteactæq; vitæ emendationem nos cohortatur: tam quæ ad perpetuæ vitæ cautionem, custodiam, diligentiam, curam & assiduitatem nos admonet: & eam, quæ exercitio bonorum operum vitam æternam, prauæ & cōtaminatæ vitæ æternum minatur supplicium; quibus partibus quasi totum continetur Euangelium. Deinde nobis securis ac dormientibus, dat occasioneminimico homini ad superseminanda zizania, quę hoc seculo ita abundè subseminata sunt, vt veritatis, veriq. seminis exiguæ quædam appareant partes: vt enim in plana potiùs, vbi nullus est metus casus, & ideò ne cautio quidem quàm in aspera via, vbi tutò pes non figitur, & ideò ne temerè quidem facilior est lapsus: ita in summa securitate, ac vitæ dissolutione, facilior insidiarum primùm, deinde exitii est locus. Demum hæc ipsa talis persuasio, omnem illam vitæ Christianæ dignitatem & excellentiam, omnia Christianæ professionis exercitia, omnem carnis mortificationem sustulisse videtur. 1

NOtandæ sunt vndecimò causæ, eius, de qua proximè diximus, præsumptionis. Prima igitur nimis confidendi hæc esse deberet causa, quòd sanctis prædestinatis Dei ab initio mundi præparata sit gloria, quam nulla vis, nulla præsidia humana illis eripere possint. Sic enim vltimam iudex pronuntiabit sententiam: Venite benedicti patris mei, possidete regnum vobis paratum ab initio mundi. Et Isaias: A seculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparâsti expectantibus te. Magnum confidendi argumentum: sed hoc aufert istud Euangelium. Nam & hæ ipsæ nuptiæ, eam gloriam designantes, his ipsis conuiuatoribus apparatæ fuerant: sic enim protestatur ipse rex: Dicite, inquit, inuitatis: Ecce prandium meum paraui; tamen illud dicitur: Amen amen dico vobis, quòd nullus est, qui gustâsset de cœna illa. Quod idem demonstratur in illa verissima populi Israëlitici figura & forma, omnibus illis qui ex Ægypto profecti sunt: sedes illæ lætæ ac quietissimæ terræ promissionis præparatæ erant; nemo tamen ex illis, præter duos, Caleb & Iosue ingressi sunt, ne ipse quidem Moyses, ne ipse Aaron, quanquam tot sudoribus, tot laboribus illæ sedes quæsitæ fuissent. Non igitur in eo totum est, quia præparatæ sunt nuptiæ, quia paratæ sedes. Secundum igitur illud esse deberet confidentiæ signum, quia parata sunt efficacissima illius æternæ vitæ consequendæ media: in quibus alia sunt efficientia, alia instrumentalia. Efficientia quidem, mors Iesu Christi: eius pretiosissimus sanguis effusus: latus apertum. Instrumentalia autem, Verbum Dei, sacramenta, ministri: quæ omnia designantur per hoc, Tauri mei & altilia mea occisa sunt, tot millia prophetarum, apostolorum, martyrum, virginum: eius salutis causa omnia parata sacramenta: passi etiam serui, quod designat præconium Euangelii, Doctores ipsos, & eos qui præsunt verbo. His igitur tantis mediis & instrumentis, 12

ſtrumentis,quomodo nõ certiſsima ſalus? Atqui quanquã hæc talia tam efficacia ſint media ſalutis; nemo tamen eſt iſtorum, quorum cauſa hi tauri,hæc altilia cæſa ſunt, ita apparata ſunt omnia, iſti nuntii dimiſsi, guſtârunt iſta bona. Sed alii hæc media neglexerunt,vilibus negotiationibus occupati; reliqui verò tenuerunt ſeruos, & contumeliis affectos occîdunt. Idem Iſraëlitico populo eueniſſe docet Paulus: Nolo vos ignorare fratres,quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt,& omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari,& omnes eandem eſcam ſpiritualem biberunt. Biberunt autem de ſpirituali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum eſt: nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupiêrunt. Quorum verborum hic eſt ſenſus: omnes illos veteres Iſraëlitas ex æquo inſtrumentis ſalutis,non tantùm iſtius ſæcularis, ſed etiam ſpiritualis vſos fuiſſe; neque tamen omnes eorum mediorum efficaciam ſenſiſſe: ſic & nos omnes quidẽ iisdem mediis vti, in eademq. petra Ieſu Chriſto nidum ſuum ſtabilire; neq; tamen omnes nos eius petræ fructum perſentire poſſe: Hæc enim, inquit, omnia, in figura facta ſunt noſtri. Parum igitur eſt, tauros & altilia cæſa eſſe: parum,omnia parata: parum,nuncios miſſos, ſi nobis nos ipſi,vt poſtea dicam, defuerimus. Tertium igitur argumentum eſt eius confidentiæ,idque maius & vicinius,Vocatio: quia ad eam ſalutẽ iam ſumus ab eo qui mentiri non poteſt,vocati: Paulo dicente, Quos,inquit,prædeſtinauit,hos & vocauit: & quos vocauit,hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit,illos & magnificauit; Deus eſt qui iuſtificat, quis ergo eſt qui condemnet? Magnum hoc ergo eſt argumentum, & ad fallẽdos & decipiendos rudes an non ſufficiens? Tamen nuptiæ ipſæ contrarium docent, in quibus nuptiis non vocantur tantùm ſimpliciter,ſed etiam duplicatur & triplicatur vocatio. Non vocantur tantùm, ſed quaſi coguntur; tamen illud dicitur: Et qui erant vocati,non erant digni; & tamen Saluator expreſsis & diſertis verbis docet: Multi ſunt vocati,ſed pauci electi. Omnes illi qui ſub nube fuerunt, vocati,mediante iure diuino,in Abraham,in Iſaac,in Iacob,in Moyſe; neque tamen quiſquam iſtorum guſtauit de terra illa multùm deſiderata, & cuius cauſa ſic laboratum,ſic ſudatum eſt. Multi vocati, pauci electi. Quartum eſt illud fiduciæ argumentum: nos non tantùm vocatos eſſe, ſed ciues ſanctorum,& domeſticos Dei factos: conuiuas & commenſales Chriſti, filios, cohæredes; quî igitur fieri poteſt, vt in aliqua parte ſalutis claudicare debeamus? Sed ne hoc quidem tantum eſt: nam & hic ipſe,qui ligatis manibus ac pedibus mittitur in tenebras exteriores, fuit & ipſe in iiſdem ædibus, ad eandem menſam,conuiua huius regis; tamen eijcitur: tamen tam triſti & calamitoſa fortuna excipitur. Intrauit,inquit,rex, vt videret diſcumbentes: vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali,& ait illi, Amice, quomodo huc intrâſti, non habens veſtem nuptialem? at ille obmutuit. Non dicit,paratum eſſe ſua cauſa conuiuium: ſua cauſa tauros & altilia cæſa: ſua cauſa dimiſſos nuncios: ſe vocatum: domum inductum: ad menſam collocatum; nihil tale cauſat: obmuteſcit. Vereor equidem,ne & iſtis,qui nunc multa loquuntur, multa iactant, multa prædicant, ne & hoc illis eueniat, ne non poſsint reſpondere vnum pro mille: Rebus enim,non verbis opus eſt: veſte ſeria,non ficta: veſte illa ipſa,de qua dictum eſt, Charitas, quæ operit multitudinem peccatorum: nihil enim

coinquinatum, nihil abominationem habens, in eam ingreditur vitam, vbi Sanctus sanctorum habitat: vbi puri spiritus, puræque mentes sequuntur, cantantque canticum, quod nemo cantare potest, qui sit polluto ore, pollutis labiis. Quàm meritò dictum est, ex omni verbo otioso reddendam esse rationem! Si igitur non nuptiæ paratæ, non tauri & altilia occisa, non dimissi nuncii, non vocatio ipsa, non ciuilis mensa, & domus regis tutum & securum facit; nulla certè causa est firmæ securitatis; at metus & cautiones, at vigiliæ quàmplurimæ.

13 NOtandæ duodecimò causæ, quæ nos impellere possint ad præsumptionem declinandam. Primùm autem, conditio naturæ nostræ, libero arbitrio præditæ: quæ ea prædita est voluntate, quæ ita mutabilis est; vt omni tempore, omni momento mutari possit. Salomon sapientissimus vir, spiritu Domini plenus, nullum ante mortem laudandum esse censuit: non alia ex causa, nisi quòd toties immutari, toties alius esse possit, ita vt non cognoscas eũdem esse. Aristoteles, magnus vir, quem pòst Iurisconsulti secuti sunt, ambulatoriam esse hominis voluntatem, à principio vsque ad mortem, dicere solebat, quæ in omnes partes honesti ac flagitii identidem transferri facilè possit. Ipsi hoc in nobis experimur: Quàm multa iuuenes volumus, quæ pueri nolebamus: quàm multa viri volumus, quæ iuuenes ne cogitabamus quidem! Verè ambulatoria voluntas, quæ non modò de præmio, sed ne de cursu quidẽ suo secura esse potest. Expectanda igitur dies hominis: dicique beatus ante mortem & vltima funera nemo debet, dicebat Solon. Secundus est locus eius cautionis & vigiliæ: Loci periculum & hostium magna vis. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea. Cedar sylua prædonum fuit. Hostes quàm fortes sint, Paulus docet: Non est, inquit, nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem; quanquam & in istis superandis, domandis, in officio retinendis, quantum molestiæ, quantum difficultatis insit, ipsi experimur. Non est, inquit colluctatio aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus potestates, & principes tenebrarum, mundi huius rectores: qui tanquam leones crudelissimi veniunt, circumeuntes & quærentes quem deuorent. Quorum tanta est potestas, inquit S. Iob: Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeat. Quæ igitur est in ea vita securitas, quæ certitudo; vbi hostis in eodem loco tecum est? vbi cadis, antequam præuideas casum? Tertius est locus eius cautionis Tentatio: quòd ex longè tutioribus locis, longè excellentiores ceciderunt creaturæ. Quid sublimius angelica natura, ipsiusque adeò principis angelorum, Luciferi, qui fuit principium viarum Domini? quid tutius cælo, ipsoq; conspectu Domini? cadit tamen inde angelus, & secum tertiam partem angelorum trahit, irrecuperabili ruina. Quid fuit nobilius primis parentibus nostris, immediato diuino opere? quid tutius paradyso? & hic tamen inuentus est locus ruinæ. Nemo igitur sibi fide, nemo constantia, nemo virginitate, nemo vlla virtute blandiatur: nam & in cælo incautis ruinæ inuentus est locus, & paradysus negligentibus minùs securus. Quid in hoc mundo, quem totum in maligno positum esse, scriptura clamat, & cui væ à scandalis? Quarta causa est cautionis, Casus virorum præstantissimorum, qui non ipsi sibi iustorum nomen confingebant, sed diuina etiam testimonia suæ iustitiæ referebant. Quis

fidelior Moyse? quis in omnibus & perferendis,& adeundis rebus tolerãtior? & hic tamen ipse offendit,nec terram promissionis vidit. Quis Samsone, viro fortissimo,fortior? & huius tamen fortitudo cessit. Dauid, vir secundùm cor Dei,quàm turpiter lapsus? Salomon cunctis mortalibus sapientior, & suis & paternis meritis clarissimus: hic verò in tantum cecidit, vt, erexerítne caput, an omninò in eodem cœno iacuerit,vix certò sciri possit. Sed & Iosaphat, & Ezechias non iidem semper fuerunt. Quid Petrus? quid alii innumerabiles? qui à principio quidem viri admirabiles fuerunt; postremò tamen graui conciderunt ruina. Sed & Nero ipse aliquando vir bonus fuisse à quibusdam dicitur: nam hæc,quæ quotidie ante pedes oraque nostra fiunt,quid opus est reminisci? Hæresis verò,hac præsertim vita, his moribus,quid frustratum eat, non video: ideò lubricitatem viæ non videt,quia tota illa via ducente ad exitium,incedit. Quinta causa eius ipsius,de qua dicimus,cautionis ac timoris,Magna cautio,magnus metus hominum sanctissimorum. Neque enim sic dissolutè ac liberè, antiquos viuere homines solitos fuisse, nec sic omnes libertatis habenas sibi remisisse. Dauid rex, quem tot res aduersæ, totidem Dei beneficia exercuerunt; tamen & ipse multam vitæ cautionem adhibebat: Prouidebam,inquit, Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi. Et alio loco: Sicut,inquit,oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Et, Exercitabar,& scopebam spiritum meum; nec tamen ipse suo carebat casu: & tamen,quantum metuat iudicium Dei,audimus. Ne proijcias me,inquit,à facie tua: & spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Tene Domine pedes meos, ne vnquam prolabantur in mortem: ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Ne intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Idem Ioannes Baptista,puerulus abiit in eremum, metuens, ne leui saltem maculare vitam famine posset. At ex qua domo? illa nempe,cuius pater & materfamiliâs ambo erant iusti ante deum,incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini,sine querela. cuius domus hospes Christus, & mater eius erat. Idem D. Paulus: Castigo, inquit,corpus meum,& in seruitutem redigo. Nihil,inquit,mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Idem Iacobus, frater Domini: idem Maria Magdalena: idem cæteri sancti, quibus,etsi illa verba dicta sunt,Remittuntur tibi peccata tua, factitârunt. Quid illi eremitæ sancti, Pauli, Antonii,Hilariones,Basilii,Gregorii,Hieronymi? Quid ea tanta monachorum manus? Quid, obsecro,sequuti sunt? cur vrbes: cur cœtum hominum deseruerunt? Neq; enim illud Diogenicum ignorabant, Vndique æqualiter in cælos iter patêre: sed labem mundi fugiebant: sed illud cum Paulo metuebant, ne fortè,cùm alios docerent,ipsi reprobi efficerentur. Hæc,hæc ipsa cautio,tot claustra,tot monasteria,quorum nunc etiam videmus reliquias extare, peperit. Aut igitur omnes isti,quos recensuimus,nihil viderunt,stulti erant: aut isti noui nostri seculi Euangelistæ; verùm cùm de illis omninò id dici non potest: (insonabat enim in ore illorum vox illa: Angusta est via,quæ ducit in cælum,& pauci sunt qui ingrediuntur per eam.) quòdsi illi sapientissimi & præstantissimi fuerunt viri; isti certè desipiunt. Sextum est igitur eius cautionis euidentissimum caput: quòd Spiritus sanctus, per os scripturæ loquens, contrarium quàm isti doceat. Salomon inprimis,casu suo edoctus,sic inquit: Sunt iusti ac sapientes

& opera illorũ in manu Dei: & tamen nescit homo, an amore, an odio dignus sit, & omnia in futurum reseruantur incerta. Et Christus Dominus: Cùm omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus: fecimus quod debuimus. Sed & Paulus similiter, quum ostendisset, quomodo omnes illi, qui per mare transierunt, non sunt consecuti eam, quam spectabant salutem, sed in multitudine eorum non placuit Deo: infert deinde: Hæc autem omnia in figura contingebant illis; scripta autem sunt ad correptionem. Nos sumus, in quos fines seculorum deuenerunt: itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Et ad Romanos item similia docet: postquàm enim ostendisset gentem illam, ad quam factæ sunt promissiones salutis, ex qua patriarchæ, ex qua patres, ex qua ipse Christus, reprobatam esse; tandem infert: Tu autem, si fide stas, noli altum sapere, sed time: Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, seueritatem; in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alioqui & tu excideris. potens est enim Deus, iterum inserere eos. Nam si tu, contra naturam oleaster existens, insertus es oliuæ; quantò magis hi, qui secundùm naturam? Vbi est igitur hæreticorum præsentis seculi gloriatio? vbi illa incredibilia paradoxa, quibus vniuersus Lutheranismus, vniuersa Augustana innititur, Christianum non posse damnari, nisi credere nolit? quàm dispar hoc est ab ea scriptura, quam isti iactant! vt verè de illis dici possit: Absconderunt laqueos in via, vt capiant simplices & incautos homines.

14 NOtandum tertiodecimò: Etiamsi præsumptio omni modo fugienda sit; desperandum tamen non esse. Desperat ille, qui nulla remedia salutis esse putat; præsumit ille, qui sine causis & mediis temerè confidit: sperat autem, qui non in sui persuasione, sed in promissione Dei firmat suam spem. Qui vicerit, dabo illi edere de ligno vitæ: si compatiemur, & corregnabimus: de quibus Petrus: Firmam igitur facite spem vocationis vestræ. Hæc non aliquis ex schola, sed princeps Apostolorum docet. Ergo dicent isti ampliùs, inefficax est meritũ mortis Christi? nequaquã. Est efficacissimũ ad mille saluandos mundos: sed sic valet ista medicina, si eam adhibeas & applices: si eius amaritudinem non refugias: si abneges teipsum: si feras contumeliam: si vita & moribus sequaris illum: sic enim clamat, Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. At, inquit, credimus in symbolo Apostolorum Remissionem peccatorum, & vitam æternam. Et nos itidem: sed ea ratione, qua scriptum est: Oportuit Christum pati, & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine eius pœnitentiam: & sic demum remissionem peccatorum. Pœnitentiam agite, appropinquabit vobis regnum cælorum. Si igitur pœnitentiam plenè egisti, sis bono animo; tamen time ne recidas. Ergo nulla consolatio mortis? apud te, qui temerè speras: apud eum enim, qui se in omni exercuit virtute, maxima. Dicit enim cum Paulo: Cursum consumaui: fidem seruaui; de reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Quid si non seruauit: ergo desperabit? nequaquam: sed illud Ezechielis secum considerabit peccator: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, viuet, & non morietur: omnium iniustitiarum eius non recordabor ampliùs. Adsunt sacramenta: adsunt multa remedia: quæ, vbi omnia adsunt, adest ad extremum illud latronis

in cruce: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Et Christi Domini: Hodie mecum eris in paradiso. Itaque, quanquam isti in sua hac fiducia collocent omnia; æquiùs tamen plerosq; Catholicos mori videas quàm illos. Illis enim diabolus in omni vita eleuat omnia: tum, vbi illis moriendum est, auget & amplificat; Catholici autem in omni vita terrentur: tum verò, in vltimo congressu, consolantur: nam & ante aciem solet Imperator ad cautionem commonere, & in congressu animum addit. Quid igitur ineptis tuis occupationibus molestus es? quid pacem & concordiam turbas? Quam totam causam pulchrè concludit Euthymius: Audiamus, inquit, & hæreamus, quotquot post diuini baptismatis ablutionem animam perditè sordidauimus: eò, quòd non tantùm à nuptiis eijciendi sumus, verùmetiam in miserrimum supplicium detrudendi. Habenda est itaque cura de stola interiori, & non de exteriori: quàmdiu enim de externa curauerimus, de æterna curam habere non poterimus.

15 DVm hæres vineæ repetit fructum à vinitoribus: dum sponsus vocat conuiuas: ecce amici sponsi parant laqueos sponso atque hæredi: hamos instruunt: parant poculum plenum veneno: liniunt dulcissimo melle labia poculi; vt eò auidiùs sponsus venenum hauriat: vt eò faciliùs capiatur, consilium malignum congregatur à Pharisæis, quomodo illum in sermone capiant. Quēadmodum, si aliquis claudere voluerit aquæ currentis meatum, si vna ex parte exclusa fuerit aqua, violentia aliunde sibi semitam rumpit: sic & eorum malignitas ex vna parte confusa, aliunde sibi aditum adinuenit. Sicut enim non potest fieri, vt ligna mittendo extinguas ignem: sic non potest fieri, vt rationē dicendo, places hominem malum. Sicut enim ignis, quando ampliùs ligna susceperit, in maiorem flammam erigitur: sic animus malus, quantò magis veritatem audierit, eò ampliùs in malitiam excisatur. Ac ne ipsi agnoscantur, submittunt discipulos suos clàm cum Heredianis. Mel miscent: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces: neque enim respicis personam hominum. Prima hypocritarum simulatio: quia laudant, quos perdere volūt. Nihil hac oratione verius, imò exemplar perfectum veritatis: neque enim alius debet esse doctor, nisi qui hoc loci describitur. Insignis popularium hypocrisis; nihil tamen illa nequius, nihil fallacius, nihil crudius. Est, qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo, inquit Ecclesiasticus. Itaque scitè quidam, & facetè hypocrisim comparat vulpi, quæ nihil melius habet quàm externam pellem: cùm caro ipsa intus canina sit deterior. Similia verba ista pellium vulpium sunt: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. At caro quæ? Licet censum dare Cæsari, an non? Blanda & fraudulenta interrogatio, illuc prouocat respondentem, vt vel magis Deum quàm Cæsarem timeat, & dicat, non debere tributa solui: vt statim audientes Herodiani, seditionis contra Romanos principem teneant; vel demollitus populari aura, dicat, non licēre censum dare Cæsari, intereaque occupetur, ac tanquam seditiosus, & per ambitionem gentem turbans, tradatur Cæsari. O populares! Hypocritarum primam potentiam esse simulatam laudationem, docet autor Operis Imperfecti. Laudant enim, quos perdere volunt, vt per delectationem laudis, paulatim corda hominum ad simplicitatem benignæ confessionis inclinent. Veluti, si quis taurum validum viribus non potest subiugare, & vinculo

flectere, mollibus manibus nodosam eius fricat ceruicem; vt quem virtute tenere non potuit, per blandimentum comprehendat. Sic & isti catenam subdolæ laudis portantes in ore, & gladium malitiæ abscondentes in corde, taurũ Ecclesiastici gregis dolo laudis comprehendere festinabant. Non dissimilia docet Iosephus, Antiquitatum lib. 18. cap. 1. Iudas, inquit, Gaulonites, homo ex ciuitate cui nomen erat Gamala, Saducæos & Pharisæos sibi adiungens, recessionem facere festinabat, præcisionemque & censum nihil aliud esse dicebat, quàm integram seruitutem. Rem totam sic breuiter explicat D. Hieronymus: Nuper sub Cæsare Augusto, Iudæa subiecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat, & erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate & quiete, qua Romani pro omnibus militarent, debere tributa persolui: Pharisæis verò, qui sibi applaudebant de iustitia, è contrario dicentibus, non debere populum Dei, & portionem eius, qui decimas solueret, & primitiua daret, & cætera, quæ in lege scripta sunt, faceret, humanis legibus subiacere. Augustus Cæsar Herodem filium Antipatris alienigenam, & proselytum regem Iudæis constituerat, qui tributis præesset, & Romano parêret imperio. Mittunt igitur Pharisæi discipulos suos cum Herodianis: id est, militibus Herodis: seu quos illudentes Pharisæi, quia Romanis tributa soluebant, Herodianos vocabant, & non diuino cultui deditos. Quidam Latinorum ridiculè Herodianos putant, qui Herodem Christum esse credebant: quod nusquam omninò legimus. Cùm igitur duæ res maximæ obstarent, quibus eum minùs auderent interficere, Magistratus Romani autoritas, sine quo ferè neminem interficere licuit illis: & populi timor: tanquã prophetam enim eum habebant; quorum alteri hac interrogatione eum exosum reddere volebant. Si enim dixisset, tributum Cæsari non reddendum esse, statim Cæsarem, Cæsarisque magistratum offendisset: quod tum illi postea falsò obiecerunt: Prohibentem censum dare Cæsari. Si autem iuberet, tum populum sibi infensum redderet; vt qui eos nouo oneri census subijceret. Tali laqueo viri mendaces veritatem capere voluerunt. Non latebãt hæc eum, cuius oculis omnia aperta sunt, neque diu sub istis pellibus has vulpes latere voluit: ideò ita accommodat responsionem, vt neque veritatem subticeat, necquenquam iure offendere possit, & omnem causam mali in ipsos sacerdotes referat: Deus enim plerumque ad animam loquitur, non ad corpus: voluntatib. respondet, non verbis. Iubet sibi ostendi numum census: iubet dicere, cuius imago sit: & cùm responsum esset Cæsaris, Cæsari iubet reddere quod Cæsaris; eo sensu: Quandoquidem vos spontè voluntate vestra subiecistis Cæsari, per ambitionem vestram: per sacerdotiorum nundinationem, de quibus Machab. 2. quandoquidem omnia ab illo petere cœpistis: recepistis numum: recepistis omnia imperii insignia: perferte igitur ea, quorum ipsi autores fuistis, exedite quæ intriuistis. Vbi docemur, graue peccatum esse populi Dei, si se cum gentibus alienæ religionis conferat: si auxilia ab illis petat: si illis confidere discat; fit plerumque, vt vero & iusto iudicio Dei illi subijciatur. Sed sapientia sapienter agit, vt suis potissimùm sermonibus tentatores confundantur. Ostendite, inquit mihi denarium: hoc est, numi genus, quod pro decem numis imputabatur, & habebat imaginem Cæsaris. At illi obtulerunt illi denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago hæc & superscriptio? qui putant interrogationem Saluatoris, ignorantiam esse, & non dispensationem: discant ex

præsenti

loco, quòd vtique potuerit scire Iesus, cuius imago esset in numo: sed interrogat, vt ad sermonem eorum competenter respondeat. Dicunt ei, Cæsaris. Tunc ait ille: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Cæsarem non putemus Augustum, sed Tyberium significare, priuignum eius, qui in locum successit ipsius, sub quo passus est Dominus. Omnes autem reges Romani, à primo Caio Cæsare, qui imperium arripuerat, Cæsares appellati sunt. Porrò quod ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari: id est, numum, tributum, & pecuniam: & quæ sunt Dei, Deo: decimas, primitias & oblationes, ac victimas sentiamus: quomodo & ipse reddidit tributa pro se & Petro: & Deo reddidit quæ Dei sunt, patris faciens voluntatem. Si enim, inquit Hilarius, nihil eius penes nos resederit, conditione reddendi ei quæ sua sunt, non tenebimur. Porrò autem, si rebus illius incubamus, si iure potestatis eius vtimur, & nos tanquam mercenarios alieni patrimonii procurationi subijcimus; extra querelã iniuriæ est, Cæsari redhiberi quod Cæsaris est, Deo autem quę eius sunt propria reddere nos oportere; corpus, animam, voluntatem: ab eo enim hæc profecta atque aucta retinemus. Proinde, condignum est, vt ei se totum reddant, cui debere se recolunt & originem & profectum. Licitum est, inquit Euthymius, & hominibus dare quæ coueniunt, & Deo quo debentur. Hominibus quidem tributa, tum carnale & corporale obsequium, & si quid est simile: Deo autem animam ad eius imaginem & similitudinem factam: pietatem prætereà & obseruationem mandatorum. Quam responsionem Christi, quoniam aliâs toto libro explicauimus, nunc plura non addemus.

DEpulso primo genere vulpium, secundum cum eadem astutia adest Sadducæi, qui dicunt, non esse resurrectionem, ad eundem allisuri lapidem. Sadducæorum philosophiam sic describit Iosephus in secundo libro de bello Iudaico, cap. 7. Sadducæi, inquit, fatum omninò negant, & Deum extra omnem mali patrationem inspectionemque constituunt. Aiunt autem, electioni hominũ, vel bonum, vel malum esse propositum, & secundùm voluntatem propriam alterutrum vnicuique contingere: animarum autem generaliter vel supplicia denegant, vel honores. Et Pharisæi quidem sociabiles, & qui studeant se mutua dilectione complecti; Sadducæi autem & inter se feris moribus discrepantes, & conuersatio eorum circa exteros inhumana. Hieronymus autem duas hæreses fuisse in Iudæis, docet: Vnam Pharisæorum, alteram Sadducæorum. Pharisæi traditionum & obseruationum, quas illi δευτερώσεις vocant, iustitiam præseferebant: vnde & diuisi vocabantur à populo. Sadducæi autem, qui interpretabãtur iusti, & ipsi vendicabãt sibi quod non erant: prioribus & corporis & animæ resurrectionem credentibus, confitentibusq; & angelos & spiritũ: sequentes (iuxta Apostolorum Acta) omnia denegabant. Istæ sunt duæ domus, de quibus Isaias manifestiùs docet, quòd offensuræ sint in lapidem scandali. Scopum igitur sibi proponunt Sadducæi, Christum abducere à sensu futuræ resurrectionis, vel illum in absurdum inducere. Sumunt autem argumentum, ab impossibili, & inconuenienti, atque absurdo sumpto exemplo. Interrogauerunt, inquit, Iesum, dicentes: Magister, Moyses dixit, Si quis mortuus fuerit, non habens filium, vt ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres. & primus vxore ducta, defunctus est: & non habens semen, reliquit vxorem suam fratri suo; similiter secundus

& tertius vſque ad ſeptimum: nouiſsimè autem omnium & mulier defuncta eſt; in reſurrectione autem,cuius erit de ſeptem vxor? omnes enim habuerũt eam. Quod quidem exemplum vel ipſi confinxerunt,vel etiam ipſum accidere potuit: iuxta illud Deut. 25. Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor mortui non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius,& ſuſcitabit ſemen fratris ſui, & primum ex ea filium nomine illius appellabit,vt non deleatur nomen eius ex Iſraël. Ex hac itaque lege Moſaica occaſionem commenti ſumunt, vt veriſimile videatur, quod quæritur. Nam vxor hæc, inquiunt, ſi vni adderetur, alii iniuria afficerentur: ſi ſeptem totos haberet,in ea re turpitudo quædam (quæ à cælo exulat) neceſſariò appareret: quòd ſi iſta inconuenientia ſint, inconueniens & ipſa reſurrectio mortuorum. Sunt tamen & alia inconuenientia,quæ ex eodem præcepto pendent, quæ recenſet Euthymius: Si iterum futuræ eſſent nuptiæ,certè eſſent & puerperia,& nutritio infantum ,quæſtus pecuniarum,iudicia,tela,ac ægritudines, rurſumq; mortes,& omnia quæ in præſenti vita habentur;& ita vita illa non erit aliena ab iſta: quòd ſi eadem erit,ad quid futura eſt reſurrectio? Quanquam,quidquid dicitur, figmentum eſt, meo iudicio, inquit D. Chryſoſtomus: nam duobus mortuis, tertius non duxiſſet, eo mortuo, perterritus quartus non feciſſet: ita quintus etiam,& ſextus multò minùs: ſeptimus verò minimè omnium, ſed abominati illam fuiſſent mulierem. Quorum argutias ſeria reſponſione reijcit Dominus: Erratis,inquit,neſcientes ſcripturas,neque virtutem Dei. In reſurrectione enim neque contrahent matrimonium: neq; nuptui tradentur: neque nubent: neque nubentur; hoc eſt, non coniungentur viris, vtpote non exiſtente ibi affectu nuptiali. Cauſam refert Origenes: Solus enim, inquit, Chriſtus ſponſus,deſtruens nuptias omnes, faciet nuptias, vt ſint duo in carnę vna; magis autem, non ſolùm duo in carne vna: ſed duo ſpiritus, vnus, id eſt, ſponſus & ſponſa. Stante tamen coniugio, in reſurrectione primi fuiſſet: nam reliqui vicarii potiùs quidam defuncti, quàm mariti ſunt dicendi. Apud Lucã autem addidit: Neq; ampliùs mori poterunt: oſtendẽs,quòd nuptiæ propter mortem factæ fuerint,vt in locum mortuorum alii generentur; vbi autem non eſt mors;iam neque nuptiæ ſunt. Addit idem Lucas,quod maius eſt: Et filii erunt Dei,cùm futurum ſit, vt ſint filii reſurrectionis: hoc eſt, regenerati per reſurrectionem,quæ eſt iterata generatio. De iuſtis enim etiam ab eo dictum eſt: Qui verò digni habebuntur,vt ſeculum illud conſequantur, & reſurrectionem ex mortuis: ſunt enim ſicut angeli Dei in cælo: abſque vllo metu mortis, & labe corruptionis, atque ſine vllo terreni reatus actu, perpetua Dei viſione fruuntur. Si autem non errarent,ſcripturas ſcientes, tum illud rectè intelligerent, Deum non eſſe mortuorum,ſed viuorum. Si autem virtutem Dei cognouiſſent,tum & illud ſimul, Nihil illi impoſsibile eſſe, ne mortuos quidem excitare. Reiecto ſophiſmate illorum de ſeptem coniugibus, grauiter & ſeriò de ipſa reſurrectione quæſtionem explicat. Quia illi Moyſen obiecerunt,iam etiam Moſaica ſcriptura obturat eorum ora: in libro enim Exod. ſcripta ſunt,quę hîc dicuntur: & conſidera rationem: Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob,non penitus mortuorum: nam ſi penitus mortui fuiſſent,dixiſſet vtique, Ego eram Deus; nunc autem,quia dixit, Ego ſum Deus Abraham,Deus Iſaac,& Deus Iacob, oſtendit,quòd eorum,qui reſurrecturi erant,tanquam viuorum Deus eſſet. Sicut enim Adam, licèt viuebat poſt ligni illius eſum; at-

17 18 19 20

tamen

tamen in die qua comêdit,mortuus eſt per mortis ſententiam : ſic & iſti,quan quam mortui erant; attamen viuebant per reſurrectionis promiſsionem. Hieronymus autem : Ad comprobandam,inquit,reſurrectionis veritatem,multò aliis manifeſtioribus exemplis vti potuit : ex quibus eſt illud : Suſcitabuntur mortui,& reſurgent qui in ſepulchris ſunt. Et in alio loco : Multi dormientium de terræ puluere conſurgent alij in vitam,alij in opprobrium & confuſionẽ æternam. Quæritur itaque, quid ſibi voluerit Dominus, hoc præferre teſtimonium,quod videtur ambiguum,vel non ſatis ad reſurrectionis pertinens veritatem : Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac,& Deus Iacob : & quaſi hoc prolato probauerit quod volebat,ſtatim intulerit : Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium. Cuius rei turbæ quoque circumſtantes myſterium cognoſcentes,admiratæ ſunt de doctrina,& reſponſis illius. Suprà diximus, Sadducæos nec angelum,nec ſpiritum,nec reſurrectionem corporum confitentes, animarum quoque interitum prædicaſſe : hi quinque tantùm libros Moyſi recipiebant,prophetarum vaticinia reſpuentes. Stultum ergo erat inde proferre teſtimonia,cuius autoritatem non ſequebantur. Porrò ad æternitatem animarum probandam, de Moyſe ponit exemplum : Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac,& Deus Iacob : ſtatimq́; infert , Non eſt mortuorum Deus, ſed viuentium ; vt,cùm probauerit,animas permanere poſt mortem (neq; enim poterat fieri,vt eorum eſſet Deus,qui nequaquam ſubſiſterent) conſequenter introduceretur & corporum reſurrectio,quę cum animabus bona maláue geſſerunt. Hunc locum pleniùs in extrema parte primę Epiſt: ad Corinth: Paulus apoſtolus exequitur. Hoc item,quod dicitur : Deus non eſt mortuorum , ſed viuentiũ,de illis intelligenda eſſe,docet quidam, qui,etſi præſenti ſeculo mortui ſunt, futuro tamen viuunt.

17 NOtandum primò : nihil exitioſiùs eſſe,quàm de fide ferre ſententiam illos,qui totam ſcripturam aut non legerunt, aut non intellexerunt ; quod iſtis Dominus dicit : Erratis,neſcientes ſcripturas,neq; virtutem Dei.

18 NOtandum ſecundò : ſemper ad argumenta priùs , quæ in contrariam partem adferuntur,reſpondendum eſſe , quàm principalis explicetur quæſtio : quod hoc loco facit Saluator.

19 NOtandum tertiò : cum quouis diſputandum eſſe, eumque refutandum ex illis principiis, quæ ipſe recipit ; quod idem in refutatione Phariſæorum & Sadducæorum nunc facit Dominus.

20 NOtandum quartò : parem vim eſſe,aut etiam maiorem argumenti eius, quod ex ſententia ſcripturæ ſumitur,quàm eius,quod ex verbis & litera ; quod nunc in argumento Saluatoris de Abraham,Iſaac,& Iacob cernimus : quod,etſi verbis reſurrectionem futuram non aſſerit ; re tamen ipſa,vti ſuperiùs demõſtrauimus, pulcherrimè eam aſſerit. Hinc illud Gregorij Theologi :

Ὅςις δ' ἐν σελίδεσι θεοπνεύςοις νόμοιο
πνεύματος ὐρανίοιο λαβεῖν ποθέοι θεότητα:
πολλὰς μὲν πυκινάς τε τρίβυς εἰς ἓν συνιδέας
ὀφείλει,

Εἰ δὲ

Εἰ δὲ γυμνὴν ποθέοι φωνὴν θεότητος ἐραννῆς:
Ἴσω μὴ ϖινυτὸν ϖοθέον λόγον.

NOtandum quintò: polygamiæ nomen & rem, & in hac vita, & in futura, ſemper turpem & infamem eſſe. 21

NOtanda eſt ſextò pœna illorum, qui ſemen fratrum ſuorum excitare nolunt: Si noluerit, inquit Moſes in Deuteronomio, frater accipere vxorem fratris ſui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam ciuitatis, & interpellabit maiores natu, dicetque: Non vult frater viri mei ſuſcitare ſemen fratris ſui in Iſraël, nec me in coniugium ſumere: ſtatimq; accerſiri eum facient, & interrogabunt. Si reſponderit, Nolo eam vxorem accipere: accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & tollet calceamentum de pede eius, ſpuetq; in faciem illius, & dicet: Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui. Et vocabitur nomen illius in Iſraël, Domus diſcalceati. Quod vehementer prælatis noſtris tali tempore metuendum eſt, qui ſanctorum Antiſtitum, qui eos præceſſerunt, ſemen ac opera planè extinxerunt, nihilque magnum ipſi moliuntur. 22

NOtandum ſeptimò: animas ſanctorum atque corpora non extingui, ſed Domino Deo viuere: contrà quàm hæretica ſentit labes; quod non tantùm Chriſtus Dominus docet, ſed etiam grauiſsimo argumento (vt diximus) teſte Hilario, demonſtrat. Et quidem ſuffecerat, inquit, aduerſus Sadducæos ita ſentientes, opinionem corporeæ illecebræ recidiſſe, & officiis ceſſantibus, inania hæc corporum gaudia ſuſtuliſſe: ſed adiecit, Erunt ſicut angeli Dei in cælo. Quia igitur eas angelis ſimiles, ſacramentum ſcripturarum & diuinæ virtutis poteſtates futuras eſſe demonſtrat: qualis in ſcripturis autoritas eſt de angelis opinãdi, talem in reſurrectione ſpei noſtræ ſenſum oportet eſſe de fœminis. 23

NOtanda octauò Chriſti Domini benignitas & humilitas: quæ, quantò magis lædebatur, tantò magis iuuabat & proderat: quantò plures laquei illi tendebantur, tantò ſalutariùs docebat, ac veluti apis fœcunda, ex venenis ſaluberrimos fructus & mella colligebat; quod & in ſuperiori certamine fecit. Cùm enim eum Phariſæi capere volunt & occidere, ille, quæ ſint fundamenta reipub. docet: quot genera poteſtatum: & quid alicui, & quantum debeatur. In ſumma, pronuntiat, non violari ius Dei, nec lædi eius cultum, ſi Iudęi, quöad externam politiam, Romanis pareant: &, cùm ſecurè permitteret, Dei cultum multis in rebus violari, imò impia ſua poteſtate Deum fraudarent; tamen zeli ardorem præſeferrent in re nihili. Iſtam eorum hypocriſin viſus eſt perſtringere illis verbis: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. ac ſi dixiſſet, Valde ſolliciti eſtis, ſi tributum ſoluatur Romanis, ne quid de honore Dei decedat; atqui potiùs opera danda eſt, vt cultum Deo exhibeatis, quem à vobis requirit: interea etiam hominibus reddatis, quod ſuum eſt. Hoc idem nunc fuit, dum animarum noſtrarum futurum ſtatum explicat: dum vim & excellentiam docet: dum futurã reſurrectionem, vt nuſquam meliùs, asſtruit: dum angelicæ naturæ typum proponit, & alia infinita ſalutaria bona. 24

bona. Hæc autem non alia de causa facit, nisi, quia bonus est: salutis nostræ amans: & qui illud vult, vt inimicos nostros diligamus, & benefaciamus iis, qui oderunt nos.

25 NOtat hoc loco Caluinus, vt sathan impius, omnes quibus alioqui pessimè inter se conuenit, ad oppugnandam Dei veritatem simul colligat: & verè notat. Hoc autem iterum notandum: vt in multis hoc perfecit, ita in solis huius seculi hæreticis id illum vt conueniant, præstare non posse: Luthero, inquam, Philippo, Zuinglio, Caluino, Castalione, Serueto, Gentili, Blandrata, & id genus aliis monstris potiùs, quàm hominibus. Sed & illud notat, Animæ vitam, sine spe resurrectionis, merum esse somnium: neque enim Deus pronuntiat, animas à morte esse superstites, quasi iam præsenti gloria, & sua beatitudine fruantur; sed earum spem in vltimum vsque suspendi; sed vtrumque hoc axioma non ex primo posteriorum est: nam & de animæ immortalitate, siue sensu resurrectionis, multi rectè senserunt, vt Plato, vt Aristoteles: & hoc pacto præsenti gloria & beatitudine sanctos non perfrui, & eorum spem in vltimum diem suspendi: cùm contrarium sentiat Paulus: Mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur: oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Et, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Sed hæc sententia Iudaica est, qui lymbum constituebant ante Christum, vbi futurum Messiam animæ sanctorum expectabant. Quæ igitur inter nos & illos erit differentia?

26 NOtanda denique impudentia est hæreticorum, qui post tam exactam Christi Domini vitæ sanctorum assertionem, negant sanctos viuere, cùm ipsi apertè apud prophetam clament: Numquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Vana igitur hæc Caluini oratio: nam si mortuis sunt ferè similes, dum in mundo peregrinantur, multò minùs post carnis interitum in eis apparet vlla vitæ species.

27 RElictis Sadducæis, resumunt vires Pharisæi: ac quoniam nihil per discipulos profecerant, ipsi rem aggrediuntur, Quæstionem de primo legis mandato proponunt, qua re nulla maior in lege fuit, quæ maximè in mandatis nitebatur. Proprium autem Domini nostri Iesu Christi officium erat, cognitionem Dei afferre, & intelligentiam nominis eius potestatisq; præstare: missus enim venerat, & ex æternitate deductus, his quæ erant Deo placita perfungebatur. Pharisæi, inquit, audientes, quòd silentium imposuisset Sadducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Respondit itaque Dominus, maximum & primum esse mandatum: Diliges Dominum Deum tuũ, ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Non enim aliud ille efficiebat, inquit Hilarius, quàm quod lex continebat: quia præcepta legis, eorum, quæ gesturus ipse erat, formam complectebantur. Admonet igitur illos cognitionis eius, quam habere se in lege gloriabantur, Deum omnipotentem cum omni affectu mentis, cordis, animæ, diligendum, vt admonitionem suam præmissa legis mandata firmarent. Vltimus autem hic fuit eius cum scribis & Pharisæis congressus: vltima disceptatio: extrema iam & vltima ante

ma ante mortem eius salutaris admonitio: ac infidelis & obstinati populi obtestatio,in qua duæ graues quæstiones,& quasi totius salutis summam continentes,proponuntur: Altera ex parte Pharisæorum,de primo & maximo mādato legis: Altera ex parte Christi Domini, quis, & qualis, & vnde oriundus sit Messias. Hic fuit omnium certaminum Iesu Christi in expugnando corde duro Pharisaico vltimus conatus,& quasi vltima obsignatio: qui inuidentes gloriam, quam apud plerosque ob impositum silentium Sadducæis quæsierat,vnum,vt legimus,subordinârunt apud se dicentes: Loquatur pro omnibus vnus; vt, si vicerit, omnes videamur victores: si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus: atque volunt huc illum pertrahere, vt aliquid addat vel detrahat legi Moysi,vt ita legis violator asseratur. Magister, inquit, quod est mandatum magnum in lege? Magistrum vocat, cuius non vult esse discipulus. Simplicissimus interrogator,& malitiosissimus insidiator,de magno mandato interrogat,qui nec minimum obseruat. Respondet Dominus: Diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo. Quod quidem præceptum in quatuor locis traditur in scriptura: Deuter: 6. vbi ponuntur tria: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua,& ex tota fortitudine tua. Et hîc Matth, 22. vbi omittitur fortitudo, & duobus aliis additur vnum,quòd Deus diligatur ex toto corde, & ex tota anima,& ex tota mente. Marci 12. ponuntur ista tria,& additur quartum, ex tota virtute: quod est idem cum eo quod dicitur Deuter. 6. ex tota fortitudine. Et eodem modo Lucæ 10. habetur, nisi quod dicitur ibi, ex omnibus viribus tuis, quod idem est cum eo quod dicitur, ex virtute & fortitudine. Sed maleuolentia, inquit Hieronymus,& liuor,nutrit impudentiam. Interrogat vnus ex legis doctoribus,non scire desiderans,sed tentans: an interrogatus nosset quod interrogabatur, quod sit maius mandatum; non de mandatis interrogans, sed quod sit primum magnumque mandatum: vt, cùm omnia quæ Deus mandauerit, magna sint,quidquid ille responderit,occasionem habeat calumniandi, aliud asserens magnum esse de pluribus. Quicunq; igitur nouit & interrogat, non voto discendi, sed studio cognoscendi an nouerit ille qui responsurus est, in similitudinem Pharisæorum, non quasi discipulus, sed quasi tentator accedit. Elaborant autem Patres plurimùm in expositione huius mandati, maximè in distinctione istarum partium, Cordis,Animæ,Virium. In corde vegetatiuam facultatem: in anima sensitiuam: in mente rationalem intelligentes: & præclarè: Mihi tamen sensus simplicissimus videtur esse,diligendum esse Deum perfectà & indiuisè; ita, vt nulla sit pars animæ aut corporis nostri, quæ illi perfectè addicta & consecrata non sit.

COnsiderandum autem est, quòd Totum & Perfectum idem sunt, vt habetur 3. Physicorum: & ideò diligere Deum ex toto corde, & ex tota anima: & sic de aliis est. Perfectum autem dicitur aliquid dupliciter: vno modo,quando nihil sibi deest de perfectione sibi possibili: alio modo,quando sibi nihil deest de perfectione sibi debita & competenti; sicut homo mediocris staturæ,dicitur perfectę quantitatis,licèt non habeat quantitatem gigantis. Sic ergo accipiendo perfectū primo modo, sic impletur præceptum dilectionis in patria: quia mens ibi fertur in Deum totaliter & perfectè,quātum sibi possibile est, & sine aliqua incorruptione: & secundùm hoc dicit 28

Augustinus

Augustinus lib. de perfectione iustitiæ, Quod mandatum charitatis solum implebitur in patria, vbi erit charitas perfecta. Si autem accipiatur perfectum secundo modo, sic impletur in via, quando nihil diligitur contra Deum: ista enim perfectio quę debet inesse ex debito necesitatis; & hoc sufficit ad salutẽ. Diligere ergo Deum ex toto corde hoc modo, est sic diligere Deum, quòd nigil diligatur contra ipsum: aliarum enim rerum nostrarum partem vult; cor autem totum. Hinc illud Anselmi, Veni Domine, veni ô bone Iesu: iam enim pedes meos nolo, nisi vt te quęram: nolo manus, nisi vt tibi seruiam: nolo genua, nisi vt te adorem: nolo linguam, nisi vt te laudem: nolo denique cor, nisi vt te amantissimè diligam. Ex aliis rebus, quæ cor non sunt, Deus partem postulat: partem substantiæ: partem frugum: partem temporis; ex corde non partem, sed totum: nam & homo non satiatur, nisi totum Deum habeat, & cor paruum est angustum stratum. Mentitur autem hoc loco insigniter Caluinus, his verbis: Cæterùm ex hoc compendio apparet, Deum in legis præceptis non respicere quid possint homines, sed quid debeant: nam in hac carnis infirmitate fieri non potest, vt perfectus Dei amor regnum obtineat: scimus enim quàm propensi sint ad vanitatem omnes animæ nostræ sensus. Postremò hinc colligimus, Deum nihil morari externam operum speciem, sed interiorem effectum præcipuè requirere, vt ex bona radice boni fructus nascantur. Ostendit tamen Dominus, inquit Basilius, imò verò statuit ordinem & seriem mandatorum: quippe qui primum illud ac maximum mãdatum esse pronuntiauit: secundo autem loco, & simile illi primo, imò quod primi perfectionem in se continet, & quod à primo dependet, nempe de diligendo proximo. Secundum autem, inquit, simile est huic: Diliges proximũ tuum sicut teipsum: in his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & prophetæ. Addidit autem, inquit Euthymius, & secundum præceptum, per hoc illos obiurgans, vtpote qui se non amabant, sed inuidia ac insidiis prosequebãtur, eoque fine etiam nunc rogabant: nam si diligerent, non tentarent. Simile autem primo dixit secundum quoad magnitudinem: magnum est enim & hoc: nam sibi mutuò hærent, ac se inuicem ferunt hæc duo præcepta; siquidem qui Deum diligit, etiam proximum diligit, seruans illius præceptum: qui autem proximum non diligit, nec Deum diligit, transgrediens eius præceptum. Et qui proximum suum diligit, nec falsum testimonium dicit de eo quem diligit, nec occidit, nec mentitur illi quem diligit, nec concupiscit rem illius quem diligit, nec mulierem eius inuadit. Vbi autem dicit Christus, totam legem & prophetas pendêre in his duobus mandatis, non quòd hic restringere totam scripturæ doctrinam velit, sed quia ad hæc duo capita referri debeat, quidquid vbique de ratione piè & iustè viuendi præcipitur. Cæterùm apud Matthæum tentator dicitur hic legis doctor: apud Marcum verò potiùs laude dignus habetur. Quare? quia primùm certè tentauit, vt dictũ est à Pharisæis directus; animaduersa autem responsione, suscepit eam, & cõuersus, rem ita se habere confessus est: & deinde Iesus intuitus eum, quòd adhibita mentis ratione responderet, ait illi: Non longè es à regno Dei; hoc est, approximas fidei, qui veritatem confessus es: hoc autem dixit, adhortans illũ ad fidem perfectam. Quod & militibus aliquando euenisse, testatur Ioannes: Quidam, inquit, ex illis, volebant apprehendere Iesum: sed nemo misit super eum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos, & dixerunt

 eis illi:

eis illi: Quare non adduxiſtis eum? Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic locutus homo, ſicut hic homo. Explicata prima quæſtione de primo & ſummo mandato, proponit ipſe aliam non minorem, & neſcio an non maximam: ad hunc enim ſcopulum tot millia hominum miſerabiliter in dies allidunt. Eſt enim Ieſus Chriſtus lapis ille, de quo nuper diximus, offenſionis, & petra ſcandali, ad quem qui alliſerit, offendet, & ſuper quem ceciderit, conteret illum: illud ipſum ſignum contradictionis poſitum, in ruinam & reſurrectionem multorum, non ſua natura, ſed humana prauitate: hæcq; eſt vita æterna, vt cognoſcamus verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum. Cùm igitur Saluator noſter tot ſigna feciſſet, tot ſpecimina diuinitatis & maieſtatis ſuæ coram illis perfidis & duro corde Scribis & Phariſæis edidiſſet, qualia nemo vnquam ante illum fecerat: cùm omnes rationes tentâſſet, quomodo tandem illis innoteſcere, ac in animos illorum influere poſſet; non tamen proficeret quidquam: ne quid prætermitteret, quod modò ad illos ſaluandos pertineret, vltimò iam coarguit eos, ac non ſolùm ſe eſſe filium hominis, ſed verum Deum eſſe, palàm demonſtrat, metumque illis incutit, quòd, quantumùis illi malitia ac improbitate ſua, & pertinaci animo eum agnoſcere nollent; futurum tamen tempus, vt Deus inuitis ac nolentibus illis eos ſibi ſubijciat, ac ſcabellum pedum ſuorum efficiat. Interrogat igitur illos: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo vocat eum Dominum Dauid, quomodo filius eius eſt?

VBi illud inprimis obſeruandum eſt: Tempore Chriſti dubium non fuiſſe ſcribis & Phariſæis, omnibusq. Rhabinis & Talmudiſtis, hunc Pſalmum de Chriſto Meſsia intelligendum eſſe: quod ad conuincendum modernorum Iudæorum, & aliorum qui iam poſt Chriſti tempora fuerũt errorem, valet plurimùm; qui miris modis contendunt demonſtrare, hæc verba de Chriſto Meſsia intelligenda non eſſe. Sed quidam eorum, vt teſtis eſt Tertullianus contra Marcionem, ad Ezechiam regem eum referunt, quòd is ſederit ad dexteram templi, & Deus ipſe hoſtes eius Senacherib, & reliquos Babylonios pro illo fugauit. Cui ſententiæ reſpondet Iuſtinus: Qui de Ezechia hunc Pſalmum auſi ſunt interpretari, quaſi tunc iuſſus ſit à dextris templi ſedere, quando rex Aſſyriorum miſit ad eum legatos minabundus, ipſe verò per Iſaiam ne timeret, eum fuit monitus: ſcimus quidem & fatemur id factum, quod narrat Iſaias: Et auerſus eſt rex Aſsyriorum, ne debellaret Ieruſalem in diebus Ezechiæ, & angelus Domini occîdit in caſtris Aſsyriorum centum octuaginta quinque millia; eum tamen pſalmum non de ipſo loqui apparet. Ezechiam enim non eſſe æternum ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, quis non fatebitur? tum quòd is non ſit liberator Ieruſalem, quis neſcit? & quòd virgam virtutis ipſe non miſerit in Ieruſalem, nec dominatus ſit in medio inimicorum ſuorum, ſed Deus ab eo flente lamentanteq; hoſtem auerterit, quis ignorat? At noſter Ieſus, licèt nondum venit in gloria, virgam virtutis emiſit in Ieruſalem verbum, inuitans omnes gentes ad pœnitentiam, vbi dæmonia dominabantur: ſicut Dauid inquit, Dij gentium dæmonia: & ille vehemens eius ſermo perſuaſit multis, vt relictis dæmoniis quibus ſeruiebant, in omnipotentem

potentem Deum per eum crederent, & deos gentium esse dæmonia. Iam illud, In splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te, Christo dictum esse, indicauimus antea. Alij dicunt, vt refert Hieronymus, intelligendum esse de Abraham, vt dictum sit ex persona serui eius Eliezer, victoriam ex quinque regibus sibi gratulantis: alij dicunt, esse intelligendum de Dauide ex persona populi Israëlitici, qui Dauidem dominum suum appellauit: alij dicunt, Dauidem ipsum Saulem regem alloqui; neminem tamen ex veteribus Iudęis ante Christi aduentum, atque iam ipso Christo præsente hunc psalmum aliter de rege Christo Mesia intellexisse, silentium hoc Pharisaicum demonstrat. Si enim hic Psalmus aliter intelligeretur, quàm de Mesia, nequaquam hoc illi tacuissent, dicerent, hunc locum ad Christum non pertinere; sed id nullo modo dicere poterant: nulli enim ex illis quibus falsò attribuebatur præter Mesiam sequentia conueniũt verba: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te. Quem eundem locum D. Petrus similiter de eodem Mesia interpretatur, Actorum 2.

30 SEcundum illud obseruandum est: improbam vitam, maximè autem cũ auaritia & ambitione coniunctam, lumen rationis ita obfuscare, vt non facilè posit cernere verum; vnde fit, vt ii Scribæ & Pharisæi non solùm in vita & moribus, sed etiam in sensu & doctrina multùm à veritate, & à prisci seculi magistris & doctoribus discreparent. Omnes enim veteres Rabini ita iudicârũt, Mesiam regem Deum ipsum esse futurum: hoc enim euidentisimè vniuersi prophetæ prædixerunt, vt ipsi etiam paulò post iudicare poterimus. Vnde Rabbi Ioanna: Non quærimus vlteriùs, vt illucescat nobis caro & sanguis, sed Deus sanctus & benedictus in substantia sua: iuxta illum Psalmum, Deus Dominus, & illuxit nobis. Et super illum Dauidis locum: Immisit verbum suum, & sanauit eos: omnes ferè veteres Rabini Mesiam Deum futurum, Deiq. filium interpretabantur. At hi Pharisæi, ambitione, & nimio amore generis sui Dauidici erecti, non ampliùs etiam, quàm filium Dauid futurum censuerunt: quod vsque ad hanc diem nostri Iudæi, à malis magistris edocti, sentiunt. Non negabant quidem Pharisæi, eundem esse filium Dei, quod & Ariani sentiunt, ideòq; noui Iudæi ab Epiphanio dicuntur, sed singulari quadam & eximia prę aliis electione & adoptione diuina, filium Dei vocant. Quomodo & Salomõ alibi dictus est filius Dei. Conuincebantur autem illis locis, vt cogerentur illum fateri filium Dei: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. Et, Ipse inuocabit me, Pater meus es tu. Vnde Caiphas confitetur filium Dei, sed non alio modo quàm noui Iudaizantes: Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus, filius Dei viui.

31 TErtiò illud obseruandum est: Saluatorem nostrum non negare, se filiũ Dauidis esse: erat enim; vti nuper ex libro generationis eius demonstrauimus. Vnde omnis error Nestorij, Apollinaris, Eutychis ruit, qui eum veram humanitatem accepisse pernegârunt: si enim verus homo non fuisset, nunquam verus filius Dauid censeretur. Non igitur negat, se esse filium Dauid, sed ostendit, aliquid sibi inesse quod ad Dauidem non pertineat, veram, inquã, diuinitatem: neque se solùm Dauidis filium esse, sed & Dominum. Probat

 autem

autem hic luculentiſsimè Pſalmi locus, Chriſtum Dominum non ſolùm purũ hominem eſſe,ſed verum etiam Deum, idq; ex triplici capite. Primùm ex cõmuni vſu: ſi enim filius tantùm eſſet Dauidis; quomodo illum Dominum vocaret,cùm ineptum ſit,filios à parentibus dominos vocari: &, quod maximũ eſt,nemo poteſt appellari meritò Dominus ſanctorum, præter ipſum Deum. Cùm igitur Dauid homo ſanctiſsimus,Dominum eum appellat; Deus ſit oportet. Quemadmodum autem hoc loco,ita & in aliis multis, dum ſcriptura vocat Meſsiam Dominum,Deum eſſe eum ſignificat: ſic enim in Geneſi ſcribitur: Pluit Dominus à Domino. Sic Salomon, Inuocaui Dominum, patrem Domini mei,vt non derelinquat me in die tribulationis. Itaq; & Plato Deum vocat Dominum,& filium eius Verbum Domini, in epiſtola ad Dionem.
Eſt & alius modus, quo Iesv Christi diuinitas ex hoc colligitur loco. Meſsias nondum erat ſecundùm carnem natus, cùm hoc dixit Dauid: quomodo igitur eum vocare poteſt Dauid Dominum ſuum, qui nondum erat? non fuit igitur vt homo,ſed fuit vti Deus: de quo ſubintelligitur,Ante luciferum genui te. Colligitur & tertiò ex eo quod dicit pater, Sede à dextris meis: quod nihil aliud ſignificat,quàm æqualitatem honoris, gloriæ, & diuinitatis eius: quos enim æquè ac nos honorare volumus,eos in dextris ſedere iubemus. Vnde Paulus: Cui vnquam angelorum dixit: Sede à dextris meis: nullus enim poteſt æquari Deo,præter ipſum Deum. atqui Meſsias vt homo nullo pacto poteſt eſſe in æqualitate honoris ſola humanitate: Ergo verus Deus eſt. Nam quod dicit: Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum: id ad diſtinctionem perſonarum dictum eſt,vt occurratur errori Sabellij,qui putabat,vnam eſſe ſubſtantiam Dei trinominem,nominibus tãtùm, & nulla alia re diſtinctam. Oſtendit igitur ſcriptura,aliam eſſe perſonam ſubijcientis,& aliam cui ſubijciuntur omnia. Quando autem hæc verba dixit pater ad filium? non alio certè tempore, quàm & quo illum genuit: dicere enim patris eſt,generare filium: pater enim,cùm dicit verbum,generat filium: cùm dicit verbo,facit omnia ab æterno per filium. Cùm igitur dicit ſpiritus ſanctus per Dauidem: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis;hoc eſt,in omni æqualitate honoris eius; vt ſit ſenſus, quemadmodum honorant patrem,ita honorent & filium. Quo loco Origenes: Cùm audis patrem dicentem ad filium: Sede à dextris meis; ne tibi deſcribas, inquit,ſenſibiles ſeſsiones,& duas cathedras, & ſedentes ſuper eas humano ſchemate patrem & filium: ſed intellige hæc moraliter dici de regno Dei, quod à patre eſt ſtabilitum,& eſt ſemper ad dexteram patris. Tanta eſt igitur vis huius loci, vt ſolus ad expellendam eam cœcitatem,qua nunc plerique laborant,ſufficiat,ſi abſit grauis pœna & vltio diuina pro ſuperba curioſitate tali populo inflicta. Nam & Phariſæi,audito eo loco,nihil iam ampliùs reſponderunt, ac ne interrogandum quidem ſibi cenſuerunt; ſed mortem iam præſentiſsimam Chriſto parabant, tanquam illi,qui ſe æqualem Deo faciebat,vt dicit Euangeliſta. Effugia quidem in omni re facilè eſt inuenire errare volenti; nunquam tamen hunc locum aut Iudæi,aut Ariani effugient. Ex his igitur intelligimus, venena inuidiæ poſſe quidem ſuperari,ſed difficilè conquieſcere. Ad iſtum ergo,qui dolis iniquorum ſuperari non potuit, ſimplici corde,& pia deuotione, quaſi ad ſalutis autorem accedamus,vt illuminemur,& facies noſtræ non confundentur: quia inuenitur à non tentantibus, & fidem in illum habentibus apparet.

apparet. Iuuat autem audire, quid de eo toto loco sentiat D. Hieronymus: Interrogatio Iesu nobis proficit vsque hodie contra Iudæos. Et hi enim, qui confitentur, Christum esse venturum, simplicem hominem, & sanctum virum asserunt, de genere Dauid. Interrogemus ergo eos, edocti à Domino: Si simplex homo est, & filius tantùm Dauid, quomodo Dauid vocet eum Dominum suum; non errore certè, nec propria voluntate, sed spiritu sancto. Testimonium autem quod posuit, de centesimo nono psalmo sumptum est. Dominus igitur Dauid vocatur, nō secundùm id, quòd de eo natus est, sed iuxta id, quòd natus ex patre, semper fuit præueniens ipsum carnis suæ patrem. Iudæi ad deludendam interrogationis veritatem, friuola multa confingunt: vernaculū Abrahæ asserentes, cuius fuerit filius Damascus Eliezer, & ex ipsius persona scriptum psalmum, quòd post cædem quinque regum, Dominus Deus Domino suo dixerit Abrahæ, Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quos interrogemus, quomodo Deus dixerit Abrahæ ea, quæ sequuntur: Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum: ex vtero ante luciferum genui te. Et, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eū: tu es sacerdos in æternū, secundùm ordinem Melchisedech. Et respondere cogamus, quomodo Abraham ante Luciferum genitus sit, & sacerdos fuerit secundùm ordinem Melchisedech: pro quo Melchisedech obtulerit panem & vinum, & à quo decimas prædæ acceperit.

32 Epilogus igitur huius disputationis est: Christum Dominum verum esse Messiam, verum filium Dei: contrà quàm mentitur Ariana hæresis; & verum filium Dauid: contrà quàm Caluinus nugatur; verum Deum & hominem: vt in æternum hæc fixa sit, & obsignata veritas: vt ora obstruantur omnium hæreseum. Conclusa igitur est causa contra scribas & Pharisæos: actū est: negotium contestatum: causa perorata. Inquinat hæc omnia suo commentario Caluinus, cùm dicit: Fateor quidem, disertè & ad verbum non exprimi diuinam eius essentiam, sed inferre promptum est, Deū esse, qui suprà omnes creaturas loquatur. Quid igitur frustrà tantum laboratum est? Atqui hoc est iudaizare. Prodit Caluinus suum ingenium, ab Arianismo non remotum: nam istæ consequentiæ, quas iste sibi confingit, nimis sunt coactæ: mihi quidem illa, vt simplicissima, ita verissima esse videtur oratio, non esse in more, vt patres filios Dominos appellent, si præsertim ipsi patres sint summi reges & prophetæ. Atqui Dauid hoc loco magnus rex & propheta, vocat regem Messiam Dominum suum. Deum igitur cum Thoma recognoscit: Dominus meus, & Deus meus. Verùm nos aliò transeamus.

33 QVAESTIONES S. AVGVSTINI. PRIMA: Quod Dominus dixit: Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Nuptias dixit Verbum incarnatum: quia in ipso homine suscepto Ecclesia Deo copulata est. Quod dixit: Tauri mei & altilia occisa sunt: tauros dixit principes plebium, altilia verò omnia saginata. Quòd dixit Dominus: Ite ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias; viæ intelliguntur dogmata gentium: quia ex omnibus illis ad nuptias venerunt; id est, Christo crediderunt.

SECVNDA: Quòd Sadducæi dicunt Domino: Fuerunt apud nos septē

 fratres,

fratres, & vnus accepta vxore obiit, & ſecundus,& cæteri: intelliguntur homines impii, qui fructum iuſtitiæ non potuerunt afferre in terra per omnes ſeptem mundi ætates, quibus iſta terra conſiſtit: poſtea enim & ipſa terra tranſiet, per quam omnes illi,quaſi ſeptem mariti ſteriliter tranſierunt.

Tertia: Quòd Dominus dicit: In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ: Pendet dixit, id eſt, illò refertur, ibi habet finem.

Caput XXIII.



Doctrina Pharisaeorum apud turbas et discipulos laudatur & approbatur; vita autem omnibus modis accuſatur & traducitur: ad extremum,vltimum exitium ac excidium illis ob eos mores,& ob iſta ingenia prædicitur. Tunc Ieſus locutus eſt ad turbas. Tunc: quando? poſtquam tentantes refrænauit: poſtquam effecit, vt ampliùs non auderent illum interrogare: poſtquam demonſtrauit, eos immedicabiliter ægrotare. Super cathedram,inquit,Moyſi,ſederũt ſcribæ & Phariſæi: omnia ergo, quæ dixerint vobis,ſeruate & facite; ſecundùm opera verò eorũ nolite facere: dicunt enim,& non faciunt. Iubet igitur præceptis Phariſæorum obtemperari, quia in Moyſis cathedra ſederũt: iubet legis mãdatis omnib. obediri,ſed à factis eorũ abſtineri; vt mores hominum atque infid elitas, non legis doctrina vitetur. Poſteaquam enim Saluator noſter ora ſacerdotum obſtruxiſſet: poſteaquam vanitatem & improbitatem eorum detexiſſet; euenire poterat, vt aliqui ex turbis & diſcipulis, odio contra illos concepto,eos contemnere vellent;parêre illis nollent,ab illis deficerent. Occurrit huic malo benigniſſimus Dominus,ac doctrinam quidem illorum amplectendam eſſe, ac ne latũ quidem vnguem ab illa diſcedendum: (infructuoſus enim eſt ſermo, in quo, vt alter confundatur, ſic alter eruditur.) mores tamen fugiendos eſſe docet. At,qui iſti mores illorum ſint,quos maximè fugere debeant, grauiſsimè explicat,ac particulatim enumerat. Quo loco illud obiter docemur, Prælatis etiam malis eſſe obediendum,in his quæ ſunt manifeſtè contra Deum, traditiones,legesq́; eius, & eſſe habendos in reuerentia, quàmdiu tolerantur in officio ſuo; quod patet per exemplum Dauid, qui venerabatur Saulem regem, licèt ſciret eſſe malum,& à Deo reprobatum. Doctrinam autem ſequendam eſſe docet, propter Moyſis cathedram, cui legem ſuam Deus concrediderat, illiq́ue ſpiritum ſanctum adſiſtere voluerat, & in qua veritas vſque ad Meſsiæ tempora reſidere,atque prædicari debuit. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis,ſeruate & facite; ſecundùm verò opera eorum nolite facere: dicunt enim,& non faciunt. Ecce enim, & terra vilis pretioſum aurum producit: numquid propter terram vilem pretioſum aurum contemnetur? Non: ſed ſicut aurum eligitur,& terra relinquitur; ſic & vos doctrinam accipite, & mores relinquite. Et,vt apibus herbæ neceſſariæ non ſunt, ſed flores herbarum (flores enim illæ colligunt,herbas vetò relinquunt: ſic & vos flores doctrinæ colligite, & conuerſationem relinquite, vt quaſi inutilis herba areſcat. Ille itaq; qui docet,non tantùm docet,ſed etiam facit; videtur ſimul portare

& cooperari ferentibus. Cùm autem me quidem premit, ipse autem nihil eorum quæ iubet facit, magis me grauat, quàm docet. Omnia autem cùm audis, inquit D. Chrysostomus, non debes omnia quæ sunt in lege intelligere; vt de cibis, sacrificiis, cæterisque huiusmodi. Quomodo enim hæc confirmâsset, quæ iam refutauit? sed omnia, inquit, quibus mores hominum corriguntur: quibus meliores efficimur: & quæ ita nobis congruunt, vt non patiantur iugo ampliùs legis deprimi. Quid autem mansuetius, quid benignius Domino? Tentatur à pharisæis: confringuntur insidiæ eorum, & secundùm Psalmistam, Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum; & nihilominus propter sacerdotij & nominis dignitatem hortatur populos, vt subijciantur eis, non opera, sed doctrinam considerantes. Quod autem ait: Super cathedram Moysis sederunt scribæ & Pharisæi: per cathedram doctrinam legis ostendit. Ergo & illud quod dicitur in Psalmo: In cathedra pestilentiæ non sedit: &, Cathedras vendentium columbas euertit: doctrinam debemus accipere. Ne autem imponat, ea vitia Pharisæorum turbis atque discipulis diligentiùs Dominus enumerat, ac grauissimè in ea inuehitur.

2 ORsus primùm ab eorum superstitiosa ignauia: Dicunt enim, inquit, & non faciunt: alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere: dicunt enim & non faciunt. Quicunque certè legem transgreditur, condemnatione dignus est; præceptor tamen triplici dignus est, tum quia transgressor est, tum quia alios debet corrigere, tum quia nocet etiam discipulis. Hæc Euthymius. Alligãt enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea mouere. Hoc generaliter aduersus omnes magistros, qui grauia iubent, & minora non faciunt. Notandum autem, quòd & humeri, & digitus, & onera spiritualiter intelligenda sunt. Quo loco pulchrè autor Operis Imperfecti: Vbi, inquit, paterfamiliâs largus est, dispensator non debet esse tenax: Si Deus benignus est, vt quid sacerdos eius austerus? Vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa alienam autem benignus. Audiant te homines parua mandantem, & grandia videant facientem.

3 SEcundum vitium Pharisaicum: Fastus & Ostentatio: Omnia enim opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Quicunque igitur facit quodlibet vt videatur ab hominibus, scriba & Pharisæus est, dilatauit phylacteria sua, & magnificauit fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi; quæ nemo meliùs Hieronymo explicat. Dominus, inquit, cùm dedisset mandata legis per Moysen, ad extremum intulit: Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos. Et est sensus: Præcepta mea sint in manu tua, vt opere compleantur: sint ante oculos tuos, vt die ac nocte mediteris in eis. Hoc Pharisæi malè interpretantes, scribebant id membranis Decalogũ Moysis: id est, decem verba legis, complicãtes ea & ligantes in fronte, & quasi coronam capiti facientes, vt semper ante oculos mouerentur; quod vsque hodie Indi, & Persæ, & Babylonij faciunt: & qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis iudicatur. Iusserat quoque aliud Moyses: vt in quatuor angulis

palliorum hiacinthynas fimbrias facerent, ad Israëlis populũ dignoscendum; vt, quomodo in corporibus circumcisio signum Iudaicæ gentis daret, ita & vestis aliquam haberet differentiam. Superstitiosi magistri, captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant; vt videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia Domini, & ministeria seruitutis eius. Quia ergo dixerat Dominus, Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus: quod generaliter accusârat, nunc per partes diuidit. Pictatiola illa Decalogi phylacteria vocabant, quòd, quicunque habuisset ea, quasi ob custodiam & monimentum sui haberet: non intelligentibus Pharisæis, quòd hæc in corde portanda sint, non in corpore: alioquin & armaria, & arcæ habẽt libros, & notitiã Dei non habẽt. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in paruulis Euãgeliis, & in crucis ligno, & isti usmodi reb. (quę habẽt quidẽ zelũ Dei, sed non iuxta sciẽtiã) vsq; hodie factitãt, culicem liquantes, & camelum glutientes. Istiusmodi erat fimbria parua & breuis ex lege præcepta, quam & mulier illa quæ sanguine fluebat, tetigit in pallio Domini, sed non est compuncta superstitiosis sentibus Pharisæorũ, magisque sanata ad tactum eius. Cumque superfluè dilatent phylacteria, & magnas faciant fimbrias, gloriam captantes ab hominibus, arguuntur in reliquis cur quærant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis (nã in cœnis accumbere, in synagogis verò sedere solebant) & in publico gulam sectentur & gloriam, & vocentur ab hominibus Rabbi, quod Latino sermone Magister dicitur. Vocari ab hominibus, inquit Hilarius, Magistri volunt, doctrinæ legis ignari, & magistrum salutis perpetuæ respuentes. Desiderare autem scientiam, & actum docendi, non est malum, sed meritorium: sed desiderare nomen tantùm, hoc est malum, & superbiæ peccatum. Si tamen desideratur nomen, & autoritas magisterij ad hoc, quòd scientia iam habita aliquis meliùs posset vti, non est malum, sed est bonum: quia bonus doctor debet quærere illa, quæ faciunt ad efficaciam suæ doctrinæ, à qua tam fœda ambitione suos dehortatur. Vos autem nolite vocari Rabbi: vnus enim est pater vester, omnes autem vos fratres estis: & patrem nolite vocare vobis super terram; vnus enim est pater vester, qui in cælis est: nec vocemini magistri; quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrûm, erit minister vester; qui autem se exaltauerit, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur. Non prohibet Christus, vocari aliquem magistrum & doctorem, sed idipsum munus velle & ambire: munus enim Magisterij primùm ipsi Christo debetur: propriè enim Deus est pater; alij autem carnales patres, non ipsi sunt autores generationis, sed tantùm coöperarij, & cöadiutores. Qui maior est, cauendum est, ne aut districtio sit rigida, aut pietas remissa: quicunque vult fratrem præuenire regnando, priùs illum præueniat necesse est obsequendo. Vnde Apostolus ait: Honore inuicem præuenientes. Vincat eum officiis, vt possit vincere sanctitate. Horum in Ecclesia nunc exempla imitantur, qui subiectos docent, quod ipsi implere dissimulant: vel peccãtibus pondus pœnitentiæ adgrauantes; vt aut necesse est pœnitentiam reijciat, aut suscipiens, dum ferre non valet, scandalizatus ampliùs peccet, quasi non meliùs sit propter misericordiam dare rationem, quàm propter crudelitatem.

Tertium

4 TErtium vitium est, Inflata præsumptio sine opere: vbi iam non simpliciter, sed cum quadam execratione res tractatur, an potiùs condolentia. Væ enim particulam dolentis esse, docet Hilarius. Væ, inquit, vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines: vos enim non intratis, nec introëuntes sinitis intrare. Quod præclarè explicat Hieronymus: Habentes scribæ & Pharisæi legis prophetarumq; notitiam, sciunt Christum esse filium Dei, non ignorant, natum esse de virgine: sed dum prædam de subiecta plebe appetunt, nec ipsi introëunt regnum cælorum, nec eos, qui poterant intrare, permittunt. Hoc est quod in Osea propheta arguit: Absconderunt sacerdotes viam, interfecerunt Sychimam. Et rursum: Sacerdotes non dixerunt, vbi est Dominus. Vel certè omnis magister, qui scandalizat malis operibus discipulos suos, claudit ante eos regnum cælorum. Arbitror ergo, inquit hoc loco Origenes, omnes qui profitentur se in Ecclesiam intrare, omninò claudunt regnum cælorum ante homines, malis conuersationibus suis, secundùm quod peccant ipsi; aut aperiunt bonis actibus suis, secundùm quod fuerint iustè conuersati. Maximè hoc faciunt, qui videntur in Ecclesia clariores: quales sunt Episcopi, presbyteri, diaconi. Benè enim viuentes, & benè docentes verbum veritatis, aperiunt ante homines regnum cælorum: & dum ipsi intrant, alios prouocant introire; mali autem, qui non sunt pastores, sed mercenarij, claudunt regnum cælorum ante homines, nec audiunt quod ait apostolus; Sed omnia sustinemus, vt non offendiculum demus Euangelio Christi. Huic expositioni conueniens est, quod scribit Lucas: Væ vobis legisperitis, quoniam abstulistis clauem scientæ, & ipsi non introistis, & alios intrantes prohibuistis. Qui enim criminantur expositionem allegoricam, & docere volunt, quia manifesta est diuina scriptura, & nihil habens ampliùs quàm textus ostendit: neque diuiniorem aliquem sensum & de circumcisione, vel de pascha, vel de azymis, vel de escis & potibus, vel de festiuitatibus, vel de neomeniis, vel de sabbatis; & non respiciunt, quoniam in ostensione, & vmbra futurorum tunc seruiebant. Iudæi legisperiti quidem sunt, tamen tulerunt clauem scientiæ, quantum ad verbum suum, id est, omnem legis viam, ad intelligenda legitima auferentes: propterea nec ipsi intrauerunt, nec alios, quantum ad se, intrare permiserunt.

5 QVartum vitium, Sacrilegium, siue quæstus ex ficta deuotione iniquissimè quæsitus. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orantes orationes longas, propter hoc ampliùs accipietis iudiciũ: quòd earum exedunt bona, quarum paupertatem subleuare debebant: deinde, quòd re sacra ad imposturam vtantur: & quia pœnam proprij peccati, & reatum alienæ ignorantiæ debebunt. Hypocritas autem ab hypocrisi vocauit, quæ, vt docet Lyranus, est simulatio falsa, & ideò opponitur veritati. Veritas autem triplex est: Doctrinæ, Iustitiæ, & vitæ; à quibus omnibus eius partibus deficiebant Pharisæi, vt iam patuit, & ex consequentibus patebit. Nam defuit illis veritas doctrinæ, cùm claudebant ante homines regnum cælorum: defuit veritas iustitiæ, cùm domos viduarum comedebant, cùm mentham, anethum, & cyminum decimabant, ea quæ grauiora legis sunt omittentes: deficiebat denique illos & vitæ veritas, cùm pocula à foris lauabant, ipsi intus immundi.

Quintum

QVintum vitium, Negligentia ſcandalumq́; datum in illis educandis, quos ad religionem veram conuerterunt. Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proſelytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Non eo ſtudio ſeruamus quæſita, quo quærimus. Scribæ & Phariſæi totum luſtrantes orbem, propter negotiationes, vel diuerſa lucra à diſcipulis captanda, quaſi per imaginem ſanctitatis ſtudium habebant, de gentibus facere proſelytum; id eſt, aduenam & incircumciſum miſcere populo Dei. Sed qui ante, dum eſſet ethnicus, ſimpliciter errabat, & erat ſemel filius gehennæ, videns magiſtrorum otia, & intelligens, eos deſtruere opere, quod verbis docebant: reuertitur ad vomitum ſuum, & gentilis factus, quaſi præuaricator, pœna maiori dignus erit. Filius autem vocatur gehennæ, quomodo filius perditionis, & filius huius ſeculi. Vnuſquiſque enim, cuius opera agit, eius filius appellatur. Quod idem nunc ab hæreticis ſacerdotibus, autor Operis Imperfecti fieri docet. Aut enim, inquit, promiſsionibus corrumpunt, aut minis terrent: non propter gloriam Dei, neque de ignorantia hominum dolentes, ſed aut propter auaritiam, aut gloriam vanam; vt videantur aliquos potuiſſe corrigere.

6

8

SExtum vitium eſt Phariſaicum, Auaritia, & nundinata religio: amor pecuniæ alienæ, & expilatio ſub ſpecie pietatis. Væ vobis duces cœci, quia dicitis, Quicunque iurauerit per templum, nihil eſt: qui autem iurauerit in auro templi, debitor eſt. Stulti & cœci: quid enim maius eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil eſt; quicunque autem iurauerit in dono quod eſt ſuper illud, debet. Cœci, quid enim maius eſt, donum, an altare, quod ſanctificat donum? Qui ergo iurat in altari, iurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt. Quicunque iurauerit in templo, iurat in illo, & in eo qui habitat in ipſo. Et qui iurat in cælo, iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum. Exponit hæc egregiè Diuus Hieronymus: Supra, inquit, vt nobis viſum eſt, expoſuimus quid ſignificaret traditio Phariſæorum, dicentium: Donum quodcunque eſt ex me, tibi proderit: nunc duplex, & ad vnam auaritiæ occaſionem trahens, Phariſæorum traditio condemnatur; vt arguantur cuncta pro lucro facere, & non pro timore Dei. Sicut enim in phylacteriis & fimbriis dilatatis opinio ſanctitatis captabat gloriam, & per occaſionem quærebat lucra: ſic alia traditionis inuenta ſtropha, impietatis arguit præceptores. Si quis in contentione, ſeu in aliquo iurgio, vel in cauſæ ambiguo, iuràſſet in templo, & poſtea conuictus eſſet mendacij, non tenebatur criminis reus; ſin autem iuràſſet in auro & pecunia, quæ in templo ſacerdotibus offerebatur, ſtatim id, in quo iurauerat, cogebatur exoluere. Rurſum, ſi quis iuràſſet in altari, periurij reum nemo tenebat; ſin autem periuràſſet in dono, vel in oblationibus, hoc eſt, in victimis, & in ſimila, & in cæteris quæ offeruntur Deo ſuper altare, hæc ſtudioſiſsimè repetebantur. Arguit ergo eos Dominus & ſtultitiæ, & fraudulentiæ, quòd multò maius ſit templum, quàm aurum quod ſanctificatur à templo; & altare, quàm hoſtiæ quæ ſanctificantur ab altari. Totum autem hoc faciebant, non ob Dei timorem, ſed ob diuitiarum cupiditatem. Exponit locum hunc Origenes. Adhuc autem vide, inquit, ne fortè ſecundùm ſimilitudinem templi, & auri poſiti in templo, intelligere debeamus altare & donum quod poſitum eſt

7

tum est super altare. Altare ergo, quod votum sanctificat, est hominis cor, quod principale habetur in homine; vota autem & dona, quæ ponuntur super altare, omne quod superponitur cordi: vt puta, proponis orare votum orationis, posuisti super cor tuum, quasi super quoddam altare, vt orationem offeras Deo. Proposuisti psallere; votum psalmorum posuisti super cor tuum, quasi super quoddam altare, vt offeras Deo votum psalmorum. Idem de Eleemosynis, ieiuniis, aliisq; pietatis operibus sentiendum est. Spirituale autem templum, docet Theophylactus, & altare, ipsum Christum: Aurum & donum, laudes & sacrificia precum significare, quæ in eo per eum offerimus: nõ enim ipse per hæc, sed ista per illum sanctificantur.

8 SEptimum vitium, Ficta & simulata iustitia: in reb. quidem paruis perspicax & lyncea, in rebus verò magnis cœca & stupida. Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham, & anethum, & cyminum; & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere: duces cœci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Quia decimatio illa oleris, quæ in præformationem futurorum erat vtilis, non debebat omitti: effici, inquit Hilarius, hoc oportebat; vt fidei, & iustitiæ, & misericordiæ partibus functi, non imitatione fingendæ, sed veritate retinendæ voluntatis operibus placeremus. Menthæ autẽ hæc & aliorum olerum decimatio potest intelligi dupliciter: vel actiuè, vel passiuè. Actiuè: Quicunque ministri templi acciperent decimas à populo, tamen de illis acceptis à populo, & de his quæ habebant ex labore suo, decimas reddebant summo sacerdoti, vt habetur Num. 18. & ideò ad simulationẽ sanctitatis, reddebant eis decimas de minimis; hoc etiam faciebant nomine cupiditatis, vt per exemplum sui inducerent populum ad reddendum sibi decimas de omnibus, vsque ad minima. Vel passiuè: Quòd per doctrinam suam inducebant ad decimas strictè soluendum sibi. Multa autem in lege pręcepta sunt, quæ typos præferant futurorum: alia verò aperta sunt, iuxta Psalmistam dicentem: Mandatum Domini lucidum, illuminans oculos. quæ statim opera desiderant. Verbi gratia: Non adulterabis. Non furtum facies. Non testimonium falsum dices, &c. Pharisæi autem, quia præceperat Dominus, propter alimoniam sacerdotum & Leuitarum, quorum pars erat Dominus, omnium rerum in templo offerri decimas; hoc vnum habebant studij, vt, quæ iussa fuerant, comportarentur: cætera quæ erant maiora, vtrumùis facerent, an non, paruipendebant. Ex hoc itaque capitulo arguebat eos auaritiæ, quòd studiosè etiam vilium olerum decimas exigant, & iudicium in disceptatione negotiorum, misericordiamq; in pauperes, pupillos, & viduas, & fidem in Deum, quæ magna sunt, prætermittant: duces cœci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Si autem oportet in eiusmodi Euangelij verbis etiam moralem assumere intellectum: sciendum est cum Origene, quoniam sicut mentha, & anethum, & cyminum, ciborum sunt cõdituræ, non ipsi principales cibi; sic in conuersationibus nostris quædam sunt principalia & necessaria ad iustificationem animarum nostrarum: qualia sunt hæc grauia legis, iudicium, & misericordia, & fides; alia autem, quasi condientia actus nostros, & commendantia eos, & suauiores eos facientia: vt puta abstinentia risus, ieiunium, flexio genuum, permansio in collectis, assiduitas communica-

tionis,& alia his similia,quæ non ipsæ iustitiæ sunt, sed conditure iustitiarum habentur. Res autem spiritales,quæ à semetipsis iustitiæ sunt, dicuntur iudicium,misericordia,& fides. Turpe est ergo in iis minimis obseruare,quod est decimare; rerum autem necessariarum obseruationes non offerre Deo,id est,non decimare. Camelum puto esse,secundùm sensum præsentis loci, & magnitudinem præceptorum, iudicium,& misericordiam & fidem. Culicē autem, decimas menthæ, anethi, & cymini, & reliquorum vilium olerum. Hæc contra præceptum Dei,quæ magna sunt, deuoramus atque negligimus, & opinionem religionis in paruis, quæ lucrum habent, diligentiam demonstramus.

OCtauum vitium Pharisaicum, Vasorum ac instrumentorum maior cura,quàm ipsorum puritatis mentis & corporis. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ,quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cœce: munda priùs quod intus est calicis & paropsidis, vt fiat & id, quod deforis est,mundum. Quo loco Hilarius: Ideò,inquit,interioris conscientiæ nitor est obtinendus, vt ea, quæ corporis sunt,forinsecus eluantur. Non quòd in calice & paropside eorum superstitio moraretur, sed quòd foris hominibus ostenderent sanctitatem in habitu,in sermone,in phylacteriis,in fimbriis,in orationum lōgitudine,& cæteris huiusmodi; intrinsecus autem essent vitiorum sordibus pleni. Lucas ita: Stulte,qui fecit quod deforis est,etiam id quod intus est fecit: inde vtrāque mundari voluit,quia vtramque naturam hominis fecit. Et Origenes locū hunc Euangelij subiectis exemplis illustrat. Scriptum est,inquit,Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, mœchatus est in corde suo. Iste ergo, qui abstinet se ab opere fornicationis,fornicatur autem in concupiscētia cordis sui,mundauit quod à foris est calicis,& paropsidis,aut catini; ab intus autem intemperantia plenus est. Sed & qui facit eleemosynas,vt gloriam ab omnibus consequatur; mundare quidem videtur quod à foris est calicis & paropsidis,faciens eleemosynam coram hominibus; ab intus autem plenus est cupiditate gloriæ. Et quidquid fecerit homo boni, non ex conscientia munda propter Deum,à foris quidem mundus videtur, ab intus autem plenus est malis. Sed & omnes falsi dogmatis professores,calices sunt à foris quasi mūdati propter speciem religionis,quam simulant,ab intus pleni rapina,seductione, quibus rapiunt homines in errorem, & lupi rapaces; sub pellibus ouium latitantes, & deuorantes animas simplices, qui videre eos non possunt lupos esse rapaces,propter ouilium pellium tegumentum.

NOnum vitium, Interna immunditia, ac sordes externo decore & splendore adornatæ. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris hominibus apparent speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum,& omni spurcitia; sic & vos à foris quidē apparetis hominibus iusti, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Munda priùs cor & conscientiam à concupiscentia,& prauis desideriis, à fraude & dolo, & sic foris per opera ostende veraciter sanctitatem. Hinc illud D. Chrysostomi: Vt quid vis apparere,quod non vis esse? nam quod turpe est apparere,turpius est esse: aut ergo esto quod appares, aut appare quod es. Quanquam

quam hypocrisis hæc valet; & contrá, illos, qui corporalia peccata, fornicationem, furtum, & cætera alia quasi grauissima, vt quidem non parua sunt, detestantur: spiritualia, quæ non minùs damnat apostolus, hoc est, amaritudinem, iram, indignationem, clamorem, superbiam, & cætera, vt leuia, contemnunt. Hanc Pharisaicam simulationem his verbis vetustissimus Irenæus insectatur: Cùm à foris rectè offerre putarentur, similem, inquit, zelum Cain habebant in semetipsis, propter quod & occiderunt iustum, prætermittentes consiliũ verbi, quemadmodum & Cain: Illi enim ait, Quiesce, & non assensit. Quiescere autem, quid est aliud, quàm desinere à proposito impetus? Et his similia dicens: Pharisæe, inquit, cœce; emunda quod est intus calicis, vt fiat & quod foris est mundum; & non audierunt. Ecce, inquit enim Ieremias, non sunt oculi tui nec cor tuum bonum, sed in cupiditate tua & ad sanguinem iustum, vt effundas eum, & ad iniustitiam, & ad homicidium, vt facias. Et iterum Isaias: Fecistis, inquit, consilium, non per me, & testamenta non per spiritum meum. Quærit denique Iustinus, quæstione 28. Cur Pharisæorum fictam religionem arguens Dominus, dixit eos esse sepulcra dealbata, ossibus mortuorũ plena, & omni immunditie? Respondet ita quæstioni propositæ: Comparauit, inquit, Dominus, fictam Pharisæorum religionem dealbatis sepulcris: quoniam, quemadmodum viuentium iudicio, abominabilis est mortuorum corporum fœtor & impuritas; sic & illorum improbitas abominabilis est iudicio piorum: quippe quæ quodammodo sit animæ eorum mors & fœtor, ac impuritas. Vt enim anima à corpore separata mortuum, fœtidúmque, & impurum corpus est: ita separato Dei metu ab anima, mortua est anima, & fœtida, ac impura.

11 VLtimum vitium Pharisaicum: erga prophetas, seruosq; Dei summa crudelitas & sæuities, ficta humanitate & commiseratione tecta. Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulcra prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non fuissemus socij eorum in sanguine prophetarum. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt: Et vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Non ex arbitrio vniuscuiusq; hominis est, cuius sit filius, boni viri, aut mali viri. Ergo neq; propter illud, quia ædificabant sepulcra prophetarum, & dicebant: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, nõ essemus rei, vel rei erant, vel innocentes: sed quia rebus ipsis, & similitudine facinorum testimonium sibi reddebant, esse se filios eorum, qui occiderunt prophetas, implentes mensuram patrum suorum, & adhuc adijcientes, quod fuerat minus, supplentes interfectionem prophetarum atque iustorum, interfectione Christi filij Dei Probato autem superioribus dictis, quòd filii essent homicidarum, & eorum qui prophetas occidissent; nunc concludit, quod voluerat, & quasi extremam syllogismi partem ponit: Et vos implete mensurã patrum vestrorum; quod illis defuit, vos adimplete. Illi interfecerunt seruos, vos Dominum crucifigite: illi prophetas, vos eum qui à prophetis prædicatus est. Vnde Hilarius: Qui prophetas cum grauissimo piaculo occisos fatentur, qua venia Christum, qui prophetarum scopus est, condemnabũt, cùm ea quæ detestantur, etiam multiplicato facinore perficiant? Neque, cùm dicit Implete,

cit Implete, iubet: sed quod facturi sint, ostendit. Quod autem addidit, Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? hoc ipsum & Ioannes Baptista dixerat. Sicut ergo de viperis nascuntur viperæ: sic de homicidis patribus, vos, inquit, nati estis homicidæ. Et Pharisaica quidem vitia hæc sunt, in quæ omnia etiamsi grauissimè Saluator noster inuectus sit; in nullum tamen magis, quàm in hypocrisin & simulationẽ; vtpote quæ Deo, & summæ veritati maximè sint contraria, & per omnia vitia sint fusa. Væ autem nobis miseris, inquit Hieronymus, ad quos Pharisæorum vitia transierũt.

NOtandum autem est hoc loco inprimis cum D. Irenæo, Cypriano item: Dominum nostrum Iesum Christum, regem, & iudicem, & Deum nostrum, vsque passionis diem seruâsse honorem pontificibus & sacerdotibus, quamùis illi nec timorem Dei, nec agnitionem seruâsset: illos autem redarguisse, quòd verba quidem legis annunciarent, essent autem sine dilectione, & propterea iniusti in Deum, & in proximum. 12

NOtandum secundò: vitam malam sacerdotum non præiudicare doctrinæ illorum, neque statim sequi, si aliquis peccauerit, vt & fidem amittere debeat, aut ordinem, aut ab Ecclesia excidere, aut erroneè docere, aut falsus propheta esse: nam isti Pharisæi, his vitiis præditi, principes tamen & antistites doctrinæ, & Ecclesiæ suæ, testimonio Christi fuerunt, illisque obtemperari iubetur, contrà quàm sentiunt hæretici, Anabaptistæ præsertim. 13

NOtandum tertiò cum Origene: Quemadmodum ante Christi aduentum super cathedram Moysis sedebant benè, qui benè, & secundùm rationem dicta Moysis interpretabantur; ita post aduentum Christi sedere super cathedram Ecclesiæ, quæ est cathedra Christi & thronus. Sicut autem super cathedram Moysis malè quidem sedebant scribæ & Pharisæi; benè autem qui rectè intelligebant legem, atque tradebant: sic & super Ecclesiasticam sedere quosdam, dicentes quæ facere oporteat vnumquemque, non autem faciẽtes, & alligantes onera grauia, imponere super humeros hominum, ipsos nec digito volentes ea mouere. De quibus dicebat Saluator: Quicunque soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Aliis autem sedentium facere antequam dicant, & dicere sapienter, moderantes differentias humerorum, & onera eis parcè imponere: ipsos ea priùs mouere ad exhortationem audientium cæterorum: de quibus ait Dominus, Qui autem fecerit, & docuerit sic, hic magnus vocabitur in regno Dei. 14

NOtandum quartò: bona à malis distinguenda esse, & quæ bona sunt, laudanda, sequenda: quæ mala, reprehendenda, abijcienda, eradicanda; quod Christus nunc facit: mala eradicat, exterminat, bona relinquit: hæresis contrà miscet omnia, bona cum malis eijcit, exuit: curandique sunt potiùs morbi, quàm ipsi ægri statim abijciendi: res corrigendæ, non simpliciter conuellendæ: quod nunc Christum Dominum facere videmus. 15

NOtandum quintò: Docere Origenem, turpe esse hoc nomine nominari, cuius 16

ri, cuius nec scientiam habet aliquis, nec actum. Amant, inquit, ab hominibus vocari Rabbi: aut aliquid simile huic: vtputa, qui volunt vocari Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi: cum deberet vnusquisque eorum, etiamsi vocaretur ab aliquo, vel conscientiam suam ostendere Deo, quoniam non vult hoc nomine nominari, cuius nec scientiam habet, nec actum: & si habet, tamen non debet velle vocari eo nomine, quod propriè alterius est. Propriè enim episcopus Dominus Iesus est, & presbyteri Abraham, Isaac, & Iacob: sicut manifestum est his, qui in Genesi considerant, quæ de semine eorum sunt scripta: vel cæteri, qui hoc nomine digni sunt habiti, quales fuerũt apostoli Christi. Diacones verò septem angeli sunt Dei, ad quorum mysteria septem diaconi in actibus sunt ordinati.

17 NOtandum sextò: non statim licere quibusuis ex plebe in vitam præpositorum suorum animaduertere, aut debachari, si nunc Christo Domino licet. Christus Dominus medicus fuit, Dominus vineæ fuit, hæres fuit, legislator & iudex fuit: cui pater omne iudicium dedit: peccatum non fecit: dolus non est inuentus in ore eius; at nos conserui sumus: puluis & vmbra sumus: mendaces sumus, toti in peccatis nati, & educati toti in illis. Eijciamus igitur primùm trabem, grauiora mortalia peccata, ex oculis nostris: deinde ex alienis festucam, minora & venialia, eijciemus. Qui sumus nos, qui de alienis seruis iudicemus? Si stant, Domino stant: si cadunt, Domino cadunt: illi nobis, non nos illis præfecti sumus: illi de nobis, non nos de illis rationem reddituri sumus. Qua de re videndus est Chrysostomus & Cyprianus.

18 NOtandum septimò: multas res natura sua esse non malas, quin potiùs bonas & laudabiles; si tamen illarum causa & prætextu maiora bona aliquando omittantur, in malis nonnunquam censeri; vt, decimare mentham, & anethum, & cyminum: vt lauare vasa templi, vt sepulcra prophetarum erigere, res sancta & Deo grata est; qui tamen propter hæc maiora omittebant, ideò quasi sint mala, accusantur.

19 NOtat octauò D. Hieronymus: Nec magister, inquit, nec pater vocandus est alius, nisi Deus pater, & Dominus noster Iesus Christus: Pater, quia ex ipso sunt omnia: Magister, quia per ipsum omnia: vel, quoniam per dispensationem carnis eius omnes reconciliati sumus Deo. Quæritur, quare aduersum hoc præceptum doctorem gentium Apostolus se esse dixerit: aut quomodo vulgato sermone, maximè in Palæstina & Ægypti monasteriis se inuicem patres vocent. Quod sic soluitur: Aliud esse naturâ patrem vel magistrum: aliud indulgentia. Nos, si hominem patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non autorem ostendimus vitæ, Magister quoque dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem: quomodo vnus per naturã Deus, & vnus filius, non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & filii; ita & vnus pater & magister non præiudicat aliis, vt abusiuè appellentur patres & magistri.

20 NOtat nonò Origenes: Simile est propositum Dei in maledictionibus legis proferendis in lege. Si autem illa maledictio, siue illud Væ pronunciatum, non

tum, non ex pronunciatione pronunciantis vnicuique contingit peccanti; sed ex peccatis ipsius peccantis, qui dignum se præbet ad susceptionem vel illarũ maledictionum, vel istorum væ, quæ Deus disciplinæ causa pronunciauit aduersus illos; vt conuertat illos ad bonum. Nam & pater increpãs filium, profert frequenter ad emendationem eius quosdam sermones, qui videntur esse maledictiones; & tamen non vult dignum fieri maledictionibus illis, sed auertere eum magis cupit ab illis.

NOtandum decimò: quoniam & eorum qui in gehenna futuri sunt, erit differentia tormentorum, quoniam alter quidem est simpliciter filius gehennæ, alter autem dupliciter. Sed & hoc videre oportet, si adhuc abundantiùs fiat aliquis filius gehennæ; vt puta tripliciter, vel multipliciter, secundùm multitudinem peccatorum: & si generaliter est, aliquem fieri filium gehennæ; vtputa, Iudæum vel gentilem, aut cuiuscunq; falsi dogmatis professorem; aut & specialiter, vt per singulas species peccatorum fiat quis filius gehennæ; vt puta, qui fornicatur, sit filius gehennæ: & qui adulteratur, dupliciter sit: & qui furtum facit, adhuc tripliciter, secundùm quod scriptum est: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis; vt iustus quidem secundùm numerum iustitiarum suarum augeatur in gloria; peccator autem secundùm numerum peccatorum suorum multiplicetur in gehenna. Væ vobis, inquit Saluator, scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos estis. 21

NOtandum vndecimò: ita legi Dei insistendum, vt traditiones non negligamus: ita traditiones colendas, vt nullam partem legis diuinæ prętermittamus. Hæc, inquit, oportuit facere, illa non omittere: quod contrá faciebat synagoga. Scriptum est enim in libro Sanhædrin: Grauiùs esse peccare in verba scribarum, quàm in verba legis. Qui enim dicit, non sunt tephilin, id est, phylacteria, transgrediens verba legis, Patur, id est, immunis est: qui verò ait, quòd quinque sunt Totaphoth, id est, phylacteria, (de quibus Deut. 6. cap. fit mentio) addendo verbis scribarum, reus est. Item in Midrás Deut: super verbum illud: Non declinabis à verbo quod annunciauerint tibi, ad dexteram, neque ad sinistram. Sic dicitur, Etiamsi ostenderint in oculis tuis de dextera, quòd sit sinistra, & de sinistra, quòd sit dextera, crede eis, vel obtempera. 22

NOtant hoc loco duodecimò Græci patres, Differentiam inter altare veteris synagogæ, & præsentis Ecclesiæ. In veteri lege altare donum sanctificabat, & maius erat ipso dono: Contrarium est in noua: maius est donũ, Christus ipse, corpus & sanguis eius, quàm altare; ipsa nimirum sedes tanti Domini: & hìc donum sanctificat, altare sanctificatur; quod pulchrè explicat Theophylactus: In veteri, inquit, lege, non concedit Christus, maius esse donum, quàm altare; apud nos autem altare magis sanctificatur à donis: panes enim in Dominicum illud corpus, diuina gratia, mutantur, propter quod ab illis & altare sanctificatur. Et Augustinus: Templum autem & altare ipsum Christum 23

ſum Chriſtum intelligimus: aurum & donum, laudes & ſacrificia quæ per eũ offerimus: non enim ille per hæc, ſed iſta per illum ſanctificantur.

24 NOtanda eſt item hoc loco ridicula Caluini ipſius cum Chriſto comparatio, dum in vniuerſum præpoſitorum gregem debachatur. Quemadmodum hodie in clerum Papalem aſperiùs cogimur detonare, non alia de cauſa, niſi vt qui dociles ſunt, ac non penitus reprobi, ad ſalutem ſuam attendant, & perculſi Dei iudicio, exitiales ſuperſtitionum, quibus captiui tenentur, laqueos abrumpant. Vnde colligitur, quàm crudelis ſit eorum mollities, quibus moleſta eſt noſtra vehementia: diſplicet illis, duriter & acerbè vexari lupos, qui laniandis ac vorandis ouibus aſsiduè inhiant. Hæc nouus Meſsias Caluinus. Notanda eſt etiam eiuſdem Caluini erga ſanctos Dei, eorumq; reliquias pietas: Nam apud illos pluris eſt, fruſtum putridi cadaueris tangere, quàm ſanctum vtriuſque teſtamenti volumen. Mentitur primùm magnus propheta, deinde blaſphemat. Hi ſunt floſculi hominis ineptiſsimi.

25 PRobata doctrina Phariſæorum, vita reprehenſa & damnata, quid in poſterum illos ea cauſa ſubſecuturum ſit, docet: ſe ſcilicet ad eos miſſurum prophetas, & ſapientes, & ſcribas: & eodem modo illos accepturos, quo priores acceperunt, ac poſtea omnem ſanguinem iuſtum, ab Abel vſque ad Zachariã, ſuper ipſos venturum: vrbem deſertam efficiendam: ipſos damnationi addicendos; nec primùm ipſum viſuros, quàm æternæ damnationis ſententiam contra ſe audituri ſint: oſtenditque, eos falsò iactâſſe, ſi fuiſſent tempore patrum ſuorum, ſe prophetas non occiſuros fuiſſe, cùm eos, quos ipſe ad eos miſſurus eſſet, atque adeò illum ipſum occiſuri ſint, recapitulationem effuſionis ſanguinis ab initio omnium iuſtorum & prophetarum in ſemetipſam futuram indicãs, & exquiſitionẽ ſanguinis ipſorũ per ſemetipſum. Non autem exquireretur hoc, niſi & ſaluari haberet: nec in ſemetipſo recapitulatus eſſet hæc Dominus; niſi & ipſe caro & ſanguis, ſecundùm principalem plaſmationem factus fuiſſet, ſaluans in ſemetipſo in fine, illud quod perierat in principio in Adam. Hæc Irenæus. Ecce ego mitto, inquit, ad vos prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem. Porrò per prophetas & ſcribas in toto genere, ſanctos apoſtolos primùm, deinde reliquos doctores, ac Confeſſores Eccleſiæ ſanctæ intelligi, & res ipſa, & omnes patres docẽt Qui enim prophetat, hominibus loquitur, inquit Paulus, ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem; hi autem, vt & veteres, à Deo mittebantur; vt & præcones eſſent maieſtatis eius, & correctores prauitatis humanæ, vt docet Lactantius. At quod ſuprà docuit, Omnem legem & prophetas vſq; ad Ioannem durare: non quia docere voluerit, non futuros fuiſſe poſt Ioannem: fuerunt enim & Agabus, & Sylas, & multi; ſed quia prophetia de Chriſto non erat ventura poſt eum. Ergo poſt Ioannem prophetia quidem de Chriſto futuro ceſſauit, prophetæ autem & fuerunt, & ſunt: ſed non qui prophetarẽt de Chriſto, ſed qui interpretarentur ea, quæ de Chriſto ab antiquis fuerant prophetata: id eſt, Doctores Eccleſiarum. Sed & omnes Chriſtiani prophetæ dicuntur, qui in regnum, & in ſacerdotium, & in prophetiam vngũtur: nec enim poteſt quis propheticos interpretari ſenſus, niſi habeat ſpiritum prophe

tiæ. Qua autem differentia distinguantur,D. Hieronymus pulchrè adnotat. Simul obserua,inquit,iuxta Apostolum scribentem ad Corinthios,varia dona discipulorum Christi: alios prophetas,qui ventura prædicent: alios sapientes,qui nouerant quando debeant proferre sermonem: alios scribas, in lege doctissimos,ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus,flagellati in Actibus apostolorum discipuli: & persecuti eos sunt de ciuitate in ciuitatem, expellentes de Iudæa,vt ad gentium populum transmigrarent,vt veniat super vos omnis sanguis iustus,qui effusus est super terram,à sanguine Abel iusti,vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ,quem occidistis inter templum & altare: hoc est,à primo ad nouissimum, quorũ vita, cædes, & iustitia notior est omnibus, quàm scribi debeat. Quemadmodum enim Abelem Cain ex inuidia occîdit, ita & illi Christum atque eius apostolos occisuri erant. Et idcirco Abel sanguis & Zachariæ in eorum posteritatẽ venturus ostenditur, quia iam in his habitans Christus & prædicans erat passus. Quòdsi creditum ei fuisset, non solùm extra pœnam necis prophetarum credentium fides fuerat; sed illam ipsam Dominicæ passionis sententiam esset venia consecuta. At verò,cùm nec post resurrectionem creditum ei fuerit, & iam vltio ab his Abelis & Zachariæ sanguis reposcitur. Cur autem Abel,qui primus fuit,& Zachariam, qui nequaquam vltimus fuit, ponere voluit? nisi fortè,quia per Abel pastorem,qui in campo, & Zachariam sacerdotem, qui in atrio templi necatus est,vtriusque gradus martyres esse debere,ex laicis, & ex altaris officio mancipatis,sub eorum voluit intimare vocabulo. Non me videbitis à modò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Et quando hoc dicturi sunt? Volentes quidem nunquam; nolentes autem, tempore secundi aduentus eius, quo venturus est cum potestate magna, & gloria,quando nulla erit vtilitas eius cognitionis. Amantis verò dictum est: Nequaquam me posthæc videbitis: vehementer siquidem amabat,verùm despiciebatur,& idcirco maximè dolebat. Posthæc autem dicens, non solum tempus illud significauit,sed totum, vsq; ad passionis tempus, post quod ampliùs non viderunt Deum; quanquam enim visus est quibusdam post resurrectionem,at non infidelibus Iudæis. Dum verò inquit: Ierusalem,Ierusalem, non saxa & ædificia ciuitatis,sed habitatores vocat, quam plangit patris affectu; sicut & in alio loco legimus,quòd videns eam fleuerit. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Hoc ipsum ex persona Ieremiæ iam antè dixerat: Reliqui domum meam: dimisi hæreditatem meam: facta est mihi hęreditas mea,quasi spelunca leenæ. Quod quia noluerũt, domus eorum deserta & vacua relinquetur: id est, indigni habitatione sancti spiritus erunt: sua enim domus,non Dei esse cœperunt; & in contumacia infidelitatis manentes,vsque in id tempus eum non videbunt, quo in Domini nomine reuertentem,etiam in vita infidelitatis confessione benedicent. Deserta Iudæorum domus,id est,templum illud,quod fulgebat augustius, oculis comprobamus: quia habitatorem Christum perdidit, & hæreditatem præripere gestiens, occidit hæredem. Dico enim vobis, non me videbitis à modò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini. Ad Ierusalem loquitur,& ad Iudęorum populum. Versiculum autem istum, quo & paruuli atque lactentes in ingressu Ierusalem Domini Saluatoris vsi sunt, quando dixerunt: Benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis: sumpsit de centesimo

decimo

decimoseptimo psalmo, qui manifestè de aduentu Domini scriptus est. Et quod dicit, hoc vult intelligi: Nisi pœnitentiam egeritis, & confessi fueritis, ipsum me esse, de quo prophetæ cecinerunt, filium omnipotentis patris: faciem meam non videbitis. Habent Iudæi datum sibi tempus pœnitentiæ, confiteantur benedictum qui venit in nomine Domini, & Christi ora conspicient. Tanquam amatam autem spretus ac desertus amans, geminatis vicibus, antequam puniat & perdat, compellat. Ierusalem, inquit, Ierusalem, quoties volui congregare, & noluisti. Quomodo enim, si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israël: conqueritur Dominus apud Ieremiam. Congregat autem Christus, disgregat diabolus; quare ideò nunquam hæretici conuenire possunt, quia à diabolo reguntur: denique, templum habebant pro inuicto propugnaculo, quasi in gremio Dei sederent.

26 NOtandum primò: missionem in omni functione expectandam esse, ac neminem debere sese in functionem prædicationis ingerere: Ecce ego mitto ad vos sapientes & scribas.

27 NOtandum secundò: non vnum genus hominum ad prædicationem Euangelij mitti debuisse, neque ex vno genere hominum Ecclesiam debuisse constare, vt hæretici nugantur, sed ex vario & multiplici. Ecce ego ad vos mitto prophetas, & sapientes, & scribas. quod latiùs D. Paulus explicat: Christus ascendens in altum, dedit dona hominibus; & alios quidem dedit prophetas, alios doctores, alios Euangelistas.

Eph. 4.
1 Cor 12.

28 TErtiò notandum est hoc loco, falsò docere hæreticos, rudes homines & idiotas ex fæce plebis Christum Dominum Ecclesiæ suæ præficere voluisse; cùm ipse planè contrarium testetur: Ecce ego ad vos mitto prophetas, sapientes, & scribas. Nam etsi à principio Apostoli rudes fuerunt; accepto tamen spiritu sancto, eam sapientiam ac dicendi vim assecuti fuerãt, cui non potuit resistere orbis: & eorum, qui in Apostolorum locum successerunt, ea fuit eruditio, quæ facilè omnem sapientiam mundi superauit: Irenæi, inquam, Areopagitæ, Iustini martyris, Origenis; vt interim eos relinquam qui his successerunt: sed isti, qui nihil ipsi sapere didicerint, sub hoc pallio ignorantiæ mendacij delitescere volunt, ac stultis & incautis imponere.

29 NOtandum quartò cum Origene: Si viderimus scribas legis, & pharisęos agentes, non solùm aduersus sapientes Euangelij, & quæ Christi sunt, prophetantes, sed etiam aduersus scribas noui testamenti; videbimus quomodo, quantum ad se, occidunt Christi prophetas, & scribas crucifigunt per detractionem verborum suorum, flagellant in synagogis suis. Frequenter ergo audire est apud hęreses, qui sunt spiritales Pharisęi, quomodo linguis suis, quasi quibusdam verberibus maliloquij sui, Christianos flagellant, & persequũtur de ciuitate in ciuitatem: interdum quidem & corporaliter, aliquando autẽ spiritualiter, volentes eos expellere, quasi de propria ciuitate legis, & prophetarum, & Euangelij, & Apostolorum; & in aliam, & extraneam quandam ciuitatem, Euangelij alicuius alterius, mendacibus persuasionib. suis, quasi persecutionibus pellunt. Secundùm quod & apostolus dicebat, propter falsos

apoſtolos: Miror, quòd ſic citò transferamini à gratia Dei, qui vos vocauit ad aliud Euangelium, quod non eſt aliud, niſi ſunt quidam, qui conturbant vos.

QVintò notandum: regulam ſcripturarum eſſe, duas generationes bonorum & malorum noſſe: hoc eſt, ſingulorum ſingulas. De bonis ſumamus exempla. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Cùmque plures, qui aſcenſuri ſunt in montem Domini, deſcripſiſſet, qui diuerſis fuêre ætatibus, poſtea infert: Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Et in alio loco de omnib. ſanctis: Generatio iuſtorum benedicetur. De malis verò, vt in præſenti loco: Generatio viperarum. Et: Requirentur omnia à generatione iſta. Et in Ezechiele, cùm peccata terræ deſcripſiſſet, ſermo propheticus adiecit: Si Noë, & Iob, & Daniel ibi fuerint inuenti, non dimittam peccata terræ illi: omnes iuſtos, qui ſimiles forent virtutibus eorum, per Noë, & Iob, & Daniel, volens intelligi. Ergo & iſti, qui ſimilia Cain & Ioas contra apoſtolos geſſerint, de vna generatione eſſe referuntur. 30

SExtò notandum: in eo, quod dicit, Quoties volui congregare filios tuos, omnes retrò prophetas à ſe miſſos teſtatur. Cùm igitur omnes prophetę à ſancto Ioua ſe miſſos fateantur eſſe, vno, inquam, vero Deo, Chriſtus filius Dei, verus Ioua ſit, contra omnem Arianam impietatem, oportet, vnius & eiuſdem naturæ, eſſentiæ, ac operationis cum patre. 31

NOtat hoc loco Euthymius: qui peccatorum nouit pœnas, & nihilominus eos imitatur, reus eſt, vt ab eo exigantur omnium ſupplicia; hoc eſt, pro vnoquoque pœnam luat, eò quòd exemplo eius ſeſe non refrænauerit Et ex illis occidetis, inquit, vt expetatur à vobis vltio cuiuſlibet cædis, quæ priùs contra iuſtos fuerat perpetrata. Audierant enim, quòd Cain ſeptem ſuppliciis dignus fuerat, Lamech verò ſeptuaginta ſeptem, eò quòd ſeſe non refrænâſſet exemplo. 32

NOtandæ autem ſunt circa præſentem locum, illum autem maximè: Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus: multæ dubitationes. Prima: quomodo debet pœna maiorum illos ſequi, cùm id pugnet cum Dei bonitate, quę non ſolet viſitare minores pro maioribus, nec maiorum peccata in minoribus punire: iuxta illud Ezechiel: 18. Quare non portabit filius iniquitatem patris? videlicet, quia filius iudicium & iuſtitiam operatus eſt: Omnia præcepta mea cuſtodiuit, & fecit illa, vita viuet; anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij: iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij erit ſuper eum. Secunda difficultas: Si Deus puniet poſteritatem pro peccatis maiorum; tamen id fit vſque ad quartam generationem. Atqui Abel iuſtus à Zacharia vix in centeſima generatione à ſe conſtiterunt: quomodo ergo ſanguis iuſti Abel veniet ſuper hos? Tertia difficultas: iſtos ipſos ſcribas & Phariſæos non deſcendiſſe à Cain, qui Abel occidit, ſed à Seth; vt patet Lucæ 3. Quomodo igitur deſcendet ſanguis iuſti Abel in eos? Quarta difficultas: quomodo 33

isti puniri debent, propter occisos prophetas, cùm iam parentes eorum puniti fuerint? quod latè docet Hieron: super Threnorum primum. Quæ difficultates torserunt gentiles, Iustinus 139. quæstione: peruerterunt hæreticos, Origenes Hom. 8. in Exodum. Tertullianus lib. 1. contra Martionem. Irenæus lib. 1. cap. 40. scandalizauerunt Iudæos: nostros dubios reddiderunt; ex quibus varij vario modo se explicant. Hieronymus dicit, venturam sanguinem, non in illos solùm Iudæos, sed in omnes malos, quicunque fuerunt; vt, si quis dicat, omnia homicidia in istam familiam incidunt; verùm hoc non cohæret: quia Christus ad illos loquitur præsentes. Irenæus in hunc locũ: Deus eos solos pastores punire docet, qui imitantur vitia maiorum. Gregorius item 15. Moral. cap. 31. Chrysostom: 75. Hom: in Matth: dicit, id euenire propter exemplum, quo non corriguntur; & præclarè, sed non planè sufficienter: quia multa sunt, quæ posteri imitari debent. Exemplum videre licet Iosue 7. Numer: 17. Genes. 19. 2. Reg. 12. & 24. Docti igitur, in quib. est Origenes 23. super Matth. difficultatem hanc totam per hæc capita explicant: Aliud esse, quando Deus ipsum punit aliquem: aliud, quando aliũ pro aliquo; & aliud est, non facere gratiam, & aliud, facere iustitiam. Propter alium tum punire videtur, cùm aliquis vltimus peccat; cui alioqui Deus condonaturus fuisset, nisi alij ante illum multa peccâssent. Dicitur igitur illum Deus punire pro aliis, non quòd ipse non peccâsset, nec quòd aliena peccatã in illum veniant; sed quod fortasè pro illo reus peccato eum non puniuisset, nisi alij ante illum peccâssent: quomodo rex aliquis, cùm multa ex aliqua familia multis condonâsset, qua eius indulgentia in dies multi alij deteriores efficerentur, vltimum tandem punit. Si idem deliquerit, alioqui non puniturus, nisi primi illi deliquissent; & ita illorum peccata in eum venire dicuntur; non sine tamen eius peccato. Hoc idem & alio simili autor Operis Imperfecti illustrat: Cùm, inquit, serui tui peccant, expolias vnum, & iterum parcis ei, dicens: Nisi obseruaueris, hoc passurus es: similiter facis & alteri. Non meliorantibus verò eis, si incurrerit vnus, castigatur secundùm suum peccatũ: & videtur quidem pro omnibus ille solus castigatus: quia, quod aliis est promissum, illi est redditum. Reuera autem non pro aliis castigatus est, sed pro se: quia secundùm meritum culpæ suæ castigatus est. Ille enim pro aliis dicitur castigari, qui aliis peccantibus, ipse castigatur non peccans; qui autem peccans castigatur, non pro aliis, sed pro se castigatur. Sic & generatio ista, pro patribus quidem suis videtur punita: quia illi territi sunt, isti puniti. Verè autem non pro aliis, sed pro se condemnati sunt: quia sic peccantes, iustè damnati sunt. Verum igitur est Ezechielis: quia Deus pro alienis peccatis non punit, nisi propria intercesserint. Verus & hic præsens locus, quia fortasè Deus isti vltimo gratiam fecisset, nisi illi primi peccâssent; nec facit iniuriam, aut iniustitiam, sed non facit gratiam. Secundum caput: Aliud esse in filiis castigare patres: aliud, ipsos filios ob scelus parentum & suum. Primum tantùm ad quartam generationẽ durat, quàmdiu ipsi parentes, eorumq; proximi, fructum peccatorum suorum videre posint, vt D. Thomas distinguit; posterius autem tempore etiam crescit: quantò enim plura exempla fuerint peccati, pluresq; irritauerint Dominum, tãtò grauiùs & procliuiùs vltimi puniuntur. Tertium caput: Non pœna maiorum, sed sua quemq; ob eius delicta puniri, & ideò nihil referre, si sint illorum maiores, si alieni, vt Cain: si ipsi item

si item puniti maiores, si non; imò si puniti sunt, & non corriguntur, alij magis puniuntur, & ob exemplum, & ob contemptum. Defatigatur siquidem Dominus perferendo, & proinde nobis maximè metuendum est, qui vltimis temporibus nati sumus, & qui post tot tantorumq; ruinas cautè non incedimus, nec citò resurgimus. Vomit autem hoc loco contra æterni parentis voluntatem & iustitiam plena impietatis verba, homo infelici sorte genitus Caluinus: piget omnia referre; ex his paucis reliqua cogitentur. Quòd subinde vobis cælitùs ordinati sunt prophetæ, frustrà & stultè hoc decus obtunditis: aliud enim arcano iudicio suo statuit Deus, vt continua benignæ inuitationis serie palàm detegeret impiam vestram peruicaciam; qua conuicta, filios cum patribus eodem inuolueret exitio. Et illa: Porrò docet hic locus, Deum non semper hominibus salutem conferre, quoties verbum illis suum destinat, sed reprobis interdum velle anunciari, quos fore obstinatos nouit, vt sit illis odor mortis in mortem. Hanc ille suam sobrietatem vocat; huius tamen nomine nunc tot millia hominum & anima & corpore cadunt.

NOtandum item est iisdem verbis, ex eodem propheta sumptis, Iudæos in futuro iudicio, iudicem futurum compellaturos, quibus aliquando in die palmarum pueri compellarunt: Benedictus qui venit in nomine Domini; quod isti peracerbè propter inuidiam acceperant. 34

NOtat item hoc loco D. Irenæus integritatem liberi arbitrii nostri, dum inquit, Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti? Veterem legem libertatis hominis manifestauit: quia liberum eum Deus fecit, ab initio habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad vtendum sententia Dei voluntariè, & non coactum à Deo. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus; posuit autem in homine potestatem electionis, quemadmodum & in angelis. Etenim angeli rationabiles, vt hi quidem, qui obedîssent, iustè bonum sint possidentes, datum quidem à Deo, seruatum verò ab ipsis. Qui autem non obedierunt iustè, non inuenientur cum bonis, & meritam pœnam perciperent. Quoniam Deus quidem dedit benignè bonum, ipsi verò non custodierunt diligenter illud, neq; preciosum arbitrati sunt, sed super eminentiam bonitatis contempserunt. Abijcientes igitur bonum, & quasi respuentes, meritò omnes iustum iudicium incident Dei; quemadmodum & Apostolus Paulus in ea epistola quæ est ad Romanos testificatus est, dicens ita: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longaminitatis contemnis? ignorans quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te adducit: secundùm autem duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibimetipsi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicii Dei. Gloria autem & honor, inquit, omni operanti bonum. Dedit ergo bonum, quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem Epistola & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quando fuerint bonum, cùm possint non operari illud; hi autem qui illud non operantur iudicium iustum recipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cùm possent operari illud. Hæc Irenæus. Maledicit hoc loco magna bestia Caluinus, ciuitati sanctæ, quã temerè & sine causa verba illius doceant. Conferat nunc Papa latrocinii sui sedem cum sancta illa vrbe; quid pari honore dignum reperiet? 35

reperiet? Iactant nobis mercenarii eius adulatores fidem illic olim viguisse. Quod vt verum esse demus, si hodie constat perfida defectione alienatam esse à Christo, & innumeris sacrilegiis refertam, quàm stultè ei honorem primatus affixum esse contendunt. Hæc calumniator. Illa D. Paulus: Gratias, inquit ago Deo meo, quòd annũciatur fides vestra iu vniuerso orbe. Sedes hæc Petri fuit; atqui pro Petro orauit Dominus, ne deficeret fides eius: & sedis igitur illius.]

36 QVAESTIONES S. AVGVSTINI. PRIMA: Quod Dominus dixit: Quid enim maius est, aurum, an templum, per quod sanctificatur aurum? Et item dixit: Quid enim maius est, donum, an altare, quod sanctificat donum? Intelligendum templum & altare ipsum Christum, aurum & donum, laudes & sacrificia precum, quæ in eo per eum offerimus. Non enim ille per hæc, sed ista per illum sanctificantur.

SECVNDA: Quod Dominus dixit: Excolantes culicem: refertur ad id quod dixit, decimare illos minuta quæque, camelum glutientes, refertur ad id quod dixit: Præterita grauiora legis, misericordiam, & iudicium, & fidem; vt iste sit sensus: minima obseruatis, maxima contemnitis. Ex hac enim peruersitate etiam illud eis accidit, quò possunt hæc per allegoriam referri, vt dimitterent Barrabam, quia videlicet non soluerat sabbathum: quòd magna diligentia carnaliter obseruabant sabbathum; occiderunt autem Dominum, spiritaliter sabbathum insinuãtem, per misericordiam, & iudicium, & fidem, quæ illi maximè contemnebant. Nam & culicis nomine non absurdè figuratur seditiosus homicida: quia hoc animal & strependo inquietat, & sanguine delectatur: & cameli nomine propter humilitatem se ad subeunda munera submittentis propter magnitudinem, intelligitur congruenter Dominus.

TERTIA: Quod dixit Dominus ad Ierusalem: Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat filios suos sub alas suas, & noluisti. Hoc genus animantis magnum affectum in filios habet; ita, vt eorum infirmitate affecta, & ipsa infirmetur, &, quòd difficiliùs in cæteris animantibus inuenies, alis suis filios protegens, contra miluum pugnat: sic etiam mater nostra, sapientia Dei, per carnis susceptionem infirmata est quodammodo. Vnde & apostolus dicit: Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: protegit infirmitatem nostram; & resistit diabolo, ne nos rapiat. In qua defensione, quod illa aduersus miluum conatur affectu, hæc aduersus diabolum perficit potestate.

Caput XXIIII.



REFVTATIS SCRIBIS ET PHARISAEIS, TVRBIS, DOCTRINA Euangelij completa, instructis, cum secretioris doctrinæ discipulis ac secretariis, in solum se locum confert, montem, inquam, oliuarum: ac quemadmodum antea præterita ac præsentia illis explicauit; ita nunc futura ac nouissima ad finem vsque mundi, quod propriè diuinum fuit, illis explicat: quid, inquam, nouissimis temporibus futurum erat: quomodo mala cognoscenda, &

da,& fugienda; bona autem consequenda: ac qua cautione,diligentia,quod superest vitæ,viuendum. Accedunt siquidem ad eum discipuli eius,tria perscrutantur: Quo tempore Ierusalem destruenda sit: quo venturus Christus: quo consumatio seculi futura sit: omnibus enim laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat vbi est mansio: mercenarius frequenter computat quando annus completur: agricola semper tempus mesis expectat: negotiator die ac nocte thecæ suæ discutit rationem: mulier prægnans, semper de decimo mense cogitat; sic & serui Dei libenter de consummatione seculi requirunt. Ille igitur ordine suo illis ea omnia narrat, vt memores nouissimorum,in æternum non peccent. Huc igitur & nos animos intendamus, atque hos subdifficiles scopulos, Dei auxilio adiuti, commonstremus. Quanquam autem distincta tria sunt illa, de quibus diximus, quæ Apostoli ex Domino cognoscere voluerunt; ita tamen coniunctè tractantur,vt,quid aliquo loco explicetur,difficilè conijcere posis. Id autem eas ob causas fit: partim,quòd sacra scriptura sua difficultate non careat: partim,quòd res ipsæ valde coniunctæ sunt; ita, vt vix tractatione separari possint. Nam & extremum Hierosolymæ excidium, figura fuit & imago futuri mundi interitus; ita,quod vni conuenit, alteri optimè accommodari posit. Signa vtriusque planè communia,exitus idem: & aduentus Mesiæ secundus, vix à consummatione mundi separari potest: signa item eadem omnia, imò negotium quasi idem. Partim ea est causa eius difficultatis, quòd, quæ apostoli sperauerunt paulò pòst futura, eadem serò demum euenerunt: & quæ illi carnalia intellexerunt,& in hac vita finienda,ea spiritualia & æterna debebant esse. Partim,quòd,vt res quoque ipse debebant certisimè euenire, ita tempus earum incertisimum propter nostram cautionem essedebuit; vtvt tamen est, res ipsa à deuastatione templi, & quæ consequebatur, vrbis, incipit. Egreditur siquidem Iesus de templo: iter continuat: accedunt discipuli,demonstrant maiestatem & ædificationes templi. Tanquam commouendus ambitione templi esset,magnificentia ei extructionis ostenditur: ex ea occasione,quòd nuper ad Pharisæos dixerat: Relinquetur vobis domus vestra deserta; per domum sine dubio templum intelligens. Vt quidem destruenda omnia erant, & dispersis totius substructionis lapidibus,diruenda: templum enim æternum ad habitationem sancti spiritus consecrabatur, homo,scilicet, per agnitionem filij, & confesionem patris, & præceptorum obedientiam, Deo fieri dignum habitaculum. Ipse Christus primam aggreditur quæstionem de deuastatione templi,& vrbis: Videtis,inquit,hæc omnia: antiquitatem,opus,dignitatem,sanctitatem,maiestatem. Amen dico vobis,non relinquetur hìc lapis super lapidem, qui non destruatur. Dum hæc loquuntur, ad montem Oliueti perueniunt: considet more suo in eo monte magister, vbi verum lumen scientiæ nascebatur: accedunt discipuli secretò, ac de re maximi momenti interrogant: Dic nobis,quando hæc erunt,tanta labes templi & vrbis: & quod signum aduentus tui,& consummationis seculi? Coniunctè de tribus quærunt,quæ paulò post simul euentura credebant. Notat autem Lyranus, quòd istæ quæstiones sibi factæ fuerint super montem Oliueti rationabiliter,quia locus iste distabat à ciuitate vno miliari: & sic ciuitas illa & templum,ex illo loco clarisimè videbantur: qua occasione de tempore destructionis illius ibi quæritur; similiter etiam iudicium extremum futurum est

turum est circa illum locum, vt habetur Ioël 3. ideò conuenienter fit ibi quæstio, & de futuro iudicio. Quoniam autem ea omnia, quæ proposita sunt, ex eo pendebant, quando hæc fient, & quæ signa istorum: hoc est, ex ipso tempore: nam & apostoli ipsi putabant, hæc in dies futura, Messiam aduenturũ, regnumque constituturum. Partim, quòd hoc tempus venerat, in quo certus aduentus sperabatur; vt quidem reuera fuit. Partim, quòd iam plurimi sese pro futuro Messia gerebant, ac offerebant: qualis fuit Teudas, Iudas Galilæus, Simon. Nam tempore apostolorum tantùmmodò seminatæ sunt hæreses: tempore autem regis Christiani germinauerunt: nostris autem temporibus maturescere & præualere debebant. Ac quemadmodum homo circa mortem phantasias videt: sic & mundus in exitu suo multos pati debet errores. Ideò Christus Dominus ab hoc orditur, non quòd tempus certum præfiniat, quod in sola scientia est patris; sed vt eos commoneat, ne turbentur, néue illis facilè credant, qui hæc iamiam futura esse, ac instare dicturi erant, ac sese pro Messia vendicabant, ac qui postea in omnibus seculis sese inferre, populum Dei turbare, ac pro Christis ingerere debebant. Proponit autem ea signa, quæ pro certis indiciis aduentus Messiæ futuriq; iudicii obijci debebãt; nec tam ipsa mala, quàm initia quædam præcurrentia malorum erant futura. Respondit ergo Iesus: Videte, inquit, ne quis vos seducat: neque enim adhuc tempus aduênit, quod vos putatis, nec ita citò aduenturum est; sed multi priùs venient in nomine meo, dicentes, se esse Christos & Messias, veros doctores & magistros, & multos seducent: hoc est, post se ducent, atque etiam signa quædam conspicientur: nam audituri estis prœlia, & opiniones prœliorum, tanquam Messias bella paret, exercitus conscribat. Vel iuxta Euthymium bella dicit, quæ mota sunt contra Hierosolymam: rumores autem bellorum, contra alias Iudæorum ciuitates; quos factos fuisse scribit Iosephus, antequam caperetur Ierusalem: siquidem contra Romanos rebellare cœpit Iudæa, ac tributum exoluere nolebat. Romani verò, non ferentes iniuriam, expeditionem in illos parauerunt. Videte ne turbemini: oportet enim hæc in rebus humanis fieri, sed nondum finis. Ne terreamini, inquit, quasi his turbis, & bellis ac rumoribus prædicatio vestra impediri debeat. Consurget item gens contra gentem, & erunt pestilentiæ & fames per loca: & erũt quidem hæc omnia, non tam ipsa mala, quàm præcurrentia quædam initia malorum ac dolorum. Vnde præclarè D, Gregorius: Post bella & seditiones non statim finis, quia multa mala debent præcurrere, vt valeant mala sine fine nunciare. Eorum autem alia è cælo, alia è terra, alia ab elementis, alia ab hominibus: surget gens; ecce perturbatio hominum: Terræ motus; ecce respectus iræ desuper: Pestilentia; ecce inæqualitas corporum: Fames; ecce sterilitas terræ: terrores de cælo & tempestates, secundùm Lucam; ecce inæqualitas aëris. Omnia ergo consummanda conturbantur; vt, qui in omnibus deliquimus, in omnibus feriamur. Vnde: Pugnabit pro eo orbis terrarum, contra insensatos. Sicut enim ægrotant corpora ante mortem eorũ, qui vim non extrinsecus patiuntur: & quemadmodum in omnibus per infirmitatem fit via ad separandam animam à corpore suo; sic talis & tanta creatura mundi, cùm corrumpi cœperit, quasi initium habens & finem: quoniam quæ videntur, temporalia sunt: & quia cælum & terra transibunt, necesse est ante corruptionem vt langueat: vt terra quidem frequentiùs terræ motibus

 conquassetur;

conquassetur; aër autem, vim quandam morbiferam concipiens, pestilens fiat. Adhuc autem & vitalis virtus terræ, repentè deficiens, suffocet fructus, & omnes naturas arborum deficiens generatrix earum virtus. Gentes autem sociæ Romanorum, in gentes Iudæis fœderatas, & regna auxiliaria Romanis, in regna auxiliaria Iudæis, consurgent, ac illis rebellabunt; & propterea erunt fortia horum bella. Sed nec vos quidem ipsi immunes eritis ab his malis. Tunc enim tradent vos in tribulationem, & occîdent vos: & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum: parentibus, cognatis, amicis, contribulibus, familiaribus, hospitibus, principibus, subditis; &, vt semel dicam, omnibus, qui alieni sunt à prædicatione. Vbi autem tristia prædixit, consolationem deinceps subiunxit, dicens, Propter me: nam id significat, Propter nomen meum. Et verè magna discipulis erat consolatio, pati propter ipsum, qui propter ipsos paulò post acerbè & crudeliter passurus erat. Discipuli enim, cùm in præcedentibus de extrema Iudæorum vltione audîssent, tanquam ad alienam calamitatem, quæ nihil eos tangeret, negligenter se ad eam habebant, & sola ea tunc somniabant bona, quæ absque tumultu in secundo Christi aduentu ventura erant; propter quæ etiam interrogationem produxerant. Christus itaque hoc loco illis laboriosa pronunciat, constituens eos certaminum præfectos. Quos & duplicem ob causam vigilare iubet; tum ne à seductoribus fallantur, tum, ne bellorum rumore turbentur. Nec tamen illos mirari iubet, si tam malè illos homines accepturi sint, qui cõtrariam planè mundo doctrinam ferant: quandoquidem & ipsi multa scandala ab illis, qui decepturi sunt, accipient, ac inter se inusitatis odiis committentur. Et tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem. Quod principio factum legimus prædicationis Euangelicæ, & nunc per partes agitur; maximè autem erit, Antichristo in fine seculi aduenienie, quando magnitudine tormentorum, & portentis signorum multi scãdalizabuntur: & multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Vides, inquit Chrysostomus, bellum triplex futurum: Vnum ab hostibus: alterum, à seductoribus: tertium, à falsis fratribus. Audi nunc Paulum de his plangentem, atque dicentem: De foris pugnæ; intus timores, & pericula in falsis fratribus. Hinc illud D. Iustini martyris: Multos, inquit, pseudoprophetas, pseudochristosq; venturos in suo nomine, Christus Dominus prædixit, & decepturos multos; id quod euênit: nam multi opiniones impias, blasphemas, iniquas, abusi eius nomine, docuerunt, & instinctu impuri spiritus, docent hodieque; qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Addit & illud Saluator noster, vtrique excidio commune signum, Euangelij prædicationem: nam & antequam Hierosolyma expugnata est, omnes propemodum illæ gentes conuersæ sunt, quarũ auditæ sunt voces & linguæ in die Pentecostes. Quæ res maximum argumentum, inquit D. Chrysostomus, omnipotentiæ Christi est: Viginti enim annis, aut, ad summum, triginta, ad omnes oras orbis Euangelium transcurrit: & ante consummationem seculi conuertentur omnes gentes ex Euangelio, ex gente in gentem commigrando; quod nunc manifestè fieri videmus. Reliquiæ autem Iudæorum conuertentur ad vesperam: famem patientur, vt canes, & circumibunt ciuitatem. Hæc igitur nunc prædicantur. Et prædicabitur, inquit, hoc Euangelium regni in vniuerso

vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. In testimonium autem, interpretatur D. Chrysostomus, non credentibus vbique prædicabitur; hoc est, in redargutionem, reprehensionem, & testimonium. Nam qui crediderunt, aduersus incredulos testabuntur, & condemnabunt eos: idcirco, posteaquàm Euangelium in vniuerso orbe prædicatum fuerit, Hierosolyma euertetur, vt nec vmbra excusationis ingratis relinqueretur. Nam qui potentiam eius in breuissimo temporis spatio per totũ orbem, quasi fulgur rutilasse viderunt, quam veniam habebunt, in duritie permanentes? Hinc demonstrauit, quòd multa pericula prædicationem superabunt: & ita magnam prædicatoribus iniecit consolationem, quòd voti sui compotes erunt, quia nihil eis erit obstaculo, si modò perseuerauerint. Marcus autem manifestiùs dicit: Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium. Sed de omnibus his signis, quæ hucusque recensita sunt, ipse D. Hieronymus quid sentiat, iuuat apponere. Quod prædicit, inquit, multos venturos, qui se dicturi erãt Christos, eorum vnus fuit Samaritanus, quem in Actis apostolorum legimus, qui se magnam dicebat Dei esse virtutem; hæc quoque inter cætera in suis voluminibus scripta dimittens: Ego sum sermo Dei: ego sum speciosus: ego paracletus: ego omnipotens: ego omnia Dei. Quod autem dicitur: Regnum contra regnum consurget; non ambigo, inquit, & hæc quidem iuxta literam futura, quæ scripta sunt: sed mihi videtur, regnum contra regnum: & pestilentia eorum, quorum sermo serpit vt cancer: & fames audiendi verbum Dei: & commotio vniuersæ terræ, & à vera fide separatio, in hæreticis magis intelligi: quia contra inuicem dimicantes, Ecclesiæ victoriam faciunt. Quod autem dixit: Hæc autem omnia initia sunt dolorum; meliùs transfertur, Parturitionum: vt quasi conceptus quidam aduentus Antichristi, non partus intelligatur. Quod autem dicit, tradendos esse in tribulationem, & occidendos, & odio omnibus gentibus propter nomen suum futuros; per apostolos, omnium credentium personam signat: non quò eo tempore apostoli in corpore reperiendi sint. Quod verò dixit: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorũ; non omnium negauit fidem, sed multorum. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi: nam in apostolis & similibus eorum permansura est charitas, de qua scriptum est: Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Et ipse Paulus: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?

2 NOtandum primò: & vrbis expugnationem, & mundi interitum, signa quædam debuisse præcedere, quæ illorũ extrema tempora designatura erant. Vt enim in corporibus nostris morituris, signa quædam, quæ medici prognostica vocant, futuræ mortis antecedere solent; ita occasum Reip. ac vniuersi mundi multa & varia signa antecedere debuerunt: partim, propter iustos, vt illis signum detur, vt fugiant à facie arcus: partim, propter iniustos, vt terreantur, & ad pœnitentiam reuocentur; quod item in excidio Hierosolymæ, atq; etiam ipsius mundi occasu euenire debet.

3 SEcundò notandum: ea signa, quæ hîc enumerantur, quæ potiùs Christus Dominus dolorum initia vocat, in duplici differentia esse: alia propria, alia com-

alia communia. Propria illa voco, quæ vel ad ſolius vrbis excidiũ deſignandum, vel ad exitum ſolum mundi decernendum, comparata ſunt. Communia autem illa, quæ ad vtrumque referuntur: & alia excidio vrbis ſeruiunt: alia extremo iudicio.

4 TErtiò notandum: Chriſtum Dominum ab illis ſignis tractationem ſuã incepiſſe, quæ vrbis excidium prædicabant, ac demum ad illa, quæ totius vniuerſi exitum declarabant, deueniſſe.

5 QVartò notandum: communium ſignorum multa genera eſſe. Primum eſt: Multorum fallax in nomine Meſsiæ & prophetarum aduentus: Multi, inquit, venient in nomine meo. Secundum: prœlia multa, & opiniones illorum. Tertium: motus & rebellio gentis aduerſus gentem, & regni aduerſus regnum. Quartum: peſtilentiæ, & fames, & terræ motus. Quintum: tribulatio, & perſecutio ſanctorum. Sextum: ſcandala, inimicitiæ mutuæ, fraudes & proditiones. Septimum: falſi prophetæ conſurgent, & ſeducent multos. Octauum: abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas. Nonum: prædicatio Euangelij. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & veniet conſummatio.

6 NOtanda eſt hoc loco cum D. Chryſoſtomo Chriſti Domini virtus mirabilis: videlicet, qui temporibus illis prædicabant, quando maximè Iudæi omnes pellebantur: quando quaſi ſeditioſi ac improbi obſeruabantur: quando vndique illos exterminandos eſſe Cæſar iam iuſſerat: neq; aliter fiebat quàm ſi is, qui, cùm maria vndique inſurgant: cùm tenebris aër obductus ſit: cùm crebrò, atque alia ſuper aliam naufragio nauis ſubmergatur: cùm inter ſe nautæ qui ſuperſunt omnes diſsideant: cùm beluæ de profundo emergant, vnàq; cum fluctibus nauigantes arripiant: cùm fulmina iaciantur: piratæ inſidientur, nulla fides ſit inter eos, qui in nauigio ſunt: tunc, inquam, iubeat aliquis, vt maris & nauigandi imperiti gubernacula teneant, & nauali bello cõtendant: cùmq; claſsis maxima, ſimul & inſtructiſsima, ex aduerſo aggrediatur, vnam habentibus nauiculam, & eam ita, vt diximus, miſerè apparatam, in aduerſam & maximam claſſem inſurgere iuberet, ac eis victoriam pollicitaretur. Nam & à gentibus quaſi Iudæi odio habebantur, & à Iudæis acriter impugnabantur, quaſi legem ipſorum ſoluentes; ita nullibi quieſcere poterant, cùm vbique præcipitia eſſent: acuti ſcopuli ſtarent: cautes ac ſaxa ſubeſſent latentia: in ciuitatibus, in regionibus, in domibus, omnes vnà & ſinguli eos aggrediebantur: imperatores, principes, qui priuati & cum poteſtate erant, vniuerſæ gentes, ac omnes populi. Sic tanta turbatio erat, vt nullus oratione aſſequi poſſet. Valde namque Romanorum principatus Iudęos perſequebatur: quoniam mille aduerſus eos excogitabant inſidias; nec tamen hinc vel minimam iacturam prædicatio habuit: ſed capta vrbe atque cremata, & habitantibus miſerrimè afflictis, qui inde erant apoſtoli, nouas leges, & noua præcepta viuendi Romanis vel inuitis imponebant. O rem nouam, atque inauditam in natura! Iudæorum innumera millia Romani tunc vicerunt atque ceperunt, & à duodecim viris nudis atque inermibus ſuperati ſunt. Quæ oratio exponere poterit tanti miraculi magnitudinem? Duo enim hæc dicentibus

centibus inesse oportet; vt autoritate polleant, & ab audientibus diligantur: & adhæc tertium, vt ea dicantur, quæ audienti placeant, & in tempore quietis prædicentur; quæ omnia tunc omninò contraria erant. Nec enim per autoritatem fide digni putabantur: & qui fide digni esse videbantur, seducentes decipientesq; multos, faciebant; vt apostoli non solùm non diligerentur, verùm etiam vt odio ab omnibus haberentur, & cum dilectis conuersari non possent; ita vndique à gente, à patria, à legibusque suis depellebantur. Ac rursus magna in ipsis apostolorum præceptis videbatur esse durities: è regione verò magna, in priore vita, vnde homines abducebant, voluptas: preterea tam ipsi, quàm sequentes eos, multis subiecti periculis, variisque mortis generibus crudeliter trucidabantur: & adhæc omnia, tumultus & turbationes bellorum adeò difficilem rem faciebant, vt, etsi nihil aliud resisteret, omnia tamen hinc dissolui facilè possent. Quare opportunum est exclamare: Quis loquetur potētias Domini: auditas faciet omnes laudes eius? Nam si Ægyptij Moysi facienti signa, vt lutum solùmmodo, ac lateres haberent, non auscultârunt; quis persuasit apostolorum discipulis, pro quieta voluptuosaq; vita pericula, effusionem sanguinis, quotidianamq; mortem eligere; præsertim cùm alienigenæ, capitalesq; hostes, qui prædicabant, crederētur? Quod, vt videas quantum sit, quantumq; vires excedat humanas, finge non in gentes, non in ciuitates ac populos, sed in domum vnam quampiam, qui odio habeatur introire, vt cohabitantes ibi diuidat atq; dirimat, abducatq; patrem à liberis, liberos à matre, ab amantissima vxore maritū; & videbis, antequā aperire os, mutireq; possit, discerptum atq; dilaniatum. Quòdsi etiam de contemptis hominibus esse videatur, & onerosa imperans, philosophari deliciis deditos iubeat, & vnus ad multos certare audeat; nonne antequam ad ianuā accedat, lapidibus obrutus iacebit? Id igitur quod in vna domo facere impossibile est, in vniuerso terrarum orbe Christus per præcipitia, ignes, prærupta, scopulos, per bella, terra mariq; frementia, discipulis missis perfecit.

7 NOtandum quintò: quòd pseudoprophetarum aduentus, etsi commune sit signum, & malum omnium temporum; propiùs tamen quàm alia, ad Christi aduentum designandum refertur. Itaq; cùm singulæ ætates, singulas ferè hæreses protulissent; nūc temporibus his nouissimis, omnes quasi simul iam olim ex orco cōsepultæ rediuiuæ apparēt: ita vt nulla sit pars Christianæ doctrinæ, quam aliqua hæresis non contaminârit: nec aliqua pars reipublicæ Christianæ; sed quasi iam tota laboret, ita vt non dubium sit, propè iam aduentum Domini imminere.

8 NOtandum sextò est: fidei Catholicæ atq; Euangelii prædicationem ad vniuersas gentes, proximum esse signum aduentus Domini: debet enim hoc Euangelium prædicari in vniuerso orbe, non quidē simul vbique, sed successione quadam, ac per cōmigrationem. Quemadmodum enim sol illustrat vniuersum orbem non simul, sed per successionem: ita & Euangelii nomen illustrare debet per commigrationem quandam, nec priùs finem prædicationis verbi futurum, nisi totum peragrârit orbem. Inuisit primùm Asiam: Græciam deinde: pòst Italiam: demum Sarmatiam, ac reliquas Septentrionis partes; nunc in Iapone, ac reliquis nouè repertis insulis prædicatur.

SEquuntur deinceps iam alia magis proxima ſigna atq; indicia aduentus futuri. Cùm abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto videbunt, tunc claritatis reditum intelligendum. Arduus & difficilis hic locus ſemper noſtris viſus eſt, cùm natura ſua (de hoc enim loco multa Porphyrius 13. operis ſui volumine contra nos blaſphemauit, cui Euſebius Cæſarienſis tribus reſpondit voluminibus) tum ipſa Patrum varia eius loci interpretatione. Quidam enim ex illis, hiq; antiquiſsimi, ad vltima extremi iudicii tempora, ipſiuſq; Antichriſti aduentum, hanc fœdam abominationem in loco ſancto ſedentem, ac ſe Deum facientem, referunt. In his eſt Irenæus vetuſtiſsimus pater, ac temporibus Apoſtolorum peruicinus lib. 4. contra hæreſes. Idem ſentit D. Hilarius: idem D. Hieronymus, magni & excellentes viri. quidam rurſus ad ipſam Hieroſolymæ vrbis expugnationem, Auguſtinus Chryſoſtomus, & pleriq; alii. Sunt enim quædam in hoc loco, quæ videntur ſolis illis vltimis temporibus deſeruire: vt illud: Erit tribulatio, qualis non erat ab initio mundi, neq; fiet. Et, Oportet prædicari hoc Euangeliũ in vniuerſo orbe. Et hoc: Niſi breuiati fuiſſent dies illi, nõ fuiſſet ſalua omnis caro. Multa & lõgè plura, quæ ipſi vrbis Hieroſolymitanę vaſtationi, vt hæc ipſa fuga in montes: tũ enim nihil tutũ erit: vt hoc ipſum, Rogate ne fuga veſtra ſit in hyeme & ſabbatho: vbi talia pericula ponũtur, quæ ipſis Apoſtolis ſuperſtitib. debebãt euenire, quę nequaquã de vltimis temporib. poſſunt intelligi. Quęramus igitur, Dei præſidio adiuti, modũ, quo & loci pugnantes cõcilientur, & ſua vetuſtiſsimis patrib. conſeruetur autoritas. Hoc enim eſt boni doctoris, nõ abijcere, aut etiã maledicere, quod hæretici faciũt; ſed cõponere omnia. Quẽ modũ, quò perfectiùs, & quaſi ex eius fundamẽtis explicemus, adnotãda nobis ſunt quædã ad eam rem explicãdam pernceſſaria. Primùm igitur illud explicemus, quod quaſi totã lucẽ adfert vniuerſæ huic difficultati: Quæ ſcilicet cauſa ſit, cur Saluator noſter res, & natura, & tempore diſiunctiſsimas, ſemper quaſi coniungat, ac de illis ſemper agat: Vrbis videlicet Hieroſolymæ, totiuſq; imperii Iudaici euerſione, atq; interitu, cum futuro ſuo aduentu, extremo iudicio, mundiq; vltimo interitu: cùm & natura, vt dixi, & tempore ſint hæc diſiunctiſsima. Cujus rei eam cauſam non tam explicat, quàm innuit D. Chryſoſtomus: Profectum id ſcilicet eſſe ex rudi quadam, & erronea, ac plane vulgari Apoſtolorum ea de re ſententia; qui partim ex his, quæ illis à Chriſto Domino prædicebãtur, partim ex communi & præiudicata opinione, quam de Meſsia plurimi conceperant, ita iudicabant: Meſſiam, Chriſtum Dominum, per mortem, vel quocunq; tandem alio modo à Iudæis ſpretum, ad patrem ſuum rediturum, ac poſtea inſtructum cæleſtibus copiis, ſecundo ſuo aduentu, non multò pòſt ſummo cum ſplendore & apparatu venturum: ibiq; ex ingratis & improbis Iudæis pœnam ſumpturum: templum & Hieroſolymã euerſurum: ac deinceps nouum quoddam, & admirabile regnum conſtituturũ: ibiq; cum ſuis, in omni rerum ac fortunarum copia perpetuis temporibus regnaturum: atq; ita ſimul & Hieroſolymæ euerſionẽ, & ſecundum Chriſti iudicium & aduentum futurum ſperabant. Colligebant hoc ex parabolis illis, vbi toties dicitur: Rex rediturus, atq; ex homicidis illis pœnas ſumpturus, vrbemq; illorum & imperiũ euerſurus. Hinc illa interrogatio vel iam aſcendentis Chriſti in cælũ: Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël? quam Dominus iuſta obiurgatione repreſsit: Non eſt, inquit, veſtrum, noſſe tempora vel momenta, quæ

pater

pater posuit in sua potestate. Hinc & paulò ante hoc Euangelium dicente Christo Domino, & vrbem, & templum euertendum iri, inferunt illi: Præceptor, dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi? Cùm igitur coniunctim hæc semper ab illis proponerentur, nunquamq; vnum sine alio quæreretur; eadem etiam causa est, cur quasi simul à Saluatore nostro explicentur; vt & distinctè futura hæc doceat, & vnumquodq; signis suis certis definiat; ita tamen, vt semper eorum imperfectionis & infirmitatis præcipua habeatur ratio: cùm alius magister sit paulò pòst venturus, qui illis hæc omnia esset explicaturus, Spiritus, inquam, sanctus.

10 Obseruandum & illud est: tam Abrahæ, quàm Iacobo, Isaaco, & reliquis patriarchis, duplicia promissa fuisse, duplexque regnum, duplex semen, duplicem gentem promissam: Alteram quidem secundùm carnem, carnalem: alteram secundùm spiritum, spiritualem. quod D. Paulus videns, ait: Non omnes qui secundùm carnem sunt ex semine Abrahæ, sunt filii Abrahæ. Et prioris quidem regni promissa plenè & perfectè completa sunt quantum ad incrementa, & profectum, in Dauide: vbi in summo ακμῇ, hoc est quasi vertice consedit, vbi & populus terra desiderabili potitus, hostibus omnib. superatis, sub vno rege, in pace & tranquillitate consedit. Proinde Dauid, his omnibus iuxta diuina promissa cõpletis, sedit contra templũ, Deumq; cęli pro eius veris ac fidelibus promissis adorauit: quod regnũ in sua felicitate & dignitate, non sine tamen variis casibus ac exercitiis, proutillius populi delicta merebãtur, vsq; ad tempora felicia Mesiæ stetit, ac demum ob eam ingratitudinem, quam erga Mesiam declarauit, vltima plaga esse afflictum. Secundum autem regnũ longè amplius & nobilius spirituale; in ipso item Abraham, Isaac & Iacob cœptũ; in Iesu Christo vero Dauid, cuius æternam occupat sedem, quantum ad perfectionem, & omnium gratiarũ incrementũ est quasi consummatũ; vbi eodem modo filius gratias agit patri: Cõfitebor tibi Domine Deus cæli & terræ, quia abscõdisti hæc a sapiẽtibus, & prudẽtibus, & reuelâsti ea paruulis. Duraturum autẽ est vsq; ad cõsummationẽ seculi, donec posueritDeus vniuersos inimicos eius scabellum pedum eius. Fuit autem inter hæc duplicia promissa, interq; hoc duplex regnũ ea differentia & cõparatio, quòd prius illud regnũ erat quasi typus quidam & delineatio prima, vmbraq; ipsa posterioris regni. Quod & architecti facere solent, & priùs, quàm aliquod sublime ædificium instituant, eius formam & exemplum in parua aliqua tabula adumbrant, vt & ipsi quod sequantur habeant, & quæ futura sit ædificii amplitudo, reliquis veluti disponant, ac illos informent. Itaq; in hoc posteriore regno, nihil siue quantum ad initia, siue quantum ad eius progressus, siue quantum ad ipsum finem pertinet, euenit, quod non illo priore regno fuerit antè adumbratum, & quasi expressum. Vnde Paulus: Lex, inquit, vmbram habens futurorum bonorum, non ipsam rem. Et alio loco: Omnia, inquit, in figura contingebant illis: vnde non assecutis promissionibus mortui fuisse dicuntur. Non mirum igitur erit, si exitium prioris regni & gentis, est veluti figura exitii, & consummationis futuri, quantum ad diem iudicii. His notatis, quoniam ad Danielem remittimur prophetam; videndum nobis de hoc loco quid dixerit aut senserit Daniel: Constitutus Daniel cum reliquo populo in captiuitate Babylonica, ciuitatis sanctæ ac templi incommodis ingemuit. Cùmq; illi non obscura fuisset prædictio

isset prædictio Ieremiæ prophetæ, qui prædixerat post 70. annos complendam esse desolationem Ierusalem. Quò illa promissio diuina ampliùs ob peccata non differretur,posuit faciem suam ad Dominum,& deprecatus est in ieiunio, sacco & cinere: Vide, inquit,desolationem nostram,& ciuitatem nostram, super quam inuocatum est nomen tuum. Benignus pater motus eius precibus, plura etiam quàm postulabat præstat: non solùm de ea salute quam prædixerat Ieremias illũ certiorẽ facit, sed de sua, & alia lõgè nobiliore,quæ futura sit vniuerso orbi terrarum,atq; omnib. seculis. Mittit ergo Gabrielem Archangelum in tempore sacrificii vespertini,cum ea legatione ad Danielem: Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam,vt consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur sanctus sanctorum. Scito ergo & animaduerte: ab exitu sermonis,vt iterũ ædificetur Ierusalem,vsq; ad Christum ducem,hebdomades septuaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustia temporum, & post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus qui eum negaturus est. Et ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio. Hæc Angelus Danieli: quorum verborum ea est sententia. Scias, inquit, quòd ab exitu sermonis regis Darii Secundi,quo sermone efficaciter concessa est ædificatio Ierusalem, & domus Dei: quando item Deus misit Aggæum & Zachariam prophetam, vt populum prouocarent ad eius ædificationem; Deus misericors, septuaginta hebdomadas annorum,quæ constituunt 490 annos, differet promissa sua,sed iam faciet consumari omnẽ punitionẽ & peccatum Adæ, & adducet iustitiam sempiternam Messiæ regis, quæ iam non vti delictum euacuabitur, sed in sempiternum manebit; & tum iam implebitur omnis visio & prophetia, & vngetur sanctus sanctorum, illa vnctione de qua prædixit Dauid: Propterea vnxit te Deus,Deus tuus,oleo læticiæ præ consortibus tuis: quod tum fuit, cùm in eius baptismo visibiliter Spiritus sanctus in specie descendit columbæ. Earum autem septimanarum series, in has diuidentur partes, in septimanas septem, & in septimanas septuaginta duas, & in vnam septimanam. In quarum primis septem septimanis, hoc est annis,vbi iam completa prophetia Hieremiæ,plena potestas ædificandæ vrbis dabitur, ædificabitur Ierusalem & platea, quæ planè dissipata fuit,& muri; & ædificabitur in angustia maxima, & in oppressione summa; vt scribitur in libris Esdræ: Vna, inquit, manu ædificabunt, & altera in manu gladium tenebunt: postq; ædificationem plenam & consecrationem, quæ facta est sub Zorobabele duce,& Nehemia, Esdraq; ipso,reliquæ hebdomades decurrent. Deinde post sexaginta duas hebdomadas, id est annos,vngetur Sanctus sanctorum in Iordane, sed populus suus non inueniet illum: ille enim populus ad quem ille venit, negabit eum, & tunc demum decurret, iam quasi vltima septimana. In cuius quasi medio, hoc est,post tres annos prædicationis suæ, & dimidium, confirmabitur pactum, & occidetur. Quo occiso, deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsq; ad consumationem & finem

finem perseuerabit desolatio,& ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus, cum duce venturo Tito & Vespasiano,& finis eius vastatio, & post finem belli desolatio. Quibus sic explicatis & prænotatis, manifesta res. Hoc quidem loco Christum Saluatorem nostrũ, primò & principaliter extremam Hierosolymorum vastationem prædicere,eiusq; signa texere. Cùm enim eo sensu hîc ea dicuntur,quæ à Daniele propheta dicuntur: illuc enim relegamur. Dicuntur autem à Daniele propheta, non alio sensu, nisi quòd ad extremã Hierosolymorum deuastationem pertinent.Ergo non alio etiam sensu ab ipso Christo Domino dicuntur. Neq; tamen aut Irenæi, aut Hilarii, aliorumq; vana est interpretatio,aut sententia,qui hæc de extremo iudicii die, ipsiusque Antichristi aduentu interpretati sunt. Cùm enim dictum sit, ea quæ regno Israëlitico euenerunt, signa & vmbras esse eorum,quæ postea illi alteri spirituali regno, tam in illius principio, quàm in medio,vt etiam exitu,euenire debebant; profectò ea ipsa,quæ Hierosolymę deuastationem antecedere debebant,figura & delineatio eorum signorum sunt, quæ vltimam mundi deuastationem antecedere debent. Quemadmodũ ipsa Hierosolymæ deuastatio, signum est vltimi mundi occasus,vt in omnibus vltima primis consentiant. Primò igitur & principaliter hęc signa sunt & indicia ipsius vrbis Hierosolymitanę expugnationis : secundum autem & in figura ipsius extremi mundi iudicii, & ita nihil à veteribus patribus dicitur, nisi quod conueniens & consonum sit. Hæcq; ipsa abominatio desolationis,aliaq; signa,quę antecesserunt Hierosolymę deuastationem, signum & figura sunt eius abominationis desolationum, & reliquorum signorum,quæ mundi finem antecedent, de quã aliquid dicemus. Qua quidem de re varia sunt hominum iudicia: alii enim existimant,significari idolum, quod Antiochus rex capta & profanata Ierusalem atq; templo, in altari Deo constituerat : quod libro primo Machabęorum vocatur abominatio desolationis. Cum quo hoc item conuenit, quod eo ipso tempore cessaret hostia & sacrificium : tribus enim annis,& mensibus sex,per Antiochum cessauit in templo iuge sacrificium. Alii putant imaginem Cæsaris,atq; adeò aquilas Romanas in templo Dei per Pontium Pilatum collocatas; qua de re Iosephus lib. 8. Antiquitatum cap. 5. Alii statuam equestrem in templo ibidem collocatã in ipso sancto sanctorũ loco, vt scribit Eusebius lib. 4.cap. 6. sed hæc omnia,cùm vel ante longè quàm expugnata sit Ierusalem, vel pòst acciderunt, vix hoc loco possunt intelligi;cùm præsertim ad finem seculi non durauerunt, quod debere esse hîc docuit Daniel. Alii putant exercitus ipsos Romanos quibus cincta fuit ciuitas Romana; idq; ex Luca probãt, qui sic dixit : Cùm videritis ab exercitu circumdari Ierusalem, tum scitote, quia appropinquauit desolatio eius. Alii putant abominationem desolationis nihil aliud intelligi, quàm illam in tres partes populi ac optimatũ ciuitatis in ipsa captiuitate scissionem ; atque adeò turbas ipsas domesticas & ciuiles, quas etiam in templo exercebant, vbi etiam Zachariam quendam filium Baruch in ipso occiderunt templo : fuit vetus sermo, tum demum ciuitatem illam deletum iri, vbi templum illud propriæ violâssent manus. Quæ quidem sententiæ & coniectationes doctissimorum virorum summa cum reuerentia & cultu sunt accipiendæ, illisq; maxima fides habẽda;licet tamẽ hoc loco dicere,quid ipsi de eo sentiamus. Cùm enim tota res,referatur ad eum locum Danielis prophetæ, non alia ratio eius ipsius abominationis quærenda est, quàm ea ipsa, quam ipsemet

innuit

innuit Daniel: dicit ergo, abominationem hanc non temporaneam futuram, sed vsq; ad consummationem & finem perseueraturam. Quæ autem & qualis futura sit, in verbis, quæ immediatè præcedunt, ostendit: Deficiet hostia & sacrificium. Videtur igitur indicare, nihil aliud esse abominationẽ desolationis eo loco, quàm defectum hostiæ & sacrificii. Quod tantisper ab illo populo debuit offerri, quàmdiu illa durasset ciuitas, illudq; templum. Atqui dicet fortasse quispiam, hostiam & sacrificia nunquam desiisse in eo templo, cùm etiam tum, cùm expugnaretur vrbs, offerrentur ipso paschatis tempore, quando vrbs est obsessa. Quid igitur dicit Daniel? defectum hostiarum & sacrificii futuram esse in templo abominationem: hic igitur defectus hostiæ & sacrificii ita intelligendus erit. Clemens Rom. lib. 1. & Eusebius Cęsariensis lib. 8. apodixeos. Quòd vbi primùm Christus mortuus est, vnaq; oblatione consummauit omnia, ipsumq; Aaronicum sacerdotium abrogauit, alio longè nobiliore secundùm ordinem Melchisedech constituto, tum in templo omnes illas hostias, omnia sacrificia desiisse: quamùis enim offerrentur, quamùis mactarentur, non tamen ampliùs hostias non sacrificia fuisse, sed potiùs fœdam abominationem desolationis. Tantisper enim omne sacrificium habet veram rationem sacrificii, quàmdiu habet aliquam relationem ad illud verum sacrificium. quod quoniam in illis sacrificiis desierat (erant enim figuratiua futuræ mortis Mesiæ, quæ suscepta iam fuit) vltraq; cùm nihil significarent, iam ampliùs sacrificia esse non poterant: hocq. designabat illa veli scisio, quæ docebat, nihil iam ampliùs in illo templo sanctum fuisse, mortuo sponso sublatũ sacrificium, quod vsque ad finem atque in sempiternum sublatum fuisse, clarè prædicit Daniel: Confirmabit, inquit, pactũ: intellige per mortem: & tunc, inquit, sacrificium & hostia deficiet: ista enim tantum valebat, quantum ad Mesiam eiusque mortem repræsentandam referebatur. Quò mihi, inquit Dauid, multitudo victimarum? Et Ieremias cap. 7. Quemadmodum autem reliqua signa, quæ debebant antecedere expugnationem vrbis, figura erant eorum signorum, quæ antecessura sunt finem mundi; ita & hæc abominatio desolationis, quæ sublationem sacrificij significabat, quæ vrbis vastationem antecesit, figura & significatio est eius ipsius desolationis quæ antecedet finem mundi, in quo auferetur hostia, & sacrificium, non aliud quàm altaris & Missæ. quod longè latiùs explicat ferociam Antichristi describens Daniel: Et abstulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & prosperabitur, & faciet. Velim autem nobis Euangelici explicent, quod sacrificium sit sublaturus Antichristus, si nullum in Ecclesia extat sacrificium. Non Iudaicum: iam enim prima vrbis deuastatione sublatum est. Non gentilium, quæ nulla sunt: & si sunt, falsa sunt. Mortem fortasse, ac meritum Christi auferet, vt isti dicunt. Atqui hoc inexpugnabile est: Cor contritum & humiliatum; sed & in hoc solus Deus ius habet. Sacrificium ergo iustitiæ & orationis: hoc, cùm visibile non sit, auferri non potest. Quod igitur, obsecro, nisi hoc altaris, panis & vini; quod & Dauid aliquando auferendum esse prædixit: In æternum, Domine, permanet verbum tuum, & memoriale tuum à generatione in generationem. Et D. Paulus: Quotiescunq; panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat; tanquam ante aduentum ipsius proximè auferendum sit.

Auferetur

Auferetur autem tunc non per vim, neque per defectum charitatis, sed quòd erit tanta oppresio, vt nusquam rectè & commodè celebrari posit: cuius operationis Sathanæ iam nunc non exigua apparent indicia. Pulsum est ex Anglia: pulsum est ex omni Caluini dominatu: inquinatum in Germania; si Spiritus Dei in Augustanis & Caluinistis expugnat Missam, in Arianis & Macedonianis cuius spiritus? In quo mirari licet hominum quorundam pessimorum vanitatem, qui seipsos non intelligunt: ex quibus si quæras, an placeat cœnam Domini repræsentare, in eaque misericordiam Domini implorare, gratiasque Deo pro acceptis beneficiis referre: orationem pro rebus necessariis instituere: Pauli doctrinam referre: Euangelium legi: confessionem fidei publicè profiteri: panem & vinum pro futuro sacrificio præparare: ibidem eleemosynas offerre: corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi consecrare: communicare vel omnes, vel qui parati sunt, ac deinceps sempiterni parentis gratiam & propitiationem impetrare, ac sub cruce Christi stantem, per eundem Christum in altari positum, qui quondam in cruce pendebat, pacem & veniam impetrare: pia hæc & sancta illi dicunt; at si Missam nomines, idololatriam appellant. Atqui hæc omnia Missa continet, nec plura certè: ita isti, quid velint, quid accusent nesciunt, religionem turbant, Antichristo viam sternunt. At iterum Christus à vobis crucifigitur: at sacrificiũ semel oblatum multiplicatur; ideò hæc dicis, quoniam causam non intelligis. Quid si tum aliquis, cùm Christus Dominus pendebat in cruce, sacrificium æternum offerens patri, apprehendisset illam crucem, vt Magdalena, ac per illum pendentem in cruce peccata sibi remitti postulâsset, num hic iterum Christum crucifigeret? num mortem eius multiplicaret? an potiùs sibi applicaret? negare certè non potes, ita esse. Cur igitur blasphemas quod ignoras? At sancti ibi inuocantur; & hoc falsum est. Commemoratio sanctorũ ac reliquorum mortuorum fit, tanquam membrorum Christi, quæ illi compassa sunt, non inuocatio; vt in memoria æterna sit iustus, & ab auditione mala non timeat. quanquam, si & hæc suo modo esset, quid delinqueretur non video. Et hæc quidem sunt, quæ Dei gratia nobis de loco perdifficili, ad cuius diligentem peruestigationem ipse Saluator nos adhortatur: Qui legit, inquit, intelligat: in mentem veniebant. Si scopum attigimus (quod vix puto) laudetur Dominus; si non: materiam certè dedimus illis, qui hæc acutiùs & pleniùs videre poterunt. Nunc sanctorum Patrum sententiam, quod instituti nostri est, paucis exponemus. De hoc loco, id est, de abominatione desolationis, inquit Hieronymus, quæ dicta est à Daniele propheta, stante in loco sancto, multa Porphyrius tertiodecimo operis sui volumine contra nos blasphemauit: cui Eusebius Cæsariensis episcopus tribus respondit voluminibus 18. 19. & 20. Appollinarius quoque scripsit plenissimè, superfluèque conatus est vno capitulo velle differere, de quo tot versuum millibus disputatum est. S. Hilarius, de abominatione, inquit, hac, beatissimo Daniele & Paulo prædicantibus, superfluum nos puto habere sermonem: de Antichristi enim temporibus hæc locutus est. Abominatio ex eo dictus, quòd aduersus Deum veniens, honorem sibi Dei vendicet. Desolationis autem abominatio, quia bellis & cædibus terram cum piaculo desolaturus sit, atque à Iudæis susceptus, loco sanctificationis insistet; vt, vbi sanctorum precibus Deus inuocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit.

bilis sit. Notat denique Lyranus: abominationem stantem in loco sancto, esse prælatum malum in Ecclesia: de quo dicitur Zachar. 11. O pastor & idolum, derelinquens gregem.

PRoposito signo satis terribili, & explicato, nunc quæ mala, quæ pericula illud consecutura sint, quid item illis faciendum, vt effugiant à facie arcus, misericors Dominus subiungit. Tunc, qui in Iudæa, inquit, sunt, fugiant ad montes. Ex tunc Iudæi non habitabant in Iudæa plùs: quia, licèt Aelius Adrianus Hierosolymam reædificauerit; præcepit tamen, ne aliquis Iudæus haberet licentiam intrandi illuc. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Iuxta sensus spirituales: Cùm viderimus abominationem desolationis stare vbi non decet; hoc est, hæreses & flagitia regnare inter eos, qui cælestibus mysteriis videbantur esse consecrati, & operantes iniquitatem, pacem fidelium perturbare; Tunc, qui in Iudæa sunt, hoc est, in confessione veræ fidei persistunt, virtutum culmen ascendere debent; Tunc, qui super tectum est, hoc est, carnalia animo excedens, spiritualiter viuit, ne descendat ad infimos actus pristinæ conuersationis, neque ea, quæ reliquerat, mundi carnísue desideria repetat. Domus namque nostra, vel mundus hic, vel ipsa in qua degimus intelligenda est caro. Et qui in agro, hoc est, Ecclesia, non respiciat rem secularem, & labentis vitæ retinacula, quibus renunciauit. De quo toto effugiorum genere præclarè Hieronymus: Cùm viderimus, inquit, stare abominationem in loco sancto, hoc est, in Ecclesia, & se ostendere Deum, debemus fugere de Iudæa ad montes, hoc est, dimissa occidente litera, & Iudaica prauitate, appropinquare montibus æternis: de quibus illuminat mirabiliter Deus: & esse in tecto, & in domate, quò non possint ignita diaboli iacula peruenire; nec descendere, & tollere aliquid de domo conuersationis pristinæ: nec quærere quæ retrorsum sunt, sed magis serere in agro spiritualium scripturarum, vt fructus capiamus ex eo: nec tollere alteram tunicam, quam apostoli habere prohibentur. Quoniam autem multi abducuntur à meditatione futuri iudicii superfluis opibus; ideò & harum incertitudinem ostendit, quæ relinquendæ erunt in tecto. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Prægnantibus quidem propter onus interius; nutrientibus autem propter exterius: illæ enim embrionum pondere grauantur; hæc autem pondere lactentium: siquidem facilè est, pro salute pecunias & vestimenta contemnere; fieri autem leuem, & fugere expeditè eam, quæ in vtero habet, aut abijcere infantem eam quæ lactet, prorsus impossibile est propter naturæ vinculum. Væ ergo illis, quæ facilè comprehendentur. Iuxta anagogen verò prægnantes dicimus animas, quæ virtutem nondum pepererunt; lactentes autem, quæ pepererunt quidem, verùm puerilis est fœtus, & admodum pusillanimis. Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme, vel sabbatho. Quare autem non hyeme, vel sabbatho? hyeme quidem propter temporis difficultatem; sabbatho verò propter legem, quæ prohibebat sabbatho iter facere vltra statutos lege passus. Anagogicè autem fugam intelligimus, exitum animæ à corpore: hyemem verò, commotionem ac turbationem cogitationum; sabbathum autem, ocium à virtute. Iubet itaque seriò, vt oremus, ne fiat exitus animæ nostræ in commotione aut turbatione cogitationum, neq;

num,neque in ocio à virtutibus, ſed in tranquillitate cogitationum,& operatione virtutum. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſque modò,neque fiet. Et niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro; ſed propter electos breuiabuntur dies illi, ne mora temporum fides concutiatur credentium. Pugnat hoc loco Caluinus cum Chriſto Domino: nam cùm Chriſtus doceat, abbreuiandos eſſe illos dies, & illas miſerias propter electos, Caluinus faceſſere hinc bona opera iubet; ita quod Chriſtus ait,iſte negat. Abbreuiatos dies intelligit D. Hieronymus, non vt, quod quidam exiſtimant,breuiores eſſe deberent,quorum menſura perpetua eſt, ſed quòd pauciores erunt.

12 NOtat autem hoc loco primò Hieronymus, abominationem deſolationis,quæ tantũdem valet ac prophanatio, intelligi poſſe omne dogma peruerſum: quod,cùm viderimus ſtare in loco ſancto,hoc eſt,in Eccleſia,& ſe oſtendere Deum,debemus fugere de Iudæa ad montes. Eſt enim frequenter videre in argumentationibus impiis dogmatum apud hæreſes hanc abominationem deſolationis; id eſt,Antichriſtum verbum falſum abominationum deſolantem à Deo omnem hominem, qui receperit eam in ſe abominationem aduerſantem veritati, extollentem ſe ſuper omne verbum, quod eſt extra eũ, quod annunciatur eſſe verbum Dei,extollentem ſe & ſuper omne quod vnuſquiſque hominum colere vult,ſiue verè,ſiue mendaciter. Nam vnumquodq; hæreſum dogma non ſolùm veritati aduerſatur, ſed etiam cæteris dogmatib. ſimiliter falſis. Et quoniam ſic extollitur, vt etiam in templo ſcripturarum ſedeat,per ipſum templum,id eſt,per ipſas ſcripturas volens ſe oſtendere,quoniam ipſe verè eſt Deus verbum.

13 SEcundò notandum eſt: perſecutionem Antichriſti longè maiorem futuram,quàm vnquam alia fuit. Nam etſi antè multæ perſecutiones decem tyrannorum fuerunt; nunquam tamen res Chriſtiana huc adduci poterat, vt vino aut pane planè careret, & per conſequens, vt non offerret altaris ſacrificium.

14 TErtiò notandum eſt: etſi ea,quæ à Daniele recitauimus, primò & propriè Antiocho conueniunt; cùm tamen is figura fuit Antichriſti,quæ ſimiliter de illo dicuntur,illique tribuuntur,eadem Antichriſto conuenient.

15 NOtandum quartò: eſſe id peculiare diuinæ maieſtati,vt imminentibus ac impendentibus malis, det metuentibus ſe ſignificationem, vt fugiant à facie arcus. Sic mundum aquis deleturus, iuſto Noë dat ſignificationem, vt conſtructa arca fugiat à facie aquarum impendentium. Sic Sodomam &Gomorrham igni & ſulphure ſuccenſurus, terræq; hiatu abſorpturus, dat ſignificationem ſuo electo Loth,vt fugiat à facie ignitorum iaculorum. Sic Chore, Dathan, & Abyron, homines apoſtatas, alieni muneris pertinaces inuaſores, viuos terræ hiatu abſumpturus, iubet reliquos recedere à tabernaculis eorũ, ne inuoluerentur vt culpa,ita pœna eorum. Idem Eliæ & Eliſæo,fame,& aliis calamitatibus Iudæam infeſtantibus. Sic apud Ieremiam 51. viſitaturus ſuper Bal in Babylone: Egredimini,inquit, de medio Babylonis, populus meus, vt

ſaluet vnuſquiſq; animam ſuam ab ira furoris Domini. Non enim hoc eſt illius, vt dicebat pater fidei noſtræ Abraham primus,iuſtum cum iniuſto perdere, qui & ipſum iniuſtum diu multumque expectat, ac pro meritis iuſtorum ſeruat. Eandem igitur nunc ſignificationem electis ſuis dat, vt fugiant à facie ſagittarum arcus, mundi pereuntis, ne cum cæteris magna ſecuritate bibentibus & comedentibus,repentino inuoluantur exitio,certiſsimaque ſigna futurorum malorum & periculorum pandit. Appropinquante enim Iudæorum exterminio, vt notat Lyranus ex hiſtoria Eccleſiaſtica, oraculo moniti, omnes Chriſtiani fugerunt vltra Iordanem in Agrippæ regnum, qui erat confœderatus Romanis,ibique ſaluati ſunt.

NOtandum quintò: docere hoc loco Origenem, eſſe quandam fugam hominum ſecundùm præceptum verbi; vt,qui fugit quæ fugere oportet,melior ſit eo qui non fugit, ſed ſemetipſum ſubditum facit, perdentibus animam malis. Quòd eſt autem conſtituta fuga atque laudabilis, manifeſtè docet apoſtolus,dicens: Fugite fornicationem. Fugit autem fornicationem, qui omnem occaſionem irritantem, & prouocantem ad fornicandum, euitat, & neque iuuenibus in fabulis iuuenilibus commiſcetur in quantum poteſt, ne fortè conſumatur per eas: attenditque & illud quod dicitur, Cum ſaltatrice noli aſsiduus eſſe,ne fortè conſumaris in deſideriis eius. Fugit autem fornicationem abundantiùs,qui accendentes & excitatrices ſeminis eſcas,in quãtum valet, euitat, & vino, ſi poteſt fieri, non vtitur, donec tranſeat feruentior ætas. Et non ſolùm fornicatio nobis eſt fugienda, ſed & omne peccatum. Ideò benè dixit ſcriptura: Quaſi à facie ſerpentis fuge peccatum. Frequenter autem conuenit fugere ab Antichriſto,verbo & falſi nominis ſcientia; maximè,quando necdum idoneus eſt homo,vt habeat in ſe dominum operantẽ, qui interficit ſpiritu oris ſui perſuaſiones mendaciorum, nec aſcendit ad tantum altitudinis, vt habeat in ſe eum, qui deſtruit illuminatione aduentus ſui omnem perſuaſionem veri,ſimilitudinem veritatis habentem,&aſsimilantem ſe veritati. 16

NOtanda eſt cum D. Chryſoſtomo vltimò ſpiritus ſancti diſpenſatio. Quia nihil eorum malorum quæ Iudæos in exitu Hieroſolymorum afflixerunt, à Ioanne ſcriptum eſt; ne,quoniam poſt Iudæorum illas ærumnas longo tempore ſuperuixit,ab euentu rerum,non à prædicatione Chriſti ſcripſiſſe videretur: qui autem ante illud bellum ad Dominum deceſſerunt, quique nihil horum viderunt, ipſi, vt vndique prædicationis veritas reſplenderet, iſta ſcripſerunt. 17

SEcundum ſignum iam magis proximum finis mundi: Aduentus Antichriſti & prophetarum eius. Quemadmodum enim,priuſquàm Chriſtus veniſſet, multi priùs prophetæ extiterunt, qui eius aduentum prænunciârunt, iterque illi præparârunt; ita priuſquàm Antichriſtus veniet,multi pſeudoprophetæ illum antecedent,illique viam ſternent,ac eum deducent. Quotquot igitur fuerunt hactenus hæretici; Antichriſti prophetæ & prænuncij fuerunt. Cuius quidem Antichriſti eiusque prophetarum caſſes & laquei quàm periculoſiſsimi erunt,ac difficillimè euitari poterunt: ideò Chriſtus Dominus diligentiſsi- 18

gentiſsi-

gentiſsimè monet ſuos,vt ſibi ab his caueant,vt in cuſtodia & vigilia perſtent. Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hîc eſt Chriſtus,aut illic; nolite credere: ſurgent enim pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia; ita,vt in errorem inducantur,ſi fieri poteſt,etiam electi. Quibus verbis, inquit Origenes, oſtendere vult, quoniam valde frequenter perſuaſorij ſunt ſermones hæreticorum,& commouere potentes etiam eos,qui ſapienter audiunt. Edent ſigna magna & prodigia, etiam ante expugnationem Hieroſolymorum dixit futuros eſſe pſeudochriſtos & pſeudoprophetas: Multi enim,inquit,venient in nomine meo,dicentes: Ego ſum Chriſtus. Et rurſus: Et multi pſeudoprophetæ ſurgent. Sed qui ante ſecundum aduentum eius venient,hi longè grauiores erunt illis,qui fuerunt ante captiuitatem Hieroſolymorum: nam hi ſigna quoque magna & prodigia facient: pſeudochriſti quidem miracula edentes, pſeudoprophetæ verò quædam futura prædicentes. Inter pſeudochriſtos, vnus eſt Antichriſtus,poſtremus eorum venturus, cuius prophetæ qui dicuntur,hi ſunt pſeudoprophetæ; de quo etiam Paulus ſcripſit. Poſtquam enim vocauit eum hominem peccati, filiumque perditionis, addidit, Cuius eſt aduentus ſecundùm operationem ſathanæ, in omni virtute,& ſignis,& prodigiis falſis: Hi ergo ſignum ſunt ſecundi aduentus. Quo loco D. Hilarius: Et quia, inquit, in magna vexatione poſitis pſeudoprophetæ tanquam præſentem in Chriſto ſpem ſint indicaturi,multis in locis Chriſtum eſſe atque haberi mentientur; vt in Antichriſti famulatum depreſſos vexatoſque deducant: nunc in deſertis eſſe dicentes, vt errore deprauēt: nunc in penetralibus aſſerentes, vt dominantes poteſtate concludant. Sed ſe Dominus non loco occulendum, nec à ſingulis contuendum eſſe profitetur, ſed vbicunque, & in conſpectu omnium præſentem futurum, modo fulguris,quod ab oriente elatum,lumen ſuum vſque ad Occidentis plagam ſpargit,& vndecunque micans,vbicunque cernitur. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt; nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & patet vſque ad Occidentem; ita erit & aduentus filij hominis. Stultum ergo eſt, eum quærere in paruo loco,vel in abſcondito,qui totius mundi lumen eſt. Vbicunque fuerit corpus,illuc congregabuntur & aquilæ. Circa totum hunc locum ita annotat Hieronymus: Multos captiuitatis Iudaicæ tempore principes extitiſſe,qui Chriſtos ſe eſſe dicerent,in tantum,vt obſidentibus Romanis tres intus fuerint factiones; ſed meliùs de conſummatione mundi intelligitur. Quanquam & de hæreticorum contra Eccleſiam pugna locum hunc poſſe intelligi,idem doceat Hieronymus: Si quis, inquit, promiſerit vobis, quòd in deſerto gentilium,& philoſophorum dogmate Chriſtus moretur,aut in hæreticorum penetralibus,qui Dei pollicentur arcana; nolite exire, nolite credere: ſiue (quia perſecutionis & anguſtiarum tempore, ſemper pſeudoprophetæ decipiendi inueniunt locum) ſi quis ſub nomine Chriſti ſe iactare voluerit,non ſtatim accommodetis fidem. Nolite exire: nolite credere,quòd filius hominis vel in deſerto gentium ſit, vel in penetralibus hæreticorum; ſed quòd ab Oriente vſque in Occidentem fides eius in Catholicis Eccleſiis fulgeat. Non illis credere debemus, monet Origenes,nec exire à prima & Eccleſiaſtica traditione: nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſsionem Eccleſiæ Dei tradiderunt nobis. Chriſti enim præſentia demonſtratione

opus non habet, putant hæretici, ſed clara futura eſt omnibus & ſubita; quale fulgur eſſe ſolet, quod nullis anguſtiis, nullis obſcuris locis contineri poteſt. Non enim, vt in primo aduentu eius, ex loco in locum commigrabit, ſed in oculi ictu præſens aderit. & quemadmodum ad corpus congregantur aquilæ; ita, vbi Chriſtus adfuerit, aderunt omnes ſancti, qui in nubibus rapientur vt aquilæ. Vocat autem ſeipſum cadauer, quòd propter nos ceciderit, & mortuus fuerit, & quòd multis poſitus eſt in πτῶσιν, hoc eſt, in ruinam; vt Simeon dixit. Hæc Theophylactus & Euthymius. Ineptè autem hunc locum interpretatur Caluinus, qui dicit, hoc loco id vnum Chriſtum docere, vt fideles Chriſto adhæreant: cùm de hoc apud electos nulla controuerſia futura ſit, ſed de eo potiùs, vbi ille grex inueniendus ſit, qui Chriſtum ſequatur, illiq; adhæreat; atque ita fruſtrà & maledicè ſedem Apoſtolicam, ſummum pontificem ridet, ac conuiciis proſcindit. Vbicunq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Innuit hoc loco, vt docet Beda Venerabilis, ſtudium ſanctorum: quòd aquila cæteras aues volatu tranſgrediens, in ipſum ſolis radiũ oculos gaudet infigere; nec non & illud, quòd lapidem venenis reſiſtentem ſuis nidis ſolet adferre, illum qui exciſus de monte ſine manibus, Diaboli regnum ſtrauit. Et D. Hilarius: Sanctos, inquit, de volatu ſpiritualis corporis aquilas nuncupauit, quorum (congregantibus angelis) conuentum futurum in loco paſsionis oſtendit. Et indignè illic claritatis aduentus expectabitur, vbi nobis gloriam æternitatis paſsione corporeæ humilitatis operatus eſt. De exemplo naturali, quod quotidie cernimus, Chriſti inſtruimur Sacramento, inquit Hieronymus. Aquilæ & vultures etiam trans maria ſentire dicuntur cadauera, & ad eſcam huiuſcemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres, naturali ſenſu; tantis terrarum ſpatiis, & maris fluctibus ſeparatæ, paruum cadauer ſentiunt, vbi iaceat: quantò magis nos, & omnis multitudo credentium debet feſtinare ad eum, cuius fulgur exit ab Oriente, & paret vſque ad Occidentem? Poſſumus autem corpus, id eſt πτῶμα, quod ſignificantiùs latinè dicitur Cadauer, ab eo, quòd per mortem cadat, paſsionem Chriſti intelligere, ad quam prouocamur; vt, vbicunque in ſcripturis legitur, congregemur, & per illam venire poſsimus ad verbum Dei: vt eſt illud, Foderunt manus meas, & pedes meos. Et in Iſaia: Sicut ouis ad victimam ductus, & cætera his ſimilia. Aquilæ autem appellantur ſancti, quibus innouata eſt iuuentus, vt aquilæ, & qui iuxta Iſaiam, plumeſcunt, & aſſumunt alas, vt ad Chriſti veniant paſsionem.

NOtandum primò: Cùm per hos quinquaginta annos, multa, varia, & inania homines ineptiſsimi de Antichriſto confinxerint, nomenque hoc fœdum & abominabile Vicario Chriſti aſſuere non dubitârint; operæpretium eſſe putaui, annotare aliquot punctis Antichriſti naturas, vt iſtorum mendacia & ineptiæ faciliùs detegantur, ac ipſæ ſua ſponte corruant. A nomine igitur ordiamur. 19

PRimò: Omnis ille dicitur Antichriſtus, quicunque Chriſto Domino eſt contrarius: Qui, inquit, non eſt mecum, contra me eſt. Tribuitur autem hoc nomen, partim propriè, partim minùs propriè. Propriè quidem huic ipſi ſoli, de quo nunc nobis præſens tractatio inſtituta eſt. Impropriè autem diabolo 20

abolo inprimis, qui tum Antichristus factus est, cùm illa protulit verba: Ponam in aquilone sedem meam, & similis ero altissimo. Deinde gentilibus, qui Christi nomen delere voluerunt: notat Chrysost: in psal. 90. Deinde hæreticis: D. Ioannes, Multi iam, inquit, sunt Antichristi, qui, dum Christum ædificant, Christum destruunt. Deinde peccatoribus: nam & isti, vbi cum Christo non sunt, contra illum sint oportet. Inter quos, hoc nomine appellatos, hæc est differentia: Diabolus est inuisibilis, cæteri visibiles: diabolus est princeps & caput, reliqui instrumenta: ille aduersatur Christo ex conscientia, sciens, eum & Christum esse, & veritatem: Pagani volunt quidem illi aduersi esse, sed veritatem ignorant. Hæretici deficiũt, quia volentes sub nomine Christi Christum persequuntur. Cùm enim diabolus non potuit apertè Christum per tyrannos expugnare, conatur hoc idem clam per hæreticos efficere, deteriores paganis, quippe qui, cùm possint eum cognoscere, non cognoscunt. Vnus autem ille, qui aduenturus est, per ἀντονομασίαν Antichristus vocabitur. Causas eius aduentus explicat scriptura, Genes. 17. vt expendit August. in lib. de ciuit, Dei: Iob 3. vt Gregorius in Moral. Dan. 11. vt Hieron. Ioan. 5. Paulus ad Thessal. Idem Ioan. Apocal. 13.

21 SEcundum caput est: Quis futurus. Quidam putant, ipsum diabolum venturum, quidam Neronem; vt refert D. Augustinus. Verùm, seriò si rem inspicias, si naturam spectes, homo erit: si malitiam, inhabitabit in eo corporaliter dæmon, & omnis malitia: si gentem, Hebræus ex tribu Dan; vt ita faciliùs eos seducere possit. quod apparet ex maledictionibus Iacob, & ex Apocalypsi, quòd tribus hæc non numeratur in illis, in quibus numerantur duodecim millia signata: si modum generationis, ex adulterio natus: si dignitatem & opes, pauper primùm & inops, postea rex magnus, magnæque partis orbis dominus. Annotat hæc D. Nazianzenus Orat. de pace.

22 TErtium illud est caput: Quando venturus; statim in limine secundi aduentus Christi: tempus, tempora, & dimidium temporis regnaturus; hoc autem est tres annos & dimidium. Venturus autem est, quando Romanum imperium planè desinet, quod per defectionem signatur; occultè primùm propter metum Imperatorum, pòst palàm & manifestè. Notat hæc Tertullianus in Apologetico. De anno autem & hora eius aduentus, nemo scit nisi pater; proximè tamen ante Christi aduentum apparebit.

23 VLtimò quæri solet, Quid effecturus sit. Sedebit in templo, inquit Paulus, aduersus omnes gentes & nationes, efferens se contra illud omne quod dicitur Deus: seducet Iudæos primùm, expectantes primum aduentum Messiæ, quasi ipse sit expectatus ab illis Messias; seducet Christianos expectantes aduentum Christi, tanquam ille ipse sit Christus, quem illi expectant venturũ ad iudicandum: vt enim ante primum aduentum, inquit Ambrosius, diabolus multos fictos Messias excitârat, vt præiudicaret vero Christi aduentui, & fidem detraheret; ita ante secundum excitabit Antichristum, vt à Christo vero iudice populos auocet. Vnde monet Christus Dominus: Nolite credere. Seducet & gentes ipsas, quasi nouus imperij Romani rex & Imperator. An autem aliqua vel minima ex his rebus, summis conueniant Pontificibus,

iudicet ille,qui vel micam rectæ rationis habet. Multi ſunt, ſemper ſunt, ad Iudæos nihil ſpectant, nihil harum rerum,de quibus diximus, ſimulant. Fruſtrà igitur tumet hæreſi infecta Germania, cùm vel ex illis aliquot libros conſcripſerunt, in quibus demonſtrant, ſummum Pontificem Antichriſtum eſſe non poſſe.

NOtandum ſecundò: quemadmodum iſta,quæ de ſummo Pontifice dicuntur,vana & falſa ſunt; ita & illa quæ contra Catholicos adferuntur,quaſi illi in angulis quibuſdam Chriſtum demonſtrent, in deſerto, in penetralibus, per quæ ipſi thecas,in quibus venerabile Chriſti ſacramentum aſſeruatur, deſignant: cùm Eccleſiæ ſanctæ illa vox ſit: Te per orbem terrarum ſancta confitetur Eccleſia. Et illa confeſsio: Vnam, ſanctam, Catholicam & apoſtolicam Eccleſiam. Ipſi greges quoſdam obſcuros & latentes ſequuntur,& tum quando hæc fient, nullæ ampliùs tales thecæ ac armaria futura ſunt. Ipſi certè neſcio, qua Dei ordinatione princeps latibulum, in quo Cracouiæ doctrinam ſuam profitentur,deoſque ſuos oſtendunt,Brog,quod θαμεῖον Græcè dici poteſt,appellârunt. 24

NOtandum tertiò eſt: ideò perſecutionem Antichriſti maiorem futurã aliis omnibus perſecutionibus quæ antea fuerunt: ideò maiora miracula editurum,etſi falſa & inutilia, quàm vlli vnquam falſi prophetæ ediderunt: quia diabolus,qui ſtatim à morte Chriſti alligatus fuit, ne noceret ſanctis, tunc ad tres annos & dimidium ſoluetur. Quòd ſi ligatus tanta exercet mala, quid ſolutus faciet? ideò niſi breuiati eſſent dies illi,non eſſet ſalua omnis caro. 25

NOtandum quartò: Chriſtum Dominum, & Eccleſiam eius,non futurã vnquam obſcuram, latentem, & quæ cognoſci non poſsit, quemadmodum putat hæreſis; ſed claram ſemper & illuſtrem,quale eſt fulgur, veniens ab Oriente in Occidentem, & illuminans mundum. 26

NOtat quintò Origenes: Veritatem ſimilem eſſe fulguri egredienti ab Oriente,& apparenti vſque ad Occidentem; qualis eſt veritas Eccleſiæ Dei: ab ea enim ſola ſonus in omnem terram exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit ſola verè veritas Dei. 27

NOtandum vltimò: ibi eſſe corpus Chriſti, id eſt,Eccleſiam Dei veram, vbi ſunt aquilæ; hoc eſt,ſancti patres,atque ſancti doctores. 28

SEquuntur ſigna proximè rem antecedentia, an potiùs iam cum re ipſa, id eſt,præſenti fine mundi,futuroque iudicio coniuncta. Gloriam aduentus ſui,& claritatis reditum indicat, obſcuritate ſolis,defectione lunæ,caſu ſtellarum, virtutum cæleſtium motu, oſtenſione ſigni ſalutaris, lamentatione gentium, cognoſcentium filium hominis in Dei gloria: & ad collectionem ſanctorum deſtinatione angelorum,tum tubæ, id eſt iam publicæ libertatis hortatu: ſic erit de grano ſinapis arbor ingens: ſic de lapide montis,contrita imagine,orbem terræ mons occupans: ſic ciuitas omnibus contemplabilis: ſic lucens vniuerſis lumen in lychno: ſic ex humilitate mortis Deus gloriæ. Statim autem 29

tim autem post tribulationem dierum illorum (quod tempus, inquit Lyranus, non durabit nisi per quadraginta dies, vel circiter) sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum; idque aut propter indignam sanctorum persecutionem dolentes: aut super impiorum pessima opera indignantes: aut nouissimum in eis Dei iracundiam demonstrantes; vt adhuc viuentibus impiis super terram, iam gustus detur infernalium tenebrarum. Mundo enim moriente, oculi mundi obscurabuntur, & contenebrescent: latera eius concutientur: sudabit æger sudore mortali, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorũ commouebuntur. Quemadmodum in magnis ignibus succendi incipientibus, tenebræ ex fumo plurimo videntur extolli; sic in consummatione mundi, ab igne qui accendendus est, obscurabuntur etiam luminaria magna; vt sole obscurato, consequenter obscuratione solis etiam luna impedita, nec à sole percipere lumen, nec proprium lumen dare sinatur. Et alius vtitur exemplo: quoniam sicut deficiente lumine lucernæ, paulatim minuitur lumẽ; sic cælestium luminum deficiente nutrimine, sol obscurabitur, iam non habẽs super se venientia spiramenta ab eis. Maiore autem luminari hæc patiente, multò magis & luna nec ipsum poterit exhibere splendorem, igneum illum, & secundùm defectiones suas apparentem. His ergo contingentibus super solem, lumen etiam stellarum deficiet; vt quod remanserit in eis, quasi terrenum cadat de cælo: & omnes cælorum virtutes mouebuntur accidentibus his. Sicut enim in dispensatione crucis, sole deficiente tenebræ factæ sunt super omnem terram; sic & signo filij hominis apparente, in cælo deficiet solis lumen, & lunæ, adhuc & stellarum, quasi consumptum à multa virtute signi illius; & tunc apparebit signum filij hominis in cęlo, sicut quondam in Armeniæ montibus apparuit arca Noë. Sol & luna obscurabuntur, & non dabũt lumen. Mysticè Ecclesia est sol, & luna, & stellæ; cui dictum est: Speciosa vt luna, electa vt sol: quia tunc apparebit impiis persecutoribus vltrà modum sæuientibus. Et stellæ cadent de cælo: quoniam multi, qui gratia fulgere videbantur, persequentibus impiis cadent: fideles & firmissimi turbabuntur. Et virtutes cælorum commouebuntur; non diminutione luminis (alioquin legimus, solem septuplum habiturum luminis) sed quòd ad comparationem veræ lucis, omnia visui tenebrosa sint futura. Si itaque iste sol, qui nunc per totum orbem rutilat, & luna, quæ secundum est luminare, & stellæ, quæ ad solatium noctis accensæ sunt, omnesque virtutes, quas angelorum multitudines intelligimus, in aduentu Christi in tenebras reputabuntur; decutiatur supercilium eorum, qui se sanctos arbitrantes, præsentiam iudicis non formidãt. Signum autem filij hominis, quod apparebit in cælo, aut crucis intelligamus, vt videant (iuxta Zachariam & Ioannem) Iudæi, quem compunxerunt: aut vexillum victoriæ triumphantis. Crux, inquit Theophylactus, apparebit in cælo, suprà solem lucens, ad confundendos Iudæos; tanquam iustificationis magnum argumentum contra insensatos: quemadmodum, si quis rex lapide percussus, eundem lapidem demonstret in iudicio iis, qui eum percusserunt.

30 NOtandum primò: Iesum Christum verum Deum esse, cui pater subiecit omnia, siue quæ in cælo, siue quæ in terra: quem constituit hæredem vniuersorum per quem fecit & secula. Huic igitur seruiunt omnia, siue quæ in cælo, siue quæ in terra sunt. Cùm autem tota vniuersitas creatu-

rarum ad quatuor quaſi prima reducatur genera: Creaturas intellectuales corporum cæleſtium: elementorum, & eorum, quæ ex his componuntur: ipſarum item plantarum ac animalium. Quidquid vel in hoc inferiore orbe, vel in illo ſuperiore reperitur, ad vnum horum generum reuocetur, oportet. Hæc omnia Ieſu Chriſto, vero Deo ſeruiunt; & quemadmodum in primo eius aduentu, quamùis manſuetiſsimo, omnia hæc illi ſeruierunt: nam & intellectuales creaturæ angeli ipſi, partim eius conceptionem denunciant, partim in eius natiuitate cantant: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominib. quod iam olim à Dauide fuiſſe prædictum, docet Paulus: Et introducens, inquit, primogenitum in orbem terrarum, dixit, Et adorabunt eum omnes angeli Dei. & cæleſtis item creatura ſeruiuit illi, & naſcenti, dum ſtella ad illum magos ducit; & morienti, dum ſol obſcuratus eſt, vero deficiente ſole. Et elementalis, dum mare & venti obediunt ei. Tum de rationali creatura, quid opus eſt dicere? Et adorabunt eum omnes fines terræ, omnes gentes ſeruient ei. Quemadmodum igitur omnis hæc vniuerſitas, in mitiſsimo primo eius aduentu ſeruiuit illi; ita hæc eadem longè magnificentiùs, longè glorioſiùs in ſecundo eius aduentu illi ſeruitura, præſens teſtatur Euangelium. Vnde ſcriptura: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Et Sap. 16. Creatura creatori deſeruiens, exardeſcet in tormentis aduerſus iniuſtos. Et Dauid: Nubes & caligo in circuitu eius: iuſtitia & iudicium correctio ſedis eius. Ignis ante eum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & mota eſt terra. Annunciauerunt cæli iuſtitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius. Quam gloriam tota vniuerſitas in eius ſecundo glorioſo aduentu nunc prædicit, quomodo omnes partes naturæ contra inſenſatos ſeruient illi.

31 NOtandum ſecundò: primò naturam intellectualem moueri debere; de qua inquit, Virtutes cælorum commouebuntur. Quid, inquit Gregorius, Hieronymus item, Virtutes cælorum, niſi angelos, archangelos, thronos, dominationes, poteſtates & principatus appellat, quæ in aduentu diſtricti iudicij noſtris oculis viſibiliter apparebunt? Quibus autem modis virtutes illæ ſtabiles, & quaſi immobiles, moueri debeant, explicant patres, explicat ipſa ſacra ſcriptura. Mouebuntur, inquit, inprimis admiratione ſubitæ tantæ totius orbis terrarum mutationis, quam ſola voluntate, & imperio diuino perfectam eſſe videbunt; illum peana occinentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua, Domine: iuſtæ & veræ ſunt viæ tuæ. Rex ſanctorum, quis non timebit te Domine: & glorificabit nomen tuum? Mouebuntur igitur admiratione, ſed mouebuntur & timore; non quidem ſeruili, ſed eo timore, quo filij ſolēt commoueri, cùm vident, patremfamiliâs cum familia ſua rationem factorum & dictorum inire, ne fortè & ipſi in aliquo offenderent; quali metu percelli illos debere, Iob longè ante prædixit: Columnæ cæli contremiſcent, & pauebunt in aduentu eius. Mouebuntur etiam quantum ad miniſterium: omnes enim ſunt adminiſtratorij ſpiritus: partim admirandos illos motus cælorum & elementorum efficiendo: partim malos à bonis ſeparando: partim ipſi iudici inſeruiendo. Mouebuntur quoque odio quodam contra improbos & ſceleratos; amore autem & miſericordia contra bonos, qui illorum cuſtodiæ erant traditi, qui eorum erant conſerui, cum quibus ſimul nomen

Dei

Dei celebrârunt. His igitur & talibus modis virtutes cælorum mouebuntur, mentes illæ beatæ & cæleſtes.

32 NOtandum tertiò: motis columnis cæli, mirum non eſſe, cælos ipſos commoueri, ac in ſeruitium ſui conditoris conuerti. Erunt ſigna, inquit Lucas, in ſole, & luna, & ſtellis: quod clariùs Euangeliſta noſter explicat: Statim, inquit, poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cælis. Grauis quædam difficultas, atque veluti quædam pugna eſt, cùm inter doctiſsimos viros, tum in ipſa ſcriptura, de cælorum ratione & immutatione. Nam & ſcriptura illud nonnunquam ſignificat, hæc omnia planè interitura & tranſitura; nonnunquam verò perpetuis temporibus duratura. Æternitatem ipſorum declarat Dauid: Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi: præceptum poſuit, & non præteribit. Et Eccleſiaſtes: Terra in æternum ſtat. Et Iſaias de hoc ſole & luna: Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis: & lux ſolis erit ſeptempliciter. Nunquam verò hæc omnia debere perire, eadem docet ſcriptura. Nam & idem Dauid dicit: Initiò tu Domine terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt; tu autem permanebis: & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et Iſaias: Cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur; ſalus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea non deficiet. Et Petrus: Dies Domini ſicut fur, in quo cæli magno impetu tranſeunt. Et nunc Saluator: Cælum & terra tranſibunt: verba autem mea non tranſibunt. Quam pugnam ſcripturarum ſecuta eſt etiam ſcriptura patrum, dum alij hanc, alij aliam ſecuti ſunt ſententiam. Sed & veteres philoſophi non idem eadem de re iudicârunt: Stoici igne abſumendum eſſe putauerũt: Platonici & Peripathetici duraturum; iſti natura ſua, illi Dei manu. Qui igitur corruptibilem exiſtimârunt, fuit Ambroſius, Theodoretus, Euthymius, Cyrillus, Rupertus abbas. Qui incorruptibilem ſemper, Dionyſius, Baſilius, Auguſtinus, Thomas. Qui optimè ſenſerunt, mediam ſecuti ſunt ſententiam: in quibſts Hieronymus Oecumenicus: Cælum, inquit, & terra tranſibunt mutatione, non abolitione ſui. Alioqui, quoniam ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent, ſi cælum, in quo iſta ſunt, non fieret. Immutabitur igitur cælum in meliorem ſtatum; non autem planè deſtruetur. Quod & Dauid ſentit: Mutabis, inquit, eos, & mutabuntur. Et Paulus: Creatura liberabitur à ſenectute corruptionis. Quæ cùm ita ſint, ampliùs quærendum eſt: Quo pacto igitur ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, aut ſtellæ cadent; ſi cælum corruptioni obnoxium non eſt? Duobus modis eam rem explicant vetuſtiſsimi patres. Primum modum ſecutus eſt Hieronymus, Euſebius, Chryſoſtomus, Euthymius: hæc ipſa non ea ratione obſcuratum iri, quòd lumen ſuum ſimul amiſerint; ſed quomodo, ſole exoriente, ſtellæ lumen & ſplendorem amittent ſuum; ſic iſti teſtantur, Chriſto Domino vero ſole iuſtitiæ, in ſua gloria & maieſtate veniente, omne externum lumen & ſplendorem ablaturum; vt ampliùs neque ſol, neque luna, neque ſtellæ vllæ lumen porrigant ſuum: tam enim illuſtris erit gloria Ieſu Chriſti, vt ab omnibus mortalibus conſpici poſsit; vt omnem gloriam auferat. Si enim in illa transfiguratione, in qua modicum gloriæ ſuæ oſtendit, facies eius fuit ſicut ſol, veſtimenta autem ſicut nix; longè maiorem, longè illuſtriorem tum futuram, vbi

ram,vbi iudex viuorum & mortuorum aduenict: vbi gloriosus, positis inimicis suis scabellum pedum suorum, illis eisdem apparebit; quem vbi viderint, inquit Ecclesia, plangent omnes tribus terræ, quòd talem & tantum Dominũ offenderunt: quòd illi non crediderunt: quòd ab eius illustri gloria sint excludendi. Quæ quidem eorum virorum sententia firmatur etiam scripturæ testimonio: Erubescet, inquit, luna, & confundetur sol. Quanquam autem hæc verissimè dicuntur in ipso aduentu Iesu Christi; tamen, cùm nunc nobis sit disputatio de signis, quæ paulò antecedant aduentum eius; alia certè ratio obscurationis & solis, & lunæ, & stellarum: quas cadere è cælo, nihil aliud est, quàm obscurari. Melior est igitur alia sententia; ad quam intelligendam, illud præsupponendum est: neque solem, neque lunam, neque stellas, fontem luminis non esse, ac non solùm fontem luminis non esse, sed neq; suum lumen habere. Hoc autem inde colligit D. Basilius, & D. Ambrosius in Hexæmer: quòd initiò fabricæ mundi priùs lumen fuit & dies, quàm fuerit aut sol, aut luna, aut sydera, quæ deinde pòst vsque quarto die sunt condita. Sol igitur, & luna, & stellæ, non sunt fons luminis, nec habent suum lumen, sed Dei præpotentis. Et hoc est, quod dicit scriptura: Fecit, inquit, Deus duo luminaria, maius & minus. Quæ cùm ita sint, idem eueniet in fine mundi, quod euênit in nuptiis sponsi; vt vestitus antiquus formæ detrahatur soli, & lunæ, & stellis; nouus autem, longè melior, longè excellentior illis detur; vt sic gloriosus sponsus appareat in familia, & toto suo ædificio. Mœstus igitur hic erit vultus mundi, cùm hæc ipsa pulcherrima luminaria suo destituentur splendore: nihil tum cuiquam gratum, nihil iucundum esse poterit, donec sol æternus exoriatur, iustis quidem solatium, impiis perpetua damnatio; soli autem ac lunæ, decus ac splendor longè nobilior. Seruiet igitur cælum, & ornamenta cælorum Domino: seruiet deinde tertia pars vniuersitatis, elementa. Erit confusio sonitus maris, & fluctuum eius; quod partim propter metum cæli perturbatum eueniet: si enim ad motum cæli illi ordinati influxus & refluxus maris eueniunt; tum perturbato motu cæli omnia elementa, maximè autem maiora, perturbari ac exæstuare oportebit. Quanquam autem hæc commotio maris futura est propter eum motum cæli; tamen longè magis propter venientem ignem ante faciem iudicis. de quo igne Dauid: Deus noster manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida. Quemadmodum enim antea flagrantem libidine mundum aqua purgauit; ita tum frigidum charitatis igne aduret. de quo eodem igne testatur propheta, & de quo Petrus: Elementa, inquit, calore soluentur; terra autem, & quæ in ipsa sunt, exurentur. Huic tanto intolerabili calori, cùm obuiam ibit mare, atque tota sua virtute obsistet; cogitandum est, quis fragor, quis sonitus, quæ turba tunc futura est! qualis dissoluti horologij sit sonitus, facilè exaudimus: quid tantorum elementorum, quid totius mundi! Tum demùm, sic virtutibus cælorum motis, sic omni ornatu cæli detracto, tam horrendo tumultu facto, inclinabit superbam ceruicem suam homo, creatura rationabilis. Erit, inquit, pressura gentium, præ confusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione futurorum, quæ superuenient vniuerso orbi. Quę enim, & quanta patietur tunc genus mortalium, cùm columnæ cæli trepidare cœperint: cùm omnia solatia luminis defecerint: cùm sic omnia perturbata erunt!

erunt? Quid igitur facient virgulta deserta, vbi timore concutietur cedrus paradisi? quid faciet peccator, vbi morietur angelus? Erit hæc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vsque modò, neque fiet; & nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fuisset salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi. Quæ dum audimus, illud inprimis in mentem veniat, qua tandem ratione nos affectos, tam tristes & calamitosos dies expectare oporteat.

33 Signis futuri iudicii, tam proximis quàm remotis explicatis, iam ipsam formam iudicij nobis æternus iudex proponit: primùm simpliciter, deinde in parabola. Simpliciter quidem hoc modo: Et tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maiestate. Sicut ergo, quando transfiguratus est, resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt sicut lumen, & vox venit de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo complacui: sic, cùm venerit iterum, forsitan in speciem transformabitur gloriosam: aut sicut tunc transformatus est coram tribus discipulis suis, postea veniet non super vnam nubẽ, sed super multas, quæ erunt vehiculum eius. Quoniam autem consequens est, vt in meliorem gloriam reformetur, quàm fuit transformatus in monte; manifestum est ex eo, quòd tunc quidem coram tribus tantùmmodo transformatus est; in consummatione autem mundi totius, apparebit in gloria multa, vt videant eum omnes in gloria. Hæc Origenes. Sicut enim in datione legis, auditus est sonitus terribilis; vt habetur Exod. 19. ita audietur tunc sonitus consimilis, virtute angelorum factus in elementis: neque enim opus erit accusatione præter crucem. Descendet autem in nubibus, sicut assumptus est. Et mittet angelos suos cum tuba, & voce magna: & congregabunt omnes electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorũ; id est, à quatuor mundi climatibus: & non solùm hoc, sed à summo terræ, vsq; ad summum cæli, id est, ab extremis terræ finibus, per directum vsque ad vltimos fines eius, vbi longè à spectantibus circulus cæli terræ videtur insidere. Plangent hi, inquit Hieronymus, qui municipatum non habuêre in cælis, sed scripti sunt in terra. De tuba autem & apostolus loquitur, & in Apocalypsi legimus: & in veteri testamento tubæ ductiles ex auro, & ære, argentoque fieri præcipiuntur; vt sublimia doctrinarum resonent sacramenta. Locutus est, inquit scriptura, Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare posis multitudinem, quando mouenda sunt castra. Cùmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostiũ tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israël; si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad Orientalem plagam. In secundo autem sonitu, à pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc reliqui facient vlulantibus tubis in profectionem. Vide in istis, inquit Origenes, quoniam in prima significatione tubę promouent castra, qui sunt secundùm Orientem; in secunda autem promouent castra qui sunt secundùm Austrum: &, vt breuiter dicam, ex quatuor ventis congregant sacerdotes tuba canentes, eos qui sunt ex castris Israël: & secundùm comparationem sacerdotum tuba canentium, angeli Christi cum tuba magna congregabunt electos

bunt electos eius à quatuor ventis. In parabola autem hoc idem eodem modo proponit: Ab arbore,inquit,fici,discite parabolam. Cùm iam ramus eius tener fuerit,& folia nata, scitis quia propè est æstas. Ramus istius ficus, vt docet Hilarius,Antichristus intelligitur, Zaboli filius, peccati portio,legis assertor. qui cùm tenerescere cœperit, atque frondescere, tunc proxima esse æstas,id est,dies iudicij,sentiatur. Frondescere autem quadam peccatorum exultantium viriditate noscitur. Erit enim tum flos criminosorum, & honor facinorosorum,& gratia prophanorum; quibus tamen æstus, id est,calor æterni ignis,in proximo est. Atque vt fides certa esset futurorum, Amen dicendo,professionem veritatis adiecit, generationem nostram præterire non posse,nisi vniuersa ista transcurrerent, eaque,quæ firma existimantur, cælum & terram non futura; verba autem sua non posse non esse: quia illa ex conditione creationis suæ,id est profecta de nihilo, habeant id in se necessitatis, vt non sint; hæc autem ex æternitate deducta,id in se contineant virtutis,vt maneant. Ita & vos,cùm videritis hæc omnia,scitote,quia propè est in ianuis. Amen dico vobis,quia non præteribit generatio hæc,donec omnia ista fiant. Cælum & terra transibunt; verba autem mea non præteribunt. Aduentũ Christi nunc regnum Dei dicit, nunc redemptionem iustorum. regnum quidem,quia tanquam rex appropinquat: redemptionem verò eorum,quia seruat eos. Sub exemplo arboris docuit consummationis aduentum: Quomodo,inquit,quando teneri fuerint in arbore ficus cauliculi, & gemma erumpit in florem,cortexque folia parturit,intelligitis æstatis aduentum,&Fauonij ac Veris introitum; ita,cùm hæc omnia,quæ scripta sunt,videritis, nolite putare,iam adesse consummationem mundi, sed quasi procœmia, & præcursores quosdam venire; vt ostendat,quòd propè sit,& in ianuis. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc,donec omnia ista fiant. Suprà diximus, generationes bonorum,& è contrario malorum,esse singulas: igitur aut omne genus hominum significat,aut specialiter Iudæorum. Quo loco D. Chrysostomus: Quomodo, Hæc generatio,dictum est? Non de viuentibus tunc, sed de fidelibus dixit. Nouit enim scriptura,non à temporibus solùm,sed etiam à piis moribus generationem describere; vt,quando dicitur: Hæc est generatio quærentium Dominum. Cælum & terra transibunt immutatione, non abolitione sui: alioquin quomodo sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent, si cælum, in quo ista sunt,terraque non fuerit?

NOtandum primò est: quæ causa sit, cùm in particulari iudicio quisque id consequatur quod meruit,siue bonum,siue malum: quæ causa, inquam,sit vniuersalis iudicij? An, quia in particulari iudicio referimus ea quæ nobis debentur in animo tantùm; in vniuersali autem & in animo & in corpore simul. An,vt persona detrahatur hypocritis, contra quos hoc planè totum Euangelium comparatum est. Nam, cùm in hac vita multi sint, qui, cùm improbi existant; maximè tamen boni viri apparere volunt, & vice versa quidam sancti, qui ab hominibus improbi iudicantur: instituit Deus vniuersale iudicium, in quo omnia omnium corda aperiat: laruam improbis detrahat: bonos illustret; vt in æternum omnis sepeliatur hypocrisis. An,vt vincat dominus,cùm iudicatur: multi enim dicunt, Deum aliquos iniustè punire, aliquos iniustè remunerari, tunc istarum omnium rerum apparebit ratio. An, vt 34

& sancti

& sancti magis honorificentur, magisque consolentur, dum publicè coronantur; nec ipsi soli, sed & socij & familiares eorum: improbi autem magis crucientur, & in se, & in suis. An, vt omnis iustitia compleatur, illudque omnes occinant: Iusta & vera sunt iudicia tua, Domine: quis non timebit te rex sanctorum, principatum tenens?

35 SEcundò notandum est: quam crucem sustinebunt illi, qui crucem Domini contempserunt, confregerunt, conspurcârunt, Iudæi, inquam, & hæretici, cùm signum eius lucidissimum in cælo videbunt, quod, nullo loquente, contra illos sententiam feret, ipsosque damnabit. Crucem igitur Christi adoremus, eiusque gloriosissimam passionem recolamus.

36 TErtiò notandum est: vniuersalitatem Ecclesiæ Dei, quæ vsque ad extremum mundi duratura est, ex his verbis colligi: Et mittet angelos cum tuba, & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum.

37 QVartò notandum: quòd tuba mortuos excitabit, excitatos autem cõgregabunt angeli: congregatos verò rapient nubes, sicut dixit Paulus, in occursum Domini in aëra. Quòd autem etiam peccatores congregabunt angeli, docuit Christus: Mittet filius hominis angelos suos, & colligẽt de regno eius omnia scandala, & eos qui operantur iniquitatem.

38 QVintò notandum est: terrorem vltimæ tubæ, quæ ferreum somnum, & adamantinam noctem discutiet; ita, vt hi, qui in visceribus terræ sunt, ad se redeant, causamque anteactæ vitæ agant. de qua Hieronymus: Siue, inquit, bibo, siue comedo, semper auribus meis vox illa tubæ insonat: Surgite mortui, venite ad iudicium.

39 SExtò notandum: ne suspicarentur apostoli, quòd prædicta pericula penitus delerent prædicationem & fideles, certiores eos facit, quòd non sit delenda religio fidelium vsque ad secundum aduentum, sed vsque ad consummationem seculi permansura, nec vllo periculo abolenda. De hoc autem etiam priùs diuersimodè eis prædixit, eosque confirmauit: sed quia tunc facilè à corde excidebant, ampliùs aduc facit certiores.

40 NOtandum septimò: illud non esse causandum, quòd hæc infidelibus, & non nobis, qui in Ecclesia sumus, euenient. Hoc enim excludit Saluator, cùm dicit: Amen amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia ista fiant: generationem apostolicam indicans. Vbi illud admirandum est: Fidem Ecclesiæ stabiliorem esse virtutibus cælorum, sole & luna: nam dum illa mutabuntur, omnia hæc durabunt.

41 NOtandum octauò: illud non obijciendum: hæc fortassè non euentura, dicit Saluator: Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Dixit hoc idem superiùs de lege: Cælum & terra peribit, priusquàm

apex vnus de lege transeat. Videmus omnia completa, quæ prædicta sunt in lege,& hæc complebuntur.

NOtandum nonò: Eam rem mira arte, mira sapientia ab ipso Domino explicari. Eo animo, scilicet, dies illos Christiano populo expectandos esse, quo dura,& glaciali,& niuosa hyeme æstas expectari solet; quæ non vno, nec eodem modo ab omnibus expectari solet. Sed ab illis quidem,qui,cùm agros, vineas,hortos,& plantas habeant,agros rectè excoluerunt,conseuerunt,& vineas putârunt,plantas inseruerunt; æstas,tanquam omnium calamitatum,& miseriarum,& omnis paupertatis fuga expectatur; principium autem omnis hilaritatis,omnis lætitiæ, omnium fructuum & opulentiæ. Illi autem, qui tota hyeme otiosi & desides fuerunt,nihilque consequenti æstati apparauerunt, his ipsis, cùm æstas nihil commodi afferre posśit, quin cùm vel eandem, vel maiorem illis miseriam polliceatur,nullo gaudio,nulla lætitia expectanda est. Eodem modo, eos ipsos tam acerbos dies expectandos esse, docet Saluator; vt illis quidem,qui euntes ibant & flebant,mittentes semina sua, hæc ipsa tam procellosa hyems,lætitiæ & gaudij sit, tanquam futuram æstatem apportatura; vbi redeuntes redibant cum exultatione, portantes manipulos suos. Et hoc est,quod dicit apud Lucam: His autem fieri incipientibus, respicite,& leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Redemptio à seruitute peccati,fomite infectionis, sensuum illecebris,affectuum infestatione,dæmonum tentatione, malorum hominum persecutione,necesśariorum solicitudine; vt iam istis foliis se explicantibus, illud occinamus: Iam hyems transiit: imber abiit & recesśit: vox turturis audita est: flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis aduênit. Illi verò, qui hyemem huius seculi ita confecerunt, vt non modò nulla egregia semina iecerint, sed potiùs tristibus scelerum zizaniis,& spinis vitiorum omnia compleuerunt; illis, inquam,ea signa mœstisśima sint oportet, cùm se nudos & destitutos reperient: Tunc quærent mortem,& non inuenient eam. Tunc dicent montibus, Cooperite nos: mari,vt absorbeat eos; tamen exitum non inuenient.

42

FOrma futuri iudicij explicata, nunc incertitudinis diem propter nostram cautionem multis demonstrat. Vt enim nihil certius est morte, die autem & hora eius nihil incertius; ita eadem de futuro iudicio, quod mors quædam mundi erit,nihil certius est; ita die illius nihil incertius. Hoc igitur Christus Dominus demonstrat. Cùm enim paulò antè signa futuri iudicii explicâsset, poterat quispiam inferre: Bibamus ergo, & comedamus, donec hæc signa viderimus; tum pòst pœnitentiam acturi sumus. Monet Dominus,non esse errandum: & quamuis hæc signa sint certisśima; Dominum tamen tum venturum,cùm minimè sperabimus,&cùm maximè hominum genus securitati & voluptati se dediderit. quod & in diebus Noë accidisse docet,& in ipsa vrbis Hierosolymæ,quæ huius rei typus fuit, expugnatione; quæ tum expugnata est, cùm minimè sperabatur, ipso die Paschæ & solennitatis. De die autem illo & hora nemo scit, neque angeli cælorum, nisi solus pater. Sicut autem in diebus Noë; ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem, quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt,donec

43

runt, donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit aduentus filij hominis. Nisi pater solus: dictio Solus in ordine ad creaturas intelligitur, nō ad filiū, nec spiritum sanctum. Omnia enim quæ habet pater, filij sunt, sicut dixit filius; inter omnia autem est vnum scire diem & horam: filij proculdubiò etiam hoc erit. Apud Marcum verò scriptum est: Neque filius, nisi pater. Et quia intelligunt, quòd neque filius nouit diem illum & horam, vt homo: nam vt Deus æqualiter nouit cum patre. Aptiùs est autem, vt ita dicatur: Neque filius scit, nisi pater, videlicet sciat: quia verò sciat pater, scit vtique & filius. Ego enim, inquit, & pater, vnum sumus. Considera verò, quòd apud Matthæum quidē ponitur Solus, sed nulla fit mentio filij, ne etiam ad eum referatur. Apud Marcum autem non habetur Solus, sed fit mentio filij, vt intelligatur sicut diximus. De diei quidem cognitione grauissimè Hieronymus, quem ipsum audiamus. In quibusdam, inquit, latinis codicibus additum est, Neque filius: cùm in Græcis, & maximè Adamantij & Pierij exemplaribus hoc non habeatur adscriptum: sed quia in nonnullis legitur, disserendum videtur. Guepta, Arius, & Eunomyus, quasi ignorantia magistri gloria discipulorum sit, dicunt: Non potest æqualis esse qui nouit, illi qui ignorat; contrà quos breuiter illa dicenda sunt: Cùm omnia tempora fecerit Iesus, hoc est verbū Dei: (omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil) in omnibus autem temporibus etiam dies iudicij sit, qua consequentia potest eius ignorare partem, cuius totum nouerit? Hoc quoque dicendum est: Quid est maius, notitia patris, an iudicij? si maius nouit, quomodo ignorat quod minus est? Scriptum legimus: Omnia quæ patris sunt, mihi tradita sunt. Si omnia patris filij sunt; qua ratione vnius sibi diei notitiam reseruauit, & noluit eam communicare cum filio? Sed & hoc inferendum: Si nouissimum diem ignorat temporum, ignorat & penultimum, & retrorsum omnes. Non enim potest fieri, vt, qui primum ignorat, sciat quid secundum sit. Igitur quia probauimus, non ignorare filium consummationis diem, causa reddenda est, cur ignorare dicatur. Apostolus super Saluatore scribit: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, sed absconditi sunt. Quare absconditi sunt? Post resurrectionem interrogatus ab apostolis de die, manifestiùs respondit: Non est vestrum scire tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Quando dicit, Non est vestrum scire; ostendit, quòd ipse sciat, sed non expediat scire apostolis, vt semper incerti de aduentu iudicis, sic quotidie viuant, quasi die illa iudicandi sint. Denique & consequens Euangelij sermo, idipsum cogit intelligi. Dicens quoque, patrem solum nosse, in patre comprehendit & filium: omnis enim pater filij nomen est. Et Hieronymus quidem latinus hæc. Nazianzenus autem, præceptor eius, illa, præceptore Hieronymi digna. Quomodo, inquit, rem aliquam ignorat sapientia, ille seculorum factor, ille consummator atque immutator, ille rerum, quæ geruntur, finis, ille, ea quæ Dei sunt non minùs cognoscens, quàm spiritus hominis ea quæ in ipso sunt? Quid enim hac cognitione plenius ac perfectius? Quî verò constat, ipsum ea quidem, quæ horam illam antecedunt, ac quæ velut in ipso finis articulo sunt, exactissimè scire; ipsam autem horam ignorare? Ænigmati quippe hæc res similis est; perinde, ac si quis ea, quæ ante murum sunt, certissimè se scire affirmet, murum autem ipsum se ignorare fateatur; aut diei finem probè sciens, noctis principium minimè cognoscat, vbi alterius cognitio alterum necessariò

ſecum introducit. Eccui igitur dubium eſſe poteſt, quin horam quidem vt Deus cognitam habeat,ignoret autem vt homo? ſi quis partem aſpectabilem ab ea diſiungat,quæ mente ſola perſpici poteſt: nam quia abſolutè hoc loco filij nomen ponitur,nec adiungitur cuius, idcirco hinc nobis anſa porrigitur ita exiſtimandi; vt ignorantiam hanc ſenſu maximè pio interpretemur, eamq; humanitati,non diuinitati adſcribamus. Ac, ſiquidem hæc ratio aduerſariis ſatisfaciat, hîc pedem figemus,ne quidquam à nobis ampliùs requiratur: ſin ſecus, hanc ſecundam expoſitionem afferemus,quòd,quemadmodum ſingula alia,ita rerum quoque maximarum cognitio in genitoris honorem ad cauſam ipſam referenda eſt. Quin ne hunc locum quidem malè intellecturus mihi videtur, qui ſic legerit, vt ſtudioſus quidam huius ætatis, nempe, filium non aliter diem illum vel horam ſcire,quàm vt pater; vt ſenſus hic colligatur: Quoniam pater cognoſcit, ideò etiam filius; tanquam, videlicet, nemini ea res nota ſit,præter principem illam naturam. Hæc Gregorius. Neque angeli cælorum. Euthymius, Tali,inquit,vſus eſt argumento: Si angeli cæleſtes ignorant hæc; multò magis homines terrenos ea ſcire non expedit,&cę. O diuinæ bonitatis inæſtimabilem miſericordiam! Nunquid Deus pater cognitionem diei,celandi filium propoſito,abnegauit: cùm dictum ab eo ſit, Omnia mihi à patre meo tradita ſunt? Ergo non omnia ſunt, ſi eſt aliquid, quod negatur. Sed quia ad nos omnia à patre accepta deueheret, Deíque verbum non tam futuri in ſe fidem contineat,quàm facti; ideò extra definitionem dies poſita eſt, vt largum licèt Deus pœnitentiæ nobis tempus indulgens, incerti tamen metu ſemper nos ſollicitos detineret,& ipſe nulli loquendo voluntatem dandi huius diei nulla dicti ſui definitione cohiberet: quia ſecundùm diluuij tempus,in ipſo vitæ noſtræ curſu omnia agentibus ac pœnitentibus,magnus ille dies aderit. Hæc Hilarius. Et D. Baſilius: Si creator omnium filius, iudicij verò tempus ignorat: (non enim iudicium dixit ignorare,ſed tempus) quod quomodo non conueniens. Et ſtatim: Si cognitionem omnium,quam pater habet,filius non habet, mentitus eſt, cùm dixit: Omnia quæ pater habet,mea ſunt: & ſicut pater nouit me,ego noui patrem. Quòd ſi aliud eſt, patrem, aliud, quæ patris ſunt, cognoſcere; maius autem patrem cognoſcere,quàm ea,quæ patris ſunt, quantò vnuſquiſque quàm ſua maior,cùm id quod maius eſt cognoſcat filius: Nullus enim,inquit,nouit patrem,niſi filius. quod minus eſt,ignorat; quod eſt impoſsibile. Quoniam ergo non conferebat hominibus, iudicij tempus audire, idcirco reticuit: nam expectatio perpetua feruentiores ad pietatem reddit: cognitio verò quòd multum temporis intererit, negligentiores ad pietatem feciſſet, cùm ſperamus poſtea pœnitentia poſſe ſaluari. Nam qui vſque ad horam illam omnia nouit (dixit enim ea) quo pacto horam illam ignorauerit? Fruſtrà verò & apoſtolus diceret: In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ,& ſcientiæ, & cognitionis reconditi. Et Theophylactus pulchrè: Si enim ſciremus diem exitus noſtri,quando futurus erit; ea tantùm die elaboraremus,vt Deo placeremus; nunc autem ignorantes,quotidie vigilemus oportet,ac in bonis operibus nos exerceamus. Solatur itaque illos comparatione angelorum, ne turpe ſibi eſſe putent de die illa ignorare: cùm ne angelis quidem,longè excellentioris naturæ,cognita ſit,ac ne filio quidem hominis, in quantum filius hominis eſt. Summam eius doctrinæ docet Theophylactus; vt abſtinentiam non à perquiſitione

sitione vltimi diei: si enim solum patrem dicit scire, & neque angelos, neque seipsum; impudentis est curiositatis, ea perquirere, quæ isti ignorāt. Vtuntur hoc modo dicendi parentes sæpè: nam ea, quæ manibus continent, plerumque dicunt se ignorare; vt illorum pertinacem curiositatem reprimant. Vt enim in diebus Noë ridebant potiùs, & subsannabant quidam ædificium arcæ, donec omnes aquis absorpti sunt; sic & nunc multi rident, & subsannāt illos, qui futuri iudicij seueritatem illis proponunt. Quæritur, quomodo suprà scriptum sit: Surget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræ motus: & nunc ea futura memorentur, quæ pacis indicia sunt. Sed existimandum iuxta apostolum, quòd post pugnas & dissensiones, pestilentias & famem, & terræ motus, quibus genus vastatur humanum, breuî subsecutura sit pax, quæ quieta omnia repromittat, vt fides credentium comprobetur: vtrum transactis malis sperent iudicem esse venturum: hoc est enim quod in Paulo legimus, Quando dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet eis interitus. Verùm si tūc in deliciis erunt, quomodo dixit: Post afflictionem dierum illorum? Afflictio quidem erit colentium Deum ac iustorum: deliciæ verò malorum & insensatorum. Tunc duo erunt in agro; vnus assumetur, & vnus relinquetur. In assumendis fidelibus futurum esse discrimen, ostendit, cùm duobus in agro positis, assumatur vnus, & alter relinquatur: & duabus molentibus, improbetur altera, altera eligatur: & ex duobus qui in lecto erunt, adhæreat vnus, alter deseratur. Infidelium enim, & fidelium discrimen, in relinquendis aliis, & aliis assumendis docet: Dei enim ira ingrauescente, sancti (vt propheta ait) in promptuariis recondentur; perfidi verò ad cælestis ignis materiam relinquentur. Duæ molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur: duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur. qui otium eligunt & quietem, (quæ significantur nomine lecti) nec secularibus, nec Ecclesiasticis negotiis occupati; vnus assumetur, qui propter Deum continere se studet, vt sine solicitudine viuens, cogitet quæ Dei sunt; qui autem humana laude, vel aliqua vitiorum corruptione monasticam vitam elegerit, relinquetur à Deo. Tunc duo erunt in agro, inquit. Quando? tempore videlicet consummationis atque iudicij duo in agro pariter inuenientur, eundem habentes laborem, & quasi parem sementem, sed fructus laboris non æquè recipientes. Ita verò subitum erit illud tempus, vt duo simul in eodem agro simul se colligere non possint, aut in vno molendino: sed alter effugiat, alter in periculo hæreat; quod in subito incendio fieri solet. Quò autem effugiat, docet apud Lucam: quærentes enim discipuli, dicunt illi, Vbi Domine? qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Quo loco Theophylactus: Tunc, inquit, sollicitis omnibus, & occupatis circa propria opera, vnus quidem assumetur, hoc est, iustus rapietur in occursum Domini in aërem; alter autem, id est peccator, relinquetur infrà. Sed etiamsi serui aliqui sint & molant, ex his etiā aliqui assumentur quidem, qui digni erunt; alij relinquentur, qui indigni. Et inde discamus, quòd & serui, & fœminæ non sunt alienę ab exercitio virtutis. Duæ quoque molentes simul erunt; vna assumetur, & altera relinquetur. In duobus qui in agro commorantur, & in duabus quę pariter molunt, vel synagogam intellige, vel Ecclesiam: quòd simul molere videantur in lege, & de eisdem scripturis farinam terere pręceptorum Dei: vel

cæteras hæreſes, quæ ab vtroque teſtamento, aut de altero videntur molere farinam doctrinarum ſuarum: & cùm vnum propoſitum nominis Chriſtiani habeant, non eandem mercedem recipient, aliis aſſumptis, & aliis derelictis. Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Vt ignorãtiam illam diei omnibus taciti non ſine vtilis ſilentij ratione eſſe ſciremus, vigilare nos propter aduentum furis admonuit, & orationum aſsiduitate detentos, omnibus præceptorum ſuorum operibus inhærere. Furem enim oſtendit eſſe Zabulum, ad detrahenda ex nobis ſpolia peruigilem, & corporum noſtrorum domibus inſidiantem; vt ea, incurioſis nobis, & ſomno deditis, conſiliorum ſuorum, atque illecebrarum iaculis perfodiat. Paratos igitur eſſe nos conuenit: quia diei ignoratio intentam ſolicitudinem ſuſpenſæ expectationis exagitet. Quo autem fine hæc Dominus omnia dicat, ſiue illa, quę de ſignis futuri iudicij dicta ſunt, ſiue quæ de forma & de modo, ſiue de periculis & calamitatibus? hoc ſcilicet, vt nunquam ſecuri ſimus: vt præſentem iudicem expectemus, & ad reddendas rationes parati ſimus; ne ſubitò die iudicij præoccupati, quæramus ſpatium pœnitentiæ, & inuenire non poſsimus. Illud autem ſcitote: quoniam ſi ſciret paterfamiliâs, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam; ideò & vos eſtote parati: quia neſcitis qua hora filius hominis venturus eſt. Marcus addit: ſerò, id eſt, in iuuentute: an media nocte, id eſt, in medio vitæ humanæ: an galli cantu; quando iam ſenior eſt: an manè; ſenio confectus: ne, cùm venerit, inueniat vos dormientes. quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Per vigiliam autem, ſiue vigilantiam, intellige non ſolùm ſomni temperantiã, verùm etiam omnimodam attentionem & cuſtodiam. Dicit enim & Lucas: Attendite vobis ipſis, ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, ac curis huius vitæ, & repentinus ſuperueniat dies ille vobis: tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem vniuerſæ terræ. Perſpicuè oſtendit, quare ſuprà dixerit: De die autem illa & hora nemo ſcit, neque filius hominis, neque angeli, niſi pater ſolus; quòd non expediat ſcire apoſtolis, vt pendulæ expectationis incerto ſemper eum credant eſſe venturũ, quem ignorant quando venturus ſit. Et non dixit, Quia neſcimus qua hora venturus ſit Dominus: ſed, Neſcitis. Furem autem vocat conſummationem mundi, & cuiuſque mortem. quemadmodum & nox dicitur aduentus eius: non quòd noctu veniat, ſed quòd, quando venturus ſit, nemo ſciat. Quis, putas, eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille ſeruus, quem, cùm venerit dominus eius, & pulſauerit ianuam, inuenerit ſic facientem: Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Totius poſſeſsionis diuinæ hæredes erunt ſancti. quod etiam poteſt intelligi tripliciter. Vno modo, in diſpenſatione ſpiritualium; quod propriè pertinet ad prælatos: alio modo, in regimine temporalium; quod pertinet ad principes ſeculares & iudices: tertio modo, in bono vſu gratiarum ſibi à Deo collatarum; & hoc pertinet ad omnes. Exemplum autem patrisfamiliâs, hoc eſt ſui, & fidelium ſeruorum, id eſt apoſtolorum, ad cohortationem ſollicitæ mentis interſerit; vt ſpe præmiorum, miniſtrent conſeruis in tempore ſuo cibaria doctrinarum. Dubitanter autem loquitur Dominus: Quis eſt fidelis ſeruus ille & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam? vt oſtendat, rarum eſſe, & non ita facilem

inuentu huiuſcemodi. in quo duo requirit: Fidem, & Prudentiam. Quis, putas, eſt fidelis ſeruus, & prudens? Vide autem, quòd duo hæc habere oporteat eum qui præpoſitus eſt: puta fidem, ne retineat ea quæ ſunt conſeruorum, aut inutiliter conſumat: & prudentiam, vt decenter ea diuidat, quæ ſibi tradita ſunt, & cum iudicio, tam in qualitate, quàm in quantitate. Rem autem laudabilem proponit, rariſsimam tamen; vt quis fidelis inueniatur & prudens. Ecce, ſi quæras fideles, id eſt Deum timentes, & ipſos quidem nō multos inuenies; tamen adhuc facilè inuenis. Item, ſi prudentes quæras, inuenies multos; fidelis autem & prudens difficilè inuenitur. Quomodo, qui fideles ſunt, id eſt Deum timentes, difficilè ſunt & prudentes: & qui prudentes inueniuntur, difficilè ſunt & Deum timentes. Quantò ergo rarior inuenitur fidelis & prudens; tantò, qui inuentus fuerit, beatior eſt. Prudentem autem dico, non ſcientem & doctum, ſed ſenſatum & mente acutum, qui poteſt rerum ponderare naturas, & ſecundùm quod poteſt rationabiliter omnia agere. Plerique autem ſunt, habentes ſcientiam multam; ſed nec ſe ſapienter regunt, nec ſcientiam ſuam ſapienter diſpenſant. Et omnis quidem prudens, poteſt & ſcientiam habere ex parte; non autem & omnis ſciens ſapientiam poteſt habere: quoniam ſapientia vniuſcuiuſque in actu probatur; ſcientia autem in ſermone. Fidelis quidem quæritur propter Deum, vt timeat Deum; prudens autem propter homines, vt populum Dei ſapienter gubernet, eique det cibum in tempore ſuo; hoc eſt, vt in perſecutione magis inſtanter de veritate fidei doceat, quàm de iuſtitia conuerſationis; in pace autem magis aſsiduè de iuſtitia conuerſationis, quàm de veritate fidei. Si autē dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebriis; veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & ſtridor dentium. Sic in vno fideli diſpenſatore totus bonorum rectorum, quomodo vel viuat, vel remuneretur, ordo docetur. Sic & in hoc nequiſsimo ſeruo cūctorum præſulum malorum damnandorum, pariter opus & damnatio narratur æterna; qui, neglecto Domini amore, non modò ipſi luxuriæ vacant, ſed etiam ſubditos iniuriis ſtimulant. Quamuis typicè poſsit intelligi percutere conſeruos, corda infirmorum nec adhuc fide, ſpe, & charitate ſolidatorum, oſtento prauæ operationis, aut locutionis exemplo vitiare. Hæc Beda. Moram facit Dominus; hoc eſt, præſens non adeſt, & ſtatim non punit, & ſic clementiam Dei occaſionem facit improbitatis ſuæ. Ex ſuperioribus pendet: quòd, ſicut ſollicitus ſeruus, & ſemper aduentum Domini præſtolans, tradit conſeruis cibaria in tempore ſuo, & poſtea ſuper omnia bona patrisfamiliâs conſtituitur: ita è contrario qui iuxta Ezechielem dixit: In tempora longa fiet iſtud, & non putat Dominum citò eſſe venturum, factus ſecurior, vacat epulis atque luxuriæ, & non leuem patremfamiliâs, ſed ſeueriſsimum ſentiet iudicem. Veniet Dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemque eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & ſtridor dentium. Diuiſionem eius dicit, omnimodam & perpetuam gratiæ ſpiritus ſancti ablationem. Quòd ſi neque nunc commiſcetur animabus eam contaminantibus: at ſaltem adeſt his, qui ſemel ea ſunt inſigniti, expectans conuerſionem ipſorum; tunc autem omninò & perpetuò alienabitur. Hoc

ipſum docet,vt ſciant,quando non putatur Dominus, tunc eum eſſe venturũ; & vigilantiæ, ac ſollicitudinis diſpenſatores admonet. Porrò quod dicit, Diuidet eum; non quò gladio eum diſſecet, ſed à ſanctorum conſortio eum ſeparet,& partem eius ponat cum hypocritis: cum his videlicet qui erant in agro,& qui molebant, & nihilominus derelicti ſunt. Sæpè diximus, hypocritam aliud eſſe, aliud oſtendere; ſicut & in agro, & in mola idem videbatur facere quod Eccleſiaſticus vir, ſed exitus diuerſæ voluntatis apparuit. Vt autem magis timeamus illud, quod ait, Diuidet eum; conuenit recordari ea, quæ à Daniele ſunt dicta contra presbyteros malos: Quoniam angelus Domini,habens gladium,ſcindet te medium; ſcindens autem diuidet.

NOtandum autem hoc loco primùm eſt: vitam Chriſtianam nihil aliud eſſe,quàm quotidianam mortis,ac iudicij Domini meditationem; non illam, quæ in annos ſit,aut in menſes tantùm; ſed neque hanc quæ in dies: ſed eam ipſam quæ in horas, iuxta hoc: De hora autem & die, à qua diabolus alios quidem per ambitionem,alios per auaritiam,alios per carnis voluptates,alios per vanam philoſophiam, plurimos autem per hæreſes abducere ſolet; vt,ſuperfluis quæſtionibus occupati, illius,quod caput eſt,obliuiſcãtur,& pereant. Quas minas nunc quotidianas videmus. 44

SEcundò notandum: non hîc iuxta Marcionis & Manichæi dogma,con iugia vel alimenta damnari: ſed potiùs licitorum argui vſum immoderatum. Præclarè igitur facit mater ſancta Eccleſia,quæ, etſi omni tempore matrimonia laudat; certis tamen temporibus ab illo abſtineri iubet; vt tempore ieiunij & orationis: tempore tribulationum & anguſtiarum: tempore myſteriorum redemptionis noſtræ, aduentus, paſsionis,glorioſæ reſurrectionis. Hinc illa D. Ambroſij quæſtio: Quæramus, inquit,qua ratione, quàmdiu ingrediebatur Noë in arcam. Hic ordo fuit ingredientium; vt primò ipſe ingrederetur, & filij eius: inde eius vxor, & vxores filiorum eius; quando autẽ exierunt,commutatum ſit. Nam ſcriptum eſt: Exiuit ipſe, & vxor eius, & filij,& vxores filiorum eius. Et litera quidem ſignificat in ingreſſu abſtinentiam generationis; in egreſſu,generationis vſum: tunc enim pater cum filiis priùs introiuit, & filij cum parente, & poſtea vxor eius, & filiorum eius vxores; id eſt,non commiſcetur ſexus in introitu, commiſcetur in egreſſu. Apertè igitur, velut ordine ipſo ingreſsionis vocem quandam iuſtus emittit, tempus illud non eſſe concubitus & deliciarum,quo omnibus immineret interitus. Vnde in Euangelio Dominus ait, reprehendens,quòd temporibus Noë ederent, & biberent, vxores ducerent, & filias nuptum traderent: & ideò propter intemperantiam eorum ſuperueniſſe diluuium. Mœroris igitur tempus illud,non lætitiæ erat: & inde iuſtus conſortio non delectabatur vxoris,vel filij iuſti petebant copulam coniugalem. Quàm enim indecorum, vt, quo tempore viuentes morerentur, tunc perituri generarentur? Hæc Ambroſ. lib. de Noë & arca cap. 21. quæ ſtulta hæreſis omnia confundit. 45

NOtandum tertiò: vanam eſſe hæreticorum fiduciam, quæ ex ſola vocatione & fide concipitur. Nam & hoc loco duo in agro ſunt; & tamen vnus aſſumitur,& alter relinquitur: ſic duæ in vno molendino; & tamen idẽ 46

eis euenit. Parum dico: duo in eodem lecto; & tamen vnus assumitur, & alter relinquitur. Firmam igitur faciamus vocationem nostram bonis operibus nostris.

47 NOtandum quartò: ad diem iudicij præparatione opus esse, quæ fit per vigilias, per orationes, per ieiunia, per omnem vitæ continentiam. Attendite, inquit, vobis, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, orantes, vt digni habeamini fugere omnia ista quæ ventura sunt, & stare ante filium hominis.

48 NOtandum est quintò: docere Dominum, quòd Antichristo apparente, voluptates dominabuntur hominibus, & quòd multi in nuptias & voluptates dissoluentur liberiùs; quemadmodum & illi, qui tempore Noë fuerunt, gigantes.

49 NOtandum sextò: tristissimam futuram futuri iudicij faciem, dum res multùm diuque secum coniunctæ, multisque cogitationibus obligatæ, subitò disiungentur, etiam ex his qui in vno lecto iacere solebant, qualis est vir & vxor; & alter quidem assumetur, alter relinquetur. Qui igitur diu secum semper viuere volunt, indiuisè in virtutibus ac bonis operibus simul se exerceant.

50 NOtandum septimò: omnes eos, quos Deus potestati nostræ vtcunque subiecit, conseruos nostros esse: & ideò cum omnibus benignè & humaniter agendum: scandalizandus nemo: abutendum nemine. Peccat autem in Deum, inquit Origenes, quicunque episcopus, qui non quasi conseruis seruus ministrat, sed quasi Dominus. Frequenter autem, & quasi amarus Dominus, dominans per vim, similis constitutus Ægyptiis, qui affligebant vitam filiorum Israël cum vi. Ergo memores esse debent verborum Christi, dicentis: Vos vocatis me magistrum & Dominum, & benè dicitis: sum etenim. Sicut ergo ego laui pedes vestros, & vos debetis alterutrũ lauare pedes: exemplum enim dedi vobis; vt, sicut ego feci, vos faciatis. Et illud: Principes gentium dominantur eorum, & maiores eorum potestatem exercent in eis. Inter vos autem non sic erit: sed qui vult inter vos esse primus, erit nouissimus. Audire autem oportet & Paulum dicentem: Cùm possumus oneri esse, vt Christi apostoli, facti sumus paruuli in medio vestrûm; quemadmodum si nutrix foueat natos suos, sic desiderantes cupimus participari vobiscũ non solùm Euangelium, sed etiam animas nostras. Et non oportet conseruos percutere; sed corripere inquietos: consolari pusillanimes: sustinere infirmos, & patientes esse ad omnes: quoniam seruos Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, cum modestia docentem eos qui resistunt.

51 NOtandum octauò: in quo statu aliquis capietur in morte, quæ nobis incerta est, in tali etiam statu præsentabitur in iudicio: ideò semper nos paratos esse oportet, ad eum expectandum.

Notandum

NOtandum nonò: quanquam in commune nos ad indefessam vigilantiæ curam adhortetur; specialem tamen populi principibus, id est episcopis, in expectatione aduentuque suo solicitudinem Dominum mandare: hūc enim seruum fidelem atque prudentem, præpositum familiæ significat, commoda atque vtilitates commissi sibi populi curantem. Qui, si dicto audiens, & præceptis obediens erit, id est, si doctrinæ opportunitate & veritate infirma confirmet: disrupta consolidet: deprauata cōuertat, & verbum vitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ dispendat, atque hæc agens, hisque immorans deprehendatur; gloriam à Domino, tanquam dispensator fidelis, & villicus vtilis consequetur, & super omnia bona constituetur; id est, in Dei gloria collocabitur: quia nihil sit vltra quod melius sit. Quòd si contuens longam Dei patientiam, quæ in profectum humanæ salutis extenditur, aduersum conseruos insolescet, & seculi malis vitiisque tradet, præsentium tantùm curā in cultu ventris exercens, desperata die Dominus adueniet, eumque à bonis, quæ spoponderat, diuidet, portionemque eius cum hypocritis in pœnæ æternitate constituet: quia aduentum desperauerit: quia mandatis non obtemperauerit: quia præsentibus studuerit: quia vita gentium vixerit: quia desperatione iudicij commissam sibi familiam fame, siti, cæde, vexauerit. 52

QVAESTIONES EVANGELICAE S. AVGVSTINI. PRIMA: Quod ait, Orate, ne fiat fuga vestra sabbatho vel hyeme; id est, ne impedimento aliquo detineamini: quia & hyeme imbribus & frigore, & sabbatho, in quo proficisci non licebat, impediebatur quis ab itinere: vel aliud, ne in tristitia aut lætitia rerum temporalium quis inueniatur à die illa. 53

QVAESTIO SECVNDA: Quod Dominus dicit: *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & peruenit vsque ad Occidentem; ita erit & aduentus filij hominis*: Orientis & Occidentis nomine totum orbem significare voluit, per quē futura erat Ecclesia, incipiente Euangelio ab Ierusalem, secundùm illum sensum quo dixit: A modò videbitis filium hominis venientem in nubibus. Conuenienter enim Ecclesiam nunc fulgur nominauit, quod maximè solet emicare de nubibus. Constituta ergo authoritate Ecclesiæ per orbem terrarum clara atque manifesta, consequenter discipulos admonet, atque omnes fideles, & qui in eum credere voluerint, ne schismaticis atque hæreticis credant. Vnumquodque enim schisma, & vnaquæque hæresis, aut locum suum habet in orbe terrarum partem aliquam tenens: aut obscuris atque occultis conuenticulis curiositatem hanc decipit. Ad quos pertinet quod ait: Si quis vobis dixerit, Ecce hîc est Christus, aut illic; quod significat terrarum partes & prouinciarum: aut in penetralibus, aut in deserto; quod significat obscura & occulta conuenticula hæreticorum. Quod ergo dixit, ab Oriente in Occidentem peruenturum aduentum suum, contra illos valet, qui per terrarum particulas nominantur, & dicunt, apud se esse Christum. Quod autem ait, Sicut fulgur; contra illos valet, qui occultè congregant, tanquam in penetralibus, & paucos, tanquam in deserto; ad manifestationem quippe claritatemque pertinet Ecclesiæ fulguris nomen, significans etiam noctem vel nubila seculi huius: tunc enim fulguris candor apparet.

QVESTIO TERTIA: Quod Dominus dicit, Vbi fuerit corpus, illuc cōgregabuntur & aquilæ; id est, in cælum, quò hinc secum leuauit corpus in homine

homine suscepto; quod etiam cadauer ideò appellatum est, quia moriturus hæc loquebatur. Illuc congregabuntur aquilæ; dictum est de spiritalibus, qui eius passionem humilitatemque imitando, tanquam de eius corpore saturarentur: corpus enim propter humilitatem pro nobis passionemque suscepit.

QVAESTIO QVARTA: Quod dixit, Ab arbore fici discite similitudinem; arborem fici, genus humanum intellige, propter pruritum carnis. Cùm iam ramus eius tener fuerit; id est, cùm filij hominum per fidem Christi ad spiritales fructus profecerint, & in eis honor adoptionis filiorum Dei diminuerit.

QVAESTIO QVINTA: De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cælorum, neque filius hominis, nisi solus pater; sicut scire Deus dicitur, etiam cùm scientem facit. sicut scriptum est: Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat, si diligatis eum: non enim sic dictum est hoc, quasi nesciat Deus, sed ipsi sciant, quantum in Domini dilectione profecerint; quod, nisi tentationibus quæ accidunt, non plenè ab hominibus cognoscitur. Et, Ipsum tentat, pro eo positum est, quòd tentari sinit.. Sic & cùm dicitur Nescio, aut pro eo dicitur, quòd non appropinquabat, id est, in disciplina & doctrina sua non agnoscit, sicut dictum est, Nescio vos: aut pro eo, quòd vtiliter nescientes facit, id quod scire inutile est. Ideò benè accipitur id quod dictum est, solum scire patrem, sic dictum esse, quia facit filium scire. Et quod dictum est, nescire filium, sic dictum esse, quia facit nescire homines, id est, non proderit eis quòd inutiliter scirent.

Caput XXV.



ONTINVAT DIVINVS GVBERNATOR IN MARI MAGNO & periculoso, scopulisque pleno sua προκελεύσματα, quæ eadem superiore capite latè fusèque pertractauit. Quanquam autem in hoc magno & spacioso mari infiniti planè sint, ad quos quotidie allidamus, scopuli; tres tamen ex omnibus periculosissimi. Primus periculosus est scopulus mortis; sed longè periculosior extremi iudicij; periculosissimus autem æternæ damnationis: qui tamen nobis omnes prætergrediendi erunt. Nam & de morte videmus quid diebus singulis fiat, quum omnis generis homines ante oculos oraque nostra efferantur. Et de extremo iudicio Paulus clamat: Oportet nos manifestari ante tribunal Christi. De æterna autem damnatione ipse Dominus: Nisi, inquit, pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Hi, inquam, scopuli omnibus nobis prætergrediendi erunt; felix autem ille, qui ad eos non alliserit: felix qui naufragium passus non fuerit. Periculosi scopuli; frequens etiam in hoc loco gubernatoris nostri Iesu Christi κέλευσμα, hoc est, nautica acclamatio ac præmonitio. Ex hoc genere sunt illa, quæ de villico, à quo ratio exposcitur; quæ de seruis expectantibus dominum suum, donec reuertatur à nuptiis; quæ de talentis dicuntur. Ex hoc itidem genere est hoc idem κέλευσμα, quod sequitur: Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam: pulcherrima parabola nuptiarum ac decem virginum illustratum atque exornatum.

Et nos

Et nos igitur hanc nauticam in hoc mari cautionem, Deo duce, aggrediamur: sic enim vitam instituimus passim: sic res mundi huius curamus, quasi nunquam morituri simus; quis autem scit, quid serus vesper vehat? Recordare nouissima, & in æternum non peccabis. Quemadmodum autem superiores parabolæ respondent illis, quorum vnus ex agro assumptus est, alter relictus; ita hæc quæ sequitur de virginibus, ad eos refertur, qui in vno lecto sunt, referente Lyrano. Quis igitur scopus est totius parabolæ? hic ipse, quem Christus Dominus proponit: In omni vita nostra vigilandum esse: cùm, quando in illos tres periculosissimos scopulos nauis adducenda sit, planè ignoretur. Omnium ætatum certi sunt termini. habet pueritia suos fines: habet adolescentia: habet virilis ætas; totius autem vitæ nullus est certus terminus. Nihil certius morte, dixit quidam, nihil incertius die mortis. Nam cùm vellet Deus nos omnes partes vitæ nostræ sibi conseruare, ideò nullam partem designauit, qua voluptati, qua opibus, qua ambitioni sit seruiendum: eam igitur ob causam vigilandum esse censet. Sed in quo tandem constituta est hæc vigilia? num in eo, ne vnquam dormiamus? nequaquam: hoc enim fieri non potest. Statutum est enim hominibus semel mori: sed & hæ virgines omnes dormierunt & dormitauerunt. Num in eo, vt fidem Iesu Christi recipiamus, eamque sanam & integram vsque ad mortem conseruemus? est quidem hoc fundamentum eius vigiliæ: sed non in hoc sunt sita omnia: nam & hæ, quibus nunc clauduntur, fideles sunt. Ideò virgines, sponsæ etiam Christi; & tamen illud exaudiunt: Amen amen dico vobis, nescio vos. Num in bonorum operum, omnisque virtutis ac honestatis exercitio hæc ipsa vigilia constituta est? nequaquaquam. Et hæ ipsæ virgines habent lampades, habent oleum, habent ignem; & tamen illud exaudiunt: Non noui vos. Quid igitur est illud, in quo consistit hæc vigilia? In ea vita, quæ cum ea fide, illisque bonis operibus sit coniuncta, quæ non solùm in hac vita lucere possint, sed etiam in futura: & quorum non tantùm fructus tantisper maneat, dum dormimus, & dormitamus; sed etiam posteaquam dormierimus & dormitauerimus, vbi sponsus venit, vt remaneant in lampadibus nostris: nam hæ ipsæ virgines, habuerunt illæ quidem oleum; sed tale & tantum, quod durare tantùm potuit, donec dormirent & dormitarent: at vbi euigilârunt, iam ampliùs non suffecit. Sed quæ tandem hæc fides est? quæ tandem hæc talia opera, quorum fructus non in hac vita tantùm luceat, sed in alia etiam? Quæ in fundamento temporali & momentaneo extruuntur ædificia, temporalia sint oportet: tantisper enim durent necesse est, quantisper ipsum maneat fundamentum; quo sublato, illa ipsa ruant oportet. Quæ autem in fundamento æterno extruuntur, & ipsa æterna sint oportet. Illa igitur fides, illa bona opera æternùm manent, quæ in fundamento æterno & immortali extructa sunt; illa autem, quæ in fundamento temporali & momentaneo ædificantur, illa etiam vt ad tempus durent necesse est. Momentanea & transitoria sunt, vita, virtus, opes, honores, dignitates, infamia, potentia. Qui igitur fidem, omnemque virtutem ita complexus est, vel vt vitam quàm diutissimè conseruet suam, vel vt ipsius virtutis & honesti argumentum habeat, & vt hinc opes, honores, amicitias, clientelas, fidem, authoritatem, admirationem consequatur; vel vt saltem dedecus & infamiam effugiat; hic in fundamento ædificat momentaneo & transitorio; quo sublato, ipsa quoque auferri oportet. hic in arena ædificat.

De quibus

De quibus illud dictum est: Amen amen dico vobis, receperunt mercedem suam vitæ iucunditatem & suauitatem, consecuti sunt opes, dignitates, honores, appetiuerunt eas: consecuti sunt plausus, acclamationes: historiarum monimenta exquisiuerunt, ea retulerunt. Ædificium ampliùs durare non potest, nisi quantum eius fundamentum durat. At quis ille est, qui in firmo & immutabili sua extruit ædificia fundamento? quis supra petram ædificat? solus Deus æternus & immutabilis est: sola vita æterna, cælestisque hæreditas æternùm manet: sola charitas non deficit: aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Illa igitur fides, illa pietas, illa virtus & honestas, immortale fundamentum manet, quæ in Deo, quæ in charitate fundatur, & quæ solo respectu vitæ illius, & hæreditatis æternæ suscipitur. Quisquis igitur ex perfecta Dei & proximi charitate, respectu æternæ vitæ & felicitatis consequendæ, fidem, pietatem, omnemque virtutem complexus est; ille in æterno ac immortali fundamento suum extruxit ædificium: illius oleum cum hac vita non extinguitur: illius opera sequuntur eum: illius lucerna nunquam deficit. Hæc igitur est vera & propria vigilia, ad quam nos Christus Dominus cohortatur.

2 ERit igitur scopus totius parabolæ: nulli ætati, nulli parti vitæ esse confidendum, cùm nescimus, qui dies, & quæ hora sit: sed semper in apparatu & ordine standum. Apparatum autem hunc, esse Fidem & opera bona; non ea, quæ temporalis alicuius boni consequendi causa suscipiuntur, sed quę ex charitate Dei & proximi, consequendæ æternæ vitæ & hæreditatis causa exantlentur: talium enim fructus non in hac sola vita durat, sed etiam post finem & obitum suos sequitur cultores: Opera eorum, inquit, sequuntur illos. Hic scopus, hic finis est nostri κελευσματις nauticæ acclamationis. Ad eum autem scopum persuadendum sumit exemplum, in quo incredibilem quendam fructum eorum proponit, qui se in ea vigilia exercitauerunt; sumit autẽ & extremum damnum eorum, qui omninò eam vigiliam neglexerunt; vt ita propositis finibus atque exitu vtriusque, ac secum comparatis, quantum in vtroque mali vel boni sit demonstret. Sumit autem ad eam rem exemplum non confictum, sed ex ipso vsu Hebraicæ gentis acceptum; exemplum per se lætissimum, vt rei acerbitas exempli iucunditate temperetur. Fuit mos hic apud Iudaicum populum in celebratione nuptiarum, vt vtriusque sponsus & sponsa haberent suum sodalitium: habebat sponsus selectiores iuuenes atque æquales suos, qui amici vocabantur sponsi, omnes eodem & æquali habitu in gratiam sponsi induti. qui vestitus vocabatur nuptialis. Habebat itẽ sponsa æquales suas, simili exornatas modo. Mos igitur hic fuit, vt primùm venienti sponso & sponsæ cum sodalitio suo ad domum sponsæ, quod propter maiorem celebritatem ad noctem fiebat, vt sponsa item cum sodalitio suo, veluti choro instituto, cum cantu & lucernis obuiam veniret, eum domo exciperet: in quam simul ingreßi, reliquum nuptiarum in illis ædibus cum gaudio & lætitia exigerent. Iucundum hoc exemplum cohortationi præsenti accommodat Saluator noster. Ostendit regnum cælorum, hoc est, statum Ecclesiæ, vltimis illis extremi iudicij temporibus persimilem futurum, ac si simile quid in hoc nuptiarum genere eueniat; quòd scilicet sponsa aliqua cum denario numero sodalitij sui, acceptis lampadibus suis, exiret obuiam sponso,

quòd illum quàm lætissimè & honorificentissimè exciperet. Eueniret autem vt sunt humana, quòd sponsus aliqua re præpeditus seriùs ad sponsam venerit; ita quòd in ea expectatione, & sponsa, & sodalitium sponsæ, vtpote profunda nocte obdormirent, tum demum media nocte, vbi iam quasi desperatus esset aduentus sponsi, ipse adueniret, ipsaque sponsa, ac reliquæ virgines ad sui aduentum sponsi de somno excitatæ, ad ornatum suum lucernasque redirent, quò sponsum honorificè exciperent. Contigerit autem, quòd in eo sodalitio dimidia quidem pars virginum prudentior & cautior esset, quæ, dum humana expendit, colligit secum, posse aliquid interuenisse, quod sponsum in itinere diutiùs remoretur, acceperit olei tantùm, quòd non solùm ad præsens lampadibus implendis sufficeret, sed etiamsi sponsus fortè moraretur, exhausto oleo infundi possit. Aliæ autem virgines fatuæ, & parum prouidæ, dum casus hos non præuident, contentæ illo exiguo oleo quod in lampadib. esset, obuiam sponso prodeunt. Tum in eo casu atque mora, veniente sponso, hæ quidem quæ futuri temporis habebant rationem, promptè lampades suas exornare possent; illis autem dum oleum quærendum esset, quid eueniret? illæ quidem paratæ ingrederentur cum sponso ad nuptias, & perpetua lætitia cum eo perfruerentur; hæ autem miseræ, dum oleum quærunt, ab ea ipsa nuptiarum solennitate excluderentur. Similem quandam rationem vltimis diebus totius humani generis futurum similem progressum, similem exitum. Futurum enim, vt alij quidem homines ita prudenter, ita cautè vitam instituant suam; vt tantum olei, fidei, ac bonorum operum præparent, siue citò, siue seriùs sponsus Iesus Christus aduenturus sit, semper prompti & parati ad eum accipiendum inueniantur; alij autem minùs temporis futuri prouidi, vt dum præsentia hæc tantùm spectant, futuri autem exiguam habeant rationem, incauti & imprudentes planè opprimantur. Et ideò illi quidem à sponso in æternarum nuptiarum gloriam sint recipiendi; illi autem planè eijciendi ac excludendi. Hoc tali tam dispari ac tristi vtriusque exitu, ad eam vigiliam, de qua diximus, suos cohortatur, tam pulchro ad eam rem instituto exemplo: quod his verbis explicat: Simile est regnum cælorum, hoc est, huius militantis Ecclesiæ status: quæ ideò regnum cælorum dicitur, quòd ad illud regnum contendit, & omni ratione aspirat. Simile igitur est decem virginibus, sodalitio sponsæ & sponsi: Iesus Christus est verus sponsus: Ecclesia Dei est sponsa: populus vniuersus Christianus sodalitium sponsi & sponsæ. Vocantur autem iuxta Hieronymum virgines idcirco, quia gloriantur in vnius Dei notitia, & mens eorum idololatriæ turba non constupratur. Quod sodalitium exiuit obuiam sponso & sponsæ. Tota enim hæc vita nostra nihil aliud debet esse, nisi apparatus quidam ad excipiendum sponsum, dum vltimis temporibus ad nos visitandos veniet. Innuit autem scriptura, nos debere occurrere Christo, hoc est, non inuito: non cum mœstitia diem mortis expectare; sed potiùs spontè erectum, dum tantus venit sponsus, libentissimè expectare. Nobis autem (Deum immortalem) quàm tristis, quàm molesta ea sponsi expectatio! Cur ita? vel quia non sumimus olei nobiscum tantum, quantum opus est: vel quia non amamus sponsum. In hoc igitur sodalitio constat quinque fuisse fatuas, quinque prudentes. Prudentiæ munus proprium est positum in prouisione temporis futuri: meritò igitur illæ prudentes dicuntur, quæ futuri habentes temporis rationem, non illud tantùm oleum

acciperent,

acciperent, quod præsenti sufficeret tempori, sed quod futuro etiam; fatuæ autem, quæ ad id solum respexerint, quod ante pedes fuit. Vtinam & nunc saltem quinque essent prudentes: sed vbi diligentiùs quis rem inspexerit, vix vnam & alteram nunc inuenias prudentem virginem. Quis enim nunc futuri temporis rationem habet? quis futuræ salutis? alio certè modo instituissemus vitam nostram: occupamur mundo nos etiam ipsi sacerdotes. Et ostendit, in quo fatuæ fatuæ, in quo prudentes prudentes. Sed quinque, inquit, fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes autem acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Oleum boni operis est fructus, inquit Hilarius. sed & Christus Dominus indicat, cùm dicit: Sic luceat lux vestra, vt homines videntes bona opera vestra, glorificent patrem qui in cælo est. Illi ergo non sumunt oleum secum, qui contenti præsenti lumine bonorum operum, laudis & gloriæ futuri temporis nullam habent rationem: illi sumunt oleum secum, qui præsentis quidem temporis paruam habent rationem, sed futuri tantùm, ita, vti dictum est, spectant, siue per infamiam, siue per bonam famam, inquit Paulus. In oleo quoque, iuxta Bedam, læticia mentis exprimitur; qui autem non propterea gaudet, quòd Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum. Prudentes autem acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus, id est, læticiam bonorum operum in corde atque conscientia posuerunt, vt Apostolus dicit: Probet seipsum homo, & tunc in semetipso gloriam habebit, & non in altero. Mora sponsi, pœnitentiæ tempus. Notat hoc loco Hieronymus, non paruum debuisse esse spatium inter primum aduentum & secundum sponsi. Fit autem hoc primùm, vt compleantur chori angelorum: vt malis hominibus spatium pœnitentiæ detur: vt longanimitas in peccatores declaretur: quia non statim punit, sed expectat. In hoc autem interuallo temporis moriuntur omnes, tam boni, quàm mali. Quæ quidem mors signatur sic per dormitionem, quia ita facilè excitabuntur à morte per Christum ad iudicium venientem, sicut homo vigilãs excitat aliũ dormientẽ. Hinc autem magis augetur iusta damnationis causa in prudẽtibus, quòd, cùm tantũ tẽporis habuissent ad conquirendũ oleum; omnem eam salutis occasionem prætermiserunt. Quàmdiu nos Deus expectat, hæc nostra canities, istæ rugæ signum est. Dormitauerunt omnes & dormierunt. Stultus & insipiens simul peribunt, inquit Dauid, pariter omnibus moriendum est: vt enim introitus in vitam, ita & exitus nulla est differentia. Media autem nocte clamor factus est: quando grauissimus sopor est, quando securitas maxima. Scitis quæ media nox; illa ipsa, qua diues, multis bonis collectis, dixit: Epulare anima mea, habes cuncta bona. Tunc audit: Stulte, hodie anima tua à te repetetur; hæc autem quæ parâsti, cuius erunt? Notat Hieronymus: Traditionem Iudæorum esse, Christum media nocte venturum, in similitudine Ægyptij temporis; vnde fuit traditio Apostolica, vt in vigilia Paschæ ante noctis dimidium populus non dimitteretur, sed expectaret aduentum Christi. Vnde Psalmista: Media nocte surgebam ad confitendum tibi propter iudicia iustitiæ tuæ. Vnde & in Ecclesia Matutinum cantatur apud Papistas tantùm; non apud Græcos, Russos, Armenios item: nostri verò Euangelici stertunt. Clamor factus est. Scitis quis & quantus clamor ille, qui ad ima vsque perueniet terræ: qui abyssos maris scrutabitur: qui ex hoc cinere omnium nostrûm eleuabit ossa: Ecce, inquit,

ſponſus venit, exite obuiam ei. Domine Ieſu Chriſte, da, vt illa hora ad meam ſalutem, non autem ad confuſionem meam de ſepulcro exeam. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ. Par eſt ratio mortis, par & reſurrectionis: ſed non par præmium. Et ornauerunt lampades ſuas per examen conſcientiæ. Tum ea, quæ parua eſſe videbantur, maxima apparent. Tunc hic clamor & gemitus pauperum demum ante oculos conſiſtet noſtros: tum illi, qui ſe egregiè ornatos eſſe putabant, illa ipſa laude, illis hominum commendationibus nudos ſe eſſe, & omni ornatu deſtitutos inuenient. Qui hominibus placent, confuſi ſunt: quoniam Deus ſpreuit eos. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro: quia lampades noſtræ extinguuntur. Deceperunt nos adulatores noſtri; deceperunt miniſtri noſtri, Philoſophi, poëtæ, oratores noſtri; lampades noſtræ extinguuntur. Dicit enim iudex: acceperunt mercedem ſuam. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis; ite potiùs ad vendentes illos miniſtros ipſos veſtros, illos adulatores veſtros, illos qui puluinaria cubitis ſubijciebant veſtris, & emite vobis. Formidoloſa dies, dicit D. Hieronymus, dum vnuſquiſque pro ſe formidabilis eſt: Si enim vix ſaluabitur iuſtus; impius vbi apparebit? Dum autem irēt emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias. Hic eſt finis creationis noſtræ: hic ortus & natiuitatis noſtræ; hic vitæ noſtræ: hic redemptionis noſtræ, hic vniuerſæ vitæ noſtrę, & laborum noſtrorum, hic eſt fructus eius ad quam cohortamur vigiliæ. Et clauſa eſt ianua. Miſericordiæ primùm, deinde gloriæ, quæ ianua 1592. annis patet, & patet profuſiſsimè. Venite ad me omnes. Nouiſsimè autem veniunt & reliquæ virgines, non empto oleo; idque ex triplici cauſa. Primùm, quòd iam mercatores non ſint: iam enim tunc non erunt nudi, quos veſtias; non erunt eſurientes, quos paſcas. Iam abſterget Dominus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum: iam non erunt ampliùs quos potentes opprimant. Magnificiamus hos mercatores: nam poſtea eos quæremus, & non inueniemus: deinde, iam moneta bonorũ operum abrogabitur: hæc enim moneta bonorum operum valet in hac vita tantùm; in illa iam proclamabitur. Non enim, inquit Hieronymus, tunc noua patrabuntur opera, ſed veterum reddetur ratio huius vitæ; contrà quàm ſentiunt hæretici. hæc moneta eſt. Tertia eſt: iam mercatus deſinet; mercatus autem iſte, teſte Nazianzeno, vita cuiuſque eſt: quæ, quoniam incerta eſt, ſtatim à principio mercandum eſt. Cùm igitur non inueniſſent oleum, ad oleum miſericordiæ confugiunt: clamant, Domine, Domine, aperi nobis. Verùm clauſa eſt iam miſericordiæ ianua. Amen dico vobis, neſcio vos. Et tunc completum eſt illud, quod nuper diximus: Non omnis, qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum. Triſtis eſt vox iſta, Non noui vos. A facie Domini mota eſt terra. de qua Dauid: Auertente autem te faciem, turbabuntur, & in puluerem ſuum reuertentur. Triſte eſt filio, non agnoſci à patre. Non nouit autem illos, in quibus crucem ſuam, in quibus ſtigmata ſua non videt: non nouit eos, qui membra eius, pauperes, viduas, orphanos, ſubditos, miſeros, & calamitoſos non norunt. Non noui, inquit vos; qui ſigna ſpiritus mei in vobis non video; qui meam imaginem non cognoſco in vobis. Non poteſtis meorum militum præmia accipere, qui tyranni vexilla

ni vexilla portâstis: non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco. Hic igitur exitus vtrasque virgines consequutus est, hæc vigiliæ præmia, hæc ignauiæ pœna; hæc nos similia manent, mutatoq; nomine de nobis fabula narratur. Nemo igitur sibi de sua vocatione, de sua fide blandiatur: nemo se dicat gratia dignum esse: nemo multum præsumat: bona opera futuræ hæreditatis causa suscipiamus, vt illa in altera vita reperiamus. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, dicit Saluator noster.

2 NOtandum primùm est in parabola virginum: nihil certius esse aduentu sponsi; hoc autem est, die mortis & iudicij: nam & istæ non ignorabant sponsum venturum; tempus autem aduentus eius planè ignorabant: ideò dormitauerant omnes, & dormierant. Atque ob eam causam, annotante D. Augustino, omnibus ferè rerum futurarum denunciationibus, addimus eam particulam, Fortassè. Sic enim dicimus: Fortassè viuemus: fortassè nubemus: fortassè diuites erimus. neque autem est, qui dicat, Fortassè moriemur: &, si dicat, ridiculus videbitur.

3 NOtandum secundò: vnumquemque pro operibus suis mercedem recepturum; neque in die iudicij aliorum virtutes, aliorum defectus subleuaturos. Et quomodo, tempore Babyloniæ captiuitatis, Ieremias peccatores iuuare non potuit: & dicitur ad eum, Ne oraueris pro populo isto; sic formidolosa erit dies illa, cùm vnusquisque pro semetipso solicitus erit: vix enim sibi ipsi quisque ad salutem sufficiet, eò quòd in multis delinquat, etiam is, qui plurimùm virtuti deditus est. Errat igitur Caluinus, & cæteri Græci, qui orationes pro mortuis, non ad eos qui in purgatorio sunt, sed ad illos, qui in futuro iudicio sistentur, referri volunt.

4 TErtiò deplorat Euthymius hoc loco: Heu, iuquit, post tãtos labores, post tanta certamina, post tanta trophæa, quæ virgines hæ aduersus insanientem naturam erexerant, repudiatæ sunt propter eleemosynam; & meritò: Nullus enim immisericors, familiaris esse potest misericordi Christo.

5 NOtat quartò Euthymius: non esse contrarietatem in hoc capite: quod enim inferiùs primùm abeunt peccatores in supplicium æternum, deinde iusti in vitam æternam: hoc verò loco contrarium apparet: ingressus primùm prudentibus virginibus, postmodum reprobatas esse fatuas. Illud siquidem exactè tractat de ordine; hoc autem aliud habet intentum, quòd videlicet neque virginitas saluabit, non habens sibi coniunctam etiam eleemosynam; &, quòd vnius virtus alij tunc non proderit, quòdque tunc motus ad virtutẽ vanus erit. Item, quòd, licèt plurimùm deprecentur, qui condemnati sunt, nequaquam flectent iudicem. Cætera verò omnia nullo delectu composita sunt, vt probabilis fiat parabola.

6 NOtandum quintò: bis hoc loco Caluinum fallere. primùm, cùm dicit, Papistas docere, virtutibus nostris, vel industria, acquiri perseuerantiæ donũ. nam hoc ipsum nemo ex Papistis docet, nisi præsupposita gratia, & adiutorio diuino; quod in omnibus facimus. Deinde, cùm docet, verbo Emendi ne-

quaquam precium denotari: cùm id falsum sit, & cum vsu communi dicendi pugnet. Nam quòd locum Isaiæ adfert: Venite & emite sine argento: is ipse locus contra illum pugnat. Cur enim, Sine argento, adderet, si emptio gratis fieret.

SEcundæ parabolæ de talentis idem est scopus. Hoc vnum superaddit, non tantùm vigilandum esse, vt ex nobis ipsis, actis, & dictis nostris rationem reddere possimus: sed addit etiam, vt ex omnibus donis & bonis Dei, quibus affatim homines cumulantur, rationem Deo reddamus. Vt autem prior illa parabola de patrefamiliâs, ad eos, qui in magistratu, referenda est; secunda de virginibus, ad contemplatiuos: ita hæc tertia ad eos, qui magnis opibus, siue ingenij, siue doctrinæ, siue scientiæ diuinę, siue linguarum, siue diuitiarum imbuti ac cumulati sunt, iuxta Paulum: Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ, secundùm eundem spiritum: alii fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in vno spiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum. Et ad Ephesios: Quosdam quidem dedit apostolos, quosdam autem prophetas; alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores. Dicuntur autem hæc talenta, quia per bonum vsum talium, potest homo sibi acquirere cæleste præmium. Sententiam & argumentum explicat eius parabolæ D. Gregorius: Lectio, huius Euangelij, inquit, considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab autore mundi grauiùs inde iudicemur. Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tantò ergo esse humilior, atq; ad seruiendum Deo promptior quisque debet ex munere, quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Ecce homo, qui peregrè proficiscitur, seruos vocat, eisq; ad negotium talenta partitur. post multum verò temporis, positurus cum eis rationem, reuertitur: benè autem operantes, pro apportato lucro remunerat; seruum verò, à bono opere torpentem, damnat. 7

PArtes parabolæ eximiè interpretatur D. Hieronymus: sed iuuat priùs expendere cum Patribus sanctis, quæ sit patris istius familiâs peregrinatio. Et profectus est, inquit: sicut enim de vinea dixit, quòd locauit eam agricolis, & peregrè profectus; ita dicit & nunc, vt discas longanimitatem, quomodo nō continuò repetat. Quidam autem peregrinationem dicunt Saluatoris, esse in cælum assumptionem, vt Hilarius: Peregrinationis, inquit, tempus, pœnitentiæ spatium est, quo in cælis à dextris Dei asidens, potestatem vniuerso humano generi fidei, atque Euangelicæ operationis permisit. Igitur vnusquisque secundùm fidei suæ mensuram, talentum, id est Euangelii prædicationem, à prædicante suscepit. Hæc enim incorrupta substantia est: hoc Christi matrimonium, æternis hæredibus reseruatum. Gregorius item: Carnis, inquit, proprius locus est terra; quæ, quasi ad peregrina ducitur, dum per redemptorem nostrum in cælo collocatur; qui tamen proficiscens, fidelibus suis spiritalia dona concesit. Sicut homo peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinque talenta; alii autem duo, alii verò vnum: vnicuique secundùm propriam virtutem, & profectus est statim. Hieronymus, Homo iste, inquit, paterfamiliâs, haud dubiū, quin 8

quin Christus sit, qui ad patrem post resurrectionem victor ascendens, vocatis Apostolis, doctrinam Apostolicam tradidit; non pro largitate & parcitate, alteri plus, & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus; quomodo & Apostolus eos, qui solidum cibum capere non poterant, lacte potâsse se dicit. Denique & illum, qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, simili accepit gaudio, non considerans lucri magnitudinem, sed studij voluntatem. In quinque, & duobus, & vno talento, vel diuersas gratias intelligamus (quæ vnicuique traditæ sunt) vel in primo omnes sensus examinatos: in secundo, intelligentiam & opera: in tertio, qua homines à bestiis separamur, rationem. Qui autem accepit quinque talenta, & ea duplicat, ille est, qui, acceptis terrenis sensibus, cælestium sibi notitiam duplicat, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporea, ex visibilibus inuisibilia, ex breuibus æterna. Abiit, inquit, qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Ille autem, qui duo, pro viribus, quidquid in lege didicerat, in Euangelio duplicauit, siue scientiam, & opera præsentis vitæ, futuræ beatitudinis typos intellexit. Similiter, qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. Nequam seruus, abiens in terram defodit; hoc est, terrenis operibus, & seculi voluptate, Dei præcepta neglexit, & polluit. quanquã in alio Euangelista scriptum sit, quòd in sudario ligauerit; id est, doctrinam patrisfamiliâs, molliter & delicatè viuendo, eneruauerit. Gaudium autem, ad quod vtiles serui vocantur, est incessabile gaudium, quod habet Deus exhilaratus in operibus suis, vt inquit Dauid: quo simili gaudio lætantur sancti in operibus suis; quemadmodum peccatores tristantur in his quæ fecerunt, ac pœnitentiam agunt. Seruo malo, & pigro, quod putauerat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur. Seruus autem malus appellatur, quia calumniam Domino facit: piger, quia noluit talentũ duplicare; vt in altero superbiæ, in altero negligentiæ condemnetur. Sed, inquit, durum & crudelem me esse noueras, & aliena sectari, ibique metere vbi non seuerim; quare non tibi istiusmodi cogitatio incussit timorem, vt scires, me mea diligentiùs quæsiturum, & dare pecuniam meam, siue argentum meum, nummulariis? Vtrumque enim ἀργύριον Græcus sermo significat. Eloquia, inquit Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Pecunia ergo & argentum, prædicatio Euangelij est, & sermo diuinus, qui dari debuit nummulariis, & trapezitis, id est, vel cęteris doctoribus (quod fecerunt & Apostoli, per singulas prouincias presbyteros & episcopos ordinantes) vel cunctis credentibus, qui possunt pecuniam duplicare, & cum vsuris reddere; vt quidquid sermone didicerant, opere explerent. Durum autem vocat Dominũ, quemadmodum & nunc duri præceptores appellantur, qui honesta iubent; Caluinistæ præsertim, durum esse dicentes, obedientiam ab hominibus requirere, quibus hoc Deus non inseruit, vt pareant, neque inseuit ipsis parendi facilitatem: hoc enim significat, Metis vbi nòn seminâsti; hoc est, quod non inseruïsti, requiris. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium. Dominus lumen est; qui ab eo foras mittitur, caret vero lumine.

9 NOtandum primò: omnia ea, quæ habemus, dona Dei esse; quod D.

 Paulus

Paulus latiùs docet; Quid, inquit, habes, quod non accepisti: quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

NOtandum secundò est: ea dona, quæ nobis diuinitùs concedũtur, non tam nobis dari, quàm apud nos deponi. & ideò hæc à nobis cum ratione repetenda esse. Vnde alio loco: Auferte, inquit, ab illo, & date habenti. 10

TErtiò notandum est: ea dona, quæ nobis diuinitùs dantur, non tam nostra causa plerumque, quàm proximorum causa dari: nec tam nostra esse, quàm Ecclesiæ Dei, & proximorum nostrorum: & ideò causam nullam subesse, cur ob ea superbiamus. 11

NOtandum quartò: eam esse naturam bonorum, quòd parcitate exhauriantur, ac euanescant prodigalitate, & profusione crescant, augeantur, & cumulentur. Qui igitur plurima illorum in proximos effuderit, plurima deposuit; qui absconderit, fumi instar euanescere fecit. Absit igitur inuidia, absit desidia, absit pigritia. 12

NOtandum quintò: talenta hæc, cum authore Imperfecti operis, pulchrè ad sacerdotum ministeria posse referri. Eius verba sunt: Statim abiit, qui quinque talenta acceperat, & lucratus est alia quinque. De talento agnitionis Christi, acquisiuit vnam iustitiam, benè viuendo. De presbyterio autem ipso, acquisiuit iustitiam, sollicitè præsidendo Ecclesiæ. De verbo acquisiuit iustitiam, verbum veritatis synceriter prædicando. De baptismo lucratus est, secundùm Christi regulam baptizando, & dignos filios cum iudicio Ecclesiæ acquirendo. De sacrificio acquisiuit iustitiam, tàm mundum & immaculatum sacrificium populo offerendo, & pro peccatis populi exorando. Similiter & ille, qui duo talenta accepit, lucratus est alia duo; id est, duas iustitias: vnam, benè viuendo, quam acquisiuit à fide Christi: alteram, synceriter ministrando, quam fecit ex ministerio diaconatus. 13

NOtandum sextò: nihil interesse ad necessitatem salutis, vtrum quis plura ista dona habeat, an pauciora; modò his, quæ habet, rectè vtatur: nam eadem præmia refert, eãdem reprobationem, ille qui accepit quinque talenta, & qui duo. Et ideò neque conquestionis, aut deiectionis animi est locus vllus illis qui acceperunt: quia paucorum etiam rationem reddet, & quòd hęc ipsa non tam meriti sunt, quàm gratiæ: quis enim primus dedit ei, & restituetur ei. Sed ne inuidiæ quidem locus vllus est, quia hæc in communem vtilitatem dantur: neque item illi, qui plurima acceperunt, est vnde superbiant, aut alios contemnant, cùm & communia sint bona, & hæc ex beneficio potiùs dentur, quàm ex merito. Licet autem patrifamiliâs facere cũ suo quod vult; ne illud audiat: Quia oculus tuus nequam, ego autem bonus sum. 14

SEptimò notat Hieronymus: grande tempus esse inter ascensionem Saluatoris, & secundum aduentum. Si autem Apostoli reddituri sunt rationem; quid nos oportet facere? 15

Octauò

16 OCtauò notandum: quòd omnia, quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur; & tamen plurima, comparatione futurorum, pauca & parua sunt. Intra, inquit, in gaudium Domini tui, & suscipe, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid autem potest maius dici fideli seruo, quàm esse cum Domino, & videre gaudium Domini sui?

17 NOtandum nonò: verè quod scriptum est, ad excusandas excusationes in peccatis, etiam huic seruo contigisse; vt ad pigritiam & negligentiam superbiæ quoque crimen accederet. Qui enim simpliciter debuit inertiam confiteri, & orare patremfamiliâs; è contrario calumniatur, & dicit, se prudenti fecisse consilio; ne, dum lucra pecuniæ quęreret, etiam de sorte periclitaretur.

18 DEcimò notandum: tolli argentum, & dari ei, qui decem talenta fecerat; vt intelligamus, licèt in vtriusque labore æquale sit gaudium Domini (hoc est, & eius, qui quinque in decem duplicauerat, & eius, qui duos in quatuor) tamen máius deberi præmium ei, qui plus in Domini pecunia laborârit. Vnde dicit & Apostolus: Presbyteri honore duplici digni sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina.

19 VNdecimò notandum cum Hieronymo: ex eo, quod malus seruus ausus est dicere: Metis vbi non seminâsti, & congregas vbi non sparsisti: intelligi, etiam gentilium & philosophorum bonam vitam recipere Dominum, & aliter habere eos, qui iustè, aliter, qui iniustè agant, & ad comparationem eius qui naturali legi seruiat, condemnari eos, qui scriptam legem negligant.

20 DVodecimò notandum: quòd multi, cùm sint sapientes naturaliter, & habeant acumen ingenij, si fuerint negligentes, & desidia bonum naturę corruperint, ad comparationem eius, qui paululum tardior, labore & industria compensauit quod minus habuit, perdunt bonum naturæ, & præmium, quod eis fuerat repromissum, vident transire ad alios. Quo loco præclarè D. Chrysostomus: Qui doctrinæ gratiam ad vtilitatem aliorum accipit, ac vtitur ea, gratiam quoque ipsam omninò perdit; qui autem studiosè ac sedulò vtitur, hic maiorem gratiam ita impetrabit, quemadmodum ille vel quod accepit amiserat. Potest & sic intelligi: ei, qui fidem habet, & bonam in Domino voluntatem, etiamsi quid minus in opere, vt homo, habuerit, dabitur à bono iudice: qui autem fidem non habuerit, etiam cæteras virtutes, quas videbatur naturaliter possidere, perdet. Et eleganter etiam, quod videtur, inquit, habere, auferetur ab eo. Quidquid enim sine fide Christi est, non ei debet imputari, qui malè eo abusus est; sed illi, qui malo etiam seruo naturę bonum tribuit.

21 NOtat tredecimò Origenes: Si quando, inquit, videris aliquem, qui virtutem quidem aliquam acquisiuit, & animas quantumcunque prolificãtem, & hanc virtutem occultat; vt tantùmmodò tradat verbum nudum, quod ei creditum est, & accepit à Domino suo, & viuit in obscuris, multis ignotus, etiam magna peccata habentibus, & non se profert in bono, quod à Deo accepit; quamùis

pit; quamuis habeat quandam religionem conuersationis, non vituperabilẽ multis, non dubites dicere, eum talem esse, qui vnum talentum accepit, & abscondit in terra.

NOtandum quartodecimò: Si dona Dei,quę in nobis sunt,in vtilitatem proximi non conferre,exitium est, quantò magis aliena oppugnare, non alere,sed præ inopia extingui,pati,impedire, ac nonnunquam per vim & potentiam obruere. Quod, quid aliud est, quàm solem de cælo auferre? 22

NOtandum quintodecimò: plerumque illa dona, quæ mundo illustriora esse videntur,minora sunt; quale est donum scientiæ, donum linguarum, donum prophetiæ ac miraculorum; quàm ea dona, quæ mundus despicit ac refugit, humilitatis,obedientiæ,mansuetudinis,castitatis,& id genus alia. 23

NOtandum sextodecimò: quem argumenta deserunt,& qui nihil habet solidum,quo se tueatur, eum plerumque ad maledicta & conuitia confugere; quod nunc seruus iste nequam facit,& hæretici semper faciunt. 24

NOtandum decimoseptimò: eum,qui accipit gratiam aliquam,ad id,vt alteri prosit, neque eo ad eam rem vtitur, & id amittere. Qui autem multo studio id impendit, longè plura acquirit, & hoc ipsum, quod illi datum est, conseruat. 25

PErsequitur superiorem,quam cœperat,extremi iudicij historiam,ac ea, quæ tribus parabolis quasi delineârat,nunc re ipsa,qualia futura sint, demonstrat; vt & parabolæ rem illustrent, & res ipsa parabolas exponat. Proponit igitur inprimis iudicem: proponit iudicandos,eorumque differentiam: causam omnium proponit: decreta iudicis proponit, & exitum iudicatorum: idque aptissimè & maximè suo tempore. Post biduum enim Pascha facturus, & tradendus cruci, & illudendus ab hominibus, & aceto ac felle potandus; rectè præmittit gloriam triumphantis, vt secutura scandala pollicitationis præmio compensaret. Et notandum, quòd, qui in maiestate cernendus est, filius hominis sit. Post quem sermonem,quo,se venturum in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum se esse admonet; vt sacrificium crucis admixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent. Est autem vltima hæc obsignatio vniuersi Euangelij,totius doctrinæ Christi;vtpote ad quam referenda sint omnia nobis,& cuius causa nati ac producti sumus. Vltima dramatis catastrophe, de qua illud Moysis Deutor. 6. rectè dici potest: Eruntque verba hæc, quæ præcipio tibi hodie,in corde tuo: & narrabis filiis tuis: & meditaberis,sedens in domo tua: & ambulans in itinere: dormiens, atque consurgens: & ligabis ea quasi signum in manu tua: eruntque & mouebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine,& ostiis domus tuæ. Quis igitur,& qualis iudex futurus sit,audiamus: Cùm venerit filius hominis in maiestate sua. Idem filius Dei,qui & filius hominis,tunc veniet in maiestate sua, vt iudicet, qui venit in humilitate,vt iudicaretur. Quemadmodum enim criminosas personas iudex auditurus in publico, tribunal suum collocat in excelso: circa se constituit vexilla regalia: ante conspectum suum ponit super mensam calliculam, vnde tribus 26

tribus digitis mortem hominum ſcribat, aut vitam: hinc inde Officiales ordinatè conſiſtunt: in medio ſecretario ponuntur genera horrenda pœnarum, quæ non ſolùm pati, ſed & videre, tormentum eſt. Stāt iuxta parati tortores, crudeliores aſpectu quàm manibus. Tota iudicij facies cuiuſdam ſchematis terrore veſtitur: & cùm ad medium productæ fuerint criminoſæ perſonæ, ante interrogationem iudicis, ipſius iudicij terribili diſcutiuntur aſpectu. Similiter & Dominus ſe ad iudicium venturum promittit, ſimiliter cum tremore, non cum ſimili terrore. Nam & bona & mala ſimiliter ordinata ſunt in terra, ſicut in cælo; non tamen ſimilia. Ergo videntes in terra pœnas, & glorias, non ſimiles putare debemus in cælo: ſed cùm ſint talia ſuper terram, multò maiora ſuſpicari debemus in cælo. Quantum enim Deus diſtat ab homine, tantum cæleſte iudicium à terreno. Et omnes angeli cum eo. Angeli venient tanquam cuſtodes & teſtes vitæ noſtrę, rationem cuſtodiæ ſuæ reddentes, & bonos quidem iudici commendantes illis verbis: Iſti ſunt, qui venerūt ex magna tribulatione, & lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. malos autem accuſantes illis Ieremiæ verbis: Curabamus Babylonem, & non eſt ſanata. Et non angeli tantùm, ſed ſancti etiam omnes cum Domino venient: Dominus, inquit, ad iudicium veniet, & omnes ſancti eius cum eo. Nemo tamen ſecurus, omnes de ſe ſolliciti: cùm virtutes etiam cælorum moueri debeant. Excelſa, inquit Eccleſiaſtes, timebunt, & formidabunt in via, & cuſtodes commouebuntur. Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ; id eſt, regnabit ſuper ſanctam & glorioſam Eccleſiam ſuam. de qua ſcriptum: Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi. Dicit autem venturum filium hominis: quia pater non iudicat quenquam, ſed omne iudicium dedit filio, quia filius hominis eſt; hoc eſt, ex parte humanæ naturæ; vt, quemadmodum honorificant patrem, ita honorificent & filium. Cuius cauſam exponit Iob cap. 36. Cauſa tua, inquit, quaſi impij iudicata eſt. Cauſam igitur, iudiciumque recipies; vt, qui iniuſtè iudicatus eſt, iuſtè iudicet; non vt ſeruus, non vt inſtrumentum (quod improba mentitur Ariana hæreſis) ſed tanquam rex excelſus, ſuper omnes reges terræ: ideò additur, In maieſtate ſua. Quemadmodum enim in transfiguratione eius, etiamſi ſecundùm humanitatem transfiguratus eſſet, maieſtatem tamen diuinitatis ſuæ latêre noluit; ita & tunc, etiamſi in forma ſerui iudicabit, Deum tamen ſe verum eſſe, omnibus teſtabitur. Non aliam autem eam maieſtatem futuram, quàm eam, quæ patris eſt, per id quod ſequitur, demonſtrat: Et omnes angeli cum eo, qui quotidie aſtant ante faciem patris eius. Sedebit autem ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. Signum illud, cui contradictum eſt, qui natus erat ad reſurrectionem, & ruinam multorū. Tunc videbunt Iudæi, in quem transfixerunt: Pagani, gentiles, quem in membris perſecuti ſunt: hæretici, quem blaſphemis linguis proſciderunt. Deus Dominus apparebit nobis, & plangent ſuper eum omnes tribus terræ. Deſcripto iudice, proponuntur illi qui iudicandi ſunt, eorumque differentia. Et congregabuntur, inquit, ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Quomodo autem hic non verus Deus, dicat Ariana impietas, ad quem omnes gentes congregabuntur. non dubium eſt, quòd non ab aliis, quàm ab angelis. Congregabuntur autem, partim ratione loci, partim ratione ſenſus. Ratione loci, idque duplici ſenſu: vel enim in vnum locum congregabuntur omnes, iuxta illud Ioël. 3. Congregabo omnes gentes

gentes in circuitu,& dedu cam eas in vallem Iosaphat, vbi Dominus passus esse dicitur; vt,qui nolebant agnoscere redemptorem,agnoscant iudicem: vel congregabuntur non quidem in vnum locum, sed quisque in suo loco vno & eodem tempore iudicem suum,iuxta Origenem,videbit: cuius tanta erit maiestas, vt in omnibus locis à se remotissimis conspici posit. Quod D. Matthæus indicat: Sicut, inquit, fulgur exit ab Oriente, & apparet vsq; in Occidente; sic erit & aduentus filij hominis: quomodo item, orto sole,vniuersi mortales ad eum congregati dicuntur, etiamsi non in vno, nec eodem loco. Congregabūtur item secundùm eundem sensum. Nam quemadmodū nunc disgregati sunt alij Iudæi,Pagani alij, Hæretici alij; & ex his alij Ariani,alij Nestoriani: omnes tunc sensus isti desinent,cùm videbunt eum omnes sicuti est, nullaque ampliùs restabit de illo dubitatio, vitæ ac morum omne examen erit, in locum fidei sensus succedet. Sed quomodo congregabuntur omnes? cùm scriptum legamus Ioan. 3. Qui non credit,iam iudicatus est. Et Ioan. 5. Amen amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit in eum, qui misit me,habet vitam æternam, & in iudicium non veniet, sed transibit à morte ad vitam. Dicimus igitur,iudicij futuri duas partes futuras: vnam, Meritorum excussionem: alteram,Scientiæ receptionem. Prioris causa, infideles non stabunt in iudicio, quia iam iudicati sunt,iam merita illorum expensa. Inde Dauid: Non resurgent impij in iudicio; hoc est, non resurgent vt iudicentur, sed vt puniantur: sed fideles tantùm posteriores stabunt omnes,vt vnusquisq; accipiat prout gessit in vita sua; sancti autem perfecti sistentur in iudicio, non tam vt iudicentur,quàm vt iudicent. Sedebitis, inquit,iudicantes duodecim tribus Israël: &, vt accipiant coronas & palmas pro vita sanctè & innocenter transacta. Duo erunt itaque ordines hominum in iudicio collectorum; qui tamen in quatuor diuidentur. Perfectorum ordines duo sunt: vnus, qui cū Domino iudicabit, & non iudicabitur: de quibus Dominus ait, Sedebitis & vos super sedes duodecim: alius, quibus dicetur: Esuriui, & dedistis mihi manducare; hi iudicabuntur,& regnabunt. Item reproborum ordines duo sunt: vnus eorum, qui extra Ecclesiam inueniendi sunt; hi non iudicabuntur, sed peribunt. de quibus Psalmista ait: Non resurgent impii in iudicio. Alter quoque reproborum est, eorum qui iudicabuntur,& peribunt: quibus dicetur, Esuriui,& non dedistis mihi manducare. & separabit eos ab inuicē, sicut pastor segregat oues ab hædis: de solis Christianis loquitur hic sermo. Separabit autem illos,vel per conscientiam ipsorum; quæ eadem illos separabit,nullo separante, ac testimonium contra illos perhibente, eosque accusante. docet D. Paulus,& post Paulum Origenes. Vel ministerio angelorū, iuxta Augustinum,iuxta parabolam zyzaniorum: Colligite primùm zyzania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. Vel per manifestationem filij Dei,lumenque diuinitatis eius, propter quod omnes ad intellectum veniunt earum rerum, quas gesserūt in vita sua, siue bonas,siue malas. Segregabit autem illos, veluti pastor, qui segregare solet oues ab hædis: nunc enim homines misti sunt, & non solùm misti, sed etiam iusti cum impiis confusi; ita, vt inter iustos & impios,quantū ad homines, discretio non facilè appareat. Sicut in tempore hyemis, inter virides & aridas arbores discretio non est, cùm autem venerit tempus vernale, discernuntur; ita tunc vnusquisque secundùm fidem suam, & secundùm

opera

opera ſua manifeſtabitur; impiis quidem nulla proferentibus folia, nullum oſtendentibus fructum; ſancti autem & foliis veſtientur vitæ æternæ, & fructibus ornabuntur gloriæ. Oues autem ſunt homines iuſti, propter manſuetudinem, quia ipſi neminem lædunt: propter patientiam, quia, cùm ab aliis læſi fuerint, ſuſtinent. Et ſicut oues, quando ligantur, aut tacent, aut in ſimplicitate balant; ſic & ſancti, cùm læduntur, aut tacent, aut certè, in benignitate probati, preces tranſmittunt ad Deum. Et ſicut ouis ad mortem ducitur, & non clamat: vita eius tollitur, & manſuetudo eius non immutatur; ſic & ſancti maledicuntur, & non remaledicunt: percutiuntur, & non repercutiunt: bona eorum diripiuntur, & illi non contradicunt: dolorem ſentiunt, & clamorem non emittunt. Et quid opus eſt clamoribus, cùm ille qui nocet, non miſeretur, etiamſi clamaueris? ille autem, qui miſericors eſt, miſeretur, etiamſi non clamaueris, audit & videt. Hædos autem homines peccatores dicit, quia in capris naturaliter hæc inſunt vitia: Libido præ cæteris animalibus, ſuperbia, rixa. Semper enim percutientes ſe incedunt, & modò humero pulſante, interdum cornu percutiunt. Item inuidi ſibi alterutrò inuident; ſicut ſignificat Salomon de inuidis, dicens: Sicut capra, ſic aſpicit ruinam proximi ſui. Item iactantes ſunt, & gloriantes; ſicut idem ſignificat Salomon, dicens: Tria ſunt quæ ſecuriter ambulant: leo inter iumenta, gallus inter gallinas, & hircus præcedens capras. Item capræ multùm trahuntur concupiſcentia gulæ: propter gulam namque ſuam per ſaxa & præcipitia ambulant, & ſuper præcipitia ſe ſuſpendunt. Item clamoribus ſuper omnia garrulæ. in omnibus his vitiis peccatores abundant, & ideò hædis ſunt aſsimilati. Nec dixit, capras, inquit D. Hieronymus, quæ habere poſſent fœtus, & tonſæ egrediuntur de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis nulla inter eas: ſed hædos, laſciuum animal & petulcum, & feruens ſemper ad coitum, & quod pro peccatis offerebatur in lege. Et ſtatuerunt oues quidem à dextris ſuis, hædos autem à ſiniſtris. A dextris, de quibus aliquando prædixit Salomon: Vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus: peruerſæ verò ſunt, quæ ſunt à ſiniſtris. Beatam autem dexteram iſtam, de qua Dauid: Delectationes in dextera tua vſque in finem. Admirabilis rerum conuerſio, vbi illi, qui manſuetiſsimi agni videbantur, inter hircos conſtituentur, & quos nunquam hircos petulcos putabamus, inter oues mitiſsimas apparebunt. Quando autem aliquis ante conſpectum regis aut iudicis introducitur, ex ipſo loco, vbi ſtare iubetur, intelligit, ſi propter bonum introductus eſt, aut propter malum: (ſi enim propter bonum, ſtatim vocatur in proximo; ſi propter malum, longè ſtare iubetur) ſic & iſtos deus iuſtos quidem ad dexteram conſtituet, & peccatores ad ſiniſtram; vt vnuſquiſque meritorum ſuorum conditionem ex ipſius loci qualitate cognoſcat, & ante iudicii ſententiam pœnam confuſionis excipiat. Tũc dicet Rex, nempe ille, de quo in Pſalmo: Deus, iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis: iudicare populum tuum in æquitate, & populos in iuſtitia. Dicet igitur rex. Verba regis audiamus omnes. Decretũ ſequitur, ſententia ſalutis: Venite benedicti patris mei: venite benedicti, non mundi, non hominum, quorum fallaces ſunt opiniones & iudicia, non ſapientiæ carnis, quæ ſtulta eſt apud Deum: ſed benedicti patris mei, laudati, electi, qui primò veniſtis per gratiam, nunc venite ad gloriam: cucurriſtis ſtadium, accipite brauium: viciſtis, accipite coronam: ſuperâſtis omnia, ferte palmas: cu-

ius vestræ gloriæ non aliam putate causam pręcipuam, quàm benedictionem patris mei. Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram. O vocem omni voce dulciorem! ô miseram sortem eorum, qui se tali voce destituerunt! Si enim triste fuit Esau, suam se amisisse benedictionem (auditis enim, sermonibus patris Esau irrugiit clamore magno, & consternatus est, eiulatuq; magno fleuit) quantò tristior conditio erit eorum, qui exciderint ab hac benedictione patris sui? quid nasci profuit, si his vocibus caremus? Possidete, inquit, regnum tanquam paternum, tanquam debitum, tanquam præparatum vobis à constitutione mundi. Hæredes facit regni, participesque suæ gloriæ, tanquam filios charissimos: Adite, inquit, hæreditatem, adite paternam substantiam. Quomodo autem vobis cum angelis inprimis paratum sit: dico vobis inprimis propter caput nostrum, per quem etiam ipsi angeli salui facti sunt. de quo Paulus ad Ephesios primo: Elegit nos in ipso à constitutione mundi. Sed cur dicit Ab initio mundi, & non Ab æterno: cùm ab æterno? elegit nos in Christo: & ipsa visio est ab æterno. an à constitutione mundi manifestati? vel visio quidem est ab æterno, sed ciuitas illa & communitas sunt ab initio mundi: vel paratur à constitutione mundi, quia Deus nihil agit nobiscum per hæc secula sex, quàm parat nobis regnum; quo & sublimitas illius intelligitur, & nostra ingratitudo. Antequam nati sitis, inquit Chrysostomus, quia sciebam vos huiusmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuêre. Venite, possidete iure ordinationis diuinæ, sed & merito vestro: cursum enim consummâstis, fidem seruâstis: de reliquo, reposita est vobis corona iustitiæ, quam vobis reddet iustus iudex: moxque causam decreti apponit, quę continet summam negotii & controuersiæ. Non priùs autem sententiam fert, quàm causam cognoscat atque examinet; etiamsi Dominus sit cunctorum, & in manu eius posita sint omnia; vt hoc idem alios inferiores iudices facere doceat. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: infirmus, & visitâstis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebūt ei iusti, dicentes (non diffidentes de verbis Domini, sed vel stupentes prę magnitudine maiestatis regis: vel quia parum videtur illis omne bonum quod fecerunt. vnde dicitur: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis) Quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum? quādo autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, & venimus ad te? Vbi sancti suam modestiam ostendunt, humiliter omnia negando, ac dissimulando. Quando te vidimus, inquiunt. etsi enim non ignorant, quidquid fecerunt fratribus, id totum Christo se dedisse; maiestate tamen illa perculsi, vix eum, hunc illum ipsum cum quo vixerunt, agnoscunt. Si enim Iosephum fratres eius non cognouerunt: quantò minùs mirum est, si isti Christum non agnoscunt in tanto maiestatis splendore. Sed, quid mirum est, reos & accusatos humiliari, cùm ipse iudex in throno maiestatis suæ humilietur? Quod, inquit, fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis. Regis, iudicis, & Dei vox ista est. non vocat pauperes, sed minimos: diuites enim sunt meritis, etsi non reb. & opibus. & quomodo non diuites, qui talia regna disponunt, & ad quorum merita iudex omnia decernit. Verùm causam ipsam sententiæ expendamus. Esu-

mus. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere. Pasce fame morientem, inquit Ambrosius; si non pauisti, occidisti. Magnus hac laude fuit Iob: Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Ad eandem laudem nos cohortatur Isaias: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Hospes eram, & collegistis me. Propter eam virtutem solam, multos placuisse Deo, angelis hospitio exceptis, testis est D. Paulus. Sic Abraham, dum hospitalitatem exercet, dignus iudicatus est, qui vnum & trinum Deum hospitio acciperet. Sic Loth, dum angelos Dei hospitio recipit, se, totamque suam familiam à diro Sodomæ exitio liberauit. Vnius horæ hospitio, inquit Ambrosius, vidua illa, quæ suscepit Eliam, & exiguo cibo, perpetuum, toto tempore famis, inuênit alimentum, & mercedem accepit mirabilem; vt nunquam de hydria farina deficeret. Elisæus quoque, defuncti pignoris resuscitatione donata, resoluit hospitij pensionem. Narrat D. Gregorius rem opinatam valde, & seniorum relatione sibi traditam: Quendam patremfamiliâs cum tota domo sua, magno hospitalitatis studio seruiuisse. Cùm quotidie ad mensam suam peregrinos susciperet, quodam die peregrinus quidam inter alios aduenit, ad mensam ductus est. dumque paterfamiliâs, ex humilitatis consuetudine, aquã vellet in eius manibus fundere; conuersus, vrceum accepit: sed repentè eum, in cuius manibus aquam fundere voluerat, non inuênit. Cùmque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte ei Dominus per visionem dixit: Cæteris diebus me in membris meis, hesterno autem die, me in memetipso suscepisti. Ecce in iudicium veniens, dicet: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ecce ante iudicium, cùm per membra sua suscipitur, susceptores suos etiam per semetipsum requirit; & tamen nos ad hospitalitatis gratiam pigri sumus. Pensate, fratres, quanta hospitalitatis virtus sit. Ad mensas vestras Christum suscipite; vt vos ab eo suscipi ad conuiuia æterna valeatis. Præbete modo peregrino Christo hospitia; vt vos in iudicio, non quasi peregrinos nesciat, sed vt proprios recipiat ad regnũ. Nudus eram, & operuistis me. Si, inquit Isaias, videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Magnificè se ea laude effert Iob: Si non, inquit, benedixerũt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est. Infirmus, & visitâstis me. Quis infirmatur, inquit D. Paulus, & ego non infirmor? Visitare autem infirmum illud intelligimus, non quietem eius turbare: non bonis eius insidiari: sed consolari, inseruire, consulere, ac omnibus rebus necessariis opitulari. quod ipsam matrem Dei aliquando fecisse legimus: Exurgens, inquit Lucas, Maria, abiit in montana cum festinatione, & visitauit Elisabeth. Idem monet Ecclesiasticus: Non te pigeat, inquit, visitare infirmum: non desis plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula: ex his enim in dilectione firmaberis. In carcere erã, & venistis ad me. Sic D. Paulo in carcere sancti seruierunt: sic pro Petro fiebat oratio in carcerem coniecto: sic Thobias quotidie fratres captiuos conueniebat, eos solabatur, illis omni, quo poterat, modo, opem ferebat. quod idem antea Moyses, ac cætera turba sanctorum factitabat. Ad quam rem rectè conficiendam, diuinitùs etiam dona accipiebant, ac gratiam apud eos, qui reipub. præerant, inuenire solebant. Et vide, inquit D. Chrysostomus, quomodo facilia mandat: non enim dixit: In carceribus eram, & liberâstis me: aut ægrotus fui, & medicati estis; sed visitâstis, &

tâſtis,& veniſtis ad me. Sed nec eſurienti famem leuare difficile: non enim ſumptuoſam vnquam quæſiuit menſam; ſed eam, quæ neceſsitati duntaxat ſufficeret; quodque maius eſt, non in ſublimis cuiuſdam, ſed in humilis habitu ſerui quæſiuit. quorum ſingula ad condemnationem illorum ſufficiũt; ſcilicet facilitas, & dandi poteſtas; panis enim petitur: petentis miſeria, qua pauper atque mendicus: retributionis expetenda magnitudo: regnum enim promittitur: terror pœnarum; gehenna enim incutitur: accipientis dignitas; Deus enim pauperum manibus accipit: honoris cumulus; quia tantum deſcendere dignatus eſt ius tribuendi: ſumma enim iuſtitia eſt, de ſuis ei cõcedere. Atque hæc quidem eſt lex ſalutis: Chriſtiana philoſophia: iudicij regula. Dantur pro paruis magna: pro caducis æterna: pro terrenis cæleſtia; quæ vel ipſa, ſi non facimus rectè, vt hercle plerique non facimus, qua venia digni ſumus? aut qua ſpe ſalutis nitimur? Veritas mentiri non poteſt: res clara eſt: ambiguum nihil habet: prauæ interpretationi nullus locus. De quo toto genere Nazianzenus: Si parum, inquit, habes, da quod ſupereſt: ſi plus, da dimidium: ſi valde parum, da totum illi, qui ſe totum dedit tibi; præſertim, ſi quis ex vocatione & munere ſuo debeat: ſi bona pauperum occupet: ſi eorum diſpenſator ſit: ſi fundationibus maiorum vrgeatur. Idẽ præclarè Iob inſinuat: Ab infantia mea, inquit, creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Addit autem D. Hieronymus, Liberam nobis eſſe intelligentiam, quod in omni paupere intelligens Chriſtus eſuriens paſceretur: ſitiens, potaretur: hoſpes, induceretur in tectũ: nudus, veſtiretur: infirmus, viſitaretur: clauſus carcere, haberet ſolatium colloquentis. Sed ex hoc loco quod ſequitur: Quàmdiu feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis: non mihi dixiſſe videtur generaliter de pauperibus, ſed de his, qui pauperes ſpiritu ſunt; ad quos, tendens manum, dixerat: Fratres mei, & mater mea hi ſunt, qui faciunt voluntatem patris mei. Fratres etiam vocauit pauperes; vt qui ſimilem cum eis ſuſceperit naturam & abiectionem: vel etiam, tanquam eos, qui communicauerunt paupertati ipſius. Sed quæ tandem cauſa eſt, vt in varietate virtutum, hæ ſolæ paucæ numerentur, in quibus ſumma ſalutis conſiſtit? non virginitatis, non paupertatis, non martyrij denique ipſius fiat mentio? Eſt profectò non vna, nec exigua ratio. Primùm: quòd iudicis boni eſt, iuxta leges vel à ſe, vel ab aliis latas, iudicare: Atqui Chriſti Domini lex eſt charitatis & dilectionis: Mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicem: ergo iuxta illam iudicare debuit. Et dilectio perfectio legis eſt: ergo iuxta illam legem nos iudicare voluit. nam hæc ipſa opera immediatè dilectionis ſunt. De ſola etiam hac virtute diſſerit, confirmare volens, quòd hanc maximè requirit, & hanc præ omnibus expetit; vtpote Chriſtianis maximè neceſſariam: hominis enim Chriſtiani inſigne, quo agnoſci poteſt, eſt dilectio. In hoc, inquit, cognoſcent omnes, quòd mei diſcipuli ſitis, ſi dilectionem habueritis inter vos mutuam. Huius optima pars eſt, pauperum amor, & erga proximum miſericordia ac compaſsio; iuxta Gregorium Theologum. Nulla enim alia re, inquit, inter omnes ita colitur Deus, vt miſericordia: neque alij cuiquam magis rependetur humanitas, quàm humanitati. Præcipuè ergo diſſerit de præcipuo Chriſtianorum opere: hoc modo nos & exterrens, & attrahens; vt, qui homines ſumus, humani efficiamur, vtentes ea, qua tunc ipſe vtetur, humanitate. Iuſtiſsima eſt

autem

autem merces, vt inhumanis inhumanitas, & misericordibus misericordia rependatur. Etenim ipse, qui misericors est, paruis operibus magnum retribuit præmium: quid enim regno illi æquale esse poterit? Manifestum est autem, quòd ex his, quę possumus, humanitatem requirit: his enim qui non possunt, sufficit quòd velint. Varias enim humanitatis partes recenset; vt, siquidem possumus, omnes impleamus; sin autem, at saltem eas, quas possumus. Hæc Euthymius. Secunda causa: quòd vocamur & sumus filij Dei, ideò voluit Deus in nobis similitudinem huius filiationis apparere; qui hæc omnia nobiscum facit, quæ nobis facienda præcipit. Tertiò: quia nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo: Atqui sola charitas descendit de cælo, qua amictus tanquam indumento, filius Dei incarnatus est. Hæc igitur sola charitas, eiusque opera nobiscum debent ascendere in cælum. Fides & spes cessabit; charitas autem manebit. Quartò, quòd hæc tanquam minora ponuntur: Qui ergo istorum minorum ac facilium est reus; quantò magis maiorum erit reus? Quintò: per emphasim hæc dicuntur, Si isti non saluantur, quia sua non tradiderunt; quantò minùs illi saluabuntur, qui aliena rapuerunt? si isti, qui pauperes non adiuuârunt; quantò minùs illi, qui pauperes fecerunt: qui famam, pudorem, vitam eripuerunt: corpora affecerunt crudeliter? Vltimò: quòd charitas summa legis est: in hac ergo summa reliqua designari iudex voluit. Addi & illud potest, quòd his ipsis bonis cæteri defectus compensantur & abluuntur: Sicut, inquit, ignis extinguit aquam; ita eleemosyna peccatum. Qui igitur his remediis caret, quam spem salutis habebit? & charitas operit multitudinem peccatorum. Et hæc quidem prima pars est iudicis sententiæ. qua lata, credibile est, sanctos Dei submissè & humiliter creatori suo, & iudici pro ea sententia gratias acturos, ac palmas & coronas suas ante illius thronum missuros, illis verbis: Redemisti nos, Domine Deus, in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos Deo nostro regnũ & sacerdotes, & regnabimus super terram. Nunc ad alteram partem sententiæ iudicis transeamus; quanquam horret animus, dictuque refugit. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt: Discedite à me: à me principio vestro, fonte vitæ & luminis, abysso amoris & charitatis, Deo vestro, patre, præceptore, pastore vestro, thesauro omnis sapientiæ & scientiæ, & coniungite vos cum hoste meo & vestro simul: in castra eius transite, illi æternam, iniustam, & illiberalem seruitutem seruituri. Triste repudium, tristis exhæredatio, tristis abnegatio: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Quemadmodum enim diaboli misericordes non sunt, ac crudeliter & hostiliter erga nos dispositi; ita & isti. ideò quorum mores imitati sunt, eorum pœnam sustinebunt, qui maledicti propter mores suos improbos dicuntur. Terribile autem quid hoc loco audimus: isti enim, non vt fornicarij, neque vt rapaces, aut alio modo malefici damnantur, sed tantùm vt illi, qui non fecerunt bona: reuera enim, qui non fecit bona, rapax est; & is, qui misertus est, qui multa habeat, etiamsi neminem apertè læserit: quæcunque enim habet superflua vltra necessitatem suam, rapuit omninò ab illis, qui his rebus vti poterant, nec illis impartitus est: si enim hæc in commune proposuisset, tum & illi non indigerent; nunc autem, posteaquàm hæc conclusit, & sibi ipsi vendicauit, ideò indigent. Itaque immisericors rapax est, eos iniuria afficiens, quos non iuuit. Vnde præclarè D. Gregorius:

gorius: Nequaquam, inquit, audiunt: quia rapinas, vel alia quælibet violenta commiserunt; & tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sunt, qui rapiunt aliena, si tanta animaduersione feriuntur, qui sua indiscretè tenuerunt. Perpendat, quo eos obliget reatu res rapta, si tali subijcit pœnæ non tradita: perpendant, quid mereatur iniustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa. Non dicit autem solùm ignem æternum: sed vltrà addit, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Vnde ostendit grauitatem illius carceris, qui tanto malefactori est conditus. Innuit autem, quòd, quemadmodum Deus non fecit mortem, sed impij manibus eam accersiuerunt; ita nec infernum fecit; sed impij, qui secuti sunt diabolum, & angelos eius, illum sibi pepererũt: iustum enim fuit, vt, qui diabolum secuti sunt cùm vixerunt, sequantur mortui post vitam. Vnde dicit Sapientia: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui sunt ex patre illius. Vides? regnum quidem hominibus paratum est, ignis verò dæmonibus; insipientissimi autem homines, relictis his quę regno digna sunt, præferunt ea, quæ ignem promerentur: ideò etiam ab illo excedentes ad hunc condemnantur. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitâstis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, quàmdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Cuius loci authoritate conuictus Caluinus, cogitur ea dicere, quæ neque ipse intellexit, neque alius quispiam facilè intellexerit: Si hîc disputatio esset de salutis nostræ causa, non malè colligerent Papistæ, nos bonis operibus vitam æternam mereri: sed, quum nihil aliud propositum sit Christo, quàm suos ad benè rectèque agendi studium hortari, perperam ex eius verbis elicitur, quid valeant operum merita. Quòd in causali particula insistunt, infirmum est: scimus enim, non causam semper, sed consequentiam semper notari, cùm vita æterna iustis promittitur. Non dixit autem, non liberâstis me paupertate, infirmitate, ac carcere; sed quæ necessaria sunt non præbuistis: quæ facilia sunt non fecistis. Primùm autem misericordes prædicat, ostendens boni operis facilitatem; vt ab illo hos condemnet: Discedite à me mali; quanquam nunquam propè accedere voluistis, nunquam similes esse, nunquam parêre: solum esse, & hæc dona quæ rationis meæ vos vtcunque mecum coniungebant, & hæc ipsa inimico vestro tradentur. Discedite maledicti. Si auertente illo faciem suam omnia conturbantur, omnia in puluerem rediguntur; quid maledicente? maledictio patris & matris miseros facit; quid huius summi parentis? quem tu, inquit, despexeris Domine, quis corriget? Non dicit autem ampliùs, Maledicti patris mei: quia ille pater benedictionum est, non maledictionis, cuius quisque sibi author est. Perditio tua ex te: Israël; salus autem ex Domino Deo tuo. Deus mortem non fecit, sed iniqui homines eam sibi manibus suis attraxerunt. Ite, inquam, in ignem æternum; ita, vt vermis vester nunquam moriatur, qui ignis cruciet, & non calefaciat, sed frigoris instar rigidissimi sit. Vbi, inquit, erit fletus præ dolore, & stridor dentium præ frigore; qui idem ignis vrat, densissimarum tamen instar

men instar tenebrarum sit, & non luceat. Discedite igitur in ignem æternũ. Ignis æternus, supplicium æternum designat; vt nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 44. Vt, qui peccant in suo æterno, puniantur in Dei æterno. Secundò, leges ipsæ humanæ, quantum possunt, æterna vita puniunt: quem enim vita priuant aut vrbe, illum volunt perpetuò illa societate carere: quæ ideo æterna non sunt, quia ipsa vita æterna non fuit; vt annotat D. Augustinus. Tertiò, quia, qua mensura mensi fuerimus, eadem nobis remetietur. Factus est homo malo dignus æterno, quia hoc in se perdidit bonum, quod posset esse æternum. Quartò, quòd peccat homo contra æternam Dei bonitatem, iustitiam, atque misericordiam infinitam, & infiniti valoris remedia. Verè igitur, & iustè ignis æternus, in quem impij relegantur; neque tamen id quidquam diuinæ detrahit bonitati. Vt enim illi, qui solem orientem adorare nolunt, occidentem adorent oportet; neque tamen inde quidquam maiestati solis detrahitur: ita, qui Deum misericordem non vult experiri, experietur iustum, & vtrinque nomen eius sanctum adorabitur, & sanctificabitur, celebreque fiet, iuxta illud: Iustæ, & veræ sunt viæ tuæ, Domine. Et hæc quidem seueritas est vltimæ sententiæ; cuius terrorem videns Iob, Deum precatur, vt in illa hora in inferno abscondat eum, donec pertranseat furor eius, furor ardentis sententiæ: Vtinam, inquit, in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus. Et Dauid: Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Sequitur exitus iudicij, ad quod nos omni vita præparare debemus: Et ibunt hi in suplicium æternum; iusti autem in vitam æternam. Vbi annotat D. Hieronymus, quòd & suplicia ęterna sint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.

27 NOtandum contra Arianam impietatem primò: illum esse verum Deũ, qui iudex viuorum & mortuorum futurus est, & ex cuius diuiti manu omnes gentes felicitatem suam accepturæ sunt, vnusquisque iuxta merita sua: & qui eandem maiestatem habet, quam & pater: Veniet, inquit, in maiestate sua. Talis autem est Iesus Christus, saluator noster: verus igitur & Deus, & homo.

28 NOtandum secundò contra Picardos: eos falsò asserere, Ecclesiam Dei ex solis bonis & electis constare: constat siquidem ex hircis & ouibus, bonis & malis: nec priùs fiet hæc separatio, quàm vbi venerint angeli, & separabunt bonos à malis, iustos ab iniustis.

29 NOtat tertiò D. Augustinus contra modernos Lutheranos: Si, inquit, mandatis non seruatis ad vitam veniri potest per solam fidem, quæ sine operibus mortua est; quomodo verum erit, quòd eis, quos ad sinistram positurus est, dicet: Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius? nec increpat, quia in eum non crediderunt, sed quia bona opera non fecerunt. Nam profectò, ne sibi quisquam de fide, quæ sine operibus mortua est, promittat æternam vitam, propterea omnes gentes segregaturum se dixit, quæ permistæ eis pascuis vtebantur; vt appareat, eos illi dicturos: Domine, quando te vidimus illa & illa patientem, & non ministrauimus tibi? qui in eum

crediderant,sed bona opera non curauerant; tanquam de ipsa fide mortua ad vitam perueniretur æternam.

NOtat & illud grauiter Augustinus: An fortè ibunt in ignem æternum, qui opera misericordiæ non fecerunt, & non ibunt, qui aliena rapuerunt, vel corrumpendo in se templum Dei, in seipsos immisericordes fuerunt, quasi opera misericordiæ prosint aliquid sine dilectione? dicente Apostolo: Si distribuam omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Aut diligat quisquam proximum, sicut seipsum, qui non diligit seipsum: qui enim diligit iniquitatem,odit animam suam. 30

NOtandum quintò cum eodem Augustino: quòd illud hîc dici non poterit, in quo nonnulli seipsos seducunt: ignem æternum dictum non ipsam combustionem æternam. per ignem quippe, qui æternus erit, transituros arbitrantur eos, quib. propter fidem mortuam per ignem promittunt salutem; vt videlicet ipse ignis æternus sit: combustio verò eorum, hoc est, operatio ignis,non sit in eos æterna, cùm & hoc præuidens Dominus,sententiam suam conclusit,ita dicens: Sic ibunt illi in combustionem æternam; iusti autem in vitam æternam. Erit ergo æterna combustio sicut ignis, & eos in illam ituros veritas dicit,quorum non fidem,sed bona opera defuisse declarauit. 31

NOtandum sextò: ab hoc examine formulæ inprimis necessario iudicij diabolum nos multis modis abducere velle,etiamsi tam clara,tam illustris sit. Primùm igitur dicit,iudicium ratione prędestinationis futurum,vt otiosos homines faciat; sed hoc falsum est: iudicium enim debet esse secundùm cognitam legem: sed prædestinationis lex non est cognita: ergo secundùm eam iudicium neque debet esse,neque potest. Deinde nunquam scriptura quenquam aut saluatum esse,aut damnatum dixit,quòd prædestinatus sit, aut non sit: sed quòd credidit, vel non quòd in viis Dei ambulauit,quòd præcepta Dei seruauerit; quod & hoc loco fieri videmus. Hinc diabolus depulsus,aliò se confert, ac sola fide nos saluari docet, & iuxta illam quisque iudicandus sit: sed & hoc falsum & vanum est. Dicit enim scriptura, quòd, qui non credit,iam iudicatus est. Est hæc disceptatio inter illos,cum quibus conuentio facta est, quibus talenta distributa, qui ad nuptias vocati,qui crediderũt, qui Christum cognoscunt in paupere. Et ipsum Euangelium clarè rem explicat: Esuriui,& non dedistis mihi manducare. Et: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque prout gesit in corpore suo, siue bonum,siue malum. Et procedent, qui bona egerunt. Confert se deinde veterator ad alia, &,vt ad multa bona opera nos pigriores efficiat; dicit, de solis operibus misericordiæ nobis rationem reddendam esse. Confirmat hoc præsenti loco, cui occurrit D. Paulus: Si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita,vt in igne ardeam, charitatem autem non habeam,nihil sum. Et cap. 6. An nescitis, quòd iniqui regnum Dei non posidebunt? nolite errare: neque fornicarij,neq; idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores,neque fures,neque ebriosi,neque maledici, neque raptores, regnum Dei posidebunt. Iungenda igitur sunt omnia illi, qui securè illi tribunali se sistere 32

ſtere velit; hæc tamen & inprimis, & præcipuè, quæ Dominus ipſe aſsignauit.

33 NOtandum autem ſeptimò: vltra eas partes operum miſericordiæ,quas hoc loco Saluator enumerat, alias etiam eſſe, quæ ſparſim in aliis locis ſcripturæ explicantur. Vt autem hæ,quas nunc retulimus,ad ſubleuandum proximi corpus referuntur; ita aliæ ad animum hominis ſuſtentandum & curandum. Sunt autem hæ: Fraterna commonitio & correctio; iuxta illud: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Ignorantium inſtitutio: Fulgebunt iuſti ſicut ſol: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Mœſtorum ſolatium: Conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos. Thobias quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam,& conſolabatur captiuos. Infirmitates aliorum perferre: Alter alterius onera portate: patientes eſtote ad omnes; ad Theſſalonicenſes. Orare inuicem: Orate pro inuicem; vt ſaluemini. Congaudere ſecundis rebus alienis,aduerſis condolere: Gaudete,inquit,cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Sacramentis homines promptè, & libenter, & gratis reficere: Eſuriui in membris meis, deſiderantibus Euchariſtiam,& dediſtis mihi manducare,vos ſacerdotes,benè miniſtrando. Sitiui potum ſapientiæ ſalutaris, & dediſtis mihi bibere, vos Doctores, & prædicatores Eccleſiæ. Hoſpes eram, excluſus à communitate Eccleſiæ, & collegiſtis me, vos pij iudices,abſoluentes me. Nudus operimento virtutum;& cooperuiſtis me, reducendo me ad virtutis bonum. Infirmus, infirmitate paſsionis inordinatæ; & viſitâſtis me,ſupputando charitatiuè. In carcere eram,ligatus praua conſuetudine; & veniſtis ad me ſoluendum tali ligamine. Si enim quæ corporis ſunt, corporibus non præſtare, tantæ impietatis eſt, quæ,etſi accipiunt ea, non poſſunt viuere ſemper: putas, quantæ impietatis eſt, hæc omnia ſpiritualiter animabus periclitantibus non miniſtrare, quæ poterant viuere in æternum,ſi hæc eis miniſtrata fuiſſent? Quantò enim melior eſt anima,quàm corpus; tantò grauius peccatum, animabus laborantibus ſpiritales eleemoſynas non præſtare, quàm corporibus corporales. Hæ ſunt partes philoſophiæ Chriſtianæ,feruoris Chriſtiani, ſine quo cætera frigent. Hæc igitur diſcamus,his aſſueſcamus. Atque adeò docet Lyranus,hîc tangi ſex opera miſericordiæ, quæ ſunt neceſſaria ex parte corporis, & intelligi per hoc ſeptimum,quod eſt,Sepelire mortuos. Sufficientiam autem iſtorum hoc modo accipi: quia homo in vita præſenti primò indiget ex parte corporis alimento, ſine quo non poteſt eſſe: & hoc alimentum duplex eſt. Vnum eſt calidum & ſiccum, & hoc vocatur cibus; & ſic vnum opus miſericordiæ eſt, Paſcere eſurientem. Vnde dicit Philoſophus 2. de Anima, quòd eſuries eſt appetitus calidi & ſicci: & aliud eſt alimentum corporis frigidum & humidum, & illud vocatur Potus. & ſic ſecundum opus miſericordiæ eſt, Potare ſitientem. Et ſic dicitur 2. de Anima, quòd ſitis eſt appetitus frigidi & humidi. Secundò indiget aliquo, ſine quo non benè poteſt eſſe; videlicet,indumento,& domicilio,in quo poſsit requieſcere. & ſic eſt duplex opus miſericordiæ,ſcilicet Sepelire mortuum; iſta autem quinque prædicta, ſunt omnibus communia. Alia ſunt duo opera miſericordiæ, quæ imponuntur alicui ex aliquo accidente ſuperueniente; vt,ſi aliquis incurrit infirmitatem,vel capiatur

piatur ab hostibus: & sic accipiuntur duo opera misericordiæ, quæ sunt, Visitare infirmum, & Redimere captiuum. Et in nomine Redemptionis intelligitur omne beneficium eis impensum. Ista autem septem opera misericordiæ habentur in vno versu: Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo: & patet sententia ex prædictis. Ista autem septem, impensa Christi fidelibus propter Christum, sibi reputat totum factum: quia fideles sunt membra eius. & è contrario, fidelibus denegata, sibi reputat denegari: propter quod facientibus opera misericordiæ, reddit vitam æternam; denegantibus autem, pœnam.

NOtat octauò Irenæus: his verbis, Abite, maledicti, in ignem æternum, quem præparauit pater meus diabolo, & angelis eius; significâsse Saluatorē, quoniam non homini principaliter præparatus est æternus ignis; sed ei, qui seduxit, & offendere fecit hominem. inquam, qui princeps Apostasiæ est, principi abscessionis, & his Angelis, qui Apostatæ facti sunt cum eo; quem quidē iustè percipiēt etiam hi similiter, vt illi sine pœnitentia & sine regressu in malitiæ perseuerant operibus. 34

NOtandum nonò: quoties ad miseros iuuandos pigrescimus, venire nobis debere filium Dei ante oculos, cui negare aliquid, immane sacrilegiū est: inquit enim: Quod enim vni ex minimis his fecistis, mihi fecistis. 35

NOtandum decimò: solos fideles nominatim hîc commendari: non quia velit in totum alios sperni: sed quia, vt quisque ad Deum propiùs accedit, ita nobis charior esse debet. Nam etsi commune est societatis vinculum inter omnes filios Adam; sanctior tamen filiis Dei inter se est coniunctio. 36

NOtandum vndecimò: quòd tenebræ exteriores significant, longissimè abesse à lumine diuino: ideò in grauissima ponuntur pœna, cuius hæc causa est. Peccator & hic tenebras habet, quia excidit à iustitia solis Christi: sed quia adhuc spem habet mutationis, ideò non sunt istæ tenebræ exteriores: nam post mortem demum excipient eum tenebræ interiores; vbi iam nulla erit spes mutationis, sed omnigena priuatio lucis diuinæ. Tunc enim planè abscindetur à Deo, nec vllius eius boni particeps erit. 37

NOtandum vltimò & illud est: quandoquidem tam arduum, tam difficile, tam periculosum metuendum hoc iudicium futurum sit, qua ratione nos ad illud præparare debeamus. Et res quidem est ardua & difficilis; aliquid tamen humano more dicamus. Putarem igitur, ex humani iudicij apparatu, formam & dogma futuræ defensionis accipiendum esse. Qui igitur vocat in iudicium, & vocatur, inprimis hoc illi agendum est, vt causam iustam habeat: sic enim reliqua facilè superabit. Deinde, vt instrumenta, & monimenta causæ sufficientia: tertiò, patronos, & aduocatos: quartò, tempus & locum apparatui accommodatum; ne subitò die iudicij occupetur: quintò, merita antecedentia, tam priuatim, quàm publicè: sextò, vt, cùm ab vno inimico in ius vocamur, cum aliis conueniamus; ne multitudine illorum opprimamur. Vltimò, omnia hæc Christiano homini, antequam se in iudicio sistat, præparanda erunt: 38

da erunt. Primùm videat, vt causam bonam habeat, hoc est, quod dicebat D. Ambrosius: Vitam instituat, ne illum vixisse pœnituerit, & vt se in his præceptis & mandatis Dei, ex quibus iudicandi sumus, exerceat. Secundum, vt monimenta causæ & præsidia comparet; hoc est, vt in lege Domini meditetur die ac nocte: diuinis sacramentis sacrè, & piè, ac frequenter vtatur; vt, quod nobis deest, illorum virtute compleatur. Patronos item, & aduocatos sibi conciliet: sunt autem isti, pupilli, viduæ, pauperes, infirmi, hospites, & omnes alij superiùs descripti; quos, quantum nobiscum habuerimus, tantum causæ confidemus, & qui mercaturam quandam regni cælestis exercent. Locus & tempus erit opportunum apparando iudicio in hac tota vita, priùsquàm claudatur ianua, priùsquàm mercatus dissoluatur, priùsquàm præco aut lictor veniat. Magnum autem & illud est, vt ea merita anteactæ vitæ nostræ sint, quæ defectus nostros & infirmitates, sine quibus vita nostra non est, nec esse potest, compleant, ac complanent. Talis est virginitas, castitas, obedientia, paupertas voluntaria, tolerantia rerum aduersarum, martyrij, & id genus alia. Sextò, hoc idem facere debet Christianus; vt, dum à diabolo in iudiciũ trahitur, imò multò antè, cum inimicis suis conueniat; iuxta illud: Tu autem cùm in via es, conueni cum aduersario tuo. Benignus iudex ita efficietur, si iusti, in omnib. mandatis, & iustificationibus eius, sine querela incesserimus semper: si, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruierimus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Et apparatus quidem ad iudicium hic est: remedium autem varij varium ponunt. Alij enim sic se liberos à malo hoc futuros putant, si futurum non credant: sed hoc remedium vanissimum est. Infidelitas enim nostra, inquiebat Paulus, non euacuabit ꝓmissiones Dei. Cælum & terra peribit; verbum autem Domini non præteribit. Non crediderunt in diebus diluuij impij Noë; & tamen perierunt. Non crediderunt Iudæi Christo, vrbis vastationem prædicenti; & tamen funditùs deleti sunt: sic & isti, siue crediderint, siue non crediderint, propter istos verbum Dei non euacuabitur. Alij, vt rem verbis nostratibus maximè accommodatis efferam: **Dobra myślą chcą się zábáwić, y tego zábaczyć**: Bibamus & comedamus, cras moriemur; interim autem in puncto ad inferna descendunt. Quod genus hominum latè describit Salomon: & nescio, an non aliquando ipse in eodem fuerit: Venite, & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute, celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequã marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrûm exors sit luxuriæ nostræ; vbique relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Quod tamen & ipsum vanum est: nam neque est tanta copia vini & libidinis, vt hæc restinguat, & cogitationes eædem semper recurrunt: vermis siquidem eorum nunquam moritur. Et scriptura meminisse potiùs earum rerum iubet, & recordari. Memorare nouissima, & non peccabis, inquit, in æternum. Et iterum: Memento senectutis tuę, in diebus iuuentutis tuæ, antequam tenebrescat sol. Et ipse Dominus: Attendite, inquit, ne grauentur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius seculi. Vanum ergo & istud est solatium, inefficax remedium. Tertium igitur est genus hominum longè melius; si modo meliùs, quòd misericordiam Domini allegat. Et præclarè quidem: sed hoc remedium in hac vita tantùm valet,

valet; quia in inferno nulla est redemptio. Dies iudicij, est dies iræ, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis. Vnde Paulus ad Thessalonicen. Thesaurizas tibi iram in die iræ. Clauditur ianua. Quod igitur summum & maximum est remedium damnationis tantæ effugiendæ? vnum solum & vnicum; Pœnitentia. Nisi, inquit, pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Pœnitentiam agite, & appropinquabit vobis regnum cælorum. Docet hoc in primis Isaias: Si peccata vestra fuerint vt coccinum, sicut nix dealbabuntur. Docet Ieremias: Si dixero impio morte morieris, & ille conuersus pœnitentiam egerit, omnium iniustitiarum eius non recordabor amplius. Docuit longè antè Moyses in Deut. Cùm, inquit, venerint super te omnes maledictiones, &c. Sed vnde ea vis pœnitentiæ tanta? non aliundè, quam docet Dauid: Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio; vt sit præmium mortis sacræ perennis gloria.

QVAESTIO D. AVGVSTINI. De decem virginibus inter parabolas à Domino dictas, solet quærentes multum exercere ista, quæ de decem virginibus posita est. Et multi quidem hîc multa senserunt, quæ non sunt præter fidem; sed quomodo partibus omnibus eius conueniat expositio, id elaborandum est. Legi etiam in quadam scriptura ex earum genere, quæ apocryphæ nominantur; non quod sit contra catholicam fidem, sed huic loco mihi minus congruere visa est consideranti, omnes huius similitudinis partes. De qua tamen expositione, temerè nihil audeo iudicare; ne fortè non eius inconuenientia mihi angustias fecerit, sed mea tarditas in ea conuenientiam non inuenerit. Quid autem mihi videatur, non absurdè hoc loco accipi, quantum potero breuiter & diligenter exponam. Interrogatus igitur Dominus noster secretò à discipulis de consumatione mundi, inter multa alia quæ locutus est hoc quoque dixit: Tunc simile æstimabitur regnum cælorum decem virginibus, quæ acceperunt lampades suas, & venerunt obuiam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis, nō sumpserunt oleum secum: prudentes autem acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus. Tardante autem sponso, dormitauerunt omnes & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, surgite obuiam ei: Tunc surrexerunt virgines illæ, & acceptauerunt lampades suas. Et dixerunt illæ stultæ ad sapientes: date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt autem sapientes dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potiùs ad vendentes & emite vobis. Et dum irent emere, venit sponsus: & quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua. Nouissimè autem veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate ergo, quia nescitis diem neque horam. Decem vtique numerus virginum, quarum quinque admittuntur, quinque excluduntur, bonorum & malorum discretionem significat. Quapropter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisq; commune est? Deinde, quid sibi vult numerus in vtraque parte quinarius? Quid autem significat oleum mirum videtur. Item, quòd sapientes petentibus nō communicant, cùm & inuidere fas non sit eas, quæ ita perfectæ sunt, vt à sponso re-

39

ſo recipiantur, quo nomine nullo dubitante, Dominus Ieſus Chriſtus ſignificatur: & miſericordes eſſe oporteat ad præſtandum ex eo quod habent, præſcribente illa ſententia eiuſdem Domini dicentis: Omni poſcenti te tribue. Quid eſt autem, quod poſsit dando non ſufficere vtriſque? Hæc maximè augent quæſtionis difficultatem, quanquam & cætera diligenter conſiderata, vt omnia in vnam rationem concurrant, nihilque in vnam partem dicatur, quod impediat aliam, magna cautio adhibenda eſt. Videntur itaque mihi quinque virgines ſignificare, quinquepartitam continentiam à carnis illecebris. Continendus eſt enim animi appetitus à voluptate oculorum, à voluptate aurium, à voluptate olfaciendi, guſtandi, tangendi. Sed quia iſta continentia, partim coram Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio conſcientiæ: partim coram hominibus tantùm, vt gloria humana capiatur: quinq; dicuntur ſapientes, & quinque ſtultæ; vtræque tamen virgines, quia vtraque continentia eſt, quamùis diuerſo fomite gaudeat. Lampades autem ſunt, quia manibus geſtantur, opera, quæ ſecundùm iſtam continentiam fiunt. Dictum eſt autem: Luceant opera veſtra coram hominibus. Omnes verò acceperunt lampades ſuas, & venerunt obuiam ſponſo. Intelligendum eſt ergo Chriſti nomine cenſeri, de quibus agitur: Non enim poſſunt, qui chriſtiani non ſunt, ſponſo Chriſto obuiam venire. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus ſuis, non ſumpſerunt oleum ſecum. Multi enim, quamùis de Chriſti bonitate plurimùm ſperent, gaudium tamen non habent, dum continenter non viuunt, niſi in laudibus hominum. Non ergo habent oleum ſecum: nam ipſam lætitiam oleo ſignificari arbitror. Propterea, inquit, vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ. Qui autẽ non propterea gaudet, quia Deo intrinſecus placet, non habet oleum ſecum. Prudentes autem virgines acceperunt oleum ſecum in vaſis ſuis cum lampadibus; id eſt lætitiam bonorum operum in corde atque conſcientia poſuerunt. ſicut Apoſtolus monet: Probet autem ſe homo, inquit, & tunc in ſemetipſo habebit gloriam, & non in altero. Tardante verò ſponſo dormitauerunt omnes, quia ex vtroque genere continentium hominum, ſiue eorum qui coram Deo exultant, ſiue eorum qui in laudibus hominum, acquieſcunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec ſub aduentu Domini fiat reſurrectio mortuorum. Media autem nocte, id eſt, nullo ſciente, aut operante; quippè cùm ipſe Dominus dicat: De die autem illa & hora nemo ſcit. Et Apoſtolus: Dies Domini tanquam fur in nocte ita veniet. ex quo ſignificatur eũ penitus latere cùm venerit. Clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, ſurgite obuiam ei. In ictu oculi, & in nouiſsima tuba omnes reſurgemus. Ergo ſurrexerunt omnes virgines illæ, & aptauerunt lampades ſuas; id eſt, rationes reddendas operum ſuorum. Oportet enim nos exhiberi ante tribunal Chriſti, vt illic recipiat vnuſquiſque in corpore ſuo quod geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. Et dixerunt ſtultæ ad ſapientes: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguuntur. Quorum enim facta aliena laude fulciuntur, eadem ſubtracta deficiunt, & de conſuetudine id ſemper inquirunt, vnde gaudere animus ſolet: itaque hominum, qui corda non vident, teſtimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inſpector eſt. Sed quid reſponderunt ſapientes? Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis: vnuſquiſq; enim pro ſe rationem reddet, nec alieno teſtimonio quiſquam adiuuatur apud Deum, cui ſecreta cordis apparent, & vix ſibi quiſque ſufficit, vt ei teſtimonium

perhibeat conſcientia ſua. Quis enim gloriabitur mundum ſe habere cor? indè eſt quod Apoſtolus ait: Mihi autem minimum eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico. Quapropter cùm de ſeipſo quiſque, aut non omninò, aut vix poſſet veram ferre ſententiam, quomodo poteſt de alio iudicare, cùm ſciat nemo quid agitur in homine, niſi ſpiritus hominis? Ite magis ad vendentes & emite vobis. Non conſilium dediſſe putandæ ſunt, ſed crimen earum ex obliquo commemoraſſe. Vendunt enim oleum adulatores, qui ſiue falſa, ſiue ignorata laudando animas in errorem mittunt, & eis vana gaudia tanquam fatuis conciliando aliquam de his mercedem, ſiue ciborum, ſiue pecuniæ, ſiue honoris, ſiue alicuius commodi temporalis accipiunt, non intelligentes quod dictum eſt: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt. Melius eſt autem obiurgari à iuſto, quàm à peccatore laudari. Emendabit me, inquit, iuſtus à miſericordia, & arguet me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum: Ite ergo magis ad vendentes, & emite vobis; id eſt, videamus nunc, quid vos adiuuant, qui vobis laudes vendere conſueuerunt, & vos in errorem inducere; vt non coram Deo, ſed ab hominibus gloriam quæreretis. Euntibus autem illis, venit ſponſus; id eſt, inclinantibus ſe illis in ea quæ foris ſunt, & ſolitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non nouerant, venit ille qui iudicat. Et quæ erant paratæ, intrauerunt cum eo ad nuptias: id eſt, quibus bonum coram Deo teſtimonium conſcientia perhibebat, intrauerunt cum eo ad nuptias; id eſt, vbi anima puro & perfecto ſempiternoque Dei verbo fœcundata copulatur. Et clauſa eſt ianua: id eſt, receptis illis, qui ſunt in angelicam vitam immutandi. Omnes enim, inquit, reſurgemus, ſed non omnes immutabimur: clauſus eſt aditus ad regnum cœlorum. Non enim poſt iudicium patet precum aut meritorum locus. Nouiſſimè autem veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. Non dictum eſt quod emerint oleum: & ideò intelligendæ ſunt nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio in anguſtiis, & magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei. Sed magna eſt eius ſeueritas poſt iudicium; cuius ante iudicium ineffabilis miſericordia prærogata eſt. Itaque reſpondens ait: Amen dico vobis, neſcio vos. Ex illa ſcilicet regula quã non habet ars Dei, hoc eſt, ſapientia Dei, vt intrent in gaudium eius, qui non coram Deo, ſed vt placerent hominibus, viſi ſunt aliquid ſecundùm præceptum eius operari. Atque ita concludit: Vigilate ergo, quia neſcitis diem neque horam. Non modò illius vltimi temporis, quo venturus eſt ſponſus; ſed ſuæ quiſque diem dormitionis & horam neſcit. Quiſquis autem paratus eſt vſque ad ſomnum, id eſt, vſque ad mortem, quæ omnibus debetur, paratus etiam inuenietur cùm illa vox media nocte ſonuerit, qua omnes euigilaturi ſunt. Quod verò ſponſo dixit obuiam venire virgines: ſic intelligendum puto, vt ex ipſis virginibus conſtet ea quæ dicitur ſponſa; tanquam ſi omnibus chriſtianis in Eccleſiam concurrentibus, filij ad matrem concurrere dicantur, cùm ex ipſis filiis congregatis conſtet ea quæ dicitur mater. Nunc enim deſponſata eſt Eccleſia, & virgo eſt ad nuptias perducenda; id eſt, cùm ſe continet à corruptione ſeculari. Illo autem tempore nubet cum vniuerſa mortalitate in ea pereunte, immortali coniunctione fruetur. Deſponſaui, inquit, vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Vos, inquit; virginem à plurali ad ſingularem concludens: ideò & virgines dici poſſunt & virgo. Cur autem quinq;

quinq; dictæ sint: vt mihi videtur expositum est. Sed videmus nunc in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: & nunc ex parte, tunc autem ex toto. Ipsum autem in ænigmate & ex parte, nunc in scripturis aliquid cernere, quid tamen sit secundùm catholicam fidem, ex illo pignore contingit, quod accepit virgo Ecclesia humili aduentu sponsi sui, quæ illi vltimo aduentu cùm veniet in claritate nuptura est, cùm iam facie ad faciem contuebitur. Dedit enim nobis pignus spiritum sanctum, sicut dicit Apostolus. Et ideò ista expositio nihil certum intuetur, nisi vt secundùm fidem sit, neque aliis præiudicat, qui eam nihilominus secundùm fidem exponere potuerint.

NOTARVM EVANGELICARVM IN MATTHÆVM, LIB. IIII.

Caput XXVI



IN HOC CAPITE PRIMVM FIT CONSILIVM DE COMprehensione CHRISTI, fit futuræ sepulturæ decus, & inunctio: secundò, instituitur iniquissima licitatio, & mercatus Iudæ cum Pharisæis, de vita & sanguine Christi: tertiò, paratur & transigitur tam nouum, quàm vetus Pascha, conuiuæ examinantur: quartò, casus futuros discipulorum, Petri præsertim prædicit, eosque armat, Petrus nimis audax reprimitur, orat Christus, traditur, capitur, apud Caipham sistitur: vltimò iudicatur, falsis testimoniis conuincitur, condemnatur, ludibriis habetur, à Petro ter abnegatur.

1 PRimò igitur illud in prima parte capitis notandum; fieri plerumq; vt sacerdotes, qui omnis moderationis, continentiæ, mansuetudinis authores esse deberent; omnis improbitatis, sceleris, cupiditatis, duces & principes efficiantur; quod nunc in morte Christi fieri videmus. Et, vt inquit Hieronymus, Pharisæi, qui debuerant paschati vicino præparare victimas, leuigare templi parietes, pauimenta verrere, vasa mundare, & secundùm ritum legis purificari, vt esu agni digni fierent; congregantur, ineuntes consilium quò occidant Dominum. Sed quis cœcus, inquit Propheta, nisi seruus meus, & ad quem locutum est os meum? Simeon, inquit, & Leui vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorũ non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax & indignatio, quia dura.

2 NOtandum secundò: Christum Dominum, tum cùm diceret Apostolis suis: Scitis, quia post biduum pascha fiet; iam & mortem suam & sepulturam, & futuram resurrectionem præuidisse (iuxta illud Dauidis, quod Ambrosius annotat: Sol cognouit occasum suum) sponteque se obtulisse, ac honestam sepulturam non repudiasse, (quarum rerum hæc perunctio signum & designatio fuit.)

NOtandum tertiò cum Origene: Propterea hîc Christum Dominum posuisse impersonaliter, Tradetur filius hominis, inquit, tradetur: non dicens à quo, quod verbum omnes respicit qui tradiderunt eum: quoniam & pater tradidit eum; secundùm quod scriptum est: Qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Secundùm autem alias scripturas, tradidit eum & Iudas: sed & Sathanas qui in Iudam intrauit, tradidit illum: sed & principes sacerdotum, & seniores tradiderunt eum. Quamquam non omnes eodem proposito tradiderunt. Deus enim tradidit eum propter misericordiam circa genus humanum, qui vnico filio non pepercit, sed pro nobis omnibus eum tradidit: cæteri autem tradiderunt eum iniquo proposito, vnusquisque secundùm malitiam suam: Iudas propter auaritiam: Sacerdotes propter inuidiam: Diabolus propter timorem, ne auelleretur de manu eius genus humanum per doctrinam ipsius; non aduertens, quoniam magis eripiendum fuerat genus humanum per mortem ipsius, quàm fuerat ereptum per doctrinam & mirabilia. Traditus est enim ad crucifigendum; vt exuens principatus & potestates, fiducialiter triumpharet eos in ligno. 3

NOtandum quartò: quamùis principes sacerdotum, & seniores populi de Christo consilium instituant, quamùis illum tradant, nihil tamen ipsi efficiunt, nihil ex voluntate eorum fit; patris electione, & voluntate, filij item beneuolentia omnia fiunt, vt illud impleatur: Oblatus est, quia ipse voluit. Et illud: Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. nam & hoc loco concludit σύνεδριον, (non Deum sed homines vbique timens) non in die festo capiendum, ne tumultus fieret in populo: capitur tamen & tenetur in die festo, eoque summo ac primo paschatis die; vt cognoscant isti, nihil arbitrio istorum fieri, sed ordinatione Dei, quod statim ab initio significandum duxit Euangelista; vt maior misericordia Dei erga nos illucescat. Diaboli autem instrumenta confundantur. Oportebat autem salutarem agnum in die immolationis legalis agni immolari: vtente in hoc malitia illorum saluatore ad suam gubernationem; vt figura, modò hoc, modò illud disponendo, sumeret omninò euentum. 4

NOtat quintò Euthymius legem iussisse, vt vnus princeps sacerdotũ constitueretur quoäd viueret, hoc autẽ mortuo, alter loco eius crearetur. Iudæi legem euerterunt, & annuam fecerunt summi sacerdotij dignitatẽ. Vnde verisimile est, quòd multi tunc erant, qui summo functi fuerant sacerdotio, sed iam compleuerant ministerium; quod fuerant sortiti, quos nunc principes sacerdotum Euangelista nominauit. Quomodo & consulares apud Romanos appellabantur, qui consulatu erant defuncti. Scribas autem dicit, legis Doctores: Seniores verò populi antiquos ac sapientiores, qui omnes simul tunc congregati sunt ad Caipham, qui tunc sorte pontificatum gubernabat; ab hoc volentes cædis ansam capere, à quo potiùs eos prohiberi oportuit. De quo vniuerso synedrio, vide plura in nostro Iusto Iosepho. 5

NOtandum sextò: iudicium de propheta eiusque doctrina, semper in omni decursu seculorum ad principes sacerdotum & seniores populi pertinuisse, quod & nunc fieri videmus. Hæresis negat. 6

Notandum

7 NOtandum ſeptimò cum Hieronymo: Simonem hunc leproſum appellari, non quòd leproſus & illo tempore permaneret; ſed quia antea leproſus, poſtea à Saluatore mundatus eſt, nomine priſtino permanente, vt virtus curantis appareat: Nam & in cathalogo Apoſtolorum cum priſtino vitio & officio Matthæus publicanus appellatur, qui certè publicanus eſſe deſierat.

8 NOtat octauò Euthymius: tres fuiſſe mulieres quæ Dominum vnguento vnxerunt. Prima quidem apud Lucam, quæ etiam peccatrix erat: & medio prædicationis tempore hoc fecit in domo Simonis Phariſæi, quando etiam ſolus ex hoc offendiculum ſumit Phariſæus, cui mercedem rependit Saluator, peccatorum videlicet remiſsionem. Secunda verò apud Ioannem eſt, quæ erat Maria, ſoror Lazari, vitam habens probatam: & ante ſex dies Paſchæ legalis in propria domo hoc fecit, & in gratiarum actionem reſurrectionis fratris protulit vnguentum, propter quod illi mercedem promiſit, quando etiam ſolus murmurat Iudas. Tertia autem eſt hæc, de qua Matthæus & Marcus ſimiliter tractant: quæ ante duos dies Paſchæ acceſsit in domo Simonis leproſi: ad diſtinctionē enim Phariſæi, à lepra inſigne illi appoſuerunt: ſimul etiā oſtendentes quòd corporis eius immunditiam non abominabatur Chriſtus propter puritatem animæ illius. Et ſuper caput Chriſti vnguentum effudit, non ſuper pedes, vt illæ, quando diſcipuli quoque indignabantur, cuius etiam memoriam in mundum promiſit prædicandam: manifeſtæ ſunt itaque trium differentiæ.

9 NOtandum nonò: vt ex Ioannis narratione intelligitur, ante ſex dies Paſchæ veniſſe Ieſum Bethaniam, ibique factum eſſe hoc conuiuium, in quo de vnguento pretioſo fit mentio: in de veniſſe Ieruſalem ſedendo ſuper aſellum: poſtea geri ea quæ narrantur: poſt hunc aduentum Hieroſolymis iſta facta vel geſta. Ex illo ergo die, quo venit Ieſus in Bethaniam, vſque ad diem, quo omnia iſta geſta & dicta ſunt, intelligimus eſſe conſummatum quadriduum, vt occurreret dies, quem ante biduum Paſchæ, Matthæus & Marcus definierunt.

10 NOtandum decimò: ita mulierem fracto vaſe alabaſtri caput Chriſti vnguento perfudiſſe, vt ſimul in totum corpus, atque adeò in ipſos pedes peruaſiſſet; vt ita diſsidentia Euangeliſtarum concordetur, vbi alius caput eius eam perfudiſſe, alius pedes dicit: atque ſimul inde magnificentia mulieris demonſtratur.

11 NOtandum vndecimò: mentiri hæreſim, quæ docet, iuſtum in omni opere bono peccare: cùm hanc ipſam mulierem non modò non peccaſſe, ſed bonum & memorabile etiam opus feciſſe, ipſa teſtatur veritas.

12 NOtandum duodecimò: ſemper Chriſtum in omni ſuo tempore, quantumùis opprimeretur, quantasùis perſecutiones pateretur, inueniſſe ſuum martyrem; quod paulò antè in muliere eleuante vocem ſuam, vterumque qui portauit eum benedicente, vidimus: & paulò pòſt in latrone videbimus, & nunc, in ea ipſa muliere, quæ effudit alabaſtrum vnguenti pretioſi in pedes eius, videmus.

NOtandum tredecimò : exultare in hoc loco Sacramentariam hæresim, vbi dicit Christus Dominus : Pauperes semper habebitis, me autem non semper. Ergo neque sub speciebus panis & vini quærendum esse. Cui præclarè respondit Hieronymus : Oboritur, inquit, quæstio ; quare Dominus post resurrectionem dixerit ad discipulos : Ecce ego vobiscum sum ad consummationem mundi ; & nunc loquatur : me autem non semper habebitis. Sed mihi videtur in hoc loco de præsentia dicere corporali, quòd nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem, quomodo nunc in omni conuictu & familiaritate. Cuius rei memor Apostolus, ait : Etsi noueramus Iesum Christum secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus eum. 13

NOtandum quartodecimò : Iudæ proprium esse & hominum rapacium, ea quæ cultui diuino externo debentur, ad pauperes reuocare, illudq́; occinere : Vt quid perditio hæc ? Poterat enim istud venundari plusquàm trecentis denariis, & dari pauperibus. Quod moderni hæretici faciunt, quorum mentes Christus Dominus interpretatur ; hæc non ideò illos facere, quòd illis cura sit de pauperibus, sed quòd fures sint, & ad se omnia transferre velint. Nemo autem putet mulierem eandem esse, quæ super caput effudit vnguentum, & quæ super pedes. Illa enim & lachrymis lauat, & capillis tergit, & manifestè peccatrix appellatur ; de hac autem tale nihil scriptum est : nec enim poterat statim capite Domini peccatrix digna fieri. Notat D. Chrysostomus : Christum Dominum personam cum re simul exposuisse, vt discas tu, gratia mulieris hæc dicta esse, ne germinantem fidem eius decuterent, sed irrigarent magis, & ad maiora protraherent : Vnde nos docet, quando bonum quidquam fieri videmus ; etiamsi exactissimè non fiat : suscipiendum tamen nobis esse, & fauoré nostro ad vlteriora prouehendum. Quid molesti, inquit, estis huic mulieri ? vnguentum enim in caput meum mittens, in sepulturam meam fecit. 14

NOtandum quintodecimò : Christum Dominum iam in articulo mortis suæ prophetare, & prædicare, Ecclesiam suam per orbem vniuersum diffundendam esse ; contra omnem Nouatianorum, Donatistarum, ac modernorum Picardorum errorem, Euangelium ac doctrinam suam vbiq; prædicatum iri, nec defore vnquam, contrà quàm mentitur hæresis. Amen, inquit, dico vobis : vbicunque prædicatum hoc fuerit Euangelium in toto mundo, dicetur, & quòd hæc fecit in memoriam eius. Hincq́; simul deducitur Christum Dominum æternam sui memoriam haberi voluisse. 15

NOtandum sextodecimò : perstrinxisse eam liberalitatem huius mulieris, non Iudam ipsum tantùm, sed multò magis Caluinum, &, vt video, ex eodem fonte. Nam cùm vidisset hunc honorem fieri Christo sine præcepto & scriptura : cùm deinde cerneret externi cultus magnificum exemplum, sumptum deinde regalem, vnctiones item sanctas ab Ecclesia receptas (quæ ille cum Iuda Christo inuidit) mirificè se torquet. Factum hoc fuisse, inquit, speciali Dei instinctu, qualia non statim omnibus imitanda sunt. Non defendere simpliciter Christum vnctionem, vt eam imitemur, sed admonere, Deo ob eam causam placere : Idque prudenter attendendum est, ne vnà cum Papistis sumptu- 16

ſumptuoſos Deo cultus præpoſterè fingamus; vbi planè quid dicat, ſeipſum non intelligit: concedit diuino inſtinctu factum, concedit Deo placuiſſe, imitandum tamen non eſſe; quod planè contradictorium eſt, ſi cauſam nullam attuleris. Mentitur deinde. Atque hinc, inquit, planè excipit clarè Chriſtus, quod tunc ſemel fieri voluit, ſibi in poſterum minimè gratum fore. Nam paulò poſt idem Chriſtus Dominus optimo opere & ſeruitio à Ioſepho & Nicodemo perunctus, & pretioſis aromatibus conditus eſt: & Mariæ acceptis vnguentis abierunt ad ſepulchrum, vt Ieſum vngerent & adorarent. Deinde blaſphemat, Chriſtum negare ſe nobiſcum eſſe, vt à nobis colatur: quaſi præſens tantùm aliquis coli poſsit, non etiam abſens. Hæc noſter nouus Iudas, cuius non diſsimilia ſunt verba. Volumusné, inquit, pecuniam benè locare? in vera ſacrificia pauperibus erogemus.

17 NOtandum decimoſeptimò: obtrectationibus & temerariis iudiciis malorum, & errantium hominum, nos à bonis inſtitutis cultuque diuino abduci non debere, quinpotiùs audentiùs ire, ac reſiſtere; quod hanc mulierem feciſſe videmus, quam detractio Iudæ & aliorum Apoſtolorum nihil permouit, ſed potiùs promptiorem ad bonum opus effecit. Notandum cum D. Chryſoſtomo: Tunc cùm iam vnguentum effuſum eſſet ſuper caput Ieſu, non fuiſſe tempus mulierem corripiendi, ſed commendandi duntaxat atq; approbandi. Quemadmodum enim, inquit, ſi quis ipſum antequam mulier hoc feciſſet, interrogaſſet, non admiſiſſet: ſic poſtquàm fecit, illud vnum ſolummodo reſpicit, ne increpatione diſcipulorum ancipiti animo turbetur, ſed hortatu ſuo maiore animo ſuſcepto promptior & melior euadat: non erat enim ampliùs increpatio poſt effuſionem olei opportuna. Itaq; & tu ſi præparaſſe quoſdam vaſa videris ſacra, aut ornatum quendam alium circa parietes Eccleſiarum, & pauimenta confeciſſe, noli reprehendere, aut venundari iubere, aut deſtrui quod factum eſt, ne animum eius qui fecit perturbes: ſin verò, antequàm fecerit, te conſuluerit, pauperibus offerre iubeto. Nam & ipſe ne mulieris promptitudinem extingueret, iſtud fecit: & quæcunque dicit, ad ipſius conſolationem dicit.

18 Circa ſecundum in quo mercatus Iudæ continetur, primò notandum eſt: Iudam primò mendacem, hypocritam, auarum fuiſſe: deinde furem: pòſt proditorem & ſacrilegum: vltimò ſe ſuſpendiſſe, eumque progreſſum vitiorum eſſe, niſi principio obſiſtas. Dedit enim occaſionem ſceleris & inuidiæ, & auaritiæ pia effuſio vnguenti. Vt enim bonis omnia in bonum cooperantur; ita improbis omnia etiam optima in venena & peſtes vertuntur. Infelix Iudas, inquit Hieronymus, damnum quod ex effuſione pretioſi vnguenti ſe feciſſe credebat, vult magiſtri pretio compenſare.

19 NOtandum ſecundò: Iudam domeſticum, alienum factum, ſpontè ad principes ſacerdotum abiiſſe, non ab eis vocatum eſſe, nullam certam poſtulaſſe ſummã, vt ſaltem lucroſa videretur proditio; ſed quaſi vile tradens mancipium, in poteſtate ementium poſuiſſe, quantum vellent dare, & ille eum traderet; neque dixiſſe magiſtrum, ſed eum: iam enim vel nomen eius oderat. Fecit tamen hoc diuina prouidentia, vt illius certum pretium non ſtatueretur,

eretur, qui ſupra omne pretium fuit, verè pretium mundi: ſed nec ille dignus fuit tanto magiſtro.

Notandum tertiò: Origenem audiuiſſe, vt ipſe teſtatur, quendam exponentem Scaryoth patriam proditoris Iudæ, ſecundùm interpretationem Hebraicam, ſuffocatum vocari. Quod ſi ita eſt, magna conuenientia inuenitur nominis patriæ eius, cum exitu mortis ipſius; quoniam & ipſe ſe laqueo ſuſpendens, prophetiam nominis patriæ ſuæ ſuffocatus impleuit. 20

QVartò notandum eſt: Ioſephum, non vt multi putant, iuxtà ſeptuaginta interpretes, viginti aureis venditum eſſe; ſed iuxta Hebraicam veritatem, viginti argenteis. Neque enim pretioſior poterat eſſe ſeruus, quàm Dominus. Verè pretium, vt inquit Propheta, calceamenti. Scribit autem Marcus, quòd promiſerunt ei argentum ſe daturos. Lucas autem, quòd pacti ſunt, & promiſerunt: poſtmodum verò appenderunt, ſiue conſtituerunt. 21

QVintò notat venerabilis Beda: Multos hodie ſcelus Iudæ nefarium exhorreſcere, nec tamen cauere, cùm pro muneribus falſum contra quemlibet dicunt teſtimonium. Profectò, qui veritatem pro pecunia negant, Dominũ pecunia vendunt: ipſe enim dixit, Ego ſum veritas. cùm ſocietatem fraternitatis aliqua diſcordiæ peſte commaculant, Deum produnt; quòd Deus charitas eſt. Huic generi hominum adiungendi ſunt illi, qui ius & æquitatem pretio vendunt, Reſpub: perturbant; de quibus illud Ethnicus poëta: Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem Impoſuit, fixit leges pretio atque refixit. Sed multò magis ij, qui leuis compendij cauſa, ac exigui lucri, hæreſes diſſeminare non verentur, ac aliunde etiam tanquam putridas merces apportare, illiſque iuuentutem inficere, eas tueri, illiſque ſe patronos & aduocatos præbere. 22

NOtandum ſextò iuxta Lyranum: Argenteum numum decem numos valuiſſe vſuales; & per conſequens, triginta argenteos, valuiſſe trecentos de numis vſualibus; vt patet manifeſtè, ſi multiplicentur triginta per decem. Et ſic in venditione Chriſti, reuocauit valorem prædicti vnguenti. Itaque, vt inquit Iſaias, Merces eius (ſed non ad finem quidem) cum eo, tanquam eſca in hamo. 23

NOtandum ſeptimò: Iudam ſignificare hæreſiarcham, qui verbum Dei promittit tradere in conclaui. 24

CIrca tertiam partem capitis cœnæ Domini hæc notanda erunt. Primùm quidem ea, quæ ad paſcha & azyma pertinent, nos notaſſe in Annotationibus Cenſuræ Orientalis, ſuper caput decimum, de cœna Domini, & veritate corporis & ſanguinis Domini. Caluinus quidem in hac parte propemodum Orientalem Eccleſiam ſequi, ac ex Gallo Ruthenus factus eſſe videtur. Breuiter tamen rem totam complexus eſt doctiſsimus Hieronymus: Prima, inquit, azymorum, quartadecima dies menſis primi eſt, quando agnus immolatur, & luna pleniſsima perficitur, & fermentum abijcitur. 25

Notandum

26 NOtandum secundò: discipulos Domini, non tantùm fideliter doctrinam Christi secutos fuisse, sed etiam in omnibus illi obsequentissimè seruiuisse; quod nunc apparet, ipsi se vltrò offerunt: Vbi vis paremus tibi pascha? & quamuis neque certum locum, neque certam personam illis designat; illi tamen sine omni curiositate & murmure eunt, iussa sola diuina eius potentia freti conficiunt, eaque quæ ad paschæ festum conueniebant agnum, azyma, lactucas agrestes, ac baculos præparant.

27 NOtandum tertiò cum Euthymio: neque Christum Dominum, neque Apostolos certam & fixam habuisse domum, in qua comederent pascha; sed nunc ex tempore alienam quæsiuisse: nobis mille palatia non sufficiunt.

28 NOtandum quartò: ideò Christum Dominum certam personam eius apud quem cœnaret non designasse: partim, vt suorum fidem & patientiam probet: partim, vt illud designet, nihil in hac re, quæ ad mortem eius pertinebant, humanis consiliis stare debuisse, sed omnia ordinatione & voluntate æterni patris, qui & hunc ipsum, qui eam cœnam paraturus erat, eamq; aquã baiulaturus, ab æterno ad eam rem præordinauerat, hocque ipsius tricliniũ: partim, vt demonstraret ipsis, quòd potens erat nudis verbis persuadere ac mandare etiam illis, qui illum nunquam cognouerunt; quod idem non ita pridem in asino fecit. Quo loco miratur S. Chrysostomus patrisfamiliâs animi magnitudinem & obedientiam. Ego verò non id solùm admiror, quòd ignotus erat; sed illud multò magis stupeo, quòd bellum acerrimum & inimicitias primorum hac ex re incumbere sibi videns, omnibus his neglectis libenter obtemperauerit.

29 NOtat quintò venerabilis Beda ad illa Euangelistæ verba: Vespere facto. Vesperam tunc factam fuisse, quando lux mundi, id est, sol verus ad occasum mortis properauit: & tunc quando cum discipulis Dominus discubuisset, qui eis quietem æternam præparauit.

30 NOtandum sextò: non simplicem aliquam cœnam eam ipsam cœnam futuram esse, vt Caluinus putat; sed valdè mysticam, multis figuris adumbratam, multo ante tempore præordinatam, à multo tempore præuisam. Vnde non dicit Christus Dominus, pascha meum est; hoc autem est mihi ab æterno destinatum, æterni & immaculati sacrificij tantisper duraturi, donec ipse veniat. Cuius cœnæ eam rationem fuisse, docent sancti patres. Postquàm legale pascha comedissent, discumbentes cœnabant, vt prædictum est; deinde cùm surrexisset, lauit pedes eorum, vt ait Ioannes, & rursus discumbentes edebant: postmodum cœnam mysticam tradidit interim discipulis. Sicut autem pictores in vna tabula, & lineas supponunt, & picturas adumbrant, & colores superinducunt ac formant: ita quoque Christus in eadem mensa, & figuratiuum pascha & vmbratile subscripsit, & verum ac perfectum apposuit; & quia cædes agni legalis, cædem rationalis agni præfigurabat, oportebat omninò vmbram euanescere apparente sole, & figuram cedere adueniente veritate. Finitis paschæ veteris solennibus, inquit Beda, quæ in commemoratione, antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebatur: transit ad nouum

uum, quod in suæ redemptionis memoriam Ecclesiam frequentare volebat, vt videlicet pro carne agni & sanguine, sui corporis & sanguinis sacramentum substitueret. Benedixit panem & fregit, quia hominem assumptum ita morti subdere dignatus est; vt ei diuinæ immortalitatis veraciter inesse potentiam demonstraret, ideóque velocius eum à morte resuscitandum doceret.

NOtandum septimò: quod omnes ferè notant Euangelistæ Christum Dominum, qui cùm antea cum omni genere hominum recumbere solebat, nunc cum solis duodecim recubuisse: non alia causa, quàm quòd hîc multa constituturus erat, & traditurus: quæ non omnibus passim conuenire poterant, nec debebant præter ipsos Apostolos, Apostolicosque viros; vtpotè nouum sacrificium, administrandorum sacramentorum rationem, vtriusque speciei vsum. Admittit tamen & Iudam, quòd hæc tàm bonis, quàm malis communia futura erant, quamuis non æquali fructu, nec sorte æquali, quæ omnia hæresis non adnotat, ideò errat. 31

NOtandum octauò: morem veterem fuisse, patresfamiliâs in die Paschæ familiæ suæ, vxori ac liberis, cæterisque partem ex eo sacrificio, quod Domino obtulerunt, dare solitos, amoris, pietatis, ac memoriæ tanti festi causa. Patet hoc ex 1. Reg. cap. 1. Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius & filiabus partes, Annæ autem dedit partem vnam tristis, quia Annam diligebat. Facit hoc modo Saluator noster: accipit panem, dat partem veri & æterni sacrificij, corporis & sanguinis sui, (fremat licèt rumpaturque hæresis) famulis & filiis suis partem electam, partem cælestem, partem vitæ & immortalitatis, cuius nos etiam ex misericordia sua participes (vt non sacramentorum tantùm, sed rei etiam, & virtutis sacramentorum participes efficiamur) facere dignetur. 32

NOtandum nonò: postquàm typicum pascha fuit impletum, & agni carnes cum Apostolis comederat; assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur sacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchisedech summi Dei sacerdos, panem & vinum offerens: fecerat ipse quoque veritatem corporis & sanguinis repræsentaret. Dicit autem: Hoc est corpus meum. Cuius loci communis est interpretatio omnium patrum, Basilij, Chrysostomi, Damasceni, Theophilacti, quam libet suis verbis nihil mutatis apponere. Cùm dicit: Hoc est corpus meum: ostendit quia corpus Domini ipsum, est panis ille consecratus in altari, & non exemplar corporis. Non enim dixit hoc est exemplar, sed hoc est corpus. Ineffabili enim operatione transmutatur, licèt nobis appareat panis. Cùm enim infirmi sumus, & non possimus carnem crudam comedere, aut hominis carnem; propterea panis nobis apparet, reipsa verò caro est. Addit autem Euangelista εὐχαριστήσας, quod lætitiam significat: partim, quod hæc symbolum sit futuræ lætitiæ cælestis, quando vt ipse adiungit nobiscum illud nouum bibiturus est in regno cælorum: partim, quòd cum lætitia animi, hilaritate, & sinceritate sumi debeat: vel quòd pro omnibus beneficiis Dei ad hoc sacramentum gratiarum actiones institui debent: vel quòd cum eadem lætitia nos frangi, mortificari, & ma rtyrium subire debemus. 33

NOtandum decimò: Christum Dominum vbi distribuit panem non addidisse 34

didiſſe particulam, Omnes, ſingulis enim ipſe dabat in manus: ac dum calicem dat, addit: Bibite ex hoc omnes: non quòd omnes homines, quicunque in mùndo ſunt, tunc obligaret; ſed vt illi, qui præſentes erant, inter ſe partirentur. Omnes vnum illum calicem, quem illis propinârat, & ne vnus & alter exhauriret. Itaque nihil eſt, quod eam ipſam particulam, Omnes, iactent hæretici, eiuſque cauſa orbem Chriſtianum perturbent: quandoquidem ad panem non eſt appoſita; præſertim cùm additum ſit, bibiſſe ex hoc omnes, quod alio modo intelligi non poteſt, quàm de illis, qui præſentes aderant & biberant. Fruſtra igitur hoc loco tumet Caluinus, cui addendum & illud totum eſſe Chriſtum ſub vtraque ſpecie; quia ſub ſpecie panis eſt totum corpus, ex vi conuerſionis vel ſacramenti: ſanguis autem & anima, & diuinitas, ſunt ibi ex concomitantia naturali & inſeparabili: ſimiliter ſub ſpecie vini, ſanguis tantum eſt ex vi ſacramenti, cætera ex concomitantia, vt fuſius tractatur quarto Sententiarum.

35 NOtandum vndecimò: rem totam cœnæ Domini hiſtoricè Euangeliſtas narrare; parabolis iam finem feciſſe, nihil in figura pronunciari, contrà quam Caluinus nugatur: hæc verba, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, figuratè intelligi, id eſt, ſignificat: nam ſi hoc verum eſſet, tum eodem modo omnia illa quæ anteceſſerunt, & quæ conſequuta ſunt, figuratè intelligenda eſſent. Ita neque Iudas Chriſtum verè tradidiſſet, neque cum diſcipulis verè Chriſtus accubuiſſet, ſed neque verè paſſus eſſet, omnia ad metaphoras & ſimilitudines Mahometis more referentur. Nam quod idem comminiſcitur figuratè calicem ſanguinem dici, hîc demùm metonymia eſt, quam ille ſpontè non videt: continens enim pro contento ſæpè ponitur, ac ſi diceret hoc vinum ſanguis eſt. Quod vel ruſticus quis poſsit iudicare. Si quis enim dixerit, ebibas hunc calicem; de vino quiſque intelligit. Nam cæteras nugas quas affert, illud ſoluit: qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Ergo hic eſt verus & viuus ſanguis, ſtante ſimplici & non peruerſa veritate verborum Domini.

36 NOtandum duodecimò: præcepiſſe Dominum, vt ſummus Pontifex intraret in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno, lectoque omni mandato legis vniuerſo populo; & accepto ſanguine vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſpergeret, cum hac populo appellatione: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod mandauit ad vos Deus: quæ aſperſio libri, nihil aliud fuit, niſi ſigillum ac obſignatio veteris legis; forma autem ac figura nouæ, illiuſque populi ſanctificationis. Complet hæc nunc Saluator noſter, lato teſtamento, accipit calicem, proponit diſcipulis dicens: Hic eſt calix noui teſtamenti: hoc eſt ſigillum illud ac obſignatio veri ac æterni teſtamenti in ſanguine meo. Vt quemadmodum Moyſes quondam ſanguine hircorum & vitulorum obſignauit vetus teſtamentum; ita ego nunc ſanguine meo obſigno & confirmo teſtamentum meum nouum: ita, vt ſi quis detraxerit de hoc ſanguine meo, idem ipſe ſit detracturus de veritate vniuerſi teſtamenti mei. Fuit ibi in veteri lege lex mortua; ideò mortuo obſignabatur ſanguine: hic eſt lex viua, ideò viuo meo obſignatur ſanguine. Ille ſanguis pro vna effundebatur gente; hic autem quantum

tum ad sufficientiam, non quantum ad efficaciam pro omnibus effunditur. Videant igitur Sacramentarij, quo se scelere obstringant, dum non sanguinẽ, sed figuram sanguinis hîc dicunt, quia nulla parte veterem à noua lege distinguunt, quia legem Christi mortuam faciunt, quia de tota veritate eius detrahunt: qui enim de veritate sigilli detrahit, illum de totius scripti veritate detrahere oportet. Exposuit longè antè hunc locum Propheta: Tu verò in sanguine testamenti eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua: In vero & viuo sanguine eduxit Christus vinctos de lacu, atqui hic est sanguis testamenti; verus igitur & viuus est.

NOtandum tredecimò cum D. Hieronymo, cùm dicit Christus Dominus: Non bibam à modo de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei: de carnalibus transisse ad spiritualia, quòd vinea de Ægypto translata sit. Populus Israël, cui per Hieremiam Dominus loquitur: Ego te plantaui vineam veram, quomodo mutata es in amaritudinem vitis alienam? Et Isaïas Propheta in Cantico, quod dilecto canit, & omnis sparsim scriptura testatur: Dicit ergo Dominus de hac vinea, (inquit Hieronymus) nequaquam se esse bibiturum, nisi in regno patris sui. Regnum patris, fidem puto esse credentium: Apostolo quoque idipsum confirmante: Regnum Dei intra vos est. Ergo cùm Iudæi receperint regnum patris; attende quòd dicat patris, non Dei. Omnis pater, nomen est filij: Cùm, inquam, crediderint in Deo patre, & adduxerit eos pater ad filium, tunc de vino eorum bibet Dominus, & in similitudinem Ioseph regnans in Ægypto inebriabitur cum fratribus suis: Vnde eliciendum est Christum dicere, se non bibiturum à modo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibiturus est vnà cum discipulis suis nouum in regno patris sui. Atqui in cælo nullus erit locus figuris neque vmbris: ergo hic sanguis verus & non vmbratilis est; contrà quàm sentiunt Zuingliani, alijque Sacramentarij. Diem etiam illum (inquit Euthymius) vocat tempus post resurrectionem, quando edit & bibit cum discipulis, quod etiam ipsi sumentes pro certo resurrectionis indicio dicebant: Qui manducauimus & bibimus cum eo. 37

NOtandum decimoquartò: D. Lucam docere Christum Dominũ, primò quidem sumpsisse poculum, & gratias egisse ac dixisse: Accipite hoc, & diuidite inter vos: deinde sumpsisse panem, & gratias egisse ac diuisisse: Similiter autem & poculum ipsum, vnde videbatur loqui de duobus poculis. Non est autem ita, sed primùm quidem sumpsit poculum, & benedixit, ac dixit: Accipite hoc, & diuidite inter vos: deinde cùm addidisset; nequaquam bibam de hoc fructu vitis, donec regnum Dei veniat, timore mortis suę turbauit eos. Vt autem verisimile est, facta concertatione ac confusione, repositum est poculum: deinde aliquanto post tempore, facta sunt quæ sequuntur; siue panis, siue poculi traditio: quum enim dixerit Euangelista de pane, quod vbi gratias egisset, fregit ac dedit eis: deinde subiunxerit similiter, & poculum ipsum ostendit, quod illud ipsum fuit poculum, quod priùs acceperat; non enim simpliciter dixit, similiter & poculum, sed similiter & poculum ipsum, addito videlicet articulo, & rem, de qua facta est mentio, significando. 38

NOtandum decimoquintò: Christum Dominum morti propinquum, 39

non solùm agnum typicum, sed etiam corpus suum verum sacramentaliter cum Apostolis suis manducauisse; vt ostenderet, quod quilibet christianus periculo mortis imminente, debet, si potest, sacramentaliter communicare, si non potest, communicet saltem fide, secundùm vertum Augustini: Crede & manducasti.

40 NOtat sedecimò Origenes: Panem istum, quem Deus verum corpus suum esse fatetur, verbum esse nutritorium animarum: verbum de Deo verbo procedens, & panem de pane cælesti, qui positus est super mensam; de qua scriptum est: Præparasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me. Et potum istum, quem Deus verbum sanguinem suum fatetur, verbum esse potans & inebrians præclarè corda bibentium, qui est in poculo; de quo scriptum est: Et calix tuus inebrians, quàm præclarus est. Et esse potum istum generationem vitis veræ, quæ dicit: Ego sum vitis vera. Et esse sanguinem vuæ illius, quæ missa in torcular passionis protulit potum hunc. Sic & panem esse verbum Christi factum de tritico illo, quod cadens in terram bonam, multum reddidit fructum.

41 NOtanda decimoseptimò inconstantia Caluini: qui cùm & panem hunc & vinum, symbolum corporis & sanguinis esse dicat Domini, non verè, sed metonymicè à Christo corpus & sanguinem appellari pronunciet: baptismo in quo nihil præter aquam est: petræ deserti, in qua nihil præter petram: viti, in qua nihil præter vitem: columbæ, in qua nihil præter columbam comparet; idem tamen hæc verba dicere non erubescit. Vera igitur, non signo tantùm monstratur, sed reipsa quoq; exhibetur carnis Christi manducatio. Nam quam ille manducationis rationem ante hanc diem inauditam, patribusque incognitam confingit hæc fallax opinio potiùs, & imaginatio est, quàm manducatio; & si est aliqua, tum est spiritualis tantùm, non sacramentalis: verùm hac de re alij plusquàm satis conscripserunt, nos Notas scribimus.

42 NOtandum decimooctauò: vociferari ac debachari hoc loco in sacerdotes, priuatas missas habentes, Caluinum, communionem hanc multorum esse docentem, ipsos solos accipere; non videns veteres homines hæc sacra domi in arculis condere solitos, atque solos, vbi nemo videret, communicasse; eremitas itidem eodem modo teste Basilio: Ergo eodem modo obiurgandi essent: sed iste vnum semper videt, & alia non videt. Verba eius plena sunt fastus & tumoris. Vnde sequitur, inquit, diabolicum esse inuentum, quo se vnus homo à reliquo cœtu separans priuatim cœnam peragit.

43 NOtandum decimononò: hærere in eodem loco Caluinum, in quo cæteri hærent Euangelici, fide potiùs manducantium, quàm verbo Dei confici hoc sacramentum; quamquam rem clarè non explicat, sed vt solet maledictis inuoluit omnia. Sed tenendum est, inquit, in terra non consecrari panem susurro & flatu, sed clara fidei doctrina, & sanè magica incantatio est, cùm ad mortuum elementum dirigitur consecratio; quia panis non sibi, sed nobis symbolum corporis Christi efficitur. Quanquam re vere Caluinistica in cœna non multum opus habet omnipotenti verbo Dei; vtpotè, quæ nihil in se contineat præter metonymiam Rhethorum commentum.

NOtandum vigesimò: arbitraturum fuisse aliquem, Iudam tanto facino- 44
re patrato, Domino & magistro prodito, nusquam pudore & conscientia fra-
ctum compariturum; sed ecce adest, ad mensam sedet, fit publicæ cœnæ par-
ticeps. Vnde hoc euenit? Inde scilicet; qui semel metas verecundiæ transie-
rit, eum benè & nauiter oportere esse impudentem. Quod nunc Iudæ eue-
nisse videmus, & multis aliis illius similibus.

NOtandum vigesimoprimò: multos esse gradus impudentiæ Iudæ. Pri- 45
mùm ad cœnam venit integerrimis ac innocentibus Christi ouibus, lupus ip-
se se commiscet: Christi amicas & cælestes admonitiones contemnit: in pa-
ropsidem vnà simul manum extendit; vt audacia bonam conscientiam men-
tiretur. O miram Domini patientiam; qui eum quem ferro trucidari opor-
tuit, necdum voce vulnerat! Primùm enim dixerat: Vnus vestrûm me tradi-
turus est: perseuerat proditor in malo, manifestiùs arguit, & tamen nomen
proprium non designat, innocentiam impudenter profitetur: Nunquid ego
sum? Magistrum vocat, quem iam vendidit, salutaribus monitis nullum re-
linquit locum, peccator vbi venerit ad profundum, contemnit.

NOtandum vigesimosecundò cum Origene: verè propriam consuetu- 46
dinem hominum nimis malorum; vt post salem & panem insidientur homi-
nibus maximè, nihil nocentibus eis, cum quibus communicauerunt panem
& salem. De genere hominum ferocium, & valdè malorum, Daniel ita pro-
phetans dicebat: Super mensam vnam falsa loquentur. Tales esse idem no-
tat: omnes in Ecclesia, qui insidiantur fratribus suis, cum quibus ad eandem
mensam corporis Christi, & ad eundem potum sanguinis eius frequenter si-
mul fuerunt; iuxta illud Abdiæ: Inualuerunt aduersum te, inquit, viri pacis
tuæ, qui comedunt tecum, ponent insidias subter te.

NOtandum vigesimotertiò cum D. Hieronymo: Christum Dominum, 47
qui de passione prædixerat, & de proditore prædicere, quippè qui dare volu-
it locum pœnitentiæ; vt cùm intellexisset sciri cogitationes suas, & occulta
consilia, pœniteret eum facti sui, & tamen non designare specialiter, ne ma-
nifestè coargutus, impudentior fieret: mittit crimen in numero, vt agat con-
scius pœnitentiam.

NOtandum vigesimoquartò: non similes fuisse Apostolos, sed quamùis 48
certò nouerant, quòd nihil iniquum contra Dominum cogitarent, plus ta-
men credunt magistro, quàm sibi, pertimescentes fragilitatem suam, tristes
interrogant de peccato, cuius conscientiam non habebant; & quia præce-
ptori maximè credebant, tanquam veracissimo, inde factū est vt timeret quis-
que, ne fortè talis euaderet mente excœcatus: Iustus enim timidus est, in o-
mnibus viis suis.

NOtandum vigisimoquintò: Christo neminem nocere posse, neque or- 49
dinationem diuinam quenquam interuertere, sibi autem quemque nocere,
ac laqueum parare. Proinde Christus Dominus inquit: Filius hominis vadit,
vt scriptum est de illo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis trade-
tur:

tur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Sed quomodo væ filio hominis; siquidem ita scriptum est, siquidem ea fuit voluntas patris. Non enim vt hic, qui Dei voluntati cooperari vellet hoc fecit, sed suæ propriæ malitiæ satisfacere volens eamque explere. Quem locum itidem pulchrè interpretatur D. Hieronymus: Non ideò, inquit, putandus est antè fuisse, quàm nasceretur; quia nulli poßit benè esse, nisi ei qui fuerit; sed simpliciter dictum est: multò meliùs esse non subsistere, quàm malè subsistere. vel secundùm Euthymium; Vtile fuisset ei, cùm in vtero matris cresceret omninò non nasci, qui tale flagitium perpetraturus erat, vt tali dignus futurus esset supplicio. Væ item similiter hodie homini illi, qui insidiis in mente sitis, ad mensam malignus accedit, & sacrosanctis mysteriorum Christi oblationibus participare non metuit, tradens filium hominis, non Iudæis peccatoribus, sed tamen mēbris peccatoribus, videlicet suis.

50 NOtandum vigesimosextò: dicere quosdam culpa carere Iudam, qui, quod definitum erat, peregit. Quibus respondent patres sancti; quòd non quia prædefinitum erat tradidit; sed quia tradidit, ideò prædefinitum erat, Deo præuidente, quidquid euenturum erat: talis enim euasurus erat, non à natura, sed ex voluntate. Perdurè autem hoc loco, & blasphemè, vt vbique, Caluinus: Licèt enim Deus occulto fræno in finem illis incognitum dirigat; nihil minus illis propositum est, quàm eius decretis obsequi. Et paulò pòst: Sed videmus, inquit, quomodo Christus hìc vtrumque conciliet, maledictioni subijciens Iudam; quamuis diuinitùs hoc statutum est, quòd ipse contra Deū machinatus est: non quòd proditio Iudæ propriè vocari debeat Dei opus, sed quia Deus Iudæ perfidiam ad implendum suum consilium inflexit.

51 NOtandum vigesimoseptimò: quærere vlteriùs curiosos, quare omninò suscepit Christus in discipulum Iudam, qui talis euasurus erat. Vt manifesta fieret magnitudo bonitatis Christi, & malitiæ proditoris; quomodo ille suum proditorem salutaria docuit, ac dilexit, gratiisque dignum duxit, nec ab aliis segregauit; sed omnia, quæ ad correctionem & conuersionem eius erant, induxit, ne dicere posset, quòd præceptorem nactus non fuerat, qui nolentes posset seruare. At ille quum omnia hæc consequutus fuisset, nihilominus malus permansit. Ex quo enim animam suam domicilium diabolo fecerat, auaritia ei aperiente, illumque introducente non effugit scelus: vnde tanquā non coactè, sed voluntariè factum proditorem, deplorat hunc Dominus, commiseratus potiùs eum, qui multos suos de inopia sermones frustra audiuerit, & sese auariciæ ac diabolo facilè capiendum tradiderit, non sanè ob inefficaciam verborum præceptoris, quæ & publicanos attraxerunt, & meretrices, sed propter illius segnitiem & maliciam.

52 NOtandum vigesimooctauò: Si dicet aliquis; si bonum erat Iudæ natum non fuisse, cur eum nasci permisit? eam responsionem cum Euthymio afferemus: Quia non malus natus est, sed mentis nequitia, ac voluntatis prauitate malus effectus est; nullum autem cogit fieri bonum, ne inuoluntariè sit bonus; sed salutaria suggerit, & ea eligentem coadiuuat: permittit autem vnumquemque fieri quod voluerit; vtpotè liberum habentem arbitrium. Et

Iudas ergo, non quia natus est, malus effectus est, sed quia ignauia torpuit. Qui autem mali efficiuntur, duplicem merentur vltionem; & quia mali facti sunt, & quia à bonis nullam ceperunt vtilitatem. similiter, & qui boni efficiuntur, duplici digni sunt honore; & quia boni facti sunt, & quia à malis nullum reportauerunt damnum.

53 CIrca hortum & traditionem Christi, hæc sunt notanda: Primùm, omittere tres Euangelistas diuinos illos sermones, quos Ioannes à Domino tam domi, quàm in itinere, habitos fuisse narrat; vtpotè res maioris arcani, & quibus historiam rerum gestarum magis, quàm vniuersam doctrinam, complecti propositum fuit. Hinc igitur omnes ordiuntur, Christum extra vrbem egressum esse, quo Iudas venturus erat, ac proditori vltrò voluntarium occurrisse. Consummatis ergo, vt docet Hilarius, vniuersis diuinorum mysteriorum virtutibus, gaudio & exultatione communi in cælestē gloriam efferuntur. Exierunt verò in montem, vt per sacramentorum perceptionem, & suam intercessionem, ad altiora charismata, quibus corda perungamur, nos conscendere doceat; vbi laboris refectio, doloris solatium est.

54 NOtandum secundò, Christum Dominum illis verbis: Omnes vos scandalum patiemini in me in nocte ista; prædicere quod passuri sunt, vt cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Et signanter addidisse, in ista nocte scandalum patiemini: quia, quomodo qui inebriantur, sic & qui scandalum patiuntur in nocte, & in tenebris sustinent. Nos verò dicamus: nox præteriit, dies autem appropinquauit.

55 NOtandum tertiò: prophetiam hanc, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis, D. Hieronymum docere, alijs verbis in Zacharia Propheta scriptam esse, & ex persona Prophetæ, ad Deum dicere: Percute pastorem, & dispergentur oues gregis. Sexagesimo quoque & octauo Psalmo, qui totus à Domino canitur, huic sensui congruente: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt. Percutitur autem pastor bonus, vt ponat animam suam pro ouibus suis; & de multis gregibus errorum, fiat vnus grex & vnus pastor. Percussisse autem dicitur pater filium, cum sententia & permissione ipsius, crucifigitur à Iudæis: nam ille qui potest prohibere, nec prohibet percutere, dicitur propter permissionem.

56 NOtandum quartò, promissa Petri Apostoli: Etsi omnes, inquit, scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor: non esse temeritatem, nec mendacium, sed fidem & ardentem affectum erga Dominum Saluatorem. In tantùm enim, & affectu, & charitate Christi efferebatur; vt & imbecillitatem carnis suæ, & fidem verborum Domini nō contueretur; quasi verò dicta eius conficienda non essent. Vt autem Petrus de ardore fidei promittebat; sic & Saluator, quasi Deus, futura nouerat. Vnde & Petro respondit: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequàm gallus cantet, ter me negabis. Debebat tamen Petrus in hanc prorupisse vocem, vt notat Origenes: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, esto in me, vt non scandalizer; & dona mihi præcipuè gratiam hanc, vt in tempore, cùm omnes discipuli tui fuerint scandalum passi, ego

ego in denegationem non cadam, nec ab initio ſcandalizer. vel vt notat Euthymius: Nequaquam te abnegabo, ſi te habuero adiutorem; quod poſtea fecit: Quid nos, inquit, intuemini, quaſi noſtra virtute, aut poteſtate effecerimus, vt hic ambularet. Is tamen, quem ante galli cantum, id eſt, creſcentibus tenebris, negaturus erat; poſt gallicinium, id eſt, luce vicina, culpam lachrymis lauit. Huc quadrat illum Gregorij lib. 3. Dialog. cap. 28. Cùm perſecutionis apertè tempus irruit, ſicut plerique martyrium ſubire poſſunt, quoniam eſſe in pace Eccleſiæ deſpicabiles videntur: ita nonnunquam in debilitatis formidinẽ corruunt, qui in pace Eccleſiæ priùs fortiter ſtare videbantur.

57 NOtandum cum Origine quintò: dicere Apoſtolum in epiſtola ad Romanos: Si autem Deus verax, omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt: non præcipientem omnem hominem fieri mendacem, ſed pronunciantẽ eſſe mendacem. Pſalmo dicente: Ego dixi in exceſſu mentis meæ: omnis homo mendax. Petrus itaque audiens Saluatorem dicentem: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in hac nocte: Dominum noſtrum profitebatur facere mendacem, per ea, quæ ſibi confidens dicebat: Si omnes ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor; non conſiderans quoniam qui dixit: Ego ſum veritas; mentiri non poterat. Quæres autem ſi poſsibile erat, vt non ſcandalizarentur, ſemel Saluatore dicente: Quia omnes ſcandalum patiemini in me. Ad quam quæſtionem aliquis reſpondebit: quoniam neceſſe erat ore veriſsimo prædicente, Quia omnes vos ſcandalizabimini, fieri, quod prædictum erat ab Ieſu. Alius autem dicet: quoniam qui exoratus à Niniuitis, quæ prædixerat per Ionam, non fecit, propter pœnitentiam Niniuitarum; ſic poſsibile fuit, vt repelleret etiam à Petro ſcandalum deprecante.

58 NOtandum ſextò: Sed quomodo Petrus non debebat confidere, ſi promiſsionem Chriſti habebat; Portas inferni contra illum non præualituras: an quia promiſsio hæc non pręſenti tempori ſeruiebat, ſed futuro poſt Chriſti glorificationem: an quòd non tam perſonæ, quàm officio ſeruitura erat: an ſibi potiùs confiſus & inhærens, quàm promiſsioni, tam magnifica pollicetur, alioſque præ ſe contemnit.

59 NOtandum ſeptimò: Getſemani vocem Hebraicam interpretari vallem pinguiſsimam, in qua Chriſtus Dominus diſcipulos ſedere pauliſper, & expectare, donec pro cunctis ſolus oraret. Erat autem hæc villa, iuxta Lyranum, ſita in pede montis Olіueti; propterea dicitur Lucæ 22. quòd venit in montem Oliuarum. In fine etiam illius villæ, erat quidam hortus contemplationi aptus, & illuc introiuit Ieſus; vt habetur Ioan. 18. & eſt vltra torrentem Cedron, vt dicitur ibidem; quia vallis Ioſaphat intermedia inter montem Oliueti, & ciuitatem Ieruſalem: Torrens autem Cedron currit per medium vnius vallis. Concordant igitur Euangeliſtæ de loco, licèt ipſum diuerſimodè nominent.

60 NOtandum octauò: magnam inter propaſsionem & paſsionem differentiam eſſe. Admittit in ſe Dominus propaſsionem, at non paſsionem: Dominus enim ad veritatem aſſumpti hominis oſtendendam, verè contriſtatus

 fuit;

fuit; sed ne paſsio in animo illius dominaretur,per propaſsionem cœpit contriſtari: aliud eſt enim contriſtari, & aliud incipere contriſtari. Contriſtabatur autem non timore patiendi (qui ad hoc venerat, vt pateretur, & Petrum timiditatis arguerat) ſed propter infelicißimum Iudam, & ſcandalum omnium Apoſtolorum, & reiectionem populi Iudæorum, & euerſionem miſeræ Ieruſalem. Vnde & Ionas ſuper ariditate cucurbitæ vel hederæ contriſtatus eſt, nolens perire quondam tabernaculum ſuum. Si autem triſtitiam animi, non affectum Saluatoris erga perituros, ſed paſsionem hæretici interpretantur, reſpondeant quomodo exponent illud; quòd ex perſona Dei per Ezechielem dicitur: Et in omnibus iſtis contriſtabas me.

61 NOtat nonò D. Hilarius: aliquorum eam opinionem eſſe, quòd cadere propter ſe mœſtitudo in Deum potuerit,eumque futuræ paſsionis metus fregerit; quia dixerit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. & illud: Pater ſi poſsibile eſt,tranſeat à me calix iſte. & rurſum:Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. & ad poſtremùm bis ad ipſum: Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi illum bibam, fiat voluntas tua. Volunt enim ex infirmitate corporis ærumnam ſpiritui adhærere,ac ſi virtutem illam incorruptæ ſubſtantiæ, imbecillitatis ſuæ ſorte aſſumptio carnis infecerit,& æternitas naturam fragilitatis acceperit. Quæ ſi ad metum triſtis eſt, ſi ad dolorem infirma, ſi ad mortem trepida, iam & corruptioni ſubdita erit,& incidit in eam totius infirmitatis affectio. Erit ergo quod non erat de angore mœſta,de timore ſollicita, de dolore perterrita, ac ſic æternitas demutata in metum: ſi poteſt eſſe quod non erat, potuit proinde hoc,quod erat, aliquando non eſſe: Deus autem ſine menſura temporum ſemper eſt, & qualis eſt, talis æternus eſt: æternitas autem in infinito manens, vt in his quæ fuerant, ita in illis quæ conſequentur extenditur; ſemper integra, incorrupta, perfecta, præterquam nihil quod eſſe poſsit extrinſecus ſit relictum. Non ipſa in aliquo, ſed intra eam cuncta: potens ita largiri nobis ipſa quod ſuum eſt; vt ſibi nihil de eo quod ſit largita decedat. ſed eorum omnis hic ſenſus eſt, vt opinentur metum mortis in Dei filium incidiſſe, qui aſſerunt non de æternitate prolatum,neque de infinitate paternæ ſubſtantiæ extitiſſe, ſed ex nullo illum, qui omnia creauit, affectum, vt aſſumptus ex nihilo ſit, & cœptus ex opere,& confirmatus ex tempore, & in eo doloris anxietas; ideò ſpiritus paſsio,cum corporis paſsione; ideò metus mortis, vt qui timere mortem potuit,& mori poſsit. Qui verò potuit licèt in futurum erit, non tamen per eum,qui ſe genuit ex præterito ſit æternus. Quòd ſi per fidem, vitæque probitatem, capaces Euangeliorum eſſe potuiſſent,ſcirent verbum in principio Deum,& hoc à principio apud Deum, & natum eſſe ex eo qui erat, & hoc, in eo eſſe qui natus eſt,quos is ipſe eſt penes,quem erat antequam naſceretur: eandem ſcilicet æternitatem eſſe,& gignentis & geniti. Mori igitur in Deo nihil potuit, neque ex ſe metus vllus eſt Deo. In Chriſto enim Deus erat, mundum reconcilians ſibi: ſed introſpiciendus omnis hic ſermo eſt, vt quia mœſtum fuiſſe Dominum legimus, cauſas mœſtitudinis reperiamus. Admonuerat ſuperius omnes ſcandalizaturos,Petrus de ſe confidens reſponderat: etiamſi cæteri perturbarentur,ſe non commouendum, quem Dominus etiam ter ſe negaturum eſſe reſpondit: ſed & ille, & cæteri omnes diſcipuli; ne ſi in ipſa quidem morte poſiti ſunt pollicentur

tur ſeſe negaturos. Et procedens iuſsit diſcipulos ſuos conſidere, dum oraret. Aſſumptiſque Petro, Iacobo, & Ioanne, cœpit triſtis eſſe. ergo non antè triſtis eſt quàm aſſumit: & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumptis, neque ita nō de eo orta eſt, ſed de his quos aſſumpſerat mœſtitudo.

62 NOtandum decimò: Chriſtum Dominum dicere; animam ſuam triſtem eſſe, non propter mortem, ſed vſque ad mortem, donec Apoſtolos ſua liberet paſsione. Vbi & illud obſeruandum eſt; quòd Petrus inferior non timet, dicens: animam meam pono pro te; quia vt homo vim mortis ignorat: Chriſtus timet; quia vt Deus in corpore conſtitutus, fragilitatem carnis exponit, qui corpus exponit, qui corpus ſuſcepit, omnia debuit ſubire quæ corporis ſunt. Humilitatem deinde mentis habitu carnis oſtendit, dicitque blandiùs: Mi pater. & poſtulat, vt ſi poſsibile eſt tranſeat à me calix iſte paſsionis, id eſt, ſi poſsibile eſt, vt ſine paſsione mea omnia illa bona proueniant, quæ per paſsionem meam ſunt prouentura, tranſeat à me paſsio hæc; vt & mundus ſaluetur, & Iudæi in paſsione mea non pereant. Poſtulat autem non timore patiendi, ſed miſericordia prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & ſignanter non dixit; tranſeat à me calix, ſed, calix iſte; hoc eſt, populi Iudæorum, qui excuſationem ignorantiæ habere non poteſt, ſi me occiderit: habens legem & prophetas, qui de me quotidie vaticinantur. Attamen reuertens in ſemetipſum, quod ex hominis perſona trepidanter renuerat, ex Dei filijque confirmat. Et vt Origenes docet: Rurſus reuocans deſiderium ſuum; & videns quanta vtilitas mundi totius eſſet futura, per paſsionem ipſius dicebat: Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Non, inquit, hoc fiat, quod humano affectu loquor, ſed propter quod ad terras, tua voluntate, deſcendi. vel vt inquit S. Hilarius: Tranſeat à me calix; id eſt, quomodo à me bibitur, ita ab his bibatur ſine ſpei diffidentia, ſine ſenſu doloris, ſine metu mortis. & iuxta Theophylactum: Poculum vocat paſsionem, vel propter eum qui illud ſubſecutus eſt ſomnum: vel quòd gaudij & ſalutis nobis cauſa factus eſt; ſed & remedii. Quod autem dicebat, inquit Origenes, ſi poſsibile; non ad potentiam Dei referebat ſolam, ſed etiam ad iuſtitiam: quoniam in quantum ad potentiam quidem Dei, omnia poſsibilia ſunt, ſiue iuſta, ſiue iniuſta. Quantum autem ad iuſtitiam eius, qui nō ſolùm potens eſt, ſed etiam iuſtus, non ſunt omnia poſsibilia, ſed ea ſola quæ iuſta eſt. Si autem non poterat fieri, magis volebat vt biberet eum, & ſic tranſiret ab eo, & ab vniuerſo genere hominum, quàm vt faceret contra voluntatem paternam, bibitionem eius effugiens. Conuenienter autem neque pœnæ tranſiſſent, quæ debebantur peccatis generis humani.

63 NOtandum vndecimò: impoſsibile eſſe humanam animam non tentari: vnde & in Oratione Dominica dicimus: ne nos inducas in tentationē, quam ferre non poſsimus: Non tentationes penitus refutantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus deprecantes. Ergo & in præſentiarum non ait: Vigilate, & orate ne tentemini; ſed, ne intretis in tentationem: hoc eſt, ne tentatio vos ſuperet & vincat, & vos intra caſſes teneat. Verbi gratia. Martyr, qui pro confeſsione Domini ſanguinem fundit, tentatus quidem eſt, ſed tentationum retibus non ligatur. Quantum igitur de ardore mentis confidimus, tamen de carnis fragilitate timeamus. Si Niniue aliter ſaluari non poteſt, niſi aruerit

 cucur-

cucurbita, fiat voluntas patris. Solus verò Christus Dominus orat pro omnibus; sicut & patitur pro vniuersis. Dicit autem vltimò: Dormite & requiescite; neque enim in talibus auxiliis multum præsidij est: & ego pro vobis vltrò morti me offerro.

64 Notandum duodecimò: tribus vicibus Dominum orauisse, vt & nos à præteritis peccatis veniam, & à præsentibus malis tutelam, & à futuris periculis cautelam oremus; & vt omnem orationem ad patrem, & filium, & spiritum sanctum dirigamus. Item, sicut trina est tentatio cupiditatis, ita & timoris. Est enim concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & ambitio seculi. Est & timor mortis, & timor vilitatis, & timor doloris. Contra quæ omnia docet nos debere muniri oratione: vnde & propter trinam tentationem pasionis, potest intelligi Dominum ter orasse.

65 Notandum tredecimò: indigna Deo eiusque filio Caluini oratio: Non ergo, inquit, horruit simpliciter, quatenus transiuit è mundo, sed quia formidabile Dei tribunal illi erat ante oculos, iudex ipse incomprehensibili vindicta armatus: peccata verò nostra, quorum onus erat illi impositum, sua ingenti mole eum premebant. Quarum nihil mirum, si horribilis exitij abyssus metu & anxietate duriter eum cruciauit. Quasi hæc seruilis alicuius timoris, & non potiùs filialis charitatis & amoris essent. Non veretur tamen temulenta sua virgula sanctos notare Patres. Et putida quidem ista sunt; sed & illa non minùs, quæ statim adiungit de oratione Christi: Non fuit, inquit, hæc meditata Christi oratio, sed vis & impetus doloris, subitam ei vocem extorsit, cui statim addita fuit correctio. Quomodo igitur hoc exemplum orationis fidelibus propositum est; qui ad pauca respicit, parum videt. Verùm reliquas Caluini; siue ineptias, siue blasphemias circa hanc ipsam orationē Domini, amplius prosequi neque libet, neq; expedit. Contentiones enim istæ, vt docet D. Paulus, quæstiones atque pugnæ verborum ad nihil vtiles sunt, nisi ad subuersionem infirmorum, qui volet leget modò bono animo, & cum licentia superiorum; eas enim ineptias cognouisse, refutasse est. Nusquam diligentior esse voluit, quàm vbi minimè oportuit. Iuuat tamen expensionem loci D. Pauli audire: repudiata Ecclesiæ translatione, exauditus est pro sua reuerentia, corrigit magnus emendator, exauditus est à suo metu ἐυλαβεια Græcis dicitur, cultus, pietas, & reuerentia. Metum, nemo bonus exposuit, præter illos, qui strauerunt vias futuris hæresibus. Primùm autem labitur in eo, quòd hæc oratio, quæ exaudita est pro eius reuerentia, non horti fuit, sed crucis, quod ex ipso Paulo patet. Deinde quòd Chrysostomus ille, cui ipse Paulus commentarios in aures pronunciauit, longè aliter interpretatus est; quem postea vniuersa Græcia secuta fuit. Quo quidem Chrysostomo, neq; meliorem, neq; doctiorem, neque Græcæ linguæ peritiorem, se asserere potest, nisi impudentissimus esse velit. Chrysostomi igitur interpretationem, & cum Chrysostomo omniū Græcorum audiamus. Quanquam esset filius, pro reuerentia exauditus est. Tanta, inquit, erat eius reuerentia, vt etiam propterea eum reuereretur Deus.

66 Notandum quartodecimò: Putasse Iudam miserum, & tamen non miserabilem

rabilem eadem infidelitate, qua Magiſtrum & Dominum tradidit, ſigna quæ Saluatorem viderat facientem, non maieſtate diuina, ſed magicis artibus facta, & quia eum fortè audierat in monte transfiguratum, timuiſſe; ne ſimili transformatione elaberetur è manibus miniſtrorum. Dedit ergo ſignum, vt ſcirent ipſum eſſe, quem oſculo demonſtraret. In quo Iudæ oſculo, inquit Hilarius, hæc fuit ratio; vt doceremur inimicos omnes, eoſque quos ſciremus deſæuituros in nos eſſe, diligere. Oſculum enim eius Dominus non reſpuit. ſimul & illud Dauidicum implens: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus. Pergit autem Iudas contra magiſtrum cum fuſtibus, ad authorem vitæ accedit, cum meditatione mortis. Humanitas præceptoris prouocat, additque animum ſcelerato ad impium oſculum. Liberè autem hoc loco D. Hieronymus expoſtulat cum ſacerdotibus: Dic, inquit, ſacerdos, dic clerice, quomodo eiſdem labiis deoſcularis filium virginis, quibus deoſculatus es filiam meretricis. O Iuda, oſculo filium hominis tradis.

67 NOtandum decimoquintò: Origenem teſtari veniſſe traditionem vſq; ad ſua tempora de Chriſto Domino. Quoniam non ſolùm duæ formæ in eo fuerunt: vna quidem ſecundùm quam Deum omnes videbant: altera autem ſecundùm quam transfiguratus eſt coram diſcipulis ſuis in monte, quando & reſplenduit facies eius tanquam ſol; ſed etiam vnicuique apparebat, ſecundùm quod fuerat dignus. Et cùm fuiſſet ipſe, quaſi non ipſe omnibus videbatur: ſecundùm quod de manna eſt ſcriptum, quando Deus filiis Iſraël miſit panem de cælo omnem delectationem habentem, & ad omnem guſtum conuenientem, quando deſiderio offerentis obſequens ad quod quis voluerat, vertebatur.

68 NOtandum ſedecimò ex Origene: omnes hæreticos quemadmodum Iudam ſic Ieſu dicere Rabbi, & oſculari eum, ſicut & Iudam; ad quos omnes placabilia dicit Ieſus, cùm ſint omnes Iudæ proditores: Iuda, oſculo tradis filium hominis.

69 NOtandum eſt cum D. Ambroſio: Oſculo humano amicitiæ inſigne humanitatiſque præfulgere, in quo plenæ charitatis fides exprimitur. Vnde & Dominus hic velut prodigij genus in proditore condemnans ait: Iuda, oſculo filium hominis tradis? hoc eſt: charitatis inſigne conuertis ad ſignum proditionis, & infidelitatis indicium? pacis hoc pignore vteris ad officium crudelitatis. Beſtiali igitur oris obſequio inferentem potiùs necem, quàm charitatis fœdera deferentem diuinæ arguit vocis oraculo.

Hexa: Lib: 6. Cap. 9.

70 NOtandum decimoſeptimò: Origenem agnoſcere hoc nomine Amice, neminem bonorum in ſcripturis appellatum. Ad malum enim & non indutum nuptialibus veſtimentis dicit: Amice quid huc veniſti, non habens veſtē nuptialem? Malus autem eſt, qui & in parabola denarij audit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonné ad denarium conueniſti mecum? tolle quod tuum eſt, & vade: Volo autem huic nouiſsimo dare, ſicut & tibi.

71 NOtandum decimooctauò: omnem qui accipit gladium, gladio periturum,

rum, si non hoc visibili & materiali; tum illo, qui igneus vertitur ante paradisum, & gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura. Et iuxta D. Hilarium, recondi gladium præcepit; quia eos non humano, sed oris sui gladio esset perempturus.

NOtandum decimononò: verba hæc, Omnes qui accipiunt gladium, gladio peribunt, Originem moraliter exponere. Omnes, qui non sunt pacifici, sed belli concitatores, in eo bello peribunt, quod concitant, vt sit in eis gladius mysterium belli, & litis. Et puto, quòd omnes tumultuosi & concitatores bellorum, & conturbantes animas hominum, maximè ecclesiarum, accipiunt gladium, in quo & ipsi peribunt: Quoniam qui fodit foueam, ipse incidit in eam: Quoniam conuertetur dolor eorum, in caput eorum, & iniquitas eorum, in cerebrum eorum descendet. 72

NOtandum vigesimò: Angelos non modò specie inter se, sed etiam numero distingui, magnumque esse eorum numerum. Et millia, inquit, millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Vna siquidem legio apud veteres, sex millibus complebatur hominum. Significat autem hic numerus septuaginta duo millia Angelorum, (in quot gentes hominum lingua diuisa est) de duodecim legionibus fieri. Humilietur humana maiestas ad tantæ maiestatis amplitudinem; metuant blasphemi, exhorrescant impij, ad tantæ curiæ frequentiam, sed & Gigas nobilitatis Poloniæ, rasa fronte solum percutiat. Quam curiam non solùm in cælo illi adesse, sed etiam in altari, testatur Chrysostomus. An putas, inquit, quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorum? Fortè, inquit Origenes, secundùm existimationem Petri volentis ei auxilium ferre, & gladium proferentis, & amputantis auriculam serui, talia locutus est. Magis enim Angeli auxilio habent vnigeniti filij Dei, quàm ipse illorum. 73

NOtandum vigesimoprimò: templum proprium locum doctrinæ esse. Quotidiè eram in templo docens. Non stabula: non aceruos: non alia latibula. Capitur autem Christus, iuxtà prædictionem Prophetæ: Ab iniquitatibus populi mei ductus sum ad mortem. 74

NOtandum vigesimosecundò: Ostendere Christum Dominum turbis, quæ tanquam ad latronem exiuerant cum gladiis & fustibus: quòd non sua virtute apprehenderint eum. Sicut enim tunc cùm quotidiè in templo sedebat docens, non potuerunt eum apprehendere; ita neque nunc, nisi omninò voluisset. 75

NOtandum vigesimotertiò: quamùis hæc fuerit potestas eorum, qui eũ capiebant, dico potestatem tenebrarum; consilium tamen spiritus sancti fuisse, vt hac via salus nostra perficeretur, vtcunque tamen ipsi se offerebant. Christus tamen docet, nihil aliud eos fuisse, quàm diaboli instrumenta & mãcipia; quod nunc idem de hæreticis rectè & verè dici potest. 76

NOtandum vigesimoquartò: Euthymium causam afferre, quomodo non comprehenderint discipulos, ac trucidauerint; propter id quod factum est in ser- 77

in seruum Principis sacerdotum. Verè enim ipsa virtus, quæ hos excœcauerat & prostrauerat, illa etiam tunc iram, quam de auriculæ amputatione conceperant, dispersit; & vt impleretur verbum Christi: Quos dedisti mihi pater, non perdidi ex eis quenquam, præter filium perditionis.

78 NOtandum vigesimoquintò: quòd sicut Petrus, qui negationem lachrymis abluit, confessione Dei funditus extirpauit, recuperationẽ eorũ significat, qui in martyrio labuntur: ita cæteri, qui fugerunt, cautelam fugiendi docent eos, qui minùs idonei sunt ferendis aduersis, quibus tutiùs est latêre, quàm se discrimini committere: ita etiam adolescens, qui secundùm Marcum, relicta sindone nudus profugit: illorum opus & animum designat, qui vt securiores sint, omnia quæ in mundo habent abiiciunt, & Deo potiùs famulari nudi, quàm hærendo mundi rebus materiam tentandi, & à Deo reuocandi dare didicerunt; iuxta exemplum Ioseph: qui relicto adulteræ pallio, maluit nudus Deó, quàm indutus meretricis cupiditatibus seruire.

79 NOtandum vigesimosextò: Ex Petri casu illud nobis discendum esse, neque oportere nimium confidere, neque obdormire omni negotio in Deum reiecto; neque rursum putare seipsos omne opus efficere. Siquidem nec totũ operatur Deus ne ociosi permaneamus: nec totum nobis permittit ne gloriemur; sed ab vnoquoque quod nociuum est auferens, quod vtile est nobis reliquit. Permisit itaque cæterorum principem cadere, non propter dictas tantùm causas, verùmetiam vt amplius amaret: cui enim dimissum fuerit amplius, hic amplius diliget. Et nos itaque credamus vbique Deo, nec contradicamus, etiamsi ab eo quod dicitur, contrarium esse videatur nostris cogitationibus, & aspectibus. Ita quoque in adorandis mysteriis faciamus, non ea solùm, quæ proponuntur intuentes, sed sermonibus eius credentes. Quumque ille dicat: Hoc est corpus meum; &, Hic est sanguis meus: & pereamus & credamus; siquidem etiam in baptismo sensibilis quidem est aqua, sed intelligibile donum est regeneratio; quia enim corpori conserta est in nobis anima, in sensibilibus intelligibilia nobis tradidit Deus.

80 CIrca vltimam partem capitis, hoc est, iudicium Caiphæ, atque abnegationem Petri, hæc ex patribus sunt notanda.

81 PRimùm, circa personam Caiphæ notat D. Hieronymus: Moysen Deo iubente præcepisse, vt Pontifices patribus succederent, & generationis series in sacerdotibus texeretur. Refert Iosephus, istum Caipham vnius tantùm anni pontificatum ab Herode pretio redemisse. Non ergo mirum est, si nequã Pontifex iniquius iudicet; de quo Caipha plura legenda sunt apud Iosephum lib. 18. de antiq. Iud. Vocabatur hic alio nomine Iosephus à Valerio Grato Iudææ Præside, summo sacerdotio ornatus, cùm honore amotus esset Simon Camiti filius.

82 NOtandum secundò ex parte sacerdotis Caiphæ: Iram præcipitem & impatientem, non inuenientem calumniæ locum excussisse de solio Pontificem; vt vesaniam mentis motu corporis demonstraret. Quantò Iesus tacebat ad in-

ad indignos eius responsione sua falsos testes, & sacerdotes impios, tantò magis Pontifex furore superatus, eum ad respondendum prouocat, vt ex qualibet occasione sermonis locum inueniat accusandi. Nihilominus Iesus tacebat, sciebat enim, quasi Deus, quidquid respondisset torquendum ad calumniam. Vel tacebat videns, & iudicij forum iniquum; nam latronum iudicio simile videbatur, & tyrannicum tribunal. & secundùm Theophilactum: Quibus signa non profuerunt, nec persuaserunt: certè nuda verba non profutura erant. Vrget Iudex, adiurat; quem sic pulchrè alloquitur Hieronymus: Quid, inquit, adiuras impiissimè sacerdotum, vt accuses, an vt credas? si vt accuses, arguunt illi, voluntque condemnare tacentem: si vt credas; quare confitenti credere noluisti? Respondet autem Iesus: Tu dixisti; ac si diceret, ore tuo testatus es me esse filium Dei. Simili sententia vsus est, qua paulopòst Pilato respondit, de regno interroganti; quem modum dicendi D. Marcus simplicius interpretatur: Ego sum. vt ostenderet tantum valere, quòd ei dicit Iesus: Tu dixisti; quantum si diceret: Ego sum. Sæpius autem priori illo modo vtitur Christus: partim, quòd Hebrææ linguæ sit familiaris: partim, vt ipsi lingua sua conuincantur. Quod latiùs non tam simplici verbo, quàm re ipsa explicat. Verùmtamen à modo, inquit, videbitis filium hominis venientem in nubibus cæli, cum potestate magna. Potentiam intelligit patris, non de terra, sed de cælo venientem. Respondet autem Danielis verbis, ca. 7. Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat. Sacerdotem, quem de solio suo furor excusserat, eadem rabies ad scindendas vestes prouocat: Scidit autem vestimenta sua, vt ostendat Iudæos sacerdotij gloriam perdidisse, & vacuam sedem habere Pontifices. Sed & consuetudinis Iudaicæ est, cùm aliquid blasphemiæ, & quasi contra Deum audierint, scindere vestimenta sua. Quod Paulum quoque & Barnabam, quando in Licaonia deorũ cultu honorabantur, fecisse legimus. Hac autem scissione vestis auxit rei indignitatem, & illos ad approbationem sui decreti coëgit eũ, scilicet reum esse mortis. Herodes autem, quia non dedit honorem Deo, sed acquieuit immoderato fauori populi, statim ab angelo percussus est: Prophetare iubetur; stultum autem erat verberantibus respondere, & prophetizare credentibus, cùm palàm percutientis videretur insania. Sed sicut hoc nobis non prophetauit, sic illud manifestissimè vaticinatus est, quòd circumdaretur Ierusalẽ ab exercitu, & non relinqueretur lapis super lapidem in templo. Horreto cælum & terra, exclamat Euthymius, vniuersaque creatura, in quam faciem quam intulerunt iniuriam. Propter quod, inquit Origenes, & ipsi receperunt alapam æternam, & omni prophetia priuati sunt, percussi & castigati; & nec sic volentes recipere doctrinam disciplinam, secundùm quod prophetauerat hoc ipsum de eis Hieremias: Flagellasti eos, & non doluerunt, & noluerunt suscipere disciplinam.

83 NOtandum tertiò: Frustrà & malitiosè Caipham falsos testes quęsiuisse, cùm hoc ipsum iudicium non tam testibus, quàm reipsa constabat, hoc enim inquirendum erat: Num eius ipsius talis fuerit vita, talis doctrina, talia miracula; qualia veri Messiæ, veri filij Dei, à Prophetis prædicta fuerunt, ac figuris legis adumbrata: tum nihil testimoniis opus fuisset, nihil adiuratione, res ipsa omnia probasset, sed isti cum præiudicata mortis & damnationis Christi opinione

opinione conuenerunt, quare nulla est iniquior; & ideò de re ipsa parum solliciti erant, prætextum qualemcunque quærunt.

84 NOtandum quartò, circa Petri officium, quòd secutus est Christum à longè, qui erat ipsum negaturus; vel amore autem discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat, quid iudicaret de Domino Pontifex; vtrum eum neci addiceret, an flagellis cæsum dimitteret. Hærebat adhuc aliquid veterum promissorum in animo; & in hoc diuersitas decem Apostolorum, & Petri: illi fugiunt; iste quanquam procul, sequitur tamen Saluatorem.

85 NOtandum quintò: Petrum mirandum esse, & tamen venerandum, qui Dominum non reliquit, etiam cùm timeret, sequebatur enim eum à longè. Quòd enim timuit; naturæ est: quòd sequitur; deuotionis: quòd negat; obreptionis: quòd pœnitet; fidei. Mysticè autem, quòd ad passionem eundem Dominum, à longè sequitur Petrus, significari Ecclesiam secuturam, quidam hoc est imitaturam passiones Domini; sed longè differenter: Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia.

86 NOtandum sextò, circa falsos testes, quomodo falsi dicantur, si vera dicunt: sed falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui; sed & in ipsis verbis calumniantur, & paucis additis vel mutatis, quasi iustam calumniam faciunt. Saluator dixerat: Soluite templum hoc; isti commutant, & aiunt: Possum destruere templum Dei: Vos, inquit, soluite, non ego; quia illicitum est, vt nobis inferamus manus. Deinde illi vertunt: Et post triduum vult reædificare illud, vt propriè de templo Iudaico dixisse videatur. Dominus autem vt ostenderet animale & spirans templum; dixerat: & ego in triduo suscitabo illud. Aliud est ædificare, aliud suscitare. Vrgent autem hoc crimen maximè: partim, quòd dicere contra templum, maximè blasphemiæ fuit: partim, quòd capitale erat, quod patet ex Esdræ cap. 6. A me ergo positum est decretum; vt omnis homo qui hanc mutauerit iussionem, tollatur lignum de domo ipsius & erigatur, & configatur in eo; domus autem eius publicetur.

87 NOtandum septimò: testes falsos vocari, non solùm qui mendacium de nihilo conflatum protulerint; sed qui etiam calumniosè peruerterint rectè dicta, & ad crimen detorserint: quale etiam exemplum hîc disertè refertur de templi ruina, & noua instauratione.

88 NOtandum octauò: tres Euangelistas, tres Petri negationes in Caiphæ domo factas esse dicere: Ioannem autem, in domo Annæ soceri ipsius, nec tamen ob hoc inter eos esse dissonantiã. Siquidem amborum vna domus erat, idemque atrium habens in se duo habitacula à se inuicem separata. Ab ancilla autem requisitus Petrus, negauit Dominum. Vt sicut per fœminam hostis antiquus primum parentem seduxit; ita per mulierem ad magistrum negandum, quem Christum filium Dei confessus fuerat principem Ecclesiæ compellit. Significant autem mulierculæ istæ Petrum vexantes humanam infirmitatem, cui semper subiecti sumus, & vim quam semper suspectam habere

debemus : Gallus autem mentem rectè designat, quæ nos ad vigilandum semper excitat.

Notandum nonò : Miram promissorum diuinorum esse vim ; Petrum, super quem ædificari debebat Ecclesia, clauigerum regni, gallus ter promissorum admonet ; nec tamen ad se redit. puella commiseratione hominis plena, terret, anathematizare cogit. Cur ita ? Vt non glorietur in conspectu Dei omnis caro ; & vt istius lapsus sit sempiterna peccatorum subleuatio. Permissus est enim cadere Petrus, vt etiam ignoscere discat his quoq; qui labuntur, horum imbecillitatem ex sua cognoscens : nam pastor constituendus erat. Et vt magnorum factus operator miraculorum modestus sit, ac sui casus recordatus, Deo rem omnem adscribat. Siquidem & Paulus tentationibus permissus est pugnare, ne extolleretur ; vt ipse ait : potissimùm autem, vt peccatoribus clarum esset pœnitentiæ exemplum. 89

Notandum decimò : in Petri negatione, ad frangendum hominem non opus esse graui conflictu, nec multis machinis, aut copiis, si præsertim diuinum absit auxilium; vna ancilla facilè virum deuincet : quinimò leuis aura folij cadentis, nonnunquam strepitus. Illuc ergo semper recurramus : Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. 99

Notandum vndecimò : ancillas duas & milites, qui ad Christum negandum Petrum impulerunt, tres, secundùm Origenem, christianorum persecutiones designare. Primam ancillam intelligi principis facientem denegare discipulos Christi, synagogam esse Iudæorum secundùm carnem, qui denegare frequentur compulerunt fideles : secundam autem ancillam, congregationē gentium; qui etiam persequentes christianos denegare cogebant : tertios autem stantes in atriis, ministros esse hæresum diuersarum, qui & ipsi veritatem Christi denegare compellunt. 91

Notandum duodecimò : Respexisse Dominum Iudam, respexisse & Petrum ; sed istum ad mœrorem & amarum luctum aspectu suo prouocasse ; illum scelus persecutū fuisse, non omnipotentis aspectus, sed prauæ Iudæ mentis, prauique animi vitio. Idem enim semen in varios agros iactum, non eosdem, neque æquè sanos aut vberes fert fructus. 92

Notandum tredecimò : quòd Petrus in atrio Caiphæ sedens, non poterat agere pœnitentiam ; egreditur foras de impiorum concilio, vt pauidæ negationis sordes, amaris fletibus lauaret, & pristinam mentis tranquillitatem reciperet. Sicut enim post vehementes imbres mundus aër ac purus efficitur ; ita etiam lachrymarum pluuias serenitas mentis sequitur, atq; tranquillitas, omnisque illa de peccatorum tenebris effusa caligo dissoluitur. 93

Notandum quartodecimò, cum Lyrano : Petrum à die illo quo egressus fleuit amarè, traxisse in consuetudinem, vt à primo gallorum cantu, vsque ad horam matutinam, staret in oratione flens pro ista negatione, vt habetur in itinerario Clementis. 94

Caput

Caput XXVII

1 APITIS HAE PARTES SVNT: SERA POENITENTIA IVdæ: traditio à sua gente Christi Pilato: Barrabas dimittitur: Christus iudicatur, condemnatur, illuditur, flagellatur, ac coronatur, extra portam crucifigitur, moritur, sepelitur, custoditur: cuius capitis examen eò diligentiùs esse debet, quod non vnum, sed simul aliquot articulos fidei nostræ continet, passum scilicet, mortuum, & sepultum Christum Dominum.

2 CIrca Iudæ seram pœnitentiam hæc notanda sunt: primùm, licèt Iudas mutauerit voluntatem, tamen voluntatis primæ exitum non mutauit: si autem peccauit ille, qui tradidit sanguinem iustum, quantò magis Iudæi peccauerunt, qui emerunt sanguinem iustum, & offerendo pretium ad proditionem discipulum prouocarunt. & vt Hilarius docet: Iudas agens pœnitentiam, pretium sanguinis Christi reddidit sacerdotibus; vt licèt ipse venditi sanguinis iusti author esset, tamen ementium infidelitatem ipsa professio vendentis argueret. Qui diuersas naturas conantur introducere, & dicunt Iudam proditorem malæ fuisse naturæ, nec electionem Apostolatus potuisse seruare; respondeant, quomodo natura mala egerit pœnitentiam?

3 SEcundò notat D. Hieronymus: Si quando sic frater peccat in fratrem, vt emendare valeat quòd peccauit, potest ei dimitti; sin autem permanent opera, frustrà voce assumitur pœnitentia. Hoc est, quod in Psalmo de eodem infelicissimo Iuda dicitur: Et oratio eius fiat in peccatum; vt nō solùm emendare nequiuerit proditionis nefas, sed ad prius scelus etiam proprij homicidii crimen addiderit. Tale quid & Apostolus in 2. ad Corinth: epistola loquitur; Ne abundantiori tristitia absorbeatur frater.

4 NOtandum tertiò: Iudam, cùm auarissimus esset, putasse, & se triginta argenteos accepturum, & Christum, quod sæpiùs faciebat, euasurum: ac ita pecuniam in lucro remansuram; verùm non animaduertit Christum iam morti adiudicatū esse, magistratui ciuili executionis causa traditum, tum demùm pœnitentia ductum, sed serò.

5 NOtandum quartò: tum demùm Diabolum homines in magnas tentationes inducere, tum maxima scandala illis proponere, cùm eos maximè deuotos esse oportet, & cùm maximè deuotionis tēpora instant. Quod in principibus sacerdotum, totaque Iudæa nunc factum videmus in principe festo, vbi eos maximè deuotos esse oportuit, vbi tot hostias pro peccatis, ignorantiis, expiationibus, offerre; tum demùm ad funestam cædem illos impulit.

6 NOtandum quintò: Caluinum dum Catholicam doctrinam refellere vult, seipsum impugnare: nam cùm dixisset Iudam vera pœnitentia caruisse, sed solam displicentiam facti, mox paucis versibus interiectis hæc addit: Hìc, inquit, in Iuda cernitur, & cordis contritio, & oris confessio, & operis satisfactio, vt Papistæ loquuntur; atque his partibus constare pœnitentiam omnes tradiderunt.

NOtandum sextò: Eos, qui ad mortem peccant, tantam habere ignorantiam & cœcitatem, vt nec turbentut sceleribus suis, nec pœnitentiæ dolore crucientur. 7

NOtandum septimò: Iudam, secundùm Hieronymum, grauiùs peccasse in se suspendendo, quàm in tradendo Christum: Nam Christi traditione peccauit contra eius humanitatem directè; sed in desperatione illa, peccauit directè contra eius diuinitatem; quia contra infinitam Dei misericordiam. 8

NOtandum octauò: peccatum coram omnibus confiteri, ac proiicere argenteos, resipiscentiæ esse; laqueo verò se suspendere, desperationis. Agnouit siquidem & pœnituit eum, ac confessus est; veniam autem ab eo, qui hanc dare poterat, non requisiuit. Neque enim permisit sic eum Diabolus pœnitentia duci, quò ad Christũ iret, in quem peccauerat, sed hunc ante perfectã pœnitentiam abduxit; vtpotè conscientiæ remorsum non referentem. Intelligamus ergo, qui argenti sumus amatores, quomodo & Iudas, & peccatum perpetrauit, & pecuniæ fructum non accepit, & propriam animam perdidit. 9

NOtandũ nonò: illustre exemplum illius Christi Domini parœmiæ culicem colare, & camelum deglutire, quod in hoc sacro gazophilacio apparet; ideò non mittunt pecuniam in carbonam, hoc est, in gazophilacium, & dona Dei; quia est pretium sanguinis: culex iste est, at ille camelus, ipsum sanguinem effundere. 10

NOtandum decimò: illos quidem fecisse alia voluntate, vt æternum impietatis suæ relinquerent ex agri emptione monimentum: cæterùm nos, qui peregrini eramus à lege & Prophetis, praua eorum studia suscepimus in salutem, & in pretio sanguinis eius requiescimus. 11

NOtandum vndecimò: magnum in hoc prophetiæ sacramentum, & in factis, & in dictis miraculi plena meditatio. Figuli opus est de luto vasa formare; cuius in manu sit ex luto eodem vas, aut idipsum, aut pulchriùs reformare. Agrum autem seculum nuncupari, ipsius Domini nostri verbis continetur. Christi ergo pretio seculum emitur; id est, vniuersitas eius acquiritur, & in sepulturam peregrinorum atque inopum deputatur. Nihil hinc pertinet ad Israël, & totus hic seculi emptius eius alienis est, his videlicet, qui in pretio sanguinis Christi sepeliuntur, quo vniuersa sunt empta. Omnia enim à patre accepit, quæ in cælis, & quæ in terra sunt; & ideò hic ager figuli est, quia Dei omnia sunt: cuius in manu sic nos vt velit tanquam figulus reformare. In hoc igitur agro Christo commortui & consepulti, huius peregrinationis nostræ æternam requiem sortiemur. In cuius rei fidem Hieremiæ prophetia subditur, vt in facti istius opere diuinæ vocis authoritas ostenderetur. 12

NOtandum duodecimò: D. Hieronymus, testimonium hoc Hieremiæ, in Hieremia non contineri nec inueniri. In Zacharia verò, qui penè vltimus est duodecim Prophetarum, quædam similitudo fertur; & quanquam sensus non multum discrepet, tamen & ordo, & verba diuersa sunt: Legi, inquit, nuper 13

per

per in quodam Hebraico volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Hieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi. Sed tamen mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium, Euangelistarum & Apostolorum more vulgato: qui verborum ordine prætermisso, sensus tantùm de veteri testamento proferunt in exemplum. Quo loco illud Ven: Beda notat indubitanter nos accipere debere, quæcunque per vnum Prophetarum Spiritus sanctus dixit: singula esse omnium, & omnia singulorum. Cùm igitur, & quæ dicta sunt per Hieremiam, tam sint Hieremiæ, quàm Zachariæ; quid opus erat vt emendaret Matthæus, cùm aliud pro alio sibi nomen occurrens, à se scriptum relegisset, ac non potiùs sequens authoritatem Spiritus sancti, à quo mentem suam regi plus nobis vtique ille sentiebat?

14 NOtandum tredecimò: Christi pretium vocari, pretium appretiati: Cùm enim natura sua superior esset omni pretio, improbitate getnis suæ & Iudææ vili pretio calciamenti factus est appretiatus.

15 NOtandum quartodecimò: vnicam micam virtutum Abrahæ, ac reliquorum Patriarcharum in Iudæis remansisse, studium hospitalitatis; & hanc principes sacerdotum pretio sanguinis contaminasse, vel consecrasse potiùs.

16 NOtandum quindecimò: ipsosmet Iudæos immortale monimentum improbitatis suæ, Deo ita operante, hoc agro reliquisse; vt ager hic, ager sanguinis diceretur, quem illi iniquissimè effuderunt: emptus autem erat ager iste propter eos peregrinos, qui Hierosolymam, tam ex Iudæis, quàm ex gentibus sacrificiorum causa veniebant; atque illic fortè moriebantur, vt omnes sub pretio sanguinis Iesu Christi requiescerent.

17 VErùm nos ad iudicium Pilati transeamus, circa quod illud notemus: Primùm, Pilato nihil aliud interrogante criminis, nisi vtrum sit Rex Iudæorum: argui impietatis Iudæos, quòd ne falsò quidem inuenire potuerint, quod obiicerent Saluatori: Tradidisse autem illum videntur Pilato ad interficiendum potiùs, quàm ad examinandum.

18 NOtandum secundò: Dominum Pilato, qui inuitus promebat sententiam, aliqua ex parte respondisse; Sacerdotibus autem & principibus respondere noluisse, quòd indignos suo sermone iudicaret, vt illud vtrumque Salomonis impleretur: Responde stulto secundùm stultitiam eius, ne sibi sapiens videatur. & illud: Ne respondeas stulto secundùm stultitiam eius, ne sibi sapiens videatur.

19 NOtandum tertiò: Christum ideò respondere noluisse, ne crimen diluens à Præside dimitteretur, & crucis vtilitas differretur.

20 NOtandum quartò: ideò offerre Pilatum optionem dimittendi, quem velint latronem an Iesum: non quòd dubitaret Iesum potiùs eligendum; sciens eum propter inuidiam traditum: igitur causa crucis manifestè inuidia est.

12 NOtandum quintò: quòd gentibus sæpè à Deo somnia reuelentur, &

quòd in Pilato & vxore eius iustum Dominum confitentibus gentilis populi testimonium sit. In qua quidem muliere species gentilium est, quæ iam fidelis cum quo conuersabatur, incredulum populum ad Christi fidem aduocat: quæ quia ipsa multum sit passa pro Christo, in eandem gloriam futura illum cum quo conuersabatur insinuat. Hac enim vice non ante se intellexit Diabolus per Christi mortem nudandum, & spolia humani generis, siue in mundo, siue apud tartaros amissurum; & ideò satagebat per mulierem, per quam spolia mortis inuaserat, Christum eripere de manibus Iudæorum; ne per illius mortem, ipse amitteret mortis imperium. Vbi hoc loci & illud obseruandum est, vxorem viri gentilis hoc in visione intellexisse, quod Iudæi vigilantes intelligere noluerunt.

22 NOtandum sextò: Ideò Pilatum interrogare Christum an Rex sit; non quòd id verisimile esse videret, aut quòd ita sentiret, aut quòd illi inuidere vellet; sed quòd quęrebat aliquam occasionem ex illius sermone & defensione accipere, per quam illum defendere & liberare posset: qua non inuenta, ad aliam viam eius liberandi, quam illi tempus obtulerat, & quæ illi ipsi in mentem venerat, confert se: Barrabæ, inquam, dimissionis, qui vterque modus, aulici erant quodamodo & indirecti; dixisset potiùs simpliciter: Romano more se insontem contra leges condemnare non posse, in eaq; voluntate constans permansisset, & tunc non perijsset.

23 NOtandum septimò cum sancto Leone, excessisse Pilati culpam facinus Iudæorum; sed nec ipsum euasisse reatum, qui reliquit proprium iudiciũ, & in crimen transijt alienum.

24 NOtandum octauò: Stare filium Dei coram homine mortali reum illiq; accusari & damnari, ne nos coram Deo damnemur & iudicemur. Tacet ille, vt suo silentio nostrum os aperiat, vt pleniori ore clamemus: Abba pater. fit autem sine patrocinio manifesta rei integritas. Silet nunc, vt nobis sit patronus & aduocatus in omni aduersa fortuna nostra.

25 NOtandum nonò: quòd multas liberandi Saluatoris Pilatus occasiones dedit: primùm, latronem iusto conferens, deinde inferens: Quid igitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus? hoc est, qui Rex vester est. Cùmq; responderunt, Crucifigatur: non statim acquieuit; sed iuxta suggestionẽ vxoris quæ mandauerat: Nihil tibi & iusto illi: ipse quoq; respondit: Quid enim mali fecit? hoc dicendo, Pilatus absoluit Iesum. At illi magis clamabant dicentes, Crucifigatur. Omnes, non turba solùm, sed & principes sacerdotum & seniores; nec dicunt, occidatur, sed crucifigatur, vt mortis quoq; genere maleficum eum esse conuincant.

26 NOtandum decimò: Iudæos crucem appellare pessimum mortis genus, quod tamen ipsum electum erat à Domino; ipsam enim crucem habiturus erat signum: ipsam diabolo superato, tanquam trophæum in frontibus fidelium positurus.

27 NOtandum vndecimò: dedisse vocem gentem sanctam, populum electionis

onis, peculium ac hęreditatem Dei, eos redemptorem suum sanguinemq; illius expoposcisse. Factam esse hæreditatem eius, tanquam leonem rugientem in via, aspersisse catullos suos sanguine innocentis prædæ; quis non diceret totam gentem radicitus à regno Dei euulsum iri? sed Deus in illo perfidiarũ illustrat fidei suæ constantiam, atq; vt se nõ frustra fœdus cum Abraham pepigisse ostendat, quos beneficio suo elegerit, à generali eximit interitu: ita semper omnibus humanæ incredulitatis obstaculis superior emergit eius veritas.

28 NOtandum duodecimò cum Lyrano: quòd in fauorem Iudęorum concessum erat à Romanis, vt in solennitate paschali dimitteretur vnus incarceratus secundùm voluntatem eorum, in memoriam liberationis eorum de Aegypto. Pilatus ergo sciens eos cupidos, de obseruanda illa consuetudine, dedit eis optionem eligendi, vtrum dimitti vellent Iesum, an Barrabam.

29 NOtandum tredecimò: Barrabam latronem qui seditiones faciebat in turbis, qui homicidiorũ author erat, dimissum esse populo Iudæorum; id est diabolum, qui vsq; hodie regnat in eis: & idcircò pacem habere non possunt. Iesum autem à Iudæis traditum absolui ab vxore Pilati, & ab ipso Præside iustum appellari. & Centurio confitetur, quòd verè filius Dei sit. Quærat eruditus lector, quomodo sibi conueniat Pilatum lauisse manus suas, & dixisse: Innocens ego sum à sanguine huius iusti: & postea flagellatum tradidisse Iesum, vt crucifigeretur. Sed sciendum est Romanis eum legibus ministrasse, quibus sancitum est, vt qui crucifigitur priùs flagellis verberaretur: φραγέλλιον autem (quod nos flagellum dicimus) verber erat, è funiculis aut loris contextum, quo dorsa condemnatorum verberabantur. Traditus est itaque Iesus militibus verberandus, & illud sacratissimum corpus, pectusque Dei capax, flagella secuerunt. Hoc autem factum est, vt, quia scriptum erat: Multa flagella peccatorum: illo flagellato, nos à verberibus liberaremur; dicente scriptura ad virum iustum: Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo: &, vt satiati pœnis eius & opprobriis Iudæi, mortem eius vltrà non sitirent.

30 NOtandum quartodecimò: Pulchrè D. Hilarium Barrabam Antichristo comparare. Quemadmodum enim tunc Iudæi Christum quidem reiecerũt, mortique adiudicârunt, Barrabam autem latronem susceperunt ac conseruârunt: ob quam rem perpetuis diuexationibus, expilationibus, vexationibus in omnibus gentibus patent, & vbique eos Barrabas à tergo percutit: ita itidem in fine seculi, Antichristum quidem recipient, illi se tradent cum illo spiritu oris diuini percutiendi; Christum autem verum regem & Messiam repudiabunt.

31 NOtandum quindecimò: tum planè, cùm Christo Domino antetulerũt Iudæi Barrabam, impletum esse illud: Christum Dominum factum esse propter nos purgamentum, atque etiam infra latronem & homicidam collocatum. Id autem factum est, vt nobis ascensum in cælestem gloriam sua deiectione acquireret. Inuectus est hoc loco Caluinus in clerum Ecclesiasticũ, quòd hæreticos puniat & persequatur: cùm ipse Gentilem atque Seruetum religionis causa combusserit.

NOtandum sedecimò: Pilatum lauisse manus, vt in lauacro manuum eius gentilium opera purgarentur, & ab impietate Iudæorum, qui clamauerunt, Crucifige eum, nos alienos faceret; quodammodo hoc contestans, & dicens: Ego quidem innocentem volui liberare, sed etiam seditio oritur, & perduellionis mihi contra Cæsarem crimen impingitur: Innocens ego sum à sanguine iusti huius. Iudex, qui cogitur contra Christum sententiam ferre, non damnat oblatum, sed arguit offerentes, iustum esse pronuncians, qui crucifigendus est: Vos, inquit, videritis. Ego minister sum legum, vestra vox sanguinem fundit. Notat quoque Euthymius, id moris fuisse Iudaici, manuum lotione id protestari eos, qui nollent alicuius cædi communicare. Ait enim Dauid: Lauabo inter innocentes manus meas. 32

NOtandum decimoseptimò: Non eam ob causam lauisse Pilatum manus, quòd id sibi ad innocentiam aliquid profuturum existimaret; sed vt potiùs istorum corda tangeret, ac ad similem contritionem & pœnitentiam prouocaret, metumque illis diuini numinis incuteret: Si, inquit, ego homo Ethnicus & externus, nollem sanguinem tanti viri recipere; quantò magis vobis fratribus eius cauendum est, ne hic talis sanguis in vos descendat. Quid ad hæc isti? Non aquam se sitire, sed sanguinem inclamant: Sanguis eius, inquiunt, super nos, & super filios nostros. Hinc colligimus, quàm sollicitè cauenda sit in omnibus iudiciis præceps temeritas. 33

NOtandum decimooctauò: perseuerare vsque in præsentem diem hanc imprecationem super Iudæos, & sanguinem Domini non auferri ab eis. vnde per Isaiam loquitur: Si leuaueritis ad me manus, non exaudiam vos: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine. Optimam hæreditatem Iudæi filiis reliquerunt dicentes: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Sanguinem vocant sanguinis condemnationem, inquit Euthymius. O scelestam vocem, ô extremam audaciam! Atqui non solùm aduersus seipsos, sed etiam aduersus suos trahunt imprecationem. Christus verò & de eis, & de filiis eorum resipiscentes suscepit; nec solùm huiusmodi liberat imprecatione, sed & mille bonis dignos ducit. Nam & Paulus ex eis erat, & innumeri eorum, qui postmodum Hierosolymis crediderunt. 34

TRiste decretum sequitur: tristior executio decreti. In qua illud primùm notandum est: Milites à Pilato ad vexandum Christum designatos ideò fuisse; vel quia Rex Iudæorum fuerat appellatus, & hoc ei Scribæ & Sacerdotes crimen obiecerant, quòd sibi in populo Israël vsurparet imperium; vel quia executores iudicij milites erant. Nudatum pristinis vestibus illudentes induunt chlamydem coccineam; pro rufo limbo, quo reges veteres vtebantur; & pro diademate ponunt ei coronam spineam: pro sceptro regali dant calamum, & adorant quasi regem. Quo autem fine hæc omnia fiant, vberiùs in nostro Iosepho diximus: quanquam & mysticè D. Hieronymus hæc præclarè interpretatur: In chlamyde, inquit, coccinea, opera gentium cruenta sustentat: in corona spinea, maledictum soluit antiquum: in calamo, venenata occidit animalia; siue calamum tenebat in manu, vt sacrilegium scriberet Iudæorum. 35

NOtandum secundò: Iesum, quando flagellatur, & conspuitur, & irridetur, non habere propria vestimenta; sed ea quæ propter peccata nostra sumpserat. Cùm autem crucifigitur, & illusionis atque irrisionis pompa præterieret, tunc pristinas vestes recipere, & proprium assumere ornatum; statimq; elementa turbari, & creatori testimonium dare creaturam.

36 NOtandum tertiò: Saluatorem nostrum omnium martyrum, quibus regnum erat suum debitum, sanguine in cocci colore perfundi; pretiosoque Prophetarum ac Patriarcharum in purpura honore vestiri: spinis quoque; id est, compungentium quondam peccatis gentium coronari, vt ex rebus perniciosis atq; inutilibus, quæ capiti eius, id est, Deo circumdata moliuntur, gloria quæreretur. Peccatorum est enim aculeus in spinis, ex quibus Christi victoriæ corona contexitur. In calamo verò earundem gentium infirmitas, atque inanitas manu comprehensa firmatur: quinetiam capiti eius illiditur: capiti, vt opinor, de ictu calami, non grandis iniuria est; sed typica in ea ratio seruatur; vt infirmitas gentilium corporum manu Christi comprehensa, etiam in Deum patrem, qui caput eius est, acquiescat: in his autem omnibus Christus dum illuditur adoratur.

37 NOtandum quartò: Totum Saluatoris corpus iniuriis affectum: caput quidem per spineam coronam, & arundinis percussionem: faciem per sputa: maxillas per alapas: os verò per fel & acetum: aures per blasphemias: collum per colaphos: dorsum, & pectus, flagellis & verberibus: manus autem & pedes clauis: latus lancea, veluti scribit Ioannes: cæteras quoque partes chlamyde ac nuditate, & vt semel dicam, totum corpus, quod in cruce spectaculo est expositum. Quando ergo blasphemiæ nobis ingeruntur, aut contumelia afficimur, siue spectaculo exponimur; hæc considerantes, omnem abiiciamus ab anima tumoris flammam; cogitantes simul, quòd ipse quidem Deus erat, nos autem homines; ipse Dominus, nos autem serui; ipse sine peccato, nos peccatores; ipse à seruis patiebatur, nos à conseruis; ipse propter nos, nos autem propter nosipsos; ipse quidem spectantibus Romanis, Iudæis, & Græcis, nos verò coram paucis; etsi coram pluribus, at non tam multis.

38 NOtandum quintò: vsque hodie paganos & hæreticos milites vtique Diaboli, quasi arundine caput Christi ferire, qui diuinitati illius contradicentes, errorem suum confirmare authoritate sacræ scripturæ conantur. Per arundinem enim solet scriptura confici: spuunt in faciem eius, qui eius præsentiam gratiæ verbis execrandis, in interna cœcæ mentis insania respuunt, & Iesum Christum in carne venisse denegant.

39 NOtandum sextò: primùm, summam Dei patris erga nos esse bonitatem & misericordiam, qui vt nostram imaginem reformaret, sic fœdè filij sui faciem conspui ac deformari passus est: deinde magnam nobis spem salutis concipiendam esse; quorum causa hæc talia Dei filius pati voluit: tertiò, ad similem imitationem nos accingi debere, vt quæque durissima & maximè infamia Christi nomine pati, & perferre non erubescamus. Extra castra autem filium suum contumeliosè eijci passus est æternus pater, vt nos in patriam, ex

qua

qua propter peccatũ excideramus, reuocaret, & quaſi poſtliminio reduceret. Neque autem obſtitit loci fœditas, quin illic glorioſum victoriæ ſuæ trophæum erigeret, neque fœtor cadauerum, quæ illic iacebant, quominus ſuauis ſacrificij eius odor ſpiraret per totum orbem, & in cælum vſque penetraret.

40 NOtandum ſeptimò: Crucem Ieſu ſuſcipere nationes, & peregrinum obedientem Simonem Cyrenæum portare ignominiam Saluatoris. Marcus autem addidit, Cyrenæum hunc patrem fuiſſe Alexandri & Rufi. Lucas venientem ab agro. Ioannes verò dixit: Baiulans ſuam crucem exiuit, deinde Simoni obuianti, hunc coëgerunt, vt eam tolleret.

41 NOtandum octauò: Indignum Iudæum fuiſſe Chriſti crucem ferre; quia fidei gentium relictum erat & crucem accipere & compati.

42 NOtandum nonò: Extra vrbem & extra portam loca fuiſſe, in quibus truncabantur capita damnatorum; vnde & Caluariæ, id eſt, decollatorũ ſumpſere nomen. Propterea autem ibi crucifixus eſt Dominus, vt vbi priùs erat area damnatorũ, ibi erigerentur vexilla martyrij. Et quomodo pro nobis maledictum crucis factus eſt, & flagellatus eſt, & crucifixus ſit pro omnium ſalute, quaſi noxius inter noxios crucifigeretur.

43 NOtandum decimò: Vſque hodie Iudæos & omnes incredulos Dominicæ reſurrectionis, aceto & felle potare Ieſum, & dare ei vinum mirrhatum, vt eum conſopiant, & mala eorum non videat. Sunt præterea quidam, inquit Origenes, qui dant Ieſu bibere vinum cum felle permiſtum, quod non vult bibere Ieſus filius Dei; alij autem non vinum, ſed acetum. Et forſitan quanticunque ſecundùm doctrinam quidam Eccleſiaſticam ſapiunt, viuunt autem malè, dant ei vinum bibere felle permiſtum: qui autem alienas à veritate ſapientias applicant Chriſto quaſi ei ea dicenti, hi ſpongiam implentes aceto, imponunt calamo & potant eum.

44 NOtandum vndecimò: De potionibus Chriſti varia eſſe iudicia, & alios alio modo ſentire, & rem eſſe ſubdifficilem: puto tamen bis illi propinatum eſſe. Primùm, cùm duceretur, ſederetque dum appararetur crux, quæ potio erat humanitatis; ex more conſolandi damnati & mœrentis cauſa: iuxta illud Salomonis: Da mœrenti vinum, &c. Secundum fuiſſe arbitror, cùm clamaſſet in cruce: Sitio. quæ fuit, vel contumeliæ cauſa, vel etiam communis tædij, vt citius moreretur; & ideò ea exhibebantur, quæ mortem citius approperare poterant.

45 NOtandum duodecimò: quod dicitur: Et cùm guſtaſſet, noluit bibere. id indicare quòd guſtauerit quidem pro nobis mortis amaritudinem; ſed tertia die reſurrexit.

46 NOtandum tredecimò: quadripartitam veſtem Domini ſecundùm Ioannem, per quatuor partes orbis diuiſam ſignificaſſe Eccleſiam. Tunicam verò ſortitam, omnium partium ſignificare vnitatem, quæ quia charitatis vinculo

culo continetur, quæ ſupereminentiorem habet viam,& ſuper omnia præcepta eſt, meritò veſtis,qua ſignificatur,deſuper contexta perhibetur.

47 NOtandum decimoquartò: diligentiam militum & ſacerdotum nobis proficere, vt maior & apertior reſurgentis virtus appareat: Et ſedentes, inquit, ſeruabant eum.

48 NOtandum decimoquintò: ſcripſiſſe Pilatum dictam cauſam, inſtituiſſeque, vt ſcripta cunctis nota fieret, ne poſſent ſua malicia Iudæi Chriſto aliam cauſam affingere, aut diuulgare; ſimulque & hos notaſſe,& illi patrocinatum eſſe; quòd propter inuidiam eſſet crucifixus. Et cùm tres cruces ſimul terra obruerentur, multis temporibus requiſitæ; poſtmodum Domini crux à titulo potiſsimùm fuit cognita.

49 NOtandum ſedecimò: Hieronymum non poſſe dignè mirari pro rei magnitudine, quòd redẽptis pretio falſis teſtibus,& ad ſeditionem clamoremque infelici populo concitato, nullam aliam inuenerint cauſam interfectionis eius, niſi quòd Rex Iudæorum eſſet:& illi forſitan illudentes ridenteſque hoc fecerint; cæterùm Pilatus etiam nolentibus reſpondit: Quod ſcripſi ſcripſi, velitis nolitis Iudæi, omnis vobis gentium turba reſpondet: Ieſus Rex Iudæorum eſt.

50 NOtandum decimoſeptimò: quòd in titulo Ieſu Chriſti paſsi tres linguę præ cæteris eminebant. Hebræa propter Iudęos in lege gloriantes: Gręca, propter gentilium ſapientes. Latina, propter Romanos, iã tunc penè omnibus gentibus imperantes. Velint nolint ergo Iudæi, inquit Hieronymus, omne mundi regnum, omnis mundana ſapientia, omnia diuinæ legis ſacramenta teſtantur; quia Ieſus Rex Iudæorum eſt, hoc eſt, imperator credentium & confitentium Deus.

51 NOtandum decimooctauò: verba illa, Deſcende de cruce; dæmones immittere, quod & D. Athanaſius, & S. Hieronymus notauerunt: Mihi, inquit Hieronymus, videntur hoc dæmones immittere. Statim vt crucifixus eſt Dominus, ſciuerunt virtutem crucis,& intellexerunt fractas eſſe vires ſuas; & hoc agunt, vt de cruce deſcendat: ſed Dominus ſciens aduerſariorum inſidias, permanet in patibulo, vt diabolum deſtruat.

52 NOtandum decimononò: Admirabiliùs eſſe tenebris vniuerſam terram offundere, atque tremore concutere, petras ſcindere, eum qui in cruce pendebat, quàm à cruce deſcendere. Quòd ſi hæc eum facere non ſuſpicabantur, ſed quod Deo hæc operante prouenire timere ſanè oportebat & intelligere, quòd propter hunc ad iram Deus commotus eſſet.

53 NOtandum vigeſimò: Diaboli inſtinctu dixiſſe quoſdam: Si filius Dei es, deſcende de cruce; vt ille victus irritationibus deſcenderet, & omnium per crucem ſalus auerteretur: idcircò Chriſtus Dominus, & verè Dei filius, non ceſsit perſuaſioni inimicæ; vt & tu diſcas, quòd non oporteat te flecti machinamentis Diaboli; ſed bonum potiùs ſequi, quamùis homines ſiniſtram opinionem ſint de te ſuſcepturi.

NOtandum vigesimoprimò: Hic per tropum, qui appellatur συλληψις, pro vno latrone vtrumque induci, blasphemasseque Lucam asserere, quod altero blasphemante, alter confessus sit, & quòd increpauerit blasphemantem. Non quòd discrepent Euangelia, sed quòd primùm vterque blasphemauerit: dehinc sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, vnus crediderit in Iesum, & priorem negationem sequenti confessione emendauerit. In duobus latronibus, vterque populus, & gentilium, & Iudæorum, primùm Dominum blasphemauit: postea signorum magnitudine, alter exterritus, egit pœnitentiam; & vsq; hodie Iudæos increpat blasphemantes. Quòd autem ambo confessionem ei passionis exprobrant, vniuersis etiam fidelibus scandalum crucis futurum significat. 54

NOtandum vigesimosecundò: quod dicit Enangelista, Similiter & latrones blasphemasse illum: non tam id demonstrat, quòd vterque blasphemauerit, (etsi & hoc possibile est) quàm illud demonstrare vult, vndique omnium conuiciis impetitum Christum fuisse, vt ne latrones quidem, iam semimortui, illi parcerent. Quemadmodum Psal. 22. suas calamitates deplorans, earum indignitatem inde amplificat; quòd sit opprobrium hominum, & abiectio plebis. 55

NOtandum vigesimotertiò: ne forsitan videretur vmbra terræ, vel orbis lunæ soli oppositus, breues & ferrugineas fecisse tenebras; trium horarum spatium poni, vt omnis causantium occasio tolleretur. Et hoc factum retur Hieronymus, vt compleatur prophetia dicens: Occumbet sol meridie, & contenebrabitur super terram in die lux. & in alio loco: Occubuit sol cùm adhuc media esset dies. Videturque mihi clarissimum mundi lumen, hoc est, luminare maius retraxisse radios suos; ne aut pendentem videret Dominum, aut impij blasphemantes sua luce fruerentur. Iudæique nunc solem obscuratum in morte Iesu Christi aspicerent, qui aliquando signum de cælo ab eo ipso quærebant videre. 56

NOtandum vigesimoquartò: tenebras factas super omnem terram Iudæam vel Ierusalem, vt non omne elementum terræ intelligamus illud esse argumentum, quod scriptum est in 3. lib. Reg. vbi Abdias dispensator dixit Heliæ: Quid peccaui, quoniam tradis me seruum tuum in manu Achab, vt interficias me? Viuit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quo non miserit Dominus meus te requirens, & respondentibus cunctis; Non est hìc: adiurauit regna singula & gentes, eò quòd minimè repereris. Quis enim tam lapideus sit legens ista, inquit Origenes, vt existimet quoniam rex Israël Achab in omnem gentem mundi, & in omne regnum orbis terræ misit, quærens Heliam? & combussit vbicunq; dictum est, Non est Helias. Sed sine dubio exaggeratoriè dicta sunt illa ostendentia, quòd satis eum quæsiuit in gentibus, quæ fuerunt circa Iudæā secundū quod potuit requirere. Quòd autem tribus horis factæ sunt tenebræ super terram Iudæam, illud ostendit, vt idem paulopost notat Origenes, quoniam propter peccata sua priuati sunt lumine Dei patris, & splendore Christi, & illuminatione spiritus sancti. 57

NOtandum vigesimoquintò: sicut Moyse extendenti manus in cælum, 58

factæ

factæ sunt tenebræ super Aegyptios: sic & Christo, hora sexta, manus extendente in cruce ad cælum, super populũ, qui clamauerat, Crucifige eum, factas esse tenebras, & omni lumine priuatos esse in signum futurarum tenebrarũ, quæ apprehensuræ erant Iudaicam gentem.

59 NOtat vigesimosexto D. Hierony: Christum Dominum principio vicesimi primi psalmi abusum esse, illúdque, quod in medio versiculo loquitur, Respice in me, superfluum esse. legitur enim in Hebræo: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? Ergo impij sunt, qui psalmum ex persona Dauid, siue Hester & Mardochæi dictũ putant: cùm etiam Euangelistæ testimonia ex eo sumpta super Saluatore intelligant. vt est illud: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem. Et aliud: Foderunt manus meas & pedes meos. Ne mireris verborum humilitatem & querimonias derelicti, cùm formam serui sciens scandalũ crucis videas. Et secundùm Hylarium, relinquitur, quia erat homo, etiam morte peragendus.

60 NOtandum vigesimo septimò: quorum sucepit naturam eorum deplorare miseriam: ipsa enim natura, quam ille susceperat propter peccatum, derelicta fuerat à patre; non filius, qui vnum cum patre est. Ostenditq; quantum flere debeant, qui peccant; quando sic fleuit, qui nunquam peccauit; & ostendit, quàm patienter & sperantes inter flagella debeant esse, qui peccatores sunt, quando illa ad immortalitatem, non nisi per mortem transiuit.

NOtandum vigesimooctauò: imperitos quosdam & ignaros propheciarũ turbam vocem non intellexisse, & putauisse, quòd Heliam vocaret: non enim omnes Iudæi prophetias callebant; quemadmodum neque christiani æquè omnes, norunt doctrinas Euangelicas.

61 NOtandum vigesimononò: Hoc loco funestas quasdam blasphemias Caluinum vomere, quas, quoniam meliùs est non nosse, quàm nosse; hîc non adscribam, qui perfecti sunt: ex ipso fonte venenorum haurient, qui imperfecti, vtiliùs his rebus carebunt, quàm ea cognoscere possint. Summa est, verba hæc, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti, ex desperatione profecta fuisse. O Euangelicum doctorem! O Christi maiestatis præconem ineffabilem! Sed quis hæc rectè deplorare possit? Atque equidem ita iudico, nullam iniuriam tantam, in toto hoc passionis suæ tempore, non maledictum contumeliosius Christum Dominum à tota Iudæa pertulisse, quantam in hoc loco à Caluino refert: externa enim eius omnes traduxerunt, de internis nemo iudicauit.

62 NOtandum trigesimò: Dominum nostrum regem fuisse Iudæorum, pro ijsque saluandis in mundum venisse. Quoniam autem carnales Iudæi noluerunt eum regnare super se, factus est rex spiritualium Iudæorum; id est, confitentium. Iudæus enim patrum interpretatione confitens est.

63 NOtandum trigesimoprimò: multa esse mortis genera: Christum tamen Dominum crucis potissimùm mortem subijsse, vt & lignum illud con-

 secraret

secraret, per quod purificaremur, & vniuersa sanctificaret, & cælestia, quæ suprema crucis parte designantur, & subterranea, quæ per profundum crucisque partem Iesu Christi pedibus subiectam significatur, & terminos terræ orientalem, inquam, cum occidentali, quæ transuersas partes crucis Domini intelliguntur. Extensis verò manibus, vt filios Dei, qui erant dispersi, complecteretur, aque in vnum congregaret.

64 NOtandum trigesimosecundò: Rationis imò diuinæ pietatis ordinem poposcisse, vt eodem temporis articulo, quo olim Adæ prævaricanti occluserat ianuam paradysi, & latroni pœnitenti ianuam paradysi reseraret, & qua hora primus Adam peccando mortem huic mundo inuexit, eadem sexta nimirum secundus Adam mortem moriendo destruet.

65 VLtimò, ea, quæ Christi mortem consecuta sunt explicantur. In quibus illud primùm notandum est: vbi Christus Dominus expirauit, statim conuerti dolores in gaudia, contumelias in gloriam, labores in victoriam, nec amplius quidquam nisi gloriosum Christo euenire; sic enim prædictum fuit: Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinam lætitia. & à D. Paulo: Christus factus est pro nobis obediens, vsque ad mortem: non inquit, amplius nisi ad mortem: propter quod exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.

66 SEcundò notandum est: Veli scisionem significare omnia legis sacramenta, quæ priùs tegebantur, prodita esse, atq; ad gentium populum transisse. Dicit se legisse Hieronymus in Euangelio Nazaræorum, superliminare templi infinitæ magnitudinis fractum esse atque diuisum. Nulli dubium est, quid significet iuxta literam magnitudo signorum, vt crucifixum Dominum suum, & cælum, & terra, & omnia demonstrarent: sed videtur terræ motus & reliqua typum facere credentium: quod pristinis errorum vitiis derelictis, & cordis emollita duritia, qui priùs similes erant tumulis mortuorum, postea agnouerint creatorem: Petræ enim scissæ sunt. Omnia enim, inquit Hylarius, tum valida & fortia penetrans Dei verbum, & potestas æternæ virtutis irruperat.

67 NOtat tertiò Origenes: duo fuisse vela, vnum quidem interius, quod velabat Sancta sanctorum: alterum autē exterius, siue tabernaculi, siue templi, quæ figuræ erant tabernaculi sancti, quod præparauit ab initio pater. Quorum velorum templi, vnum scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum, quando voce magna clamans IESVS emisit spiritum: hoc ostendens, sicut puto, mysterium: quoniam in pasione Domini Saluatoris, velum quod erat à foris conscissum est à summo vsque deorsum, vt ab initio mundi vsq; ad deorsum, id est, vsque ad finem eius conscisso velamine mysteria publicentur, quæ vsque ad Christi aduentum rationabiliter fuerant occulta. Et nisi ex parte cognosceremus, sed iam nunc manifestarentur omnia adhuc in corpore constitutis dilectis Christi discipulis, vtrum velum fuerat conscindendum, id est, quod à foris est & interius: Nunc autem, quoniam ad scientiam rerum nouarum producimur; ideò quod à foris quidem fuerat velum interim conscinditur

ſcinditur à ſurſum vſque deorſum: vt quando venerit quod perfectum eſt, & reuelata fuerint cætera, quæ reſtabant; tunc auferatur etiam ſecundum velũ, vt videamus etiam, quæ intra ſecundũ velum ſunt occultata, veram arcam teſtamenti: & ſicut ipſa ſe habet natura, videamus Cherubim & Propitiatoriũ verum, & repoſitionem mannæ in aureo vaſe, & omnia manifeſta, atque maiora illis, quæ per legem Moyſi fuerant demonſtrata; in quibus dixit Deus ad eum: Facias omnia ſecundùm formam eorũ, quæ tibi oſtenſa ſunt in monte.

68 NOtandum quartò: Solem tenebris indutum eſſe; templum verò ſcidiſſe velum ſuum, ſignificando, quòd propter abſurdum ac irrationabile ſpectaculum lugeret: lugentium enim eſt veſtem ſcindere, nigraque indui ſtola.

69 NOtandum quintò: Sciſſum velum diuiſum eſſe iam medium parietem inter cælum & terram; puta inimicitiam, quæ inter Deum & homines erat: & factum eſſe hominibus cælum peruium, ſoluto iam per Chriſtum obſtaculo medio, talique nobis aſcenſu innouato. Vniuerſaliter autem quæ facta ſunt, diuinæ iræ ſigna fuiſſe, Iudæorum inſenſibilitatem reprehendentia, horumq; perditionem prædicantia.

70 NOtandum ſextò: Moris fuiſſe Iudæis, ſi quando in Deum blaſphemias audiſſent, diſcindere veſtimenta; ita tum quoque templum Deo moriente veſtem ſuam, velum illud expanſum, ſcidiſſe.

71 NOtandum ſeptimò: Quomodo Lazarus mortuus reſurrexit: ſic & multa corpora ſanctorum reſurrexiſſe; vt Dominum oſtenderet reſurgentem. Et tamen cùm monumenta aperta ſint, non antea reſurrexerunt, quàm Dominus reſurgeret, vt eſſet primogenitus ex mortuis. Sancta autem ciuitas appellabatur Ieruſalem, propter templum & ſancta ſanctorum, & ob diſtinctionem aliarum vrbium in quibus idola colebantur. Quando verò dicitur: apparuerunt multis; oſtenditur, non generalis fuiſſe reſurrectio, quæ omnibus apparet; ſed ſpecialis ad plurimos, vt hi viderent, qui cernere merebantur.

72 NOtandum octauò: mortuorum reſurrectionem, quæ facta eſt Chriſto Domino in cruce pendente, ſignificare ab inferis animarum liberationem; viſi autem ſunt à multis; qui tunc reſurrexerunt, ne videretur id phantaſma eſſe, quod factum eſt.

73 NOtandum nonò: id Centurionem ante crucem in ipſo ſcandalo paſſionis, verè filium Dei confiteri; & Arium in Eccleſia prædicare creaturam.

74 NOtandum decimò: vt infidelitatis facinus Iſraëli accommodaretur: Centurionem, & cuſtodes, hanc totius naturæ perturbationem contuentes, Dei filium Chriſtum Dominum confiteri.

75 NOtandum duodecimò: conſuetudinis Iudaicæ fuiſſe (nec ducebatur in culpam moræ gentis antiquæ) vt mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat

in nationibus. Paulus abiecisse se memorat; dicit enim ipse: Nunquid non habemus potestatem ex more veteri, Iudæorum, & legis, sorores mulieres circunducendi, sicut & cæteri Apostoli faciunt? Ministrabant autem Domino de substantia sua, vt meteret earum carnalia, cuius illæ metebant spiritualia. Non quòd indigeret Dominus cibis creaturarum; sed vt typum ostenderet magistrorum, quòd victu atq; vestitu ex discipulis deberent esse contenti.

NOtandum tredecimò: cæteris relinquentibus Dominum, mulieres in officio perseuerare, expectantes quod promiserat Iesus; & ideò meritas fuisse quòd primæ viderent resurgentem: quia qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Fit autem hoc & nunc sæpius, vt Apostolis, Apostolicisque viris, causam Dei, & Ecclesię Dei deferentibus, mulierculæ eam tueantur ac defendant; vt imbecilla confundant fortia. 76

NOtandum quartodecimò: Mulieres à longè stetisse, respectu militum crucifigentium & custodientium; sed propè eas fuisse respectu aliorum astantium. Non erant enim ita longè, quin possent eum loquentem audire, quando dixit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. 78

NOtandum decimoquintò: Iosephum diuitem referri non de iactantia scriptoris, quo virum nobilem atque ditissimum referat Iesu fuisse discipulum; sed vt ostendat causam, quare à Pilato corpus Iesu potuerit impetrare. Pauperis enim & ignoti non erat ad Pilatum Præsidem Romanæ potestatis accedere, & crucifixi corpus impetrare. 79

NOtandum sextodecimò: Mysticè illum corpus Iesu postulare, qui pro digna receptione Eucharistiæ Deum suppliciter exoret, & inuoluere syndone mnnda; quando receperit mente pura: ponere in monumento nouo; id est, corde, per gratiam renouato. Et aduoluere saxum magnum adostium; quando ponit diligens obstaculum contra peccati recidiuam: & mulieres sedent contra sepulchrum; cùm animæ deuotæ considerant passions Christi mysterium. 80

NOtandum decimoseptimò. Nos Domini corpus per participationem in altari accipientes, exemplo Iosephi & Nicodemi, odoramentis etiam vngere debere suauibus; videlicet virtutũ operibus, ac opere, & contemplatione. 81

NOtandum decimooctauò: quemadmodum hoc loco ambitio diuitum condemnatur, qui neque in tumulis possunt carere ambitione; ita & impietas, & inhumanitas hæreticorum conuincitur, qui suos mortuos proiiciunt potiùs, quàm sepeliunt. Cùm Christus Dominus in omni vita nihil splendidum & sumptuosum secutus, honestissimè tamen sepeliri voluit. Nam & à magnis & in monumento sumptuoso, & pretiosis vnguentis atque aromatibus conditus sepelitur; vt idem postea fietet in membris, quod nunc antecessit in capite, quod idem antè sancti patriarchæ, atque alij sancti fecerunt; certa spe resurrectionis, & futuræ salutis subnixi. Isti ad asininam sepulturam omnia referunt. ositus autem est in nouo monumento Christus Dominus, 82

ne post

ne post resurrectionem cæteris corporibus remanentibus, resurrexisse alius fingeretur. Quanti autem veteres sepulturam fecerunt, declarat hoc exemplo suo Nicodemus, qui priorem timorem sequenti audacia mirabiliter abluit, & seipsum in mortem tradidit, ob beneuolentiam quam gerebat erga præceptorem, suscipiens in se cunctorum inimicitiam Iudæorum.

83 NOtandum decimononò: De monumento Domini, id eos afferre, qui nostræ ętatis tempore de Hierosolymis venêre, quòd domus fuerit rotunda de subiacente rupe excisa; tantæ altitudinis, vt intrò consistens homo, vix manu extensa culmen posit attingere, quæ habet introitum ab oriente; cui lapis ille aduolutus atque impositus est: in cuius monumenti parte Aquilonari, sepulchrum ipsum, hoc est, locus Dominici corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis, trium verò palmarum mensura cætero pauimento altiùs eminens: qui videlicet locus non desuper, sed à latere meridiano per totum patulus est, vnde corpus inferebatur; color autem eiusdem monumenti ac loculi, rubicundo & albo dicitur esse permixtus.

84 NOtat vigesimò Hieronymus: Non suffecerat, inquit, principibus sacerdotum, & Scribis, & Pharisæis crucifixisse Dominum Saluatorem, nisi sepulchrum custodirent, cohortem acciperent, signarent lapidem, & quantum in illis est, manum apponerent resurgenti; vt diligentia eorum nostræ fidei proficeret. Quantò enim amplius reseruatur, tantò magis resurrectionis virtus ostenditur. Nec secus atque fratres Ioseph vendiderunt ipsum, ne adorarent eum, & per hoc compulsi sunt adorare, secundùm ordinem prouidentiæ diuinæ: sic Principes Iudæorum volentes impedire celebritatem nominis Christi, fuerunt valdè diligentes de custodia sepulchri, & per hoc celebrata est fama de veritate eius resurrectionis. Vnde in monumento nouo, quod excisum fuerat de petra, conditus est; ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur. Quod autem in sepulchro ponendus esset, Prophetæ testimonium est dicentis: Hic habitabit in excisa spelunca petræ fortisimæ; statimque post duos versiculos sequitur: Regem cum gloria videbitis.

85 NOtandum vigesimoprimò: Mysticè in nomine seductoris, & furto discipulorũ, verum licet ignorantes vaticinari: Seductor enim erat Christus, nõ vt illi arbitrantur à veritate in errorem mittens, sed à falsitate in veritatem: quia sicut Diabolus est mediator ad mortem homines seducendo; ita & Christus mediator est, ad vitam mundum reconciliando. Discipuli quoque Saluatoris, fures spiritualiter erant: quia contemptoribus & ingratis scripturam noui & veteris testamenti per iustum ablatum iudicium, in vsus Ecclesiæ conferebant; & Saluatorem qui eis promissus, & missus fuerat, illis nocte dormitantibus, id est, infidelitate torpentibus distulerant, & gentibus credendum tradebant. Et erat illis prior infidelitas resurrectionis, quàm credulitas crucis.

86 NOtandum vigesimosecundò: Impietatẽ seipsam suis verbis expugnare: Dicite sacerdotes, inquit Origenes, cùm dixisset Iesus: Soluite templum hoc, & ego in triduo suscitabo illud; ad quod propositum eum dixisse: putastis an de solu-

de solutione & de resurrectione corporis sui, de templi destructione, & reparatione ipsius? Si enim intellexistis sic, quia de resurrectione sua ista dicebat; quomodo testimonium dantes aduersus eum dixistis, Quoniam hic dixit, possum destruere templum hoc, & in triduo reædificare illud? Si autem verè de templo illo non intellexistis, secundùm quod & testimonium præbuistis; vnde modò scitis, quia dixit; post tres dies à mortuis se resurrecturum? Per hæc enim verba, ipsi testimonium suum illud condemnant, quoniam verè intelligentes eum de resurrectione corporis sui illa dicere, & scientes conuerterunt sermones eius ad destructionem & reparationem illius insensibilis templi.

NOtandum vigesimotertiò: quia credi oportebat, quòd mortuus esset & sepultus, quodque resurrexisset. Vide, inquit, tria hæc inimicorum testimonijs approbata: consideranda sunt enim verba eorum. Quod enim aiunt: Recordati sumus, quod impostor ille dixit adhuc viuẽs: attestatur quòd mortuus sit. Porrò, quod subiungunt: Ne quando venientes discipuli eius, furẽtur ipsum: plenam facit fidem, quòd munito sepulcro, non sit furto sublatum corpus; & ita resurrectioni contradici non potest. Dignũ est autem, vt inquiramus, vbi dixerit, Post tres dies resurgam: siquidem variis in locis dixit discipulis: Tertia die resurgam; id autem, Post tres dies resurgam, nusquam dixit. Hoc itaque Iudæi ab exemplo Ionæ, quod ad eos dixerat, colligebant. Postremum verò errorem dicebant, quòd à mortuis resurrexerit; priorem verò, quòd sit filius Dei. Sed, ô insensati, quo tandem fine essent ipsum furto sublaturi? Nisi enim tertio die resurrexisset, sicut promisit, manifestum est, quòd decepti, & propter eum ab omnibus gentibus odio habiti, sine domibus, & extorres facti potiùs, auersabuntur eum, & odio habebunt tanquam impostorem, & ita nollent eum furari, sed neque populo persuadere poterunt, quòd à mortuis surrexerit. Cui enim innitentur? an vehementiæ sermonum? atqui illiterati sunt: an fortè abundantiæ rerum? atqui sunt omnium pauperrimi. Generis fortassis claritati; verùm ignobiles sunt, & ab ignobilibus progeniti: vtrum sui ipsorum multitudini? at non plures sunt quàm duodecim: vtrum patriæ splendori? verùm à regionibus sunt scuris & ignobilibus. An putatis quòd præceptoris promisionibus? Quibus? Si enim non resurrexerit, neque illis credituri sunt. Demonstratum est igitur, quòd vanè suspicamini, hunc furto auferendum esse: ob dictas enim causas est incredibile.

NOtandum vigesimoquartò: Quem Deus despexerit, neminem corrigere posse. Viderunt Iudæi obscurationem solis, viderunt elementorum perturbationem, petras scissas, templum commotum; post hæc tamen omnia hunc tantum tantæ potestatis regem impostorem appellare, non verentur ipsi perditi impostores.

NOtandum vigesimoquintò: metum, furendi corporis & sepulchri custodiam atque designationem, stultitiæ atque infidelitatis testimonium esse, quòd signare sepulchrum eius voluerint, cuius præcepto conspexissent, de sepulchro mortuum suscitatum.

NOtandum vigesimosextò: non permisisse Pilatum, vt soli milites muniren

87

88

89

90

nirent ſepulchrum; ſed Principibus ſacerdotum ac Phariſæis præcipuè commiſiſſe, ea quæ muniminis erant; ſequente eos cuſtodia: ita enim Deus ordinauit, ne poſt reſurrectionem dicere poſſent, quòd cùm ſoli milites ſepulchrum muniuiſſent, tradiderant corpus diſcipulis.

Caput XXVIII.

1 VLTIMVM CAPVT SVMMAM DOMINICAE RESVRRECTIonis continet; ac epilogum vniuerſæ doctrinæ Chriſti, tanquam in breui tabula proponit; in quo illa notanda ſunt. Primò, Hebræos Sabbathum honorantes, ſeptimum videlicet hebdomadæ diem, etiam ſex dies ipſum præcedentes, in honorem eius, Sabbatha appellaſſe, nominantes diem Dominicum vnum; ſiue primum Sabbathorum: ſecundum autem Sabbathorum, & tertium Sabbathorum, & ſecundum ac tertium ſeptimanæ diem, & ſimiliter alios ſequentes.

2 NOtandum ſecundò: quod aptiſſimum quodam diem ſequebatur nox, quia homo à luce paradiſi peccando lapſus in huius ſeculi tenebras decidit. Aptiſsimè nunc ſequitur dies noctem, quando per fidem reſurrectionis à peccati tenebris, & vmbra mortis ad lucem vitæ, Chriſto largiente reducimur.

3 NOtandum tertiò: Dominum ideò ſubobſcuriùs reſurrectionem ſuam proferre, atque in lucem oſtendere, quòd ea res fuit, quæ à ſenſibus hominum non ita facilè capi potuit, & in tam re ardua & neceſſaria, vt in cæteris exercitio fidei, locus relinquendus erat.

4 NOtandum quartò: quòd diuerſa tempora iſtarum mulierum in Euangelio deſcribuntur, non mendacij ſignum eſſe (vt impij obiiciunt) ſed ſedulæ viſitationis officium, dum crebrò abeunt & recurrunt; & non patiuntur à ſepulchro Domini diu abeſſe, vel longiùs.

5 NOtandum quintò: Interrogandos eſſe hæreticos, ex qua ſcriptura, aut ex qua doctrina Chriſti didicerunt Mariæ iſtæ, vt ad hunc modum Chriſtum venerarentur, corpus eius inungerent, inuiſerent, ſanctis orationibus proſequerentur. Fallit igitur, & fallitur hæreſis, quæ non aliter Chriſtum Dominum colendum eſſe docet, quàm vt ipſe præſcripſerit & mandauerit. Etſi Caluinus hoc illarum opus meritorium fuiſſe dicat; quòd, inquit, initium fecit à mulieribus, nec mòdò ſe illis viſendum exhibuit, ſed iniunxit etiam apud Apoſtolos Euangelij præconium, vt illorum quaſi magiſtræ forent, in eo primũ caſtigatus fuit Apoſtolorum torpor, qui pauore ferè iacebant exanimes: quũ fœminæ ſedulò ad ſepulchrum properarent, quibus etiam non vulgaris merces repenſa fuit. Quanquam id paulò pòſt eas in hoc opere peccaſſe dicit, & dignas eſſe, quæ ignominia & pœna repudiarentur, rudes etiam & inſcias appellat.

6 NOtandum ſextò: Chriſtum Dominum quemadmodum natus eſt, ſer-

uatis integris claustris virginis; ita quoque resurrexisse seruatis integris monumenti signaculis. Terræ autem motum factum esse propter asidentes sepulchro custodes, vt timore terræ motus erecti, & horrore aspectus eius qui lapidem reuoluerat, consternati fugerent, & hæc Iudæis nunciarent, ac testes ipsi fierent veritatis; hæc enim maximè fulgere solet, quando ab inimicis suis prædicata fuerit. Lapidem verò reuoluisse angelum propter mulieres, vt sepulchrum viderent vacuum, ac surrexisse crederent: illudque Euangelistas significauisse, quando ad monumentum venerunt mulieres: quando verò resurrexit Christus, nullum eorum indicauisse: solus enim hoc nouit, qui solus surrexit & nouit.

NOtandum septimò: Motum terræ tempore matutino diei Dominici resurrectionis esse virtutem: cùm concluso mortis aculeo, & illuminatis illius tenebris resurgente virtutum cęlestium Domino, infernorum trepidatio commouetur. Angelus autem Domini descendens de cælo, & lapidē reuoluens, & sepulchro adsidens; misericordiæ Dei patris insigne est, resurgenti filio ab inferis, virtutum cælestium ministeria mittentis. Notat autem Lyranus, terræ motum factum esse virtute angeli: quia corporalia obediunt angelis ad nutum, quantum ad motum localem. 7

NOtandum octauò: facientibus quod ex nobis est Deum nunquam deesse, quod nunc in Mariis videmus: adsunt angeli, reuoluunt lapidem, solantur, instruunt. 8

NOtandum nonò: Dominum nostrum vnum, atque eundem filiū Dei, & filium hominis, iuxta vtramque naturam diuinitatis & carnis, nunc magnitudinis, nunc humilitatis signa demonstrare. Vnde & in præsenti loco, quanquam homo sit, qui crucifixus est, qui sepultus est, qui clausus tumulo, quem lapis oppositus cohibet; tamen, quæ foris aguntur, ostendunt filium Dei: sol fugiens, tenebræ ingruentes, terra commota, velum scissum, saxa dirupta, mortui suscitati, angelorum ministeria, quæ ab initio natiuitatis eius Deum probabant. Ad Mariam Gabriël venit: cum Ioseph angelus loquitur: idem pastoribus nunciat: angelorum posteà auditur chorus dicentium: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tentatur in solitudine, & post victoriam seruiunt angeli: Nunc quoque angelus venit, custos sepulchri Dominici, & in vestitu candido, signat gloriam triumphantis. Nec non ascendente ad cælos Domino, duo angeli in Olioueti monte cernuntur, pollicentes Apostolis secundum Saluatoris aduentum. 9

NOtandum decimò: duos angelos Mariis apparuisse. Primum, qui foris extra sepulchrum illas allocutus est: secundum, qui intra sepulchrum ingressas consolatur: & primùm quidem separatim ingressas allocuti sunt animantes eas, ac confirmantes; ac gloriosissimam mortem Iesu Christi illis prędicantes: deinde coniunctim eas increpantes, vbi testimonio suo, ac rei ipsi quam viderant credere noluerunt; Quid, inquiunt, quæritis? viuentem cum mortuis: surrexit, non est hîc, &c. 10

NOtandum vndecimò: in resurrectione stantem apparuisse angelum, qui 11

qui aduentum Domini in mundo prædicabat, ad debellandum mundi principem venire istum sedentē; vt etiam sedendo figuraret eum superato mortis authore, sedem regni iam conscendisse perpetui, sedentem super lapidem, quo ostium monumenti claudebatur, vt claustra infernorum sua illum virtute deiectis superasse doceret.

12 NOtandum duodecimò: & in veteri, & n ouot testamento, quod quando augustior aliqua apparuerit visio; primùm imore pellitur, vt sic mente placata, possint, quæ dicuntur audiri: quod tem & in annunciatione incarnationis Dominicæ factum legimus: Ne times Maria. Et in discipulorum naufragio: Nolite timere, ego sum.

13 NOtandum tredecimò: angelum non confundi dicere Dominum suum crucifixum: quia his quidem, qui ante ipsum crucifixi sunt, crux ignominia erat, quum argumentum esset maleficij eorum; huic verò potiùs gloria, quum fuerit demonstratio beneficij in homines collati, propter quod ad crucem condemnatus est.

41 NOtandum quartodecimò: Iubere angelum discipulis, vt abeant in Galilæam, in qua sine Iudæorum timore ad eum accessuri erant, & cum illo collocuturi.

15 NOtandum decimoquintò: duplicem mentes mulierum tenuisse affectum: timoris & gaudij: alterum de miraculi magnitudine, alterum ex desiderio resurgentis; & tamen vtrumque fœmineum concitasse gradum. Pergebant ad Apostolos, vt per illos fidei seminarium spargeretur.

16 NOtandum sedecimò: quærentibus se in veritate ipse Dominus occurrit, ac spontè se offert; quod in Mariis videmus: Propè est enim Dominus omnibus inuocantibus eum; & dicet: Ecce adsum. Quæramus igitur, & inueniemus illum: conuertamur ad eum, & conuertetur ad nos.

17 NOtandum decimoseptimò: Dominus mulieribus post angelorum apparitionem, earumque instructionem occurrisse & consalutasse, vt nunciaturæ expectantibus discipulis resurrectionem, non angeli potiùs quàm Christi ore loquerentur.

18 NOtandum decimooctauò: quòd præsens vbiq; diuina maiestas, aliter electis suis, aliter est reprobis: adest enim reprobis potentia naturæ incomprehensibilis, qua omnia cognoscit nouissima & antiqua, intelligit cogitationes à longè, & omnes vias singulorum præuidet. Adest electis gratia piæ protectionis, qua illos specialiter per præsentia dona vel flagella, quasi filios pater erudit, atque ad possessionem futuram erudiendo prouehit.

19 NOtandum decimononò: Mulieres accessisse, & tenuisse pedes eius, quia adorauissent eum. Cæterum illam quæ quærebat viuentem cum mortuis, & nesciebat adhuc filium Dei resurrexisse, meritò audiuisse: Ne tangas me; nondum enim ascendi ad patrem meum.

NOtandum vigesimò; fratres appellauisse Dominus Apostolos, partim secundùm incarnationem; fratres siquidem sunt inter se mutuò omnes homines, simul etiam ad honorem ipsorum. 20

NOtandum vigesimoprimò: quanto honore sancti sunt habendi, quos Christus Dominus fratres vocat: Nunciate fratribus meis; qui autem non honorat iuniores fratres, ille & seniorem facilè contemnet; quod hac ætate euenisse videmus. Contempserunt hæretici sanctos, contempserunt matrem Dei, ad extremum & ipsum Christum contempserunt. 12

NOtandum vigesimosecundò: verissimam fuisse promissionem Christi Domini, contra quam mentitus est Apostata Iulianus, quasi promiserat se in Galilæa videndum esse, & Hierosolymis se eis videndũ præbuerit. Sed & hoc compleuisse promissum, visum ab eis postmodum in Galilæa: donauisse autem & alteram gratiam, dũ priùs eis apparuerit Hierosolymis, vt & mœrorem eorum solueret, & mulierum verba confirmaret, aliorumq; qui eum viderunt postquam resurrexerat. 22

NOtandum vigesimotertiò: custodes miraculum confiteri ad vrbem concitos redire, nunciare Principibus sacerdotum, quæ viderint, quæ facta conspexerint. Illos qui debuerant conuerti ad pœnitentiam, & Iesum quærere resurgentem perseuerare in malitia, & pecuniam quæ ad vsum templi data fuerat vertere in redemptionem mendacij; sicut antea triginta argenteos dederant Iudæ proditori. Omnes igitur qui stipe pleni, & his quæ conferuntur, ad vsus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & sacerdotum redimentium mendacium & Saluatoris sanguinem. 32

NOtandum vigesimoquartò: Iudaicum esse pecunia omnia velle perficere; nam & isti Christum ante mortem pecunia emunt, & post gloriosissimam eius resurrectionem, eam gloriam, ne propagetur à militibus, pecunia redimunt. Simoniaci igitur, qui omnia pecunia comparare volunt, Iudæorum sunt similimi, quin deteriores Iudæis. 24

NOtandum vigesimoquintò: Principes sacerdotum priùs emisse cædem Domini; nunc verò etiam veritatem emere resurrectionis illius & propriam conculcare conscientiam: nec pudet ipsos deprauare custodes, sed efficto mendatio, simul cum eis mendacium occultare, vtentes ijs, qui veritatis testes erant, vt mendacij fierent ministri. 25

NOtandum vigesimosextò: Christum Dominum non in Galilæa solùm, neque ibi primum visum esse à discipulis. Lucas enim & Ioannes satis apertè dicunt ipso die resurrectionis, Dominum visum esse in Ierusalem: primò Mariæ Magdalenæ, quando dictum est ei; Noli me tangere: deinde eidem, & alij Mariæ currentibus nunciare Apostolis, quando & pedes eius tenuerunt: visus est etiam ipso die duobus discipulis in via: visus item est & Petro; quod quomodo factum sit, Euangelista non declarat: visus est & discipulis si- 26

lis si-

lis simul, cùm loquerentur, reuersis illis, qui cognouerunt eum in fractione panis, quando stans in medio eorum, dixit: Pax vobis. Tum specialiter Matthæus & Marcus scribunt, dixisse angelum, vel ipsum Dominum, quòd in Galilæa videndus esset.

27 NOtandum vigesimoseptimò: plures fuisse apparitiones, quod innuit Paulus dicens: Visus est Iacobo, visus est plus quàm quingentis fratribus simul, sed decem leguntur in Euangeliis, quinquies in ipso resurrectionis die. Primò, apparuit Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum: postea eidem, & alij Mariæ egredientibus nunciare Apostolis: tertiò Simoni: quartò Cleophæ & socio eius: quintò reuersis illis & narrantibus, quomodo cognouerũt eum in fractione panis, apparuit ianuis clausis, vbi Thomas aberat: sextò, post dies octo, quando cum eis erat Thomas: septimò, piscantibus ad mare Tyberiadis: octauò, in monte Galilææ, qui non longè erat ab Ierusalem: nonò, recumbentibus illis vndecim die quo ascendit: decimò, viderunt eum iam non in terra positum, sed eleuatum in aëre cælos petentem; dicente eis Angelo: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.

28 NOtandum vigesimooctauò cum Lyrano: Discipulos, post resurrectionem Saluatoris, abiisse in montem Thabor, in quo transfiguratus fuit coram Iacobo, Petro, & Ioanne: ibi enim paucis ostenderat gloriam suæ resurrectionis; vt superiùs cap: 17. dictum est, & ideò ibi resurrectionem suam completam, manifestauit omnibus discipulis suis. Vnde probabiliter creditur, quòd illa sit manifestatio, de qua Apostolus 1. Cor: 15. Deinde visus est plus quàm quingentis fratribus simul; hîc tamẽ non exprimuntur nisi vndecim Apostoli, qui erant principales Christi discipuli: In monte autem eis apparuit Dominus, vt significaret, quod corpus, quod de humani cordis terra nascendo susceperat, iam super omnia terrena subleuabat. Et vt admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hîc ab infimis voluptatibus studeant ad superna desideria transire.

29 NOtandum vigesimononò: Christum Dominum, dum, inquit, datam sibi esse omnem potestatem in cælo & in terra, de assumpta loqui humanitate, quam suscipiendo minoratus est paulò minùs ab angelis, & in qua resurgendo à mortuis, gloria & honore est coronatus, & constitutus super opera manuum patris, omniaque subiecta sub pedibus eius, interque omnia etiam mors ipsa eius pedibus substrata est, quæ ei ad tempus visa est præualere.

30 NOtandum trigesimò: illi potestatem datam esse, qui paulò antè crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui mortuus iacuerat, qui postea resurrexit. In cælo autem & in terra potestatem datam esse; vt qui ante regnabat in cælo, per fidem credentium regnet in terris.

31 NOtandum trigesimoprimò: cùm ad victoriam totius orbis subigendam omnem potestatem, confundendam omnem sapientiam, omnia eloquentiæ ora obstruenda, diabolum vincendum, mundum calcandum, vndecim solos viros mittat infantes, inermes, pauperes, vt audeant, vt confidant, vt magno animo

animo agant, vt nulli cedant, nullum metuant; addit illis animum: Confidite, inquit: omnia mihi, qui caput vestrum sum, tradita sunt à patre meo, siue quæ in cælo, siue quæ in terra: vincetis hæc omnia: cuncta cedent vobis. Quomodo autem tradita sint, pulchrè explicat Theophylactus: Habuit quidem vt Deus & creator omnium rerum potestatem: Omnia enim seruiunt Deo, inquit Dauid; sed spontaneam illarum rerum non habuit subiectionẽ: Nunc ergo, inquit, habebo & istam, subiicientur enim mihi omnia, quia per crucem vici illum, per quem mors habebat potestatem. Duplex enim est subiectio, quædam non voluntaria, & hac omnes etiam nolentes sumus serui Dei, vt & dæmones: quædam voluntaria, qua Paulus erat seruus Christi. Antè enim, cùm haberet subiectionem omnium non voluntariam, Saluator noster dimidium habuit potestatis: post crucem verò, cum Deus omnibus cognitus est, subiecti ei fuerat omnes, voluntaria etiam subiectione. Non sine causa igitur Christus nunc dicit, se accepisse omnem potestatem: priùs scilicet mihi in parte aderat potestas, quia non voluntaria mihi omnia seruiebant, propterea quia creator sum: nunc verò seruiunt mihi homines volentes, quia cognitus Deus illis est; & ideò integra mihi & omnis potestas tradita est. Obseruandum est, potestatem hanc non fuisse liquidò cognitam, donec à mortuis resurrexit; quia tunc demũ summi regis insignibus ornatus, in sublime prodiit.

NOtandum trigesimosecundò: Præcipere Christum Dominum primùm docere omnes gentes, deinde doctas, intingere aqua. Non enim potest fieri, vt corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antea anima fidei susceperit veritatem. Baptizantur autem, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, vt quorum vna est diuinitas, vna sit largitio, nomenque Trinitatis vnus Deus est. 32

NOtandum trigesimotertiò: Ordinem functionis Apostolicæ, Dominum iussisse Apostolis, vt primùm docerent vniuersas gentes; deinde fidei intingerent sacramento, & post fidem ac baptisma, quæ essent obseruanda, præciperent. Ac ne putemus leuia esse, quæ iussa sunt, & pauca; addidit: Omnia, quæcuuque mandaui vobis, vt quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant, quæ præcepta sunt. 33

NOtandum trigesimoquartò: Christum Dominum priùs docere omnes gentes, id est, scientia veritatis instituere, ac sic baptizare: Quia sine fide impossibile est placere Deo. &, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei: ad extremùm verò subiungit: Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis. Quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. Et hæc summa ac plena complexio totius Christi doctrinæ est, credere, & facere. 34

NOtandum trigesimoquintò: prædictum fuisse per Isaiam: Deum abbreuiatum verbum daturum, abbreuiatam legem: hæc igitur nunc proponitur: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: proponite credenda, proponite & agenda: credenda; patris, & filij, & spiritus sancti, in vnitate confessionem: agenda; non vnum & aliud, sed docentes eos seruare, omnia quæcunque præcepi vobis: non igitur confidas, 35

fidas, si vnum & aliud rectè perfeceris, omnia à te requiruntur, quæ præcepta sunt tibi: qui enim in vno deliquerit, reus est omnium. Summa igitur salutis est, in vsu sacramentorum, in recta fide, & in bonis operibus, contrà quàm mentitur hæresis; nisi fortasse huic epilogo totius Euangelij credere nolimus.

36 NOtandum trigesimosextò: Ecclesiam Dei fore debuisse vniuersalem, per totum orbem fusam, contrà quàm mentiebantur Donatistæ, atque nunc Anabaptistæ: Euntes, inquit, docete omnes gentes.

37 NOtandum trigesimoseptimò: Non omnes passim, sed pręcipuos quosdam ad munus prædicandi Euangelium Christum vocasse; sed vndecim solos qui fuerunt cum illo à principio, & quibus datum fuit nosse mysteria regni Dei; contrà quàm sentit & facit hæresis. quod & Apostolus copiosè dilatat: Nunquid, inquit, omnes prophetæ? nunquid omnes Apostoli?

38 NOtandum trigesimooctauò: Pepigisse fœdus Dominum cum Abram: quòd semini eius daturus esset terram à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphraten, Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, & Hethæos, & Phærezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Cananæos, & Gergesæos, & Iebusæos. Datæ sunt ei, inquit Ambrosius, tanquam in disciplinam alienigenæ nationes, vt mens æqui seruantissima recideret vitia, emendaret errata. Magis tamen euidens Ecclesiæ declaratum est mysterium: quia per Apostolos, qui sunt Israëlitæ, ex quibus est Christus secundùm carnem, congreganda Ecclesia foret, crediturus populus nationum. Simile enim quodammodo fœdus Saluatorem nostrum, cum suis Apostolis pepigisse videmus: Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: docentes eos seruare omnia, quæ mandaui vobis. lib. de Abram 2. cap. 9.

39 NOtandum trigesimononò: quemadmodum Apostolatus non est inanis titulus honoris, sed operosum munus verbo prædicando destinatum; ita falsò docet Caluinus, Summos Pontifices non esse veros successores Apostolorum, quòd non prædicent verbum: quasi verò, Prædicare verbum, solùm hoc sit, ex cathedra populos docere, & non etiam scribere, prædicatores ordinare, & cætera omnia, quæ ad prædicationem verbi pertinent, præparare; sed eò magis ad eius executionem.

40 NOtandum quadragesimò: obstrui hoc loco os primùm Arij eiusque sequacium, qui in diuinis pluralitatem ponebant, non personarum tantùm, sed etiam & naturarum: dum hoc loco non in nominibus multorum, sed in vnius Dei natura baptizari iubemur. Obstruitur similiter & os Sabellij, qui non naturas tantùm coniungebat, sed & personas; vnam scilicet personam, nunc patrem, nunc filium, nunc spiritum sanctum appellari dicens: cùm hoc loco apertè non nomine tantùm, sed re distinctas audiamus: In nomine, inquit, patris, & filij, & spiritus sancti.

41 NOtandum quadragesimoprimò: mentiri Caluinum hoc loco, contra

omnem vetustatem, baptismum conferre, ad solos Apostolos pertinuisse: & si ab aliis conferatur, eius prophanationem esse. Nam etsi principaliter baptismus ad sacerdotes pertineat; propter tamen eius necessitatem inter plures communicatus est. Sed hoc inde accidit Caluino, quòd ille in fide parentum putat infantes saluari posse. Vbi videre est miram hominis vesaniam: ea quæ nihil ad laicos pertinent, laicis tribuit; vtpotè Cœnæ Domini administrationem, & aliorum sacramentorum, sed & doctrinæ: ea autem quæ maximè necessaria sunt, & communia, ad solos Apostolos refert.

42 NOtat quadragesimosecundò Hieronymus: Christum Dominum, qui vsque ad consummationem seculi cum discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendere semper esse victuros, & se nunquam à credentibus recessurũ: qui autem vsque ad consummationem mundi sui præsentiam pollicetur, non ignorare eam diem, in qua se scit futurum cum Apostolis.

43 NOtandum quadragesimotertiò: duo vniuersalia capita vniuersæ Christianæ doctrinæ hoc loco proponi: Theologiam, inquam, theoricam, & practicam virtutem. Dicens enim: Baptizantes eos in nomine patris, theoricã nobis tradit: Docentes autem eos omnia mandata seruare, practicam virtutem inducit. vtramque partem eius philosophiæ hæretici perdiderunt.

44 NOtandum quadragesimoquartò: æternam successionem Apostolicam hoc loco à Christo Domino adstrui, cùm dicit: Ego vobiscum sum, vsque ad consummationẽ seculi. Isti profectò, ad quos nunc loquitur, ad consummationem seculi manere non poterant; de ordine igitur potiùs eius successionis, quàm de personis loquitur.

45 NOtandum quadragesimoquintò: non hoc Christum dicere, quòd vsq; ad consummationem seculi cum illis futurus sit, quasi post consummationem illos deserturus; sed est hic modus scripturæ, quale & illud est: Non cognouit eum, donec pareret filium suum primogenitum. & illud: Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum:

46 NOtandum quadragesimosextò: quandoquidem mittebat Christus Dominus discipulos ad gentes, ad certas cædes, ad certa pericula & mortes; hac eos confortabat ratione: Ego, inquit, vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi: ne, inquit, grauiter feratis: potentem ducem habetis, cui omnia tradita sunt, quæcunque in cælo & in terra: neque ista diuturna sunt, siue bona, siue mala, sed ad consummationẽ tantùm seculi, quæ instat. Itaq; nec aduersis succumbatis, præteribunt enim: neque secundis efferamini, præteribunt enim.

47 NOtandum quadragesimoseptimò: Ecclesiam catholicam errare non posse; partim propter assistentiam spiritus sancti: Non faciam, inquit, à vobis auolare doctorem; partim ob præsentiam Christi: Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.

48 NOtandum quadragesimooctauò: Ecclesiam Dei inexpugnabilem esse, ac per-

ac perpetuò duraturam: etiamsi portæ inferorum insurgant contra eam. Dominus enim est à dextris eius, & in æternum non commouebitur: Ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.

49 NOtandum quadragesimononò & vltimò: Scribere Caluinum, se facilè passurum, Papam esse Petri successorem, si iubeat omnia facere, quæcunq; Dominus præcepit. Nos autem dicimus, eum iubere, præcipere, mandare, orare, obsecrare, omnibus modis prouocare: Caluinum autem illud docere, ex sola fide, & prædestinatione, omnem salutem pendêre. Sed hæc hactenus.

Laus Christo Domino.





STANISLAI SOCOLOVII,

IN D. MARCI EVANGELIVM NOTÆ.



STANISLAI SOCOLOVII, IN D. MARCI EVANGELIV NOTÆ.

Caput primum.



DE D. MARCO LEVITA, EIVSQVE EVANGELIO, illud primùm notandum: eum à D. Petro filium, à D. Paulo consobrinum Barnabæ vocari: à Luca quoque in Actis, Ioannem cognominatum Marcum nominari. Eundem cõmitem suum sibi in ministerio vtilẽ fuisse, ad Timotheum scribit Paulus. De eodem notandum est illud apud Clementem Romanum, tantum in auditorum animis pietatis reliquisse lumen Petrum, vt auditis contenti esse, & in iis, quæ scripto de diuino verbo addidicissent, permanere non possent. Quam ob causam Marcum, qui tum Apostolum consectabatur, magna animorum contentione obtestabâtur, vt monumentum aliquod traditæ sine scripto disciplinæ, in literas relatum eis relinqueret: neque priùs inde discederet, quàm id, quod rogatus esset, perfecisset. Quo cognito Apostolus diuini instinctu spiritus, tam eximia eorum virorum delectatus voluntate & cupiditate est: proindeque scriptum id iudicio suo comprobauit, & vt in Ecclesiis legeretur constituit. Tum & illud ex Irenæo: Marcum, quòd Petri esset interpres, quæ memoriæ commendauerat, certò & diligenter conscripsisse; non tamen seruato dictorum factorumque Christi ordine. Non enim audiuit, nec consectatus est Dominum; sed posteriùs Petri discipulus fuit: qui quidem ex vsu auditorum doctrinam suam promulgauit, nõ ordine sermones & oracula Domini commemorauit. Quapropter minimè hallucinatus est Marcus, sic pleraque scribens, vt ea memoria fuerat consecutus. Vnum enim hoc sibi in scribendo proposuerat, ne quid eorum, quæ audîsset, omitteret, néue à veritate aberraret. Et ex Chrysostomo: qui narrat, Matthæum, accedentibus his, qui ex Iudæis Christo crediderant, & rogantibus, vt quæ verbis docuisset, hæc eis in literis seruanda dimitteret, Hebræo Euangelium scripsisse sermone. Marcum quoque in Ægypto idipsum rogantibus fecisse discipulis. Lucam aliam causam ponere, propter quam ad scribendum venerit: Vt habeas, inquit, eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem; id est, vt sæpè commonitus, certus sis, & in certitudine permaneas. Ioannes verò ipse scriptionis formam tacet: vt autem habet maiorum sermo, & à patribus ad nos delatus, nec ipse ad scribendum sine certa ratione descendit. Sed quia iam illa trium fuerat intentio, vt in suscepti morarentur hominis sacramento, & de ipsa deitate dogma periclitabatur taceri, ad scribendum Christo inspirante motus accessit: quod ex ipsa historia & de Euangelij declaratur exordio. Neque enim ab inferioribus cœpit, vt cæteri; sed ad superiora continuò, ad quæ vrgebatur, ascendit: propter quę librum ipsum profectò composuit. Neque enim solùm in principiis, sed per totius ferè Euangelij textum, grandior cæteris ingreditur atque sublimior.

Lib. 6. Hypoteseon & Niceph. lib. 2. cap. 15.

Niceph. li. 3. cap. 20.

In Matth. Homil. 1.

Notan-

In Matt: Homil. 4.

NOtandum & illud ex eodem Chrysostomo, Primum omnium Matthæum Euangelium edidisse: propter quod generationum catalogum diligenter enumerat, & plenè cuncta atque instanter exequitur. Marcum autem cõpendiosa post illum cucurrisse via, vtpotè qui iam ab alio dicta & manifestata replicaret, & Petrum imitaretur, magistrũ verborum parcitate gaudentem. Romæ enim, teste Sophronio & D. Hieronymo, Euangelium breue ex Petri prædicatione, post decem annos à Christi ascensione, conscripsit. Quod cùm eo ignorante, Petro ab aliis auditoribus oblatum, vel vt Theophylactus docet, à Deo reuelatum fuisset, illud approbauit, ac publicè legendum in Ecclesia iussit ac confirmauit. Hoc ille ab Alexandria orsus, per totam Ægyptum, Pentapolim vsque, magno fructu prædicauit. Sunt qui post fidem receptam, pollicem eum amputasse referant, vt sacerdotio inutilis haberetur; quod quidem minimè euasit. Nam & Alexandriæ Episcopus erat factus: vbi imperante Traiano, rudente collo iniecta, à loco qui Bucolus dicitur, vsq; ad eum qui Angelorum dicebatur, tractus, ibique igni, ab insanis simulacrorum cultoribus, mense Aprili combustus, & in Bucolo sepultus est. 1

Lib: de ecclesiasticis scriptoribus.

NOtandum secundò: quoniam dictum est, D. Marcum cum D. Mattheo multa communia habere, eiusque quasi abbreuiatorem esse; ideò propositum est nobis, ea, quæ vtrique communia sunt, ne idem sæpiùs dicatur, non repetere; sed illa quæ propria & pecularia habet, tantùm adnotare & explicare. 2

In præfat. S. Hieron. in Euang. secundum Marc.

NOtandum est tertiò: Euangelistarum conuenientiam, ac veluti concursum, pulchra similitudine explicare D. Hieronymum: Euangelia, inquit, tractantes, Marcum intactum (vt puto) prætereunt, quia eadem penè quæ Matthæus narrat, licèt in propriis quibusdam sint distincti testimoniis; vt ala vnius, alam alterius tangat animalis; & rota rotam eadem sequatur via, & vt versis inuicem vultibus sese sancta cõtueantur animalia. Et Theophylactus: Marcus, inquit, Euangelista propemodum in omnibus cum Matthæo concurrit; præterquàm quòd D. Matthæus sit prolixior, quia secundùm carnem generationis Domini meminit; Marcus autem statim ab Ioanne Propheta incipit. 3

Præf. in Marci Euang.

NOtandum quartò: non facere Dominum verbum quod non antea reuelauerit per seruos suos Prophetas. factum est hoc in multis aliis, in mutatione imperiorũ, captiuitate Babylonica, expugnatione Hierosolymæ: fit nunc in aduentu præcursoris Ioannis. Cuius aduentus priusquàm fieret, à duobus prædictus est Prophetis, Malachia, inquam, atque Isaia; à quorum prophetia orditur Euangelium suum Leuites Marcus. Si igitur moderni hæretici dogmata sua à Deo reuelata esse probare volunt, & se à Deo missos; tum ostendant, antea id reuelatum fuisse seruis Dei Prophetis, tum prophetias de suo aduentu promant. Si autem nihil horum præstare possunt, Ioanni se comparare desinant, falsos se prophetas agnoscant: illos, inquam, qui currebant cum non mitterentur. Nisi fortè illud pro se adferre velint: In nouissimis diebus, instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. 4

2. Tim. 3.

Notan-

5 NOtandum quintò: Ioannem vltimum Prophetarum esse, principium autem Euangelij Iesu filij Dei. Finis enim veteris legis, initium est noui testamenti. Origo igitur Euangelij est castitas, humilitas, pœnitentia; quæ primò & præcipuè in Ioanne conspicua sunt. Fuit autem Ioannes ille amicus sponsi, per quem nunc inducitur sponsa; ac si per Abrahæ puerum Rebecca sponsa Isaäc, pallio velata albo, cùm dicitur: Et egrediebatur ad illum omnis Iudææ Regio, & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata sua. Vnde desilit sponsa de camelo, cùm humiliat se nunc Ecclesia viso vero Isaäc Iesu Christo, in cuius natiuitate risum fecit Deus Saræ, sicut ad Mariam dicitur, quæ est princeps cum Deo: Benedicta tu inter mulieres.

6 NOtandum sextò: Duos Prophetas Ioanni testimonium perhibuisse, eumque coloribus suis depinxisse, Isaiam & Malachiam. Quem inprimis angelum vocat: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam: pater enim alloquitur filium. Angelum vocat propter angelicam & spiritualem vitam, vel propter annunciationẽ Christi aduenientis: qui præparabit, inquit, viam tuam ante te. Præparabat viam, animas Iudæorũ per baptismum præparando ad suscipiendum Christum: ante faciem eius, hoc est propè & immediatè; quales solent illi esse, qui maximę dignitatis in aula regum sunt. Isaias autem vocem clamantis in deserto eum appellat. Vox est Ioannes; de qua voce dicebat Dominus Iesus ad Iudæos, quòd inter natos mulierũ maior illo surrexerit nemo. Clamat autem vita, voce, affectu: in deserto Iordanis, an potiùs in synagoga Iudæorum ab omni probitate deserta. Cohortatur ad præparandas vias, noui, inquam, testamenti; semitas autem veteris, quæ iam erant tritæ: quæ quidem semitæ antea rectæ fuerunt, dum eas Iudæi sequerentur; postea autem obliqui facti & claudi, exciderunt ex ipsis; iuxta illud Psalmistę: Inueterati sunt, & claudicauerũt à semitis suis. Clamor autem ad surdos longè positos, siue cum indignatione fieri solet; quæ Iudaico certum est euenisse populo: dum longè est à peccatoribus salus, & aures suas grauiter obturauerunt, sicut aspides surdæ; & indignationem, & iram, & tribulationem à Christo meruerunt. Vel, vt Beda Venerabilis docet, Aduentum Dominicum præcurrens Ioannes, Vox dicitur: quia per eius ministerium Patris verbum ab hominibus auditur.

Malach. 7.

7 NOtandum septimò: conuenire bono prædicatori atque Doctori, eam doctrinam quam adfert, non tantùm verbis & oratione; sed etiam vestitu, victu, ac tota denique vita repræsentare ac inculcare: ne altera quidem manu trahere, altera repellere (vt dicebat Nazianzenus) videatur. Facit hoc primus nouæ legis doctor, qui pœnitentiam prædicaturus, quæ in luctu omniq; mortificatione carnis, ieiuniis ac chameuniis consistit, eadem omnia in se recipit: cilicio induitur, quod luctus est: lumbos zona pellicea præcingit: locustis vescitur: humi cubat; quæ omnia nunc ridet & extenuat hæresis. Ioannes in deserto fuit, baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et erat vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat, & prædicabat, dicens: Venit fortior me post me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiã calceamentorum eius.

NOtandum octauò cum Beda venerabili, ex testimoniis propheticis, quæ posuit Marcus, vnum solummodò in Isaia, alterum verò inueniri in Malachia. Nec tamen falli aut fallere putandus est Euangelista, qui hoc scriptũ dicat in Isaia, quod Isaias non scripserit: sed potiùs intelligendum, quòd, etsi non hæc verba, quæ de Malachia posuit, inueniuntur in Isaia; sensus tamen eorum inuenitur in Isaia, & in nonnullis locis aliis, & manifestiùs in eo quod hîc ipse subiunxit: Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quis enim non videat, quanta sit in vtraque sententia concordia? Nam quòd dixit Malachias, mittendum angelum ante faciem Domini, qui præpararet viam eius; hoc est vtique, quod dixit Isaias, vocem clamantis audiendam in deserto, quæ diceret, Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quia sicut Ioannes rectè angelus potuit vocari, pro eo, quòd faciem Domini euangelizando præuênit; ita rectè appellari & vox potuit, quia verbum Dei sonando præibat, sicut & supra dictum est. In vtraq; autem sententia similiter paranda via Domini prædicatur. Ideoque non fallitur Euangelista, qui hoc dictum ab Isaia scribit, quod etsi non eisdem verbis, eodem tamen sensu ab ipso scriptum inuênit. Potuit autem fieri, vt animo Marci Euangelium cõscribentis, pro Malachia Isaias occurreret; vt fieri solet. Quod tamen sine vlla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne viuente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret, recordationi suę, quæ sancto spiritu regebatur, non frustrà occurrisse aliud pro alio nomen Prophetæ: quia ita Dominus hoc scribi constituit. Cur autem ita constituerit Dominus; prima illa causa vtilissima debet facillimè cogitari, etiam sic esse insinuatum: ita omnes sanctos Prophetas vno spiritu locutos: mirabili inter se consensione constare; vt hoc multò ampliùs sit, quàm si omnium omnia Prophetarum vno vnius hominis ore dicerentur: & ideò indubitanter accipi debere, quæcunque per eos sanctus spiritus dixit: & singula esse omnium, & omnia singulorum. Cùm ergo & quæ dicta sunt per Isaiam, tam sint Malachiæ, quàm Isaiæ, & quæ dicta sunt per Malachiam, tam sint Isaiæ, quàm Malachiæ; quid opus erat vt emendaret Marcus, cùm aliud pro alio sibi nomen occurrens à se scriptum legisset? ac non potiùs sequens authoritatem spiritus sancti, à quo mentem suam regi, plus nobis ille vtique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret? Sic enim admonendo constituerat Dominus ei, ad informandos nos, tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, vt non absurdè, imò congruentissimè etiam Isaiæ deputaremus, quod per Malachiam dictum reperimus. 8

NOtandum nonò cum venerabili Beda: Baptizari nos à Domino in spiritu sancto, non solùm cùm in die baptismatis fonte vitæ in remissionem peccatorum abluimur; verùm etiam quotidie, cùm per gratiam eiusdem spiritus ad agenda, quæ Deo placent, accendimur: Ego, inquit, Ioannes baptizaui vos aqua; ille verò baptizabit vos spiritu sancto. 9

NOtandum decimò cum Beda: In descensu spiritus sancti in specie columbæ cælos fuisse apertos; non reseratione elementorum, sed spiritalibus oculis, quibus & Ezechiel in principio voluminis sui, apertos eos esse commemorat. & Stephanus: Video, inquit, cælos apertos. & hoc loco: Statim, inquit, 10

quit, ascendens de aqua, vidit cælos apertos,& spiritum tanquam columbam descendentem, & manentem in ipso.

11 NOtandum vndecimò: Dum Christus ad tentandum ducitur, eum in posterum omne tempus exemplum dare, ad tentationes seruos eius duci debere, non illos vltrò quærere, illisque se obiicere. Neq; tamen crimen est, dicebat Chrysostomus, semetipsum in pericula spontè proiicere, sed nō fortiter, cùm incideris, permanere. Et statim, inquit, spiritus expulit eum in desertum.

12 NOtandum duodecimò: Ne cui veniret in dubium, à quo eum spiritu ductum siue expulsum diceret Euangelista in desertum: consultè Lucas primò posuit: Quia Iesus plenus spiritu sancto regressus est à Iordane. ac deinde intulit: Et agebatur in spiritu in desertum, ne quid contra eum voluisse spiritus immundus putaretur, qui plenus spiritu sancto quo volebat digrediens, quæ volebat agebat.

13 NOtandum tertiodecimò: Tentari Dominū quadraginta diebus & quadraginta noctibus; vt indicet quòd quamdiu hìc viuentes Domino seruimus, siue prospera blandiantur (quod ad dies pertinet) seu nos aduersa feriant, (quod noctis figuræ congruit) semper ambulantibus in lege Domini, adesse toto orbe aduersarium, qui iter nostrum tentando impedire non cessat.

14 QVartodecimò notat hoc loco Gregorius Magnus: Antiquum hostem contra primum hominē, parentem nostrum, in tribus se tētationibus erexisse: quia hunc videlicet gula, vana gloria, & auaritia tentauit; sed tentando superauit, quia sibi eum per consensum subdidit. Ex gula quippè tentauit, cùm cibum ligni vetiti ostendit, atque ad comedendum suasit. Ex vana autem gloria tentauit, cùm diceret: Eritis sicut dij. Et ex prouectu auaritiæ tentauit, cùm diceret: Scientes bonum & malum. Auaritia enim non solùm pecuniȩ est, sed etiam altitudinis. Rectè enim auaritia dicitur, cùm supramodum sublimitas ambitur. Si enim non ad auaritiam honoris rapina pertineret, nequaquam Paulus de vnigenito Dei filio diceret: Non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo. In hoc autem diabolus parentem nostrum ad superbiam traxit, quo eum ad auaritiam sublimitatis excitauit. Sed quibus modis primum hominem strauit, eisdem modis secundo homini tentator succubuit. Per gulā quippè tentat, cùm dicit: Dic vt lapides isti panes fiant. Per vanā gloriam tentat, cùm dicit: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Per sublimitatis auaritiam tentat, cùm regna mundi omnia ostendit dicens: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.

15 NOtandum quintodecimò: Qui propter Christum euitandasq; mundi illecebras, pœnitentiæ item causa, cum feris habitare non recusat hìc in terris, huic angeli aliquando ministrabunt in cælis, sed & in hoc mundo. Commoratus ita Noë est cum omni genere animalium in arca: Et recordatus est eius Dominus. Seruiuit sanctus Abacuc propheta Danieli, cum leonibus cubanti, cibos offerens: idem nunc euenisse Christo Domino videmus; euenit postea Paulo, Antonio, Mariæ Magdalenæ, Mariæ Ægyptiacæ, & aliis multis sanctis.

Cùm

Cùm autem bestias dicimus,non tantùm eas syluestres & irrationabiles intelligimus, sed longè magis homines feroces,ac bestiarum vitam viuentes;quos qui propter Christum & eorum ædificationis causa sustinet, huic certissimus est paratus in cælis locus. Talis erat D. Ignatius, qui, vt ipse testis est, à Syria Romam vsque,terra marique cum bestiis depugnauit, noctu diuque alligatus decem leopardis, quæ erat militaris custodia, qui & beneficio affecti, peiores erant. 16

NOtandum sextodecimò: quòd Christus Dñus, quàm diu fuit in conflictu positus, nequaquam angelos apparere permisit; ne scilicet antè victoriam superandum fugaret. Postquàm verò illum per cuncta deuicit, & victum fugere præcepit, tũc angeli cõsequenter apparent; vt tu discas, quòd te quoq; post confectam de diabolo victoriam, angeli repente suscipiant, plaudentes tibi, teque stipatorum more vbique comitantes. Sic & Lazarum post fornacem paupertatis, ac famis, totiusque angustiæ, suscipientes angeli ad requiem pertulerunt. 17

NOtandum decimoseptimò: non simpliciter præceptores mutandos esse, nisi priores decedant, ac meliores consequantur, ij præsertim, qui testimonium à prioribus receperunt. Quemadmodum Apostoli, non priùs à Ioanne discedunt, quàm Ioannes ab Herode sublatus est, idque post multa nobilia Ioannis de Christo testimonia; contrà quàm faciunt hæreses, quæ in dies & dogmata, & præceptores mutant; ideò semper discunt, & nunquam proficiunt, nisi in peius. 18

NOtandum decimooctauò: non omnes idiotas à Christo Domino vocatos fuisse; sed alios scribas, quod in Matthæo ex Origene demonstrauimus, alios principis Prophetarum Ioannis discipulos, Petrum & Andream. Frustrà igitur Caluinus iactat feces populi, ignaros & rerum omnium imperitos. Nam etsi humanæ sapientiæ, aut sublimibus eius verbis operam nõ dederunt; futuræ tamen salutis mysteria omninò non ignorârunt, testesque viui rerum præsentium extiterunt. Quo loco cum D. Ambrosio aduertendum cæleste consilium: quo non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores & publicanos, quos dirigeret, elegit; ne traduxisse prudentia, ne redemisse diuitiis, ne potentiæ nobilitatisque authoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; & veritatis ratio, non disputationis gratia præualeret. 19

NOtandum decimononò: neque vagos, neque otiosos, neque turpibus artificiis deditos, Christum Dominum ad prædicationem Euangelij vocare; sed homines, si victus rationem spectes, honesto & minimè quæstuoso aut litigioso artificio deditos; si autem studium & institutum, meditationi diuinæ intentos, Ioannis, vt dixi, discipulos vocasse: contrà quàm facit hæresis, sed & aula. Absunt commendatores, absunt clientelæ & amici, absunt præterita seruitia, sed & aurea media. 20

NOtandum vigesimò: quòd solenne fuit quondam, vt quos Christus vocaret, & qui illum sequi volebant, hi omnia sua relinquerent; quod nunc 21

Apostolos

Apoſtolos facere videmus. Nunc poſteaquam Chriſto nos damus, omnia con ſequi volumus, non tam Chriſtum, quàm res eius ſequentes. Itaque gemit nunc Eccleſia, dum videt quoſdam ſub Chriſto diuites, quos quondam videbat in mundo mendicos.

21 NOtandum vigeſimoprimò: eſſe tempus, cùm non ſolùm liberi aut coniuges, ſed etiam parentes ipſi propter Chriſtum ſunt relinquendi: quod nunc Ioannem & Iacobum facere videmus. Mentitur igitur Caluinus, qui eos impietatis accuſat, qui propter religionem ſe ſuaque omnia relinquunt, vt meliùs Chriſto inſeruiant.

22 NOtandum vigeſimoſecundò fidem & obedientiam vocatorum: ſiquidem in medio ipſius operis conſtituti (ſcimus autem quàm auida res ſit piſcatio) cùm illum audiſſent iubentem, nihil diſtulerunt, nihil omninò cunctati ſunt: non dixerunt, reuertemur domum, loquemur propinquis; ſed cuncta illicò relinquentes, fecerunt quod Heliſeus quoq; ſub Helia legitur implêſſe. Talem quippè à nobis obedientiam Chriſtus Dominus efflagitat, vt neq; punctum temporis differamus, etiamſi nos aliquid neceſſarium vrgere videatur. Propter quod & alium accedentem ad ſe, & rogantem, vt ad ſepeliendum patrem rediret; ne id quidem facere permiſit, oſtendens, quia Chriſtus cunctis ſit etiam neceſsitudinibus præferendus.

23 NOtandum vigeſimotertiò: locum prædicationis verbi Dei, proprium eſſe Eccleſiam atq; ſynagogam: itaque per ſingula Iudęæ oppida ædificabantur ſynagogæ, in quibus Moyſis libri legebantur, quouis die ſabbati: quod ſimiliter nunc imitatur Saluator noſter, doctor & magiſter cæleſtis. Hæreſis, vt ſolet, latibula & angulos quærit.

24 NOtandum vigeſimoquartò: quòd lex ſabbatis eo nomine homines otioſos eſſe, atque in ſynagogas conuenire voluit, vt vacarent interim lectioni Prophetarum. Nam & Deus ipſe in ſabbato parentibus primis noſtris legem dedit, illiſque concionatus eſt; ſed parêre noluerunt.

25 NOtandum vigeſimoquintò: quòd ſabbatis medicinæ doctrinæq; ſuæ dona frequentat Chriſtus, docet ſe non ſub lege eſſe, ſed ſupra legem; qui eandem quoque legem adimplere, non autem ſoluere venerit. Nec Iudaicũ eligere ſabbatum, quo vel ignem accendere, quo manum pedemq; mouere non liceat: ſed verum ſabbatum, dilectamque Domino eſſe requiem, ſi ſaluti ſtudentes animarum, ab opere ſeruili, id eſt, à cunctis contineamus illicitis. Vel vt doceat, quòd ipſe Dominus ſit ſabbati, per quem factũ eſt ſabbatum.

26 NOtanda vigeſimoſextò differentia doctrinę Chriſti & aliorum: Chriſtus Dñus docebat tanq̃ poteſtatẽ habens, alij nõ item. Quid autẽ ſit docere tanq̃ poteſtatem habentẽ, id multas expoſitiones admittit. Primùm quòd ille docebat, tanquam Dñus & legiſlator, alij tanquam ſerui & miniſtri; vnde illi modi dicendi: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicẽ. Et illud: Præceptũ nouum do vobis. Et illud: hoc eſt præceptũ meum. Et illud: Audiſtis quia dictũ eſt antiquis:

tiquis: Ego autem dico vobis. At Prophetæ non eodem modo: Hæc dicit Dominus: Hoc os Domini locutum est, &c. Sed & Apostoli: Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis: Hoc præcepit Dominus, non ego. Vel quòd Dominus non tantùm extra docebat, sed etiam idem vt crederetur intus efficiebat: cæteri omnes non item. Vnde Paulus: Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Vel quòd alij verbis solis docebant, Dominus autem verbis simul & miraculis: vnde illud: Si non fecissem ea, quæ ante me nemo, excusationem haberent, &c. At de Apostolis illud: At illi profecti prædicauerunt vbique, Domino coöperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Addit Theophylactus: Quòd Pharisæorum oratio ad adulationem fuit comparata, Christi ad veritatem & reprehensionem.

NOtandum vigesimo septimò: Quæ causa, cur Christus miracula sua, humanique generis subleuationem à dæmoniorum eiectione incæperit. An quòd per ea quæ faciebat extra, demonstrare voluit, cuius causa venerit, vt faceret intra, vt scilicet nos liberaret à diabolica potestate: an vt videamus quanto malo liberati simus, tali miraculo commoniti; nec videamus tantùm, sed etiam grati simus, gratias agamus & redamemus: an quòd satanas illum primus in deserto aggressus est, quem ille diu facinore suo gaudere noluit. 27

NOtandum vigesimo octauò, credere dæmonem, quòd periturus sit, si ab homine, quem semel obsederit, exire compellatur; pro hostili enim sua ferocia & crudelitate in genus humanum, ingens malum se perpeti existimat, si ei non fiat potestas hominibus malefaciendi. Quo loco Beda præclarè: Præsentia, inquit, saluatoris, tormenta sunt dæmonum. 28

NOtandum vigesimo nonò, spiritum mendacem non dixisse simpliciter, Sanctus Dei: Multi namque & prophetarum erant, & habebantur sancti: sed ὁ ἅγιος, ille sanctus, cum articulo ὁ. Ac si dixisset: Solus sanctus ille Dei es, qui cæteris omnibus, vt diuinitate, ita sanctitate præstas. 29

NOtandum trigesimò cum venerabili Beda: Dæmonia filium Dei cõfitebantur, & sciebant ipsum esse Christum: quia quem dierum quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognouerat, nec tentando valebat, an & Dei filius esset, experiri: iam nunc per signorum potentiam, vel intellexit, vel suspicatus est, esse filium Dei. Non ergo Iudæis ideò eum crucifigere persuasit, quia Christum siue Dei filium non esse putauit; sed quia se morte illius non præuidit esse damnandum. 30

NOtandum trigesimo primò: quibus nostra spiritualia impertimus, eorum temporalibus nos vti æquum est. Quod nunc Christus Dominus exemplo suo docet, qui soluta die sabbati ad vesperam concione, ad eos quos docuit discipulos, propter corporis refectionem diuertit, Simonem inquam & Andream. Quod idem postea docuit D. Paulus: Si nos vobis, inquit, spiritualia seminamus: magnum est si carnalia vestra metamus? 31

1. Corint. 9.

NOtandum trigesimo secundò: quòd contingit plerumque illos, qui Christo 32

Christo eiusque ministris seruiunt, in multos morbos ac tribulationes incidere; vt tantò magis virtus eorum probetur, ipsi exerceantur, & aliis exemplo & solatio sint: quod iam antea beato Iob, & Tobiæ euenisse legimus, ac nunc socrui Petri euenire videmus: pòst item Basilio, Gregorio, & aliis multis. Qua de re pulchrè alicubi Iob: Increpat, inquit, Deus hominem per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ eius cibus antè desiderabilis. Tabescet caro eius, & ossa quę tecta fuerant, nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo Angelus loquens vnus de millibus, vt annunciet hominis æquitatem; miserebitur eius, & dicet, Libera eum, vt non descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier. Consumpta est caro eius à suppliciis, reuertatur ad dies adolescentiæ suæ. Deprecabitur Deum, & placabilis erit ei, & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam, respiciet homines, & dicet: Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. Liberauit animam suam, ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. Huc referri illud potest Ambrosii: improbæ mentis esse lætari, quòd iusto viro nec eruditio ipsius profuerit, nec iustitia suffragata sit, nec ea quæ secundùm corpus sunt, habuerunt prosperos cursus. Hæc enim pro summis bonis apud improbos æstimantur, in diuitiis aut honore posita: quæ tamen nullum fructum ad laudem virtutis conferunt. Propterea insipientiæ defensores videntur, qui virtutis amatorem prosperorum munere esse fraudatum, qui omne bonum temporalibus magis quàm perpetuis æstimandum putant.

Iob 33.

Lib. de Noe & arca c. 30.

33 NOtandum trigesimo tertiò, si morbo detentos Deus bonæ valetudini reddiderit; eã ipsos in sanctorum ministeria Deique seruitium impendere debere: quod nunc in socru Petri, febri decũbente, sed à Christo curata, factum videmus. Excitatur, surgit, ministrat.

34 NOtandum trigesimo quartò, quærere D. Chrysostomum causam, cur à nullo eorum, qui ei malè habentes, languidi, dæmoniaci, lunatici, paralytici oblati sunt, fidem poposcerit. Neque enim dixit, quod aliis postea dixisse narratur: Creditis, quoniam possum hoc facere? quod certè hîc ideò non dixit, quia nondum potentię suę documenta præstiterat. Deinde hoc ipsum, quòd eum simpliciter adibant, & certatim infirmos ei ac debiles offerebant, non mediocrem profectò fidem eorum docebat. Nam è longinquo eos vtique portabãt: non portaturi proculdubio, nisi priùs de illo magna sibi persuasissent. Vespere facto, inquit, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes, & erat omnis ciuitas congregata ad ianuam. Et curauit multos, qui vexabantur variis languoribus.

35 NOtandum trigesimo quintò, earum quæ sunt in corpore passionum, malignam sæpè animam causam esse: quòd & triginta octo annorum paralyticus, & ille qui per tectum legitur fuisse demissus, & ante istos Cain ipse monstrauit; & multis id aliis exemplis posset comprobari.

36 NOtandum trigesimo sextò, dæmoni, etiamsi veram afferat orationem,

 non esse

non esse fidem dandam. Si enim credulos quosque in promptu haberet, nihil non efficeret conando, vt veritati mendacia affingeret, & quasi fuco imposito ab ea mentes hominum auerteret. Spiritum Pythonis Apostolus in Actis, vera de se prædicantem, repressisse legitur. Cùm enim Paulum & Barnabam sanctos seruos Dei excelsi esse vociferaretur, neutiquam sanctus vir testimonium sanctitatis ab impuro voluit accipere: sed dolens, In nomine Domini IESV Christi præcepit eum exire à puella. Christum itidem dominum, iterum iam præsenti capite, & aliâs sæpenumerò, os iniqui enarrantis iustitias suas obstruere videmus; vt idem nobis documento sit, ne facilè capiamur, si veterator iste verba nobis speciosa quidem, sed reuera fallacia dare velit: similiter & hæretici, ac improbi item homines. Dæmonia, inquit, multa eiiciebat, & non sinebat ea loqui: quoniam sciebant eum.

37 NOtandum trigesimo septimò, Christum Dominum, cùm variis morbis affectos sanasset, multaque bona populo illi in Capharnaum dedisset, secretò se recepisse: vt nos doceamur, non quippiam ad ostentationem facere; sed si bonum quid ad Dei gloriam & commodum proximi egerimus, semper optare secretum. Orat item Dominus, erudiens nos, vt quidquid boni fecerimus, id totum in Deum solum, boni eius autorem, referamus, illud Iacobi Apostoli occinentes: Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. Et diluculo valdè surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.

38 NOtandum trigesimo octauò, vna ciuitate, vna regione, loco vno non debere includi doctrinam Euangelicam: sed qua veluti sole vniuersus terrarum orbis collustretur. Nusquam enim locus in terris sole exorto est, qui radiis eius lucis non compleatur. Agit hoc idem splendidissimus iustitię sol, Christus Dominus, qui solis Capharnaitarum finibus doctrinam suam terminari non vult, quin eandem etiam vicinis ciuitatibus impertiat. Eamus, inquit, & in proximos vicos & ciuitates, vt & ibi prædicem: ad hoc enim veni. Neque seiungit à prædicatione actionem. Concione enim habita, illicò ad miraculorum operationem se confert: languidos curat: dæmonia eiicit; vt nos suo exemplo instruat, quò doctrinam, si præsertim vanam & inutilem esse nolimus, bonis & piis operibus comprobemus. Quia nec ipsius Christi Domini, illis præsertim initiis, tantum fidei habuisset oratio, nisi miraculis fuisset confirmata.

39 NOtandum trigesimo nonò, Marcum Euangelistam de mundato leproso cōnectere, vt ipse intelligatur, quem Matthęus cōmemorat, tunc esse mūdatum, quando post sermonem Dominus de monte descendit. Sic enim ait Matthæus: Cùm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens, Domine si vis, potes me mundare.

40 NOtandum quadragesimò: Christus Dominus leprosum tangit, vt ostendat, omnia munda esse in oculis suis. Lex enim non ideò vetabat tangere leprosum, vt ne leprosi sanarentur: sed, vt ne tangentes leprosum coinquinarentur. Saluator contrà, vt doceret, ex sua natura nil esse immundū; & quia legis

obseruationes

obseruationes iam euacuari oportebat, lepra percussum tetigit: cùm in veteri testamento summa sanctitate viro illi Dei, quem scriptura & in vita sua fecisse monstra, & in morte mirabilia operatum esse testatur, Eliseo non fuerit tantum animi, tantopere nimirum legem reuerenti, vt Naaman illum militiæ principem leprosum, & mundationis egentem, contactu sanaret: imo tanta inerat legis diuinę reuerentia, vt ne aspectu quidem suo immundum principem dignaretur; sed stanti ad ostium domus suæ per internuncium, vt ad Iordanem iret, ibique septies lauaretur, mandauit.

41 NOtandum quadragesimo primò cum Beda, In mundatione leprosi, tres hæreses detestandas partim verbis, partim re ipsa refutauisse Dominum. Volo enim dixit, propter Photinum: imperat, Mundare, propter Arium: tangit, propter Manichæum.

42 NOtandum vltimò cum Beda, non debere quemquam moueri, quomodo Mosaicum sacrificium Dominus approbare videatur, cùm id non receperit Ecclesia. Meminerat nondum cæpisse sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est. Nondum enim obtulerat in passione holocaustum suum. Non autem oportebat auferri significantia sacrificia, priusquàm illud, quod significabatur, confirmatum esset contestatione Apostolorum prædicantium, & fide credentium populorum. Vade, inquit, ostende te principi sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis.

Caput II.

1 OTANDVM PRIMO, SALVATOREM OMNIVM DEVM, salutari omnia lustrare incessu: Et nunc in desertis, nunc in ciuitate, nunc ad mare doctrinæ cælestis & virtutum dona ministrare turbis: Nunc in mõte solũ orare, nunc laborantes in mari, ne perirent, adiuuare, vbiq; munera salutis impertiri; vt omnes gradus ac conditiones ad suam gratiam pertinere demonstret. Et iterum, inquit, intrauit Capharnaum post dies octo, & auditum est quòd in domo esset, & conuenerunt multi, ita vt non caperet neque ad ianuam: & loquebatur eis verbum.

2 NOtandũ secundò, charitati nullam inuiã & inaccessam esse viam. Clauduntur hoc loco fores, obsidentur fenestræ, occupantur aditus: illam tamen per tecta & tegulas ingredi, paralyticum præsentare Christo, supplicem fieri. Quo loco illud simul notandum est, cælestem hunc solem atque lumen non adiri, nisi prius tecta & tegulæ mundi huius impedimentorum auferantur.

3 NOtandum tertiò, quadruplicem esse differentiam eorum, quos curabat Dominus. Vel enim ipsi credebant tantum: quamùis illi qui illos offerebant non crederent. Vel ipsi quidem non credebant, illi tamen qui eos offerebant, magna fide prædicti erant. Talis erat puer centurionis: talis & hic paralyticus: quem tamen & ipsum credidisse possibile est, magis tamen eos

qui offerebant, ex verbis Euangelistæ patet: Et respexit, inquit, fidem illorũ. Vel vtrimque credebatur, & ab his qui offerebantur, & ab his qui offerebant. Quod in curatione socrus Petri apparet: in Cananæa item. Vel neutri credebant, in quibus ille nullum signum facere solebat. Propter incredulitatem eorum, inquit Euangelista. Intuendum, inquit Venerabilis Beda, hoc loco, quanti propria cuiusque fides apud Deum valeat, vbi tanti valuit aliena; vt totus homo repentè, hoc est interius exteriusque iam saluatus, exurgeret, aliorumque merito aliis sanarentur errata.

NOtandum quartò: eam esse vim & naturam malitiæ & inuidiæ, vt dum maximè nocere & obscurare vult, tum præcipuè illustret & adstruat. Quod nunc in Pharisæis istis videmus. Negant cuiusquam esse peccata dimittere, præter ipsius solius Dei. Cùm autẽ clarũ sit Christũ Dñum peccata dimittere, & sæpius dimisisse; quid aliud ad omnem posteritatem omnesque hæreses conuincendas demonstrant, quàm Christum Dominum verum Deum esse? 4

NOtandum quintò, duas partes fidei esse: Vnam, credere iis, quæ Deo tribuuntur: alteram, quis sit Deus, & quis non sit. Prior nulla vel exigua demonstratione opus habet: secunda ex miraculis potissimum pendet. Quòd nunc in Pharisæis apparet: facile credunt & profitentur, solius Dei esse peccata dimittere. At num Christus sit Deus nec ne, in hac re miraculis opus fuit, quibus Christus se verum Deum demonstrat. 5

NOtandum sextò: non statim sequi, vt si quis vnam & alteram rem crediderit, vt illi in omnibus credendum sit, aut vt cætera rectè alleget. Rectè Iudæi credunt & profitentur, solius Dei esse peccata dimittere: consentit hoc cum doctrina & analogia scripturæ. At rursus non rectè credunt, Christum Dominum verum Deum non esse, peccata dimittere non posse: quod idem omnibus ferè hæreticis euenit. Multa illi præclarè credunt, multa vera enunciant: in multis tamen labuntur, in multis errant. Vnde præclarè Augustinus: Nulla, inquit, falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. Vera ergo falsis inordinatè permista, in vna disputatione vel narratione hominis, tamquam in vnius corporis colore apparentia, significant lepram, tamquam veris falsisque colorum fucis humana corpora variantem, atque maculantem. Et in Psal: 54. Quare dixit, qui appropinquant mihi: quia in multis erant mecũ. Baptismum habeamus vtique: in eo erant mecum. Euangelium vtrique legebamus: erant in eo mecum. Festa martyrum celebrabamus: erant ibi mecum. Paschę solennitatem frequentabamus: erant ibi mecum. sed non omninò mecum. In schismate non mecum: in hæresi non mecum. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa in quibus mecum. 6

NOtandum septimò: Quando dicit Christus Dominus, vt sciatis quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: non hoc affirmat, quasi maius sit paralyticum sanare, quàm peccata dimittere: sed ad tacitam cogitationem aduersariorum respondet. Cogitabant illi: Curares potius illum, quàm ista magnifica de peccatorum remissione iactares. Respondet prauæ cogitatio- 7

cogitationi Christus Dominus: Et hoc,& illud videte, & huius sanitatem, & peccatorum remissionem: ac ex hoc minori, & quod sensui subiectum est, de maiori & inuisibili coniecturam sumite.

8 NOtandum octauò: Despectum & debilem, totisque membrorum cõpaginibus dissolutum, Filium vocat, quem sacerdotes non dignarentur attingere: aut certè ideò filium, quia dimittuntur ei peccata sua.

9 NOtandum nonò: dimissis peccatis, facilis cura morborum: propter enim peccata veniunt aduersa. Vnde pulchrè Gregorius: Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.

10 NOtandum decimò: Christum primùm paralytico peccata dimittere, deinde paralysin sanare; vt hinc discamus, grauiores corporis ægritudines, vt plurimum, propter peccata accidere solere. Quod apertè ex illo alio apud Ioannem paralytico cognoscitur, vbi Dominus peccata morbi eius causam dedisse testatur; ad quæ ne iterum relabatur, eum admonet. Ecce, inquit, sanus factus es, ampliùs noli peccare, ne quid tibi deterius accidat.

11 NOtandum vndecimò: quinque causas à patribus assignari, pro quibus in hac vita molestiis corporalibus affligimur. Aut enim ad merita augenda per patientiam, iusti corporis infirmitate grauantur; vt beati Iob & Tobias,& innumeri martyres in vtroque testamento. Aut ad custodiam virtutum perceptarum, ne superbia tentante dispereant: sicut Apostolus Paulus, cui, ne magnitudine reuelationum extolleretur, datus est stimulus carnis suę, angelus sathanę, qui eum colaphizaret. Aut ad intelligenda & corrigenda peccata; sicut Maria, soror Aaron, in eremo, ob verba temeritatis & superbię, lepra percussa est: & sicut paralyticus, de quo tractamus, qui non nisi dimissis primò peccatis, potuit ab infirmitate curari. Aut ad gloriam Dei saluantis, siue per seipsum, siue per famulos suos: sicut cœcus natus in Euangelio, qui neq; ipse peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestarentur opera Dei in illo. Sicut Lazarus, cuius infirmitas non fuit ad mortem, sed pro gloria Dei; vt glorificaretur filius Dei per eam. Aut ad inchoationem damnationis æternę, quod reproborum est proprium: sicut Antiochus & Herodes, qui vtrique, suo tempore, aduersus Deum repugnantes, quantum tormentorum in gehenna perpetuò passuri essent, præsentium afflictionum miseria cunctis ostẽdebant. quibus congruit illud prophetę: Et duplici contritione contere eos Domine. Vnde necesse est, vt in omnibus quę temporaliter aduersa patimur, cum humilitate Domino gratias agamus; & infirmitatis nostrę conscii, de collatis nobis remediis gratulemur.

12 NOtandum duodecimò: quòd hic ipse, qui nunc à Marco Leui Alphæi, postea verò à Luca Leui publicanus vocatur, est Matthæus Euangelista binominis. Docemur autem hac nominum commutatione, vt alienas quidem infirmitates ac defectus, quantum fieri potest, tegamus, ac clam esse velimus; nostra autem peccata ac defectus, palàm & publicè cõfiteri non erubescamus.

NOtandum tertiodecimò: ſcopum & finẽ, quo ſaluator noſter in terras deſcendit, hoc loco explicari. Non, inquit, eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus: & non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Quem ſcopum latè & fusè explicat D. Paulus: Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. 13

NOtandum quartodecimò: Chriſtum Dominum veniſſe ad vocandos peccatores, non vt peccatores permaneant, neque vt ſimpliciter tantùm credant; ſed vt pro peccatis ſuis pœniteant & ſatisfaciant: contrà quàm falsò docent hæreſes, quę ſola fide hominem iuſtificari arbitrantur. Vocare, inquit, veni peccatores ad pœnitentiam. 14

NOtandum quintodecimò: Vetus & vſitatum hoc ſemper fuiſſe, vt illi qui ieiunant, contemnerent non ieiunantes, & vice verſa. Quod item Pauli temporibus fuiſſe, illa grauis eius commonitio docet: Is qui manducat, nõ manducantem non ſpernat. Quod idem nunc diſcipulis Ioannis, phariſæis item accidit, vt ipſi ieiunantes non ieiunantes Chriſti diſcipulos aſpernarentur, & contemnerent. 15

NOtandum ſextodecimò: tempus eſſe ieiunandi, & tempus epulandi. Quare neque ipſi laudandi ſunt, qui ſemper ieiunandum eſſe docent: quales fuerunt Encratitę, & nunc aliqui ſuperſtitioſi: neque item illi, qui ſemper epulari vellent, quales ſunt & Luterani. 16

NOtandum decimoſeptimò: Chriſti Domini nuptias ſpirituales eſſe: ideò & epulas illarum magis in ſpiritu, quàm in carne obeundas eſſe. 17

NOtandum decimooctauò: poſt aſſumtionem Chriſti Domini, multùm plurimumque diſcipulos Domini ieiunaturos fuiſſe, prædicere nunc ipſum Dominum: & eò magis quò diutiùs ſponſus abſit: contrà, quàm falsò docet hæreſis. 18

NOtandum decimononò: diſtinctos eſſe in eccleſia ordines, incipientium, proficientium, & perfectorum; quod iam nunc in prima eius quaſi inchoatione apparet, & apud Paulum non obſcurius. Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. 19

NOtandum vigeſimò: non eandem diætam deberi imperfectis & perfectis. Imperfecti lacte opus habent, ait Paulus: perfecti cibo ſolido: & ideò prudens moderator & rector, non omnia ſimul effundere, ſed prudenter, pro captu cuiusque tradere & impertiri debet. 20

NOtandum vigeſimo primò: non bene ſimul in boue & aſino arari, ſed ne diſparibus quoq; bobus: non bene veteribus noua aſſui: non bene vinũ nouũ in vaſa vetera infundi: ſic non bene doctrina noua veteri aſſuitur; quod in hæreſibus videmus, quę mutuò ſe conficiunt & corrumpunt. 21

NOtandum vigeſimo ſecundò: monere venerabilem Bedam: Cauendum do- 22

dum doctori esse, ne animę nondum renouatę, sed in vetustate malitiæ perduranti, nouorum mysteriorum secreta committat.

23 NOtandum vigesimo tertiò, cum D. Chrysostomo: Qui opportunitate non expectata altiora hominibus dogmata proponit; is nec cùm occasio fuerit, aptos ad audiendum inueniet, cùm semel ineptos fecerit. Quod nec susceptibilis rei causa, nec suscipientium culpa contingit, sed propter imponentium atque docentium festinationem importunam.

24 NOtandum vigesimo quartò: Propter substantias & fundamenta, aliquando deseri & differri possunt accidentalia & accessoria; hoc est ritus & ceremonię, & alia minutiora, charitatis & proximi vtilitatis causa: quo nomine nunc Christus spicas in sabbato vellentes discipulos defendit.

25 NOtandum vigesimo quintò: quæri à quibusdam, quomodo Euangelista præsenti capite sacerdotem principem Abiathar nominauerit, cùm historia Regum hunc Achimelech fuisse referat. Respondetur à Theophylacto: Fieri potuisse, vt hic Abiathar binominis fuerit, qui idem & Achimelech vocaretur. Vel quod ad veritatis similitudinem videtur esse propensius; liber Regum simplicem sacerdotem fuisse docet Achimelech, à quo Dauid panes propositionis acceperit; Euãgelista autẽ narrat id gestũ, cùm esset princeps sacerdotum Abiathar. Proinde neque dicit venisse Dauid ad principem sacerdotum, sed ad Achimelech sacerdotem; vt intelligamus, intrasse Dauid domum Dei sub principe sacerdotum Abiatar, ac panes propositionis comedisse.

Caput III.

1 
NOTANDVM primò. Etsi Christus Dominus signa & miracula sua, confirmandę potissimum fidei gratia faciebat, & vt obstrueret os dicentium & facientium iniqua, nunquam tamen ea fecit sine vtilitate aliqua proximi, & commodo eorum qui malè habebant: quod similiter nunc fieri videmus.

2 NOtandum secundò, eam differentiam esse verorum signorum & falsorum, Christi & Antichristi, quòd falsa quidem signa & magica, ad ostentationem solam comparata sunt, veri nihil habent, vtilitatem secum nullam ferunt: quale fuit illud Simonis magi, cum in altum volaret, quæ res ad nihil vtilis fuit; præterquam ad frangenda eius crura. Hoc idem pulchrè docet autor imperfecti operis. Miracula seu virtutes, quæ passim tàm à sanctis, quàm ab impostoribus fiunt, vtiles esse aut inutiles. Vtiles, quę mirabiliter fiunt, & ad salutem proficiunt: vt puta infirmos sanare, & alia huiusmodi, quę fecit Christus. Vacuę autem sunt, quæ admirationem quidem faciunt videntibus, vtilitatem autem afferunt nullam: vt puta volare per aërem, sicut & Dominum diabolus hortabatur: statuas facere ambulare aut commisceri flammę & non comburi: & alia qualia Simon fecit. Nam plena opera ex Deo sunt, quia &

 ipse

ipſe eſt plenus : vacua autem ex diabolo,ſicut & ipſe eſt vacuus & vanus. Nam quia quædam mirabilia fiunt ex Deo,quædam autem ex diabolo, demonſtrat Nicodemus. Non enim dixit,Nemo facit ſigna,niſi ſit Deus cum illo; ſed, Nemo facit hæc ſigna,quę tu facis, niſi ſit Deus cum illo. Et tunc quidem ex hoc ſolo cognoſcebantur falſi prophetę & veri, ſi vtilia aut inutilia facerent ſigna.

NOtandum tertiò, iram neque ſemper eſſe vtilem, neque ſemper inutilem. Inutilis eſt, cùm in perſonas,non in vitia fertur,cùm virtutes perſequitur, cùm modum excedit, rationi non paret. Vtilis eſt, cùm iniquos, aut potiùs ipſam iniquitatem odio habet, cùm pro virtute pugnat, cùm ad correctionē cōparata eſt, cùm è zelo proficiſcitur, cùm modum ſeruat: de quali ira Chriſti nunc ſcribit Marcus. Circumſpiciens, inquit, illos cum ira, & contriſtatus de cœcitate cordis illorum. Propaſsio tamen hæc potiùs in Chriſto erat, quàm vera paſsio. 3

NOtandum quartò,graue malum eſſe cœcitatem mentis hominis, cùm oculos habet & non videt,aures habet & non audit: ſuper quo nunc Chriſtus contriſtatur; non vt perdat, ſed vt ſanet. 4

NOtandum quintò, nos ſanas mentes habuiſſe, & ad bona opera vigentes, ante mandati tranſgreſsionem : ex quo autem tempore cum parente noſtro fructum vetitum manu extenta decerpſimus, illicò ad boni operationem eam obtorpuiſſe ſenſimus; ad id tamen tempus,quo eam à prauo opere continuerimus, noſque ad virtutem retulerimus: quò nimirum & noſtra reſipiſcentia, & ſua continentia manus veluti altera ſana efficeretur. 5

NOtandum ſextò, quòd ſananda manus arida extendi iubetur: quia infructuoſa debilitas, nullo meliùs ordine, quàm eleemoſynarum largitate curatur. Vnde Ioannes Baptiſta, turbis ſciſcitantibus, quid facerent, vt non velut arbores aridę mitterentur in ignem, hoc præcepit: Qui habet duas tunicas, det non habenti: Et qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Et in Eccleſiaſtico dicitur: Fili, non ſit manus tua ad accipiendum porrecta, & ad dandum correpta. Fruſtrà enim manus ad Deum rogaturus pro peccatis expandit, qui non has ad pauperem rogantem,beneficium collaturus,extenderit. 6

NOtandum ſeptimò: Miracula & ſalutarem doctrinam conſequi inuidiam, perſecutiones, mortes: quod Chriſto Domino nunc euenire videmus. Per Herodianos autem hoc loco, vel milites Herodis & cuſtodiam, vel eos qui Herodem eſſe Chriſtum propter prophetiam Iacob patriarchę putabant, rectè intelligi. 7

NOtandum octauò, fieri plerunque, vt vbi noſtri nos deſerunt atq; contemnunt,alieni ſequantur atque honorent. Contemptus eſt hoc loco Dominus à ſuis Capharnaitis;ſequuntur illum atque premunt turbę innumerabiles Samaritanorum, Hieroſolymitanorum, Idumæorum, Tyri atq; Sidonis. 8

NOtandum nonò,Doctorem catholicum ſolitudinibus ac locis ſolis delectari oportêre; vt tantò auguſtior populo appareat. 9

Notan-

10 NOtandum decimò: Etsi doctor Christianus populos docere debet, ab his tamen eum separatum esse oportet. Quòd Christus exemplo suo indicat: frequenter enim illis in continenti stantibus, ipse in naui ab eis remotus concionatur: quod & nunc fieri videmus.

11 NOtandum vndecimò: Morbos & cætera aduersa rectè ab Euangelista plagas & flagella appellari: propter peccata enim veniunt aduersa. Quod antea Dauid pœnitens agnoscit: Ego, inquit, in flagella paratus sum.

12 NOtandum duodecimò: Citiùs dæmonia officium suum exequi, quàm ingratos & malignos homines. Glorificant nunc dæmonia Christum: Iudæi illum calumniantur. Vbi satis superque Arianorum est miranda, vel potiùs dolenda cœcitas, qui illum post resurrectionis & ascensionis ipsius gloriam, post dilatatam toto orbe fidem Euangelii, post ædificatas in omnibus gentibus Ecclesias, laudatùmque in eis nomen Domini saluatoris, à solis ortu vsq; ad occasum, repente negant filium Dei, quem dæmones mortali adhuc sub habitu carnis indutum, filium esse Dei aperta voce profitentur. Sic enim sequitur: Et clamabant dicentes, Tu es filius Dei.

13 NOtandum tertiodecimò: Etsi Christus Dominus omnes illos, quos vocauerat, amâret, alios tamen ex illis formam futuræ Ecclesiæ adumbrans, præesse, docere, ac miracula facere docuit; alios subesse & parêre: præficit duodecim, cæteros subiectos esse iubet. Hæresis confūdit omnia.

14 NOtandum quartodecimò, Christum Dominum ignorantes discipulos uos ad dignitatem Apostolatus euehere, ac ad consecrationem accersere. Et aduocauit ad se, quos voluit ipse (inquit) ne in posterum se quis suaptè spōtè ingerat ac obtrudat. Non enim, inquit Beda, illorū electionis ac studii, sed diuinæ erat dignationis & gratiæ, vt in Apostolatum vocarentur.

15 NOtandum quintodecimò: Inter Apostolorum prouectionem, & inter Christi factum, nullum medium intercesisse, præter orationem ad Patrem, eamque inusitatam, totius propemodum noctis: non auctoritatis cuiuspiam, non precum, non supplicationum, non gratiæ, tantòminus pecuniæ: vt in posterum detur dogma, nullum medium intercedere debere inter eos, qui creantur in Episcopatum, & inter eos qui eos creant; præter orationem.

16 NOtandum sextodecimò: Apostolos & Episcopos in monte creari, vt doceatur vitam eorum sublimiorem esse debere, & coniunctiorem, ab omnique terrenarum rerum cura separatam, illustrem item & honoratam.

17 NOtandum decimoseptimò: duodecim Christum elegisse, vt secum essent, certi causa mysterii, vt videlicet mundi salutem, quam verbo prædicarent, suo quoque numero commendarent. Ter etenim quatuor, duodecim efficiunt. Et ter quatuor ad prædicandum sunt missi Apostoli, vt per vniuersas quadrati orbis plagas baptizarent gentes, in nomine patris, & filii, & spiritus sancti. Vnde & de ciuitate sancta Ierusalem descendente de cælo à Deo

ſcriptum eſt, quia erant ei ab oriente portę tres, & ab aquilone portæ tres, & ab auſtro portę tres, & ab occaſu portæ tres. Vbi figuraliter oſtenditur, quòd prædicantibus Apoſtolis, Apoſtolorumque ſucceſſoribus, cunctæ per orbem nationes in fide ſanctæ Trinitatis eccleſiam eſſent ingreſſurę.

NOtandum decimooctauò: Iudam futurum proditorem, deſignari à Chriſto Apoſtolum, partim, ne quem Dei conſilium lateat, quòd ille hominem, qui quantumùis maximis ſceleribus ſe contaminare temporis progreſſu debeat, in præſentiarum tamen virtutis amantem non reſpuat, neque auerſetur, quinetiam complectatur, honoribus dignetur, atque exornet. Prouiderat Chriſtus, Iudæ euentus bonis initiis non reſponſuros: ſciebat initiò Iudam benè & ſedulò ſuo functurum officio, pòſt furem auarum, ſui ipſius hoſtem atque adeò proditorem fore: præſentem tamen eius virtutem amat, ornat: paulò pòſt de ſua miſericordia deſperantem aſpernatur, reiicit, æternęque damnationi, vt Deus iudex iuſtus, addicit: partim, vt illud oſtendatur, peruersè ambulantem fratrem, collegium quidem ſuum iniuria afficere, ſibi laqueum nectere, ordini tamen ſuo nihil detrahere, nihil de illo diminuere: quomodo improbitas Iudæ nihil ordini Apoſtolico obfuit, etſi ipſum ad laqueum adegit. Partim, vt illud doceretur, quòd improborum hominum cathedrarum prima occupatio, ſucceſsionem eorum ordinis minimè auferat. Improbiſsimus fuit Iudas; ſortem tamen ordinis ſui non amiſit: Epiſcopatum eius accepit alter; in locum eius D. Mathias ſucceſsit. Addit venerabilis Beda: Suſceperat, inquit, hominis fragilitatem, & ideò nec has partes recuſauit infirmitatis humanæ: voluit deſeri, voluit prodi, voluit ab Apoſtolo ſuo tradi, vt tu à ſocio deſertus, à ſocio proditus, moderatè feras tuum erraſſe iudicium, periiſſe beneficium. 18

NOtandum decimononò, ſaluatorem noſtrum orationis cauſa montem conſcendiſſe. Poſteaquàm enim tot, quæ legimus iam edidit miracula, dedit ſe in orationem, vt nos eius exemplum ſecuti, longè eo ipſo conuenientiùs Deo gratias agamus, ſi quid bonum, quod efficere contendebamus, aſſecuti fuerimus, Deique poteſtati acceptum feramus, omnem ſufficientiam noſtram ex eo ſolo eſſe cum Paulo confitentes. 19

NOtandum vigeſimo: nominatim duodecim Apoſtolos à Chriſto recenſerit, propter pſeudoapoſtolos, vt veriùs ex ſuis appellationibus, qui veri ſint, cognoſcantur. 20

NOtandum vigeſimoprimò: impletum eſſe hoc loco illud, quod alibi à Chriſto Domino dictum eſt, Non eſſe prophetam ſine honore, niſi in patria ſua, & in domo ſua. Quem enim cæteri, quaſi authorem vitæ, & ſapientiam Dei, adire, videre & audire deſiderant; hunc propinqui, quaſi mentis impotem, ligandum eſſe decernunt. 21

NOtandum vigeſimoſecundò: Vbi Chriſtus dominus ſuos Apoſtolos ac Epiſcopos creaſſet, ſtatim illis eum oſtendere, quæ & qualis vita eorum futura erat, quæ officia, quæ occupationes, non in Eccleſia tantùm aut in publico, ſed domi etiam & priuatim: non in deſpicientia tantùm honorum, diuitiarum, atque voluptatum; ſed etiam in ipſo victu communi. Non habebant, 22

inquit tempus, quando manducarent, doctrina scilicet & miraculis impediti: tantò minus vt alicui rei superfluæ vacare potuissent. O quàm felix occupatio saluatoris! inquit V. Beda: quàm beata frequentia turbæ confluentis, cui tantum studii ad audiendum verbum Dei, tantum fuit curæ ad obtinendam salutem; vt autori salutis cum eis qui secum erant, ne vescendi quidem hora, à solatio vitæ miseris impendendo, libera maneret. Vtinam, Domine Iesu, & in nostri temporibus æui tantum gratiæ tuis fidelibus largiaris, qui doctores suos assiduitate discendi, non solùm ab appetitu carnalium voluptatum, verùmetiam nonnunquam ab ipsa quoque panis quotidiani perceptione præpediant.

23 NOtandum vigesimo tertiò: vidisse necessarios & cognatos Christi Pharisæos, item & alios Christum Dominum per montes, per campos, per maria oberrasse: non cibum, non potum seriò curasse: non laudem vllam aut commendationes quæsiuisse: non opes vllas aut facultates, vel pro se, vel pro cognatis parauisse; ideò illum insanum ac dæmoniacum esse iudicasse, & ideò capere voluisse, tanq̃ remotam & alienam à vita & ratione humana vitã agentem. Vbi notandum est, mundum & homines mundanos, eos homines pro insanis & dæmoniacis habere, qui voluptates negligunt, honores non curant, diuitias spernunt, totos se ad curam proximorum referunt; cùm maximè hoc genus hominum diuinum & angelicum sit.

24 NOtandum vigesimo quartò: homines improbos vasa diaboli esse: quod nunc Christus apertè docet: Vasa, inquit, sua custodit in pace: vt homines sancti & pii, membra Christi sunt. Magna igitur cautione agendum, ne pro membris Christi, vasa & possessio diaboli efficiamur.

25 NOtandum vigesimo quintò, summã esse benignitatem & humanitatem Iesu Christi: qui posteaquam ab humano genere inimicisque suis hanc contumeliam accepit, qua maior esse non potest, dum insanus & dæmoniacus appellatur; pro ea tamen salutem & gratiam retulit: eiusque firmam assecurationem, qua item nihil maius esse potest, omne scilicet peccatũ quod peccauerint homines, & blasphemiæ quibus blasphemauerint, dimittentur filiis hominum. Clauis hæc est salutis, casuum conscientiæ liber, quo omnis Nouatianorum, Donatistarum, Picardorum, refutatur inhumanitas: peccatoribus ianua salutis aperitur.

26 NOtandum vigesimo sextò, omnia peccata & blasphemias dimitti, non passim omnibus hominibus, sed iis qui dignam pro erratibus in hac vita pœnitentiam egerint. Neque vllum habere locum prauæ assertionis, vel Nouatianum, vt pœnitentibus eis, qui in martyrio lapsi sunt, veniam neget esse tribuendam; vel Origenem, vt asserat, post iudicium vniuersale, transactis licèt seculorum voluminibus innumeris, cunctos peccatores ac blasphemos veniam peccatorum esse consecuturos, atque ad regnum cæleste perducendos. Cuius errorem sequentia quoque Domini verba redarguunt, cùm subditur: Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti.

Notandum

NOtandum vigesimo septimò: Qui manifestè intelligens opera Dei, cùm de virtute negare non possit, stimulatus inuidia, calumniatur, & Christũ Deiq; verbum, & Spiritus sancti opera dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur neque in præsenti seculo, neque in futuro. Non quòd negemus, & ei, si pœnitentiam agere voluerit, posse dimitti ab eo, qui vult omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: sed quòd ipsi iudici & largitori veniæ credentes, qui & se pœnitentiam semper accepturum, & hanc blasphemiam nunquam dicit esse remittendam, credamus, hunc blasphemum exigentibus meritis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad ipsos dignos pœnitentiæ fructus esse peruenturum. Iuxta hoc, quod Euangelista Ioannes, de quibusdam blasphemiæ suæ merito excœcatis, veracissimè scripsit: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excœcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum; vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Sola ergo blasphemia in Spiritum sanctum, qua quisque in similitudinem Diaboli & angelorum eius, contra conscientiam suam, maiestatem deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti: sicut Euangelista manifestè declarat; qui posito hoc Domini testimonio, subiunxit atque ait, Quoniam spiritum immundum habet. Nam neque ij qui Spiritum sanctum non esse, neq; qui hunc esse quidem, sed Deum non esse, neque qui hunc Deum quidem esse, sed patre filioque minorem credunt, & confitentur, quia non inuidentia Diabolica, sed humana ignorantia ducti faciunt hoc, irremissibilis blasphemiæ crimine tenentur; quo propriè principes sacerdotum, & quicunque simili inuidiæ peste corrupti, maiestatem blasphemant, sine fine peribunt. 27

NOtandum vigesimo octauò, multos mirari, quid sit, cur sic inhumaniter fratres & matrem suam hoc loco tractet ille, qui omnium misericodiarum & consolationis in omnes est pater. Sed si quis causam legitimam cognouerit, mirari desinet: eam scilicet, quòd nulla res in futurum esse debuit, quæ magis distractura ac turbatura esset prædicantes doctrinam & Euangelium Iesu Christi, quàm fratres, nepotes, parentes. Quorum causa, non tantùm verbi Dei obliuiscuntur Prælati, sed sui ipsius etiam, ac salutis suæ. Ideò Christus Dominus acri & vehementi suo exemplo id refutat: illudq; docet, conuenire Prælato, vt dum impediunt doctrinam, neque fratres neque nepotes, neque parentes agnoscat; illosque tali tempore abneget, cui imperatum est vt semetipsum etiam aliquando abnegare debeat. Magna siquidem est laus illa sacerdotis Leuitici ordinis in Deutoronomio: Qui dicit patri suo & matri suę, nescio vos, & fratribus suis, Ignoro illos, & nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium, & pactum tuum: seruauerunt iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israël. Non iniuriosè, inquit V. Beda, fratres contemnit, sed opus spiritale carnis cognationi præferens, religiosiorem cordium copulam docet esse, quàm corporum. 28

Leuit. 33.

NOtandum vigesimo nonò, quanta sit dignitas iustorum, & eorum, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud, quòd fratres Christi atque parentes efficiuntur: quo nullus maior, nullus sublimior honor esse potest. Et circũspiciens eos, qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce mater mea, & fratres mei. 29

Qui

Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, & soror mea, & mater est. Sciendum est nobis, inquit V. Beda, quia qui Iesu frater & soror est credendo, mater efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, quem cordi audientis infuderit: et mater eius efficitur, si per eius vocem, amor Domini in proximi mente generatur. Circumsedetur ab alienis, qui suos non admittit. O clementia!

Caput IIII.

1 OTANDVM primò: vt quemadmodum superiùs docuit Dominus, cognatos & necessarios, vbi doctrinam impediant, ab eaq; distrahant, contemnendos, ac ne agnoscendos quidem esse: ita nunc vicissim illud docet, vbi nihil impediant, vel etiam prosint, illis inprimis parendum esse, illorumque causa curam habendam. Confecta enim doctrina, matrem atque fratres ad mare Tyberiadis sequitur.

2 NOtandum secundò: ideò Christum Dominum ex nauicula in mari docere, vt ostendat omnes concionatores & doctores in periculoso mari versari, ac in naue esse, quę multis fluctibus errorũ ac hæresium circumdata est: multis ventis ambitionis, philautiæ, vanæ gloriæ iactetur: quibus fluctibus ac ventis submersus est Arius, Macedonius, Eutyches, Luterus, Beza, & alii innumeri. Bene ergo patientes erunt, sed & bene cauti, vt anuncient ex naui, quæ est ecclesia catholica, nusquam excedere, in mari se esse scire, tanquam rationem reddituri eius doctrinæ. Sublimis enim locus, ac præceps casus est.

3 NOtandum tertiò, scopum parabolæ de semine illum esse, attentos ac dociles ad omnem verbi Dei auditionem turbas reddere: cùm omne vitium neq; ex satore, neq; ex semine, sed ex terra ipsa male disposita, prodire soleat.

4 NOtandum quartò, exeuntem seminare semen suum, longè antè à sancto Propheta Abacuc diuinis laudibus celebratum esse. Existi, inquit, in salutem populi tui, vt saluos facias Christos tuos: id est eos, quos vnctione spiritus tui consecrare, ac tui sancti nominis participes facere dignaris.

5 NOtandum quintò: Terram quæ calcatur, homines studiosos vanæ gloriæ esse, omni generi assentatorum subiectos & expositos. Quod dum maximè illos efferre videtur, ac in cælo locare, tum maximè illos deiicit & calcat, ridet ac subsannat: donec aliud genus adulatorum volatile succedat, quod omnem censum & hæreditatem eorum deuoret, ac ipsorum oculos nonnunquam effodiat, iuxta illud: Alta petisti, alta cape.

6 NOtandum sextò, nequaquam res in vna eadémque significatione semper allegoricè poni. Namque petram duritiam proteruæ mentis, terram lenitatem animę obedientis, solem dicit feruorem persecutionis sæuientis: cùm ipse alibi solem in bono ponat dicens, fulgere iustos in futuro, quasi solem, in regno patris eorum: & in structura domus spiritualis fodiendum in altum, terram eiiciendam, & petram in fundamento doceat esse locandam; hoc est

ab imo cordis sinu cogitationes terrenas expurgandas, & fortitudinem fidei inuictę, pro his in fundamento bonorum operum inserendam esse moneat.

NOtandum septimò, Hoc loco altitudinem terræ, quę competenter exculta, semen verbi debuerat excipere, probitatem esse animi disciplinis cælestibus exercitati, atque ad auscultandùm obediendùmq; diuinis eloquiis regulariter instituti. Petrosa verò loca, quę tenui cespite contecta, susceptum semen citò germinare queunt, sed vim radicis figendæ non habent, illa nimirum esse præcordia, quæ nullis disciplinæ studiis erudita, nullis tentationũ probationibus emollita, dulcedine tantùm auditi sermonis, ac ꝓmissis cælestibus ad horam delectantur, sed in tempore tentationis recedunt: quia cùm momentaneam cælestis oraculi dulcedinem insitę sibi austeritati prætendũt, quasi locus semini sancto deputatus, magnam lapidum congeriem pauca terræ humo coöperiunt. Quę ideò ad fructum peruenire iustitię non valent, quia parum eis inest desiderii salutaris, quod semen vitæ concipiat: & multum inest duritiæ nocentis, quod fructui salutis obsistat. 7

NOtandum octauò: suffocare concupiscentias verbum, quia importunis cogitationibus suis guttur mentis strangulant. 8

NOtandum nonò: sunt illa, quæ suffocant mentem, Curæ huius seculi, quibus imperatum est: Nolite solliciti esse in crastinum, quod & breue & incertum est. Deceptio diuitiarum, quæ cùm nihil sint, aliquid tamen esse videntur: & quibus præsentibus aliquis fame mori potest: & ex quibus non plus participant habentes, quàm illi qui non habent: & quarum non plus possessoris capit venter, quàm non possessoris: & quæ dum voluptatem promittunt, curas adferunt, & multarum rerum studium & cupiditates, cùm vnum solùm sit necessarium. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. 9

NOtandum decimò: vnicuique pro sua mensura dari: fructumque ferre, alios quidem centesimum, alios sexagesimum, alios trigesimum. 10

NOtandum vndecimò: quoties hæc admonitiuncula, Qui habet aures audiendi audiat, vel in Euangelio, vel in Apocalypsi Ioannis interponitur; mysticum esse hoc, quod dicitur, atque ad audiendum discendumque salubre, insinuari. Aures enim audiendi, aures sunt cordis & sensus interiores, aures obediendi & faciendi quæ iussa sunt. 11

NOtandum duodecimò: sed cur diuitiæ potissimùm fallaces dicuntur, cùm cætera etiam vitia fallant? An quòd potissimùm prę cæteris omnibus fallunt: primùm, quòd cùm nihil sint, solaque lege & opinione constent, neque vlla parte naturam nostram attingant, aliquid tamen esse putantur. Deinde, quòd ipsæ maximè satiare se hominem polliceantur, satient tamen nunquam. Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. Tertiò, quòd cùm multum honoratum hominem ad colendum se effecturas promittant, ridiculum plerumque faciunt: amicitias, clientelas, seruitia promittant, inimicos tamen & 12

men & inuidos quàm plurimos faciunt; vt talium quot serui sint tot hostes: præsidia & securitatem offerunt; plerique tamen illorum causa suffocantur: famem & sitim ac nuditatem se repulsuras gloriãtur; famelicum tamen & nudum plerumque contingit in mediis illis perire: nepotum ac hæredum opulentiam ac copias pollicentur; efficiuntur tamen spe istarum diuitiarum pauperrimi: memoriam sempiternam, longa monimenta præseferunt; plerumque tamen cum sonitu pereunt: voluptatem, quietem, curarum depulsam promittunt; nihil tamen hoc genere hominum timidius, nihil magis sollicitum, laboriosum, miserum denique. Verè igitur fallaces.

13 NOtandum tertiodecimò ex Diuo Chrysostomo: Qui ad extremam iniquitatem turpi pecuniarum ardore deuectus est, pariterque omnes qui auaritiam illius imitantur, quasi feras bestias à catenis solutas, cunctos homines, nullo resistente, perturbare ac lacerare. Et vincula etiam his vndique coniecta sunt: iudicii timor, legum terror, multorum odia, cæteraque huiusmodi: sed his ruptis, omnia perturbare. Quòd si quis hos nexus ab eis auferret, tunc videres peiore hos dæmone quàm dæmoniacos, ac fortiore vexari. Verùm quoniam id facere non possumus, saltem oratione ita fingamus; vt cùm omnes catenas ab ea mente abstulerimus, clarè insaniam eius perspiciamus. Sed nolite atrocitatem bestiæ, cùm adaperta fuerit, formidare: nam hæc non veritate rerum facimus, sed sola oratione confingimus. Fingite ergo videre tetrum quendam hominem, qui ab oculis ignem emittat: cui ex vtroque humero dracones pro manibus dependeant: cuius os cauernæ instar magnitudine sit: in quo pro dentibus acuti enses stent: ex lingua venenosus fons scaturiat: venter omni fornace sit voracior, cuncta quæ immittuntur subitò consumens: pedes alati, quauis etiam flamma vehementiores: facies canis ac lupi simul faciem ostendat: nec hominis vocem emittat, sed insuaue quiddam atque terribile mugiat: is ad hæc omnia faces ardentes in manibus teneat. Horrenda hæc forsan vobis videntur; sed nondum dignè eum descripsimus: sequi etiam debet horum instrumentorum effectus. Itaque imaginemur eum obuiam factos iugulare, carnes eorum lacerare ac deuorare. sed quid facio? Nã & hoc descripto, multò luculentior est auarus, in omnes vt mors insiliens, omnes vt infernus deglutiens, communis generis hominum hostis; quippe qui vellet hominem nullum esse, vt omnia possideret. Neque hîc tamen sistit gradum: sed cùm omnes perdiderit cupiditate sua, etiam terrę substantiam cupit abolere, ac ipsam aurum factam iuuaret aspicere: nec solam terram, sed & montes, & valles, & fontes, & breuiter quidquid in rerum natura extat. Verùm vt videatis, nondum nos insaniam illius oratione assecutos, fingamus à nemine ipsum accusari, nullum ipsi terrorem imminere: nõ à iudiciis, non à consuetudine hominum, non à legibus; & tunc videbis ipsum arrepto ense omnes interimere, nulli parcere, non amico, non cognato, non fratri, non ipsis parentibus. Quare nolite admirari, si sic auaros descripsimus; cùm videatis, non potuisse nos prauitatem eorum oratione assequi.

14 NOtandum quartodecimò: Boni auditoris verbi Dei, ac fructiferæ auditionis tres partes esse debere: primum vt audiat, secundum vt suscipiat, tertium vt fructum ferat. Quod in cibo videmus, quem primùm in os inferre

oportet: deinde in ventriculum recipere, ac concoquere: vltimò ſanguinem ac bonos ſpiritus parere; alioquin venenum eſt potiùs & onus, quàm cibus. Vnde Dauid, Memores ſunt, inquit, mandatorum ipſius ad faciendum ea. Et Iacobus: Non auditores, ſed factores verbi iuſtificabuntur.

NOtandum quintodecimò: lumen doctrinæ ſanctæ, quod nunc ſemen appellauit, Apoſtolis Apoſtolicisque viris non ideò dari, vt ipſi ſoli vtantur, à cæteris autem illud abſcondant: ſed potiùs tanquàm miniſtris & diſpenſatoribus; vt ipſi vtantur primùm, deinde aliis diſtribuant. 15

NOtandum ſextodecimò: Eos item vehementer falli, qui putant, Apoſtolos, Apoſtolicosque viros obſcuros eſſe debere, in angulis latêre: cùm lucernæ ſint, conſpicuoq; candelabro reponi debeant, vt luceant hominibus. Sunt autem candelabra, primæ in Eccleſia ſedes & dignitates. Errat igitur hæretica inuidia, quæ hos deiectos ac humiliatos eſſe velit. 16

NOtandum decimoſeptimò, quid modius, quid lectus ſignificet. Optãdum eſt, inquit Theophylactus, vt vnuſquisq; noſtrûm lucerna, quæ luceat candelabro ſuperpoſita, id eſt prouectus in ſublimem dignitatis gradum, vitam ſecundùm Deum inſtituat, qua cæteris etiam prælucere poſsit: neúe ſub modium ponatur, id eſt, ne nimium ventri deditus atque obediens ſit: néue in cute curanda plus æquo operæ inſumat: neque ſub lectum, ne nimirum laboribus parcat vnquam, totumque ſe ſomno & deſidiæ tradat. Nemo enim qui corpori nimium indulget, quique ſumma voluptatum, earum præſertim quibus molleſcat atque eneruetur animus, cupiditate tenetur, lucerna poteſt eſſe in candelabro poſita, & omnibus conſpicua. 17

NOtandum decimooctauò: theſaurorum abſconditorum nullam vtilitatem eſſe; neque tamen ita quidquam abſconditum, vt non reuelari poſsit. Errant igitur & illi, qui abſconditum aliquid à cæteris eſſe volunt: ſed & iſti, qui putant, ſe latendo peccata lucrari. Tempore enim latent, & tempore patebunt. 18

NOtandum decimononò: Quantò quis liberaliùs ſe gerit in diſpenſatione diuinæ doctrinæ, tantò vberiùs illi à Deo impartiri: vt qua menſura menſi fuerint, eadem remetiatur illis. Nam & ſator, in ſuo ſemine ſerendo, multùm largus & liberalis fuit. 19

NOtandum vigeſimò: Qui naturalibus & induſtriæ bonis malè vtuntur, & hæc ipſa ab illis auferri, & maiora non dari. 20

NOtandum vigeſimo primò. Dixerat ſuperiùs ad diſcipulos Chriſtus Dominus, qua menſura menſi fuerint, eis remetiendum eſſe: explicat rem paulò ſuperiùs dictam, parabola euidentiori de ſemine & ſatione. Quemadmodũ, inquit, cùm quis copioſè ſeminat, copioſè & metet; ita ſi quis copioſè verbum Dei ſeminat, copioſum inde fructum conſequetur, ipſumq; donum doctrinæ cumulatè illi augebitur. Quod paulò pòſt clariùs explicauit D. Paulus: Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. 21

Notandum

22 NOtandum vigesimo secundò. Iusto viro omnia cooperantur ad iustitiam, siue res secundæ, siue res aduersæ; siue ille dormiat, siue vigilet: siue inter diu, siue noctu: quemadmodum satori omnia crescunt, siue noctu, siue in die. Omnia enim facit bono fine, & in nomine Domini. Hinc Beda: Nocte exurgit ac die, quia inter aduersa & prospera proficit.

23 NOtandum vigesimo tertiò: Duo concurrere ad perfectam iustitiam: aliud quod extra nos est, diuinam inquam gratiam: aliud quod in nobis est, laborem & cooperationem nostram. Nam & in satione aliud est quod ab agricola prouenit, semen inquam & satio: aliud quod à terra, vis & calor terræ crescere faciens.

24 NOtandum vigesimo quartò: Insigne hoc loco esse exemplum, & documentum liberi arbitrii nostri. Spontaneè enim, inquit Dominus, non coactè, non ex necessitate terram fructificare: Non tamen sine superno semine, non sine superno calore ac lumine. Hinc V. Beda: Vltro terra fructificat, quia præueniente se gratia, mens hominis spontanea ad fructū boni operis assurgit.

25 NOtandum vigesimo quintò: nihil simul se proferre, ad perfectionemq; deduci: neminem simul perfectum esse, ac iustum euadere. Nam & in frumentis terra subacta, semen primùm tepefactum vapore & complexu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem: quæ mox à fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis iam quasi pubescens includitur. Equibus cùm emersit, tum demum fundit frugem, spicæ ordine structam, & vallo aristarum munitam. Quem Ciceronis locum imitatus est, vel compleuit potiùs magnus Ambrosius. In omnibus, inquit, quæ dicuntur nascentia terræ, primùm germen est: vbi se paululum sustulerit, fit herba: postea fœnum, inde fit fructus. Suscipit granum tritici putris gleba, & sparsum cohibet occatio; ac velut materno terra gremio fouet & comprimit. Inde cùm se gramen illud resoluerit, herbam germinat, grata ipsa iam species herbescentis viriditatis: quæ statim genus satum multitudine sui prodit: vt in ipso suæ stirpis exordio, cuius generis herba sit, recognoscas, atque in herbis fructus appareat: paulatimque adolescit vt fœnum, culmoque pubescens erigitur & assurgit. Ast vbi se geniculata iam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interiùs, ne tenera eius primordia aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæua decutiat. Succedunt quidam ordines spicę mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen nexu quodam inter se naturalis colligationis adstricti, quam prouidentia diuina formauit. Et ne frugis numerosioris pondere, velut quædam cedat fultura culmorum, vaginis quibusdam ipse culmus includitur, vt geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar oneri curuetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallū struitur aristarum, vt quasi quadam in arce prætendat, ne auium minorū morsibus suis exuatur fructibus, aut vestigiis proteratur. Hæc Ambrosius. Atque hæc eadem est Saluatoris nostri doctrina: Terra, inquit, fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.

De senect.

In Hexaëmero li. 3. cap. 8

26 NOtandum vigesimsextò est cum S. Ambrosio. Non tantum in his quæ sponte

Ibid. cap. 10.

ſponte generantur, ſed etiam in his quæ manu & cultura agri, atque ſatione quæruntur, magna ex parte manere nobis diuina beneficia, vt frumenta ipſa quieſcentibus nobis inferantur. Quod Euangelicæ docet lectionis exemplũ, dicente Domino: Quia ſic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi homo iaciat ſemen ſuper terram, & obdormiat, inquit, & exurgat nocte & die, & ſemen germinet, & increſcat, dum neſcit ille. Vltrò enim terra fructificat, primò herbam, deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica. Et cùm produxerit fructum, ſtatim mittit falcem, quoniam adeſt meſsis. Dormienti igitur tibi, ô homo, & neſcienti, fructus ſuos vltrò terra producit. Dormis & ſurgis, & frumenti per noctem incrementa miraris.

NOtandum vigeſimo ſeptimò. Herbam producere, eſt inchoationis bonæ adhuc teneritudinem habere. Ad ſpicam verò herbam peruenire, eſt cùm te virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit. Plenum verò frumentum in ſpica fructificatur, quando iam in tantum virtus proficit, vt robuſti & perfecti operis eſſe poſsit. Et cùm ſe produxerit fructus, ſtatim mitti falcem, quoniam adeſt tempus meſsis. Omnipotens enim Deus, producto fructu, mittit falcem, & meſſem ſuam deſecat: quia cùm vnumquemque ad opera perfecta perduxerit, eius temporalem vitam per emiſſam ſuam incidit, vt granum ſuum ad cæleſtia horrea perducat. Cùm ergo deſideria bona concipimus, ſemen in terram mittimus. Cùm verò operari recta incipimus, herba ſumus. Cum autem ad perfectum boni operis creſcimus, ad ſpicam peruenimus. Cùm in eiuſdem operationis perfectione ſolidamur, iam plenum frumentum in ſpica proferimus. Nullus itaque contemnendus eſt, qui ad bonum propoſitum adhuc in mentis teneritudine eſſe conſpicitur: quia frumentum Dei ab herba incipit, vt granum fiat. 27

NOtandum vigeſimo octauò. Magna vis eſt grani ſinapis: ſed & parabolæ ipſius non minor. Continet enim notas & ſigna eius doctrinæ & cœtus, per quæ ab omnibus veteris ſeculi Philoſophorum ſectis, hæreſibus item diſtingui & cognoſci poſsit. Paruum eſt granum inprimis & incomptum, at valentiſsimum: ſic doctrina Chriſti, ſic Eccleſia. Parua fecit primùm inconcinna: at viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Calefacit granum ſinapis, multas lacrymas exprimit, accendit: & doctrina cæleſtis calefactis charitate Chriſti multas pœnitentiæ excuſsit lacrymas. Creſcit in immenſum granum ſinapis: creuit eccleſia & doctrina Chriſti, per totum orbem terrarum. A ſolis enim ortu vſque ad occaſum, laudabile nomen Domini: oportetque annunciari Euangelium hoc in vniuerſo mundo. Producit multos ramos ſinapi: extendit eccleſia palmites ſuos vſque ad mare: multos ordines, multas religiones habet, in vna Chriſti radice coniunctas. Latent ſub vmbra illius aues cæli: latent item ſub vmbra doctrinæ & Eccleſiæ Chriſti omnium Philoſophorum dogmata, omnis totius orbis ſapientia. 28

NOtandum vigeſimo nonò: Quòd Euangeliſta, Et talibus, inquit, multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire: ſine parabola 29

autem

autem non loquebatur eis. Non ita dictum esse, quasi nullum apertum ad turbas sermonem fecerit, sed per solas parabolas locutus eis fuerit: verùm ita potiùs; quia nullus facile sermo eius inuenitur, in quo non aliquid parabolarum sit intermixtum.

30 NOtandum trigesimò. In sublimem dignitatem vocauerat Dominus Apostolos suos, super candelabrum collocârat, summa mysteria illis reuelârat, solus cum solis erat: ne ergò tantis ornamentis superbirent ac efferrētur, naufragari illos patitur, auxilium ad tempus aufert, fidem probat; vt in posterum nihil superbum, nihil arrogans de se sentiant, iuxta illa: Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam mandata tua.

31 NOtandum trigesimo primò: Vnam maiorem fuisse nauem, in qua Christus Dominus sedebat: fuisse alias paruas nauiculas aliorum. Et per Christi quidem nauem, vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam designari, in qua est Christus, in qua doctrina Christi: per alias autem nauiculas, sectas & schismata. Quæ etsi verbo Dei non carent, etsi vicinæ & cognatæ Ecclesię esse videantur, etsi à Christo nō ita remotę sint; Christū tamen eiusq; discipulos non habent, quia in vna sancta Catholica Ecclesia & Apostolica non sunt. Assumunt eum ita, inquit Euangelista, vt erat in naui: & aliæ naues erant cum illo.

32 NOtandum trigesimo secundò: Ecclesiam Dei iactari posse, naufragari posse, submergi tamen nunquam posse: neque enim dormit aut dormitat in ea, qui custodit Israël.

33 NOtandum trigesimo tertiò: In hac nauigatione Dominum vtramque vnius eiusdemque personæ naturam dignatum esse ostendere, dum ipse, qui vt homo dormit in naui, furorem maris verbo compescit vt Deus.

34 NOtandum trigesimo quartò, Hominum animis, qui eadem cum Christo naui ferebantur, dubitationem vt dicerent, Quis putas est iste? inde obortam fuisse. Cùm enim viderent vnica illius obiurgatione fluctus maris compressos & sedatos esse; recordarenturque Mosen, vt ad transitum Iudæis mare verteret, & stagna auferret, viasque antè nunquam initas humano vestigio aperiret, sine virgæ eleuatione manusque suæ extensione, efficere id non potuisse: repeterent memoria quemadmodum Iesus Naue filios Israël, Iordane tunc messis tempore inundante, nisi arca fœderis Domini præferretur, & in medio eóque conuerso retrorsum flumine, donec euaderet populus constitueretur, euadere nequiuisse: reuocarent item Eliseum virum Dei, vt sine nominis diuini inuocatione, quin & gemina percussione aquarum, eundem Iordanem diuideret, tantum virium nō habuisse. Cùm, inquam, tanta de tot sanctissimis viris subirent animo, Christumque Dominum maius quid omnibus his aggressum & effecisse viderent; Quippe, vt D. Chrysostomus docet, cùm tanquam Dominus ancillæ imperans, & conditor suæ creaturæ, sic fluctus maris depressisset frenauissetque verbo solùm atque præcepto; plusquàm mortalem, imò Deum in corpore mortali iudicant: dum verò dormientem conspiciunt, hominem verum esse agnoscunt.

Caput V.



OTANDVM primò: vsitatum esse saluatori nostro, vt post doctrinam ad signa se conferat, signisque conferat doctrinam: quod & nunc facit. Vbi enim maris, ventorum, ac terræ ostēdisset se Dominum; nunc item spiritualium creaturarum se Dominum esse confirmat, quæ & voce illum confitentur, & obedientia illi parent. 1

NOtandum secundò: Gerasam esse vrbem insignem Arabiæ, trans Iordanem, iunctam monti Galaad, quem tenuit tribus Manasse, non longè à stagno Tiberiadis, in quod porci præcipitati sunt. 2

NOtandum tertiò: & dæmones esse, & plures esse, & vnum à multis hominem posse obsideri, & Christi virtute eiici: quod nunc plurimi contra expressum Dei verbum negare non erubescunt. 3

NOtandum quartò: Dæmones circa sepulcra hominum libenter versari & apparere; partim vt homines terreant; partim quòd non libenter vasa, quæ custodierunt, deserant; partim vt se pro animabus hominum hominibus obtrudant, nouaque superstitione illos impleant. 4

NOtandum quintò: rationabiliter Ecclesiam constituere, vt circa monumenta mortuorum, sacræ orationes & sacrificia fiant, aliæque ceremoniæ peragantur, ne à dæmoniis vexentur. 5

NOtandum sextò cum Chrysostomo. Si historia hæc de dæmoniaco altiùs consideretur, etiam nunc fieri videbis, multosque inuenies in sepulcris dæmoniacos, quos ab insania sua non ferrum, non catenæ, non multitudo hominum, non exhortatio, non terror, non minæ, non aliud quid huiusmodi abducere potest. Quid enim luxuria corruptus atque petulans, qui ad omnem corporis formam hiscit, à dæmoniaco differt? Non videtur nudus ambulare, sed corporeis quidem vestibus amictus est; veris autem vestimentis priuatus, ea quæ ipsum decet gloria nudatus est. Non lapidibus seipsum cædit; sed sceleribus, quæ lapidibus duriora & asperioraq; sunt. Quis igitur hunc hominem ligare poterit? quis eum à petulantia remouebit, quis ei persuadebit, vt lasciuiam aspernetur? Quo fit vt nunquam sit in seipso, sed semper in sepulcris versetur. Sepulcra enim profectò sunt, meretricum diuersoria, multo fœtore, multa putredine, multa immunditia repleta. At auarus nonne talis est? quis enim ipsum ligare poterit? Certè non timor, non quotidianæ minæ, non exhortationes, non consilia: omnia enim hæc vincula dirumpit, adiuratque omnes qui eum à cupiditate auri remouere volunt, ne faciant; supplicium putans esse maximum, non viuere in supplicio. 6

NOtandum septimò: moris veteris fuisse vbique planè, vt sepulcra & sepulturę extra vrbem fierent: quod & ad commoditatem, & ad salubritatem plurimùm confert. 7

Notan-

8 NOtandum octauò: Confessionem filii Dei, voce factam, ad salutem non sufficere, si quis eum factis neget: alioquin & hæc ipsa, quæ Deum illum confitentur, dæmonia saluarentur. Quid mihi & tibi, Iesu fili Dei altissimi?

9 NOtanda nonò Arii vesania: Iesum creaturam, & non Deum credere; quē dæmones filiū Dei altissimi esse credunt, confitentur, & contremiscunt. Notanda & impietas Iudæorum, eum dicere in principe dæmoniorum eiecisse dæmonia, quem ipsa dæmonia fatentur nihil secum habere commune. Quæ hoc ipsum, quod tunc per dæmoniaci clamauêre furorem, postmodum in delubris idolorum dicere & confiteri non cessârunt, Iesum videlicet esse Christum, filium Dei altissimi, nec sese aliquid cum illo pacis aut societatis habere.

10 NOtandum decimò: permittere Deum dæmones in hoc mundo esse, ac versari, propter cautionem & exercitationem nostram, pœnam item peccatorum nostrorum: proinde ne nunc quidem Christum istos in infernum deiicere, sed potiùs in porcos transire pati.

11 NOtandum vndecimò, dæmones vbi ex hominibus eiiciuntur, ad inferni pœnas ire; ideoque molestissimè ex hominibus eiici, ac in summi tormenti loco habere eiectionem. Quantoque, inquit Beda, diutiùs possidet, tantò difficiliùs omittere consentit. Deprecabatur eum, inquit, multùm, ne se expelleret extra regionem.

12 NOtandum duodecimò, duram conditionem inferni, eiusque pœnarum, cùm & dæmonia ipsa, quorum infernus domus & regnum est, in porcos potiùs ingredi malunt, quàm in infernum redire. Orabant, inquit, ipsum, ne illa iuberet in abyssum ire.

13 NOtandum tertiodecimò: permittere Christum hęc dæmonia in porcos transire, eosq; in mare coniicere; vt demōstret, hoc idem homines ab illis obsessos illos passuros fuisse, quod porci passi sunt, nisi Dominus potenti & misericordi manu sua prohibuisset.

14 NOtandum quartodecimò: dæmones in porcos potissimùm se mitti optare; vt demonstretur, quales potissimùm homines illi obsiderent: illos inquam, qui porcorum similem vitam agunt, hoc est lasciuam & immundam. Vnde V. Beda: Nisi quis porci more vixerit, non in eum diabolus accipiet potestatem; aut ad probandum tantùm, nō autem etiam ad perdendū accipiet.

15 NOtandum quintodecimò & illud iterum: Dæmones ne in porcos quidem aliquam potestatem habere posse, tantominùs in homines, nisi concedente & permittente Domino.

16 NOtandum sextodecimò: ideò in porcorum submersione Gerasenis iniuriam non fieri, quia illorum interitus, multorum salutis causa esse debuit. An quia Christus Dominus absolutus est rerum Dominus, in cuius manu sunt omnes fines terræ, & cui nemo priùs dedit, vt ei cogatur restituere.

Notat

NOtat decimoseptimò V. Beda: quòd conscii fragilitatis suæ Geraseni, 17
præsentia Domini iudicant se indignos, non capientes verbum Dei, nec infirma adhuc mente pondus sapientiæ sustinere valentes. Quod & Petro ipsi, viso piscium miraculo, contigisse legitur. Et vidua Sareptana, beati Heliæ, cuius se sensit benedici hospitio, nihilominus se putauit præsentia grauari, dicens: Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & occideres filium meum?

NOtandum decimooctauò: A dæmonio vexatus deprecabatur Iesum, vt 18
esset cum illo: metuebant enim, ne quando solum dæmones nacti, tanquam ope saluatoris destitutum, iterum opprimerent, ac veluti suum domicilium repeterent. Dominus autem præcepit: Vade, inquit, in domum tuam: ac si eum erigat: Adsis animo, omitte timorem: quia etsi præsens ipse non adsim, virtute tamen & potentia mea te seruare & tegere vbique possum: me tuum refugium, me liberatorem, me protectorem, me susceptorem tuum agnosce. Vnde colligitur, eandem vim esse Christi absentis, quę præsentis est: quod in Centurionis puero apparuit, & nunc hoc ipsum clarè docetur. Vnde vera eius diuinitas contra Arianam perfidiam manifestè demonstratur. Dimittit eum præterea, vt alios etiam, testificatione beneficii à se accepti, magnificentiæ suæ admiratores faciat: quod certè non fefellit. Lætus enim Dei donis & libertate, cùm implêsset populares suos laudibus Christi Domini, inquit Euangelista, Mirabantur omnes.

NOtandum decimononò: non semper esse vtile nouitiis & imperfectis 19
illis, quos dæmon recèns deseruit, cum perfectis versari, aut ad perfectos ordines assumi. Nam & Christus Dominus hunc dæmoniacum se volentem sequi non permittit, donec perfectior efficiatur. Quin etiam nunc multos malos sacerdotes videas, qui optimi patresfamilias fuissent.

NOtandum vigesimò: Christum Dominum nunc miracula sua taceri, nūc 20
palàm prædicari iubere, prout vtilitas & salus hominum postulabat. Vtrumque igitur commodè pro rerum circumstantiis imitari possumus. Vade, inquit, & annuncia, quanta fecerit tibi Dominus, & misertus sit tui.

NOtandum vigesimò primò: dimidiatę fidei exemplum esse in Iairo Ar- 21
chisynagogo. Nam quòd à saluatore salutem filiæ quærit, quòd proiicit se ad pedes eius, quòd mortis dominum putat, hoc fidei est: quòd antè præsentiam eius requirit, quòd festinè rem peragi vult, hoc diffidentiæ.

NOtandum vigesimo secundò: magnam fuisse vim prædicationis & mi- 22
raculorum Christi, quæ tot turbas post se trahebant, ita vt etiam premerent illum: & quamùis tam multi sequerentur illum, multi tamen non credebant illi. Laus igitur concionatoris est, vbi multos & benè parētes auditores habet.

NOtandum vigesimo tertiò: non omnes, qui premunt Christum, tangere; neque omnes, qui tangunt, premere. Tangunt Christum, sed non premunt, qui verba quidem illius audiunt, eum sequuntur; vitia tamen non deserunt, illi non credunt, in eo spem suam non reponunt. Tangunt & premunt, 23
qui

qui verba quidem illius audiunt, eum sequuntur; vitia tamen non deserunt, illi non credunt, in eo spem suam non reponunt. Tangunt & premunt, qui illi credunt, in eum sperant, ab eo vnicum auxilium expectant: quod facit hæmorrhousa.

24 NOtandum vigesimo quartò, multa stulta & inepta mundo videri, sed & perfectioribus, quæ apud Deum sapientia sunt, magnámque rationem habent. Quomodo Apostolis stulta interrogatio Christi visa est: Quis, inquit, tetigit meum vestimentum? discipuli autem, Vides, inquiunt, quia turba te comprimit, & dicis, quis me tetigit? Quæ tamen magna ratione non caruit.

25 NOtandum vigesimo quintò: Imaginem medicorum hoc loco proponi: primùm, multa nos ab illis perpeti: deinde nos illis erogare omnia nostra; tum, quòd tantum abest vt nobis prosint, vt etiam nonnunquàm plus obsint. Tale facultatis suæ documentum, in hac fœmina sanguine fluenti, eos dedisse docet Euangelista. Mulier, inquit, erat in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quidquàm profecerat, sed magis deteriùs habebat; & frustrà, vt est apud Ieremiam, multiplicauerat medicamina: sanitas non erat ei. Felix igitur ille, quem non tradit Deus in manus medicorum.

26 NOtandum vigesimo sextò: Primus hic mortuus est, quod in Euangelio legimus, quem Christus à mortuis excitauit: ideò & prolixiùs res tota explicatur, & diligentiùs.

27 NOtandum vigesimo septimò: rei magnitudinem declarari, & difficultatem, ac quasi imposſibilitatem, dum serui veniunt, frustra Christum fatigari docent; vtpote cùm iam puella mortua sit.

28 NOtandum vigesimo octauò, & illud doceri, veram hanc mortem fuisse: idque testimonio magis inimicorum, quàm amicorum Christi: primùm cùm dicunt puellam mortuam esse; deinde cùm rident Christum dicentem, quia dormit.

29 NOtandum vigesimo nonò: Modum resuscitationis poni, per contactũ manus: vt doceatur, etiam carnem Christi, propter coniunctionem hypostaticam cum Deo, vim resuscitationis habuisse.

30 NOtandum trigesimò: puellam hanc hominibus mortuam fuisse, qui suscitare nequiuerant: Christo dormiuisse, in cuius dispositione & anima recepta viuebat, & caro resuscitanda quiescebat: indeque veram Christi diuinitatem demonstrari, cui omnia viuunt, iuxta illud Ecclesiæ inuitatorium: Regẽ cui omnia viuunt. Mentiuntur igitur hæretici, qui sanctos Deo viuere non arbitrantur.

31 NOtandum trigesimo primò: poni probationem veræ resuscitationis, cibi nimirum appositionem: quod & Christus Dominus in sua resuscitatione fecit.

Caput VI.



OTANDVM, vnumquemque patriæ ſuæ obligatum eſſe, & omnia quæ ad ſalutem & vtilitatem illius pertineant, illius cauſa facere debere, tantiſper dum illi opera noſtra grata eſt, & dum aliquid proficimus: quod Chriſtum Dominum facere videmus. 1

NOtandus vetus paralogiſmus iſte, quo nunc populares Chriſti vtuntur: Hic eſt huius vel illius filius: ergo non eſt magnus: ergo non eſt honorandus. Nouimus & qui eum: ergo nullus eſt. quaſi verò ad virtutem & dignitatem omnemque induſtriam aliquid interſit, qui ſit hoc aut illo natus, aut vnde prodierit; aut vt tu ſcias, cuius ſit. Inuidiæ & maleuolentiæ, detractionis item voces iſtæ ſunt, quæ in proxima queque ac vicina maximè ſæuit. Non ſolùm autem (docet V. Beda) ipſe qui caput & dominus eſt Prophetarũ, ſed & Elias & Ieremias cæterique Prophetę, minores in patria ſua, quàm in exteris ciuitatibus habiti ſunt: quia propemodum naturale eſt, ciues ſemper ciuibus inuidere. Non enim præſentia conſiderant viri opera, ſed fragilem recordantur infantiam: quaſi non & ipſi per eoſdem ætatis gradus ad maturam ætatem venerint. Sæpè ergo comitatur vilitas originem: vt eſt, Quis eſt filius Iſai? ſed humilia Dominus reſpicit, & alta à longè cognoſcit. 2

NOtandum, plenam & vniuerſalem hanc eſſe Domini noſtri enunciationem, omnes prophetas ſine honore eſſe in patria ſua. Siue enim magno & illuſtri natu progenerentur, non aberit comes inuidia, & conſequenter honor etiam debitus eis non habebitur: ſin obſcuriores fortunæque tenuioris fuerint, ex ea ipſa ignobilitate occaſionem vilipendij homines peruerſi arripient ſemper. 3

NOtandum, ad miraculorum operationem duo vel imprimis requiri, virtutem operantis, & fidem illorum, quorum cauſa & apud quos fiunt hæc: vtrumque enim per ſe indigens, alterum alterius quaſi auxilio eget; ita vt ſi alterutrum deſit, nihil confieri poſsit. Non poterat, inquit, facere ibi virtutes, non propter ſuam imbecillitatem, explicat Euangeliſta, ſed propter eorum incredulitatem. 4

NOtandum: ſolent boni patresfamilias atque mercatores & ipſi bona ſua obire, & alios, vtpotè filios & fideles ſeruos, ad eadem bona videnda & curanda mittere: quos priuſquàm mittant, eos inſtituere, ac omnem rationẽ œconomiæ illius eis præſcribere. Facit hoc idem Chriſtus dominus paterfamilias, ac omnem futuræ œconomiæ diſcipulis ſuis rationẽ præſcribit. Cuius iſtæ ſunt partes: Prima, binos ambulare, vel propter adiutorium, vel propter auxiliũ, vel propter conſilium; Væ ſiquidem homini ſoli: vel quòd plures duobus miſsi, omnibus regionibus non ſuffeciſſent. Secunda, non quidquàm habere in viam, non virgam, non peram, non panem, non æs in zona: ſolis ſandaliis calceari, duabus veſtibus non indui; vt illi, qui videbunt eos, pudore ſuffundantur, videntes eorum paupertatem, diſcantque ab illis, nihil poſsidere. 5

re. Tertia, vt in quam domum ingrederentur, ibi maneant, donec exituri sint ex ea; ne videantur propter ventris curam inconstantes esse, ex domoque in domum abire. Quarta, vt nihil à quoquam accipiant: imò vbi ingrati erunt, etiam puluerem illorum excutiant: vt demonstrent se longam viam illorum causa suscepisse, & nullum lucrum in eis fecisse: & quòd nihil ab eis acceperint, ne puluerem quidem ad coarguendos illos.

6 NOtandum: Tolerabiliorem pœnam laturos Sodomitas & Gomorrheitas, quàm eos, qui Apostolos Apostolicosque viros non susceperint: partim quòd illi in hac vita pœnam suam receperint, partim quòd ad eos Apostoli missi non sint.

7 NOtandum, constans & perpetuum quasi proëmium Euangelicæ doctrinæ esse pœnitentiam: hoc fuit exordium Ioannis doctrinæ, hoc Christi domini, hoc Apostolorum in hac prima illorum missione. Sola hæresis sine pœnitentia prædicat, sine pœnitentia sperat peccatorum remissionem & salutem.

8 NOtandum, eam esse differentiam miraculorum Christi domini & aliorum, quòd ipse immediatè solo verbo & imperio morbos curabat hominum, vti dominus & Deus, alii autem mediantibus multis aliis rebus, tamquàm medicinis quibusdam: quod in Moyse, Elia, & Eliseo legimus, atque nunc in Apostolis videmus, qui mediante oleo morbos curabant hominum.

9 NOtandum, Exemplum & formam hoc loco oleum istud esse futurorum sacramentorum, quibus mediantibus Apostoli curare debebant, Vnctionis autem extremæ imprimis, de qua D. Iacobus: Infirmat quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo.

10 NOtandum, solum Marcum inter Euangelistas, Iacobum inter Apostolos, olei, quod solebat adhiberi ægrotis vngendis, & nunc adhibet ecclesia, mentionem facere. Est autem oleum, inquit Theophilactus, quod & lassitudinem releuat, lumen in lampade fouet, clariusque ad fugandam tenebrarũ obscuritatem efficit, hilaritatem conciliat, & misericordiam Dei sanctiq; spiritus gratiam repræsentat, per quam & laborum molestiis priuamur, & lumẽ, gaudium, lætitiamque spiritalem consequimur.

11 NOtandum, præstantem virtutem, quamuis illa se cælet, diu latere non posse. Inambulabat Christus dominus per deserta, per montes, per maria, per solos & vacuos locos: sua nulli dicere iubebat; nomen tamen & facta viri, per ora regum atque sacerdotum feruntur.

12 NOtandum, Incerta & non conuenientia iudicia esse hominum: nam & Christum dominum alii Ioannem, Eliam alii, prophetam alii opinabantur. Etsi autem vulgi sermones & opiniones veri non sint, semper tamen habent aliquid veri. Nam & Christus dominus Ioannes non fuit, Ioannem tamen præcursorem habuit. Neque Elias, libertate tamen obiurgandi Eliæ vsus est. Neque simpliciter propheta erat, sed dominus prophetarum. Neque igitur

ſimpliciter vulgo eſt credendum, neque ſimpliciter ea quæ vulgus dicit contemnenda.

NOtandum, quanta Iudæorum inuidia, qui contra dominum malitię furor extiterit, ex omnibus penè locis Euangelii doceri. Ecce enim Ioannem, de quo dictum eſt, quia ſignum fecit nullum, à mortuis potuiſſe reſurgere, nullo atteſtante, credebant; Ieſum autem viuum, approbatum à Deo virtutibus & ſignis, in cuius videlicet morte elementa tremuerunt, reſurrectionem verò atque aſcenſionem angeli, Apoſtoli, viri ac fœminæ certatim prædicabant, non reſurrexiſſe, ſed furtim eſſe ablatum credere maluerunt. 13

NOtandum: generatio infidelis & improba, adeò miſera eſt, vt etiã mortuos metuat: quod nunc Herodi euenit, qui etiam mortuum Ioannem metuit. Vnde preclarè D. Chryſoſtomus: Tanta vis virtutis eſt, vt poſt mortem quoque ſit viuentibus fortior. 14

NOtandum, duplicem eſſe, de hac Herodiadis abductione, patrum opinionem. Quidam enim referunt, viuo adhuc Philippo vi ablatam eſſe ab Herode, quo nomine tamquàm legis tranſgreſſor arguebatur ab Ioanne, quippè qui viuenti fratri tuliſſet vxorem. Alii verò quia deceſſerat quidem iam Philippus, cæterum relicta prole, filia autem ſuperſtite, non oportebat Herodem fratris etiam demortui ducere vxorem. Iubebat enim lex fratris vxorem accipere, non tamen adhuc viuentis, nec eam item, ex qua liberos habuiſſet. 15

NOtandum, quàm cœcus impetus, quantaque rabies amoris ſit, hinc plenè cognoſci. Herodes primùm tantopere Ioannem obſeruauit & coluit, vt eius monitis libenter obediuerit; vbi autem intemperantiam ſuam reprimi vidit, & præcepta ſui monitoris contempſit; & ſpeculatorem ſeu militem, ad iniquiſsimam vnius animæ petitionem, qui caput eius amputaret, miſit. 16

NOtandum: Fit plerumque, vt in natalitiis Regum, nuptiis item, & aliis conuiuiis laquei ponantur, vt interficiantur innocentes: quod nunc in natalitiis Herodis videmus. 17

NOtandum, ſolos mortalium Herodem & Pharaonem legi, diem natalis ſui gaudiis celebraſſe feſtiuis; ſed vtrumq; Regem, infauſto auſpicio, feſtiuitatem ſuam ſanguine fœdauiſſe. Verùm ex vtriuſque exemplo probatur, vtilius eſſe nobis, diem mortis futuræ, timendo & caſtè agendo, ſæpius in memoriam reuocare, quàm diem natiuitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem naſcitur in mundo; & electi ad requiem per mortem tranſeunt è mundo. 18

NOtandum, Nihil turpius eſſe Regibus ac principibus, quàm aliquid incautè ac imprudenter polliceri: quod nunc in Herode videmus. Pollicetur dimidium regnum, quod tamen eius non erat, ſed populi Romani: pollicetur quidquid petitura erat: quid ſi vitam matris? quid ſi fratrum petiiſſet? 19

NOtandum, dato vno abſurdo, infinita ſequi. Abſurdum primum fuit, ad natalitia Regum meretrices adhiberi, turpesque ac obſcænos ſaltus: peperit 20

rit hoc absurdum aliud longè maius, Regem temerè iurare ac polliceri: natum est longè inde funestius tertium absurdum, hominem sanctum morti addici: secutum est quartum, caput sancti in funestum conuiuium adferri. Sic verissimum est, dato vno absurdo, infinita sequi.

21 NOtandum, ponere quidem in parte summi officii boni viri sacram scripturam, vt non contristet proximum suum: est tamen aliquando non tantùm vtile; sed necessarium etiam contristare, illique molestum esse, vbi aliquid inhonestum & turpe petitur. Sic Adam, si contristasset Euam vxorem suam, eiusque causa nihil fecisset, humanum genus integrum permansisset. Sic multi & se & alios perdiderunt, quòd eos ipsos, quos valde amabant, contristare noluerunt. Gaudet Paulus se contristasse Corinthios ea tristitia, quæ fuit ad salutem.

22 NOtandum: Malitia propera est, festinat, ne malum differendo auferatur. Da mihi, inquit, subitò caput Ioannis Baptistæ.

23 NOtandum: Immanitatẽ facti Herodis exaggerat vel ipse ethnicus Liuius: Facinus sæuũ atq; atrox, inter pocula atq; epulas, vbi libare diis dapes, vbi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis, in sinu consulis recubantis, mactatam humanam victimam esse, & cruore mensam respersam.

24 NOtandum: Quemadmodum omnia nostra à Christo eiusq; auxilio debemus inchoare; ita item omnia nostra ad eum referre nos conuenit. Inchoarunt prædicationem Euangelii in nomine Christi Apostoli, in eum deinde omnia sua reponunt; & completum est illud, Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Vnde illa solennis ecclesię precatio. Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni.

25 NOtandum, vtile esse doctores non semper intentum animum habere, non semper laboribus exhauriri; sed etiam aliquando remittere, ac sese quieti & refectioni dare: quod nunc præcipit Dominus Apostolis.

26 NOtandum, Vtile esse itidem iisdem Apostolicis viris, non semper in turba & celebritate esse, sed in desertis etiam ac solis locis: non semper alios docere; sed etiam seipsos aliquando: vt quidquid elationis illic acquisitum est, hîc deponatur. Non sunt igitur laudandi illi concionatores, qui post celebres conciones cursitant, quærentes, qui eorum aures palpent: atqui tum maximè solos oportuit esse, dum ambitionem & vanam gloriam leues disiicerent venti.

27 NOtandum, Explicari hoc loco à Christo, & à turbis istis, quæ tam auidè Christum Dominum sequuntur, illam famem de qua aliquando prædixerant Prophetæ: Mittam, inquit, famem in terram, non panis famen; sed famem verbi Dei: quæ fames vitio pastorum eueniebat. Ad quem locum, omnes illæ prophetiæ referri possunt, contra illos pastores, qui seipsos pascebãt, non gregem Dei. Vbi igitur pastores veteris legis conticuerunt, tunc necesse fuit verum pastorem os aperire suum.

NOtandum: Iterum iam apud D. Marcum, iudicio ac prudentiæ Christi discipulos detraxisse, in hæmorrhousa primò, deinde hoc loco: Ducentis, inquiunt, denariis emamus panes, & dabimus illis manducare. Permittente hæc Domino, vt in posterum principibus ac doctoribus documentum detur, si propter regnum Dei, & propter virtutem, bonaque mandata, vel à seruis, vel à discipulis illorum dictis & factis detrahetur. Quemadmodum autem hoc loco isti detrahendo auxerunt: maius enim visum est miraculum; ita etiã & istorum stulta sapientia ista aliquando conuincetur, qui dum detrahere aut eleuare volunt, magnificè illustrant: & quemadmodum discipuli splendidè confutati sunt; ita & isti aliquando in suis extremis confutabuntur. 28

NOtandum cum venerabili Beda, diuersos conuiuantium discubitus, distinctos per orbem ecclesiarum conuentus, quæ vnam catholicam faciunt, designare. 29

NOtandum, Dominum pro suis cuique viribus dona tribuere, semperque ad perfectiora prouocare: & ideò primò, quinque panibus quinq; millia, secundò, septem panibus quatuor hominum millia reficere: tertiò, discipulis suæ carnis & sanguinis mysterium credere; ad vltimum, magno munere dare electis, vt edant & bibant super mensam suam in regno suo. 30

NOtandum: Eleuare oculos in cælum Dominum saturaturum turbas, vt nos doceret adiutorium nostrum esse in nomine domini, qui fecit cælum & terram: & vt discamus, non confidere in principibus in filiis hominum: ne item respiciamus, aut ad manus aut ad industriam nostram, tanto minus ad malas artes, incantationes, magos, dæmonesque ipsos; sed vt illud occinamus omnes: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno. Et illud: Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te. 31

2 Par. 20.

NOtandum: Christus Dominus panes fractos dat discipulis, ne tantum eos miraculum lateat; quippe qui suis manibus exceptos turbis distribuerẽt. Duodecim autem cophini fragmentorum supersunt, vt ab vnoquoque in humeros cophino sublato, miraculi memoria perpetua conseruaretur. Virtutis diuinæ præsentia vel ex eo cognoscitur, quòd tot millia hominum non modò ad satietatem aluerit, sed tot etiam cophini fragmentorum superfuerint. Cuius miraculi magnitudine, Moysen etiam ipsum, atque Eliam facile superauit. Moyses enim, etsi filios Israël in deserto manna aluerit; vnumquemque tamen, quantum sufficeret, ad vescendum per singula capita colligere iussit. Quòd si aliqui etiam sequentis diei cura anxii, aliquanto plus necessitate colligerent, scatebat id vermibus, atque computrescebat. Elias similiter effecit apud viduam, ne hydria farinæ deficeret, néue lecythus olei iminueretur; sed in diem eum tantùm, quando Dominus daturus esset pluuiam super faciem terræ. 32

NOtandum: Qui verè amat, eum non facilè deserere. Nullum, inquit quidam, tam durum reperies baculum, quo me à te abigas. Sic discipuli à Christo separari non possunt: etsi laboribus fessi, etsi esuriant; coacti vix recedunt. 33

Notandum,

34 NOtandum, quare coëgerit discipulos ascendere nauem, & ipse mox dimisso populo in montem oraturus abierit, Ioannem manifestè declarare: qui completa refectione illa cælesti, continuò subiecit: Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Vbi necessarium nobis viuendi monstrat exemplum, vt in bonis quæ agimus, humani fauoris retributionem vitemus; neque nos operatio virtutum spiritalium ad concupiscentiam reflectat temporalium voluptatum.

35 NOtandum: Minus multò periculosum esse, in his quæ rectè agimus aduersantium nos importunitate fatigari, quàm honorantium fauore demulceri. Hic etenim securiorem sæpè corrumpit animum: illa circumspectum semper reddit & cautum. Vnde Dominus, viam nobis quam sequamur indicans, cùm ii, qui virtutes eius admirabantur, regem eum facere vellent, fugit in montem orare. Cùm verò illi, qui virtutibus eius inuidebant, eum morti tradere disponerent, occurrit promtus, & vinciendum se crucifigendumque furentibus obtulit: euidenti nos informans exemplo, vt parati simus ad aduersa seculi toleranda, cauti ad blandimenta, cùm fortè arriserint, declinanda: & ne nos prospera mundi, si affluant, emolliendo decipiant, crebris à Domino precibus imploremus.

36 NOtandum, Doctoris & concionatoris tutissimum esse portum, & suauissimam recreationem, solitudinem & orationem; quam Christus semper adhibet, ad quam semper recurrit. Quod & hoc loco facit: discipulos ablegat, in montem ascendit, solus orat.

37 NOtandum, non omnem qui orat, ascendere in montem: est enim oratio quæ peccatum facit: sed qui benè orat, qui Deum orando quærit, hic à terrenis ad superiora progrediens, verticem curæ sublimioris ascendit: qui verò de diuitiis aut honore seculi, aut certè de inimici morte solicitus obsecrat, ipse in infimis iacens, viles ad Deum preces mittit. Orat autem Dominus, non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret.

38 NOtandum, nonnunquam Ecclesiam tantis gentilium pressuris, non solùm afflictam, sed & fœdatam esse; vt (si fieri posset) redemtor ipsius eam prorsus deseruisse ad tempus videretur. Vnde est illa vox eius, inter vndas procellasque tentationum venientium deprehensæ, atque auxilium protectionis ipsius gemebundo clamore quærentis: Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

39 NOtandum, vbi Christus non est, ibi ventos esse, fluctus esse, tempestatem esse, naufragia esse; quod docet discipulorum nauicula: & quod item nunc cœtus hæreticorum demonstrat, in quibus perpetui fluctus, inconstantia perpetua, motus perpetui, dissensiones, lites perpetuæ.

40 NOtat V. Beda, Theodorum Pharanitanum quondam Episcopum ita scripsisse, corporale pondus non habuisse secundùm carnem Dominum, sed absque pondere & corpore super mare deambulasse. At contra fides catholi-

ca, & pondus secundùm carnem habere eum prædicat, & onus corporeum, 41 & cum pondere atque onere corporali incedere super aquas, non infusis pedibus. Nam Dionysius egregius inter Ecclesiasticos scriptores, in opusculis de diuinis nominibus hoc modo loquitur: Ignoramus enim, qualiter de virgineïs sanguinibus, alia lege præter naturalem, formabatur; & qualiter non infusis pedibus, corporale pondus habentibus & materiale onus, deambulabat per humidam & instabilem substantiam.

NOtandum: Qui Christi potentiam & gloriam in rebus secundis agnoscere non vult, in rebus aduersis & periculosis aliquando cognoscet. Sic Apostoli Dei virtutem in fractione & distributione panis agnoscere noluerunt, vel non potuerunt: in aduersis, tempestate, & fluctuatione, inuiti cognoscunt. Quod Marcus significare videtur, cùm dixit, Non enim intellexerant de panibus. 42

NOtandum, Dominum & in miraculo panum, quòd esset conditor rerũ, ostendisse; & in ambulando super vndas, quòd haberet corpus ab omni grauedine liberum edocuisse: & in placando ventos, vndarumque rabiem sedando, quòd elementis dominaretur monstrauisse. Sed carnales adhuc discipuli, necdum hunc Deum esse cognoscunt. Et quidem virtutum magnitudinem stupebant; necdum tamen in eo veritatem diuinæ maiestatis cognoscere valebant. 43

NOtandum, vsitatam formulam Christo Domino in suis consolandis, Nolite timere, ego sum. Vbi enim ille est, ibi malè esse non potest. Cùm trãsieris, inquit, per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. 44 *Isa. 43.*

NOtandum: inter omnia miracula Christi frequentissimum fuisse, curationem morborum; vt à visibili re inuisibile officium suum declararet, saluandi & sanandi: vnde & nomen sortitus est saluatoris: & prophetæ hoc ipsum prædixerunt: Misit verbum suum, & sanauit eos. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. 45

Caput VII.



NOTANDVM, Hactenus Christum Dominum verum œconomum, terram habuisse mollem, cedentem, parentẽ, ipsam sponte semina quærentem: nunc ardua arua, senticosa, reluctantia sese offerre; Phariseos, inquam, scribas, & totam synagogam: qui sua malitia & proteruia illud commodi afferunt, quòd multas graues difficultates explicandi Domino occasionem offerunt. 1

NOtandum, vetus & vsitatum esse Rabinis & Cathedralibus scribis, legem Dei negligere, charitatis opera non curare, discere nolle, bonis operibus se non exercere; sed quæstiones tantùm quasdam vanas, futiles, exoletas, ad capiendos & probandos homines, suaque ingenia ostentanda proponere: quod nunc pharisei atq; scribæ Hierosolymitani faciunt. Dum enim turbæ discere 2

ſcere volunt, proximorumque infirmitatibus & neceſsitatibus conſulere; ecce iſti nectunt ſophiſma, nihil ſerium continens: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? non enim lauant manus, cùm panem manducant. Quo loco V. Beda idem propè notat: Phariſæi & ſcribæ, inquit, qui doctores populi eſſe debuerant, non ad verbum audiendum, non ad quærendam medelam; ſed ad mouendas ſolùm quæſtionum pugnas ad Dominum concurrunt, diſcipulosq; de non lotis corporis manibus vituperant; in quorum operibus quæ per manus ſiue per cætera corporis membra fiunt, nihil immunditiæ ſordidantis inuenire valebant: cùm ſe magis ipſos culpare debuerint, qui lotas aqua manus habentes, conſcientiam liuore pollutam geſtabãt.

3 NOtanda eſt integritas gregis Chriſti, quòd ne inimici quidem, non Rabini, non ſcribæ, non phariſæi aliquid ſerium inuenire poſſunt, quod illi obijciant, niſi hæc vana & futilia de ſuperfluis lotionibus. Argentum examinatum probatum terræ, purgatum ſeptuplum, diſcipuli Chriſti. Hinc illud autoris imperfecti: Diabolus facere iuſtitiam non acquieſcit, obiicere autem ſcit. Quales ſunt omnes, in quibus diabolus eſt. In ſeruis enim Dei etiam leues arguunt culpas: in ſe autem nec crimina recognoſcunt.

In Matt. hõ. 29.

4 NOtandum, ſpiritalia Prophetarum verba, carnaliter accipere ſolitos fuiſſe; vt quæ illi de cordis & operis caſtigatione præcipiebant, dicentes: Lauamini, mundi eſtote: &, Mundamini, qui fertis vaſa Domini: iſti de corpore ſolùmmodò ſeruabant.

5 NOtandum: Non ideò diſcipulos Domini manus lauare non ſolitos fuiſſe, quòd traditiones maiorum contemnerent; ſed quòd ad eam rem neque tantũ occaſionis, neq; facultatis, neq; otij, maioribus intenti, & mundo corde contenti, habuerunt: vt qui ne ad ſumendum quidem cibum ipſum, ſufficientis otij aliquid habuerint.

6 NOtandum: Reſpondere Dominum ſtultis, non ſecundùm ſtultitiam eorum; ſed primùm increpare eos, non tam ſuis quàm Prophetæ verbis, quò maiorem vim & autoritatem habeant: & quò exemplum in poſterum detur chriſtianis doctoribus, non tam priuato affectu, quàm zelo ſpiritus, & verbis Prophetarum delinquentes accuſare. Non reſpondet autem illis quidquam ad lotionem manuum, quæ res leuis quædam & ludicra videbatur, & quæ pro ſe ipſa loquebatur. Et ne aliqua ex parte traditiones maiorum traduxiſſe, aut reprehendiſſe videatur, ac in poſterum hæreticis contra traditionem arma tradidiſſe: non excuſat hac in re diſcipulos; ſed veram & ſeriam illis legis diuinæ tranſgreſsionem obiicit, eoſque ipſos trabem in oculis habentes, aliis feſtucam eiicere velle demonſtrat.

7 NOtandum: præcepiſſe Dominum, vt qui vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum conſiderabat, vt filij honorarent, etiam in vitæ neceſſariis miniſtrandis, parentes ſuos. Hanc prouidentiſsimam legem Dei volentes ſcribæ Phariſæique ſubuertere, vt impietatem ſub nomine pietatis inducerent, docuerunt peſsimos filios, vt ſi quis ea quæ parentibus offerenda ſunt,

Deo vouere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus. Vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata sunt, ne sacrilegij crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur: atque ita fiebat, vt oblatio liberorum, sub occasione templi & Dei, in sacerdotum lucra cederet.

NOtandum: quod Euangelista docet, Non dimittis eum quidquàm facere patri aut matri, paraphrasticè Euthymius exponit: Quod illis gratum sit. 8

NOtandum: solet Christus Dominus ex scorpionibus medicamenta facere: hoc est, ex malitiosis & insidiosis pharisæorum sermonibus, sanctas & salutares doctrinas elicere. quod & nunc facit: repressis pharisæis, ad populum se conuertit: & quoniam non solutum erat argumentum de lotione manuum, illud apud populum soluit docens: Non intelligitis, inquit, quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum coinquinare? Qua doctrina illud primùm ostendit, nullas externas sordes animam inquinare, etiamsi quis in vita nunquam lotus fuerit: deinde, nihil in natura aut malum aut immundum esse; contrà quàm pòst Manichæi docuerunt: postea, cibos nullos hominem polluere; vt pòst Tatiani & Encratitæ arbitrabantur. 9

NOtandum, Commune, hoc loco, quod cęteris hominibus patet, & quasi non est de parte Dei, pro immundo appellari. Nihil est, inquit, extra hominem introiens in eum, quod posit eum communicare, siue coinquinare. 10

NOtandum: Si quod intrat in os, non coinquinat hominem, quare idolothytis non vescimur? Et Apostolus scribit: Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Sciendum ergo, quòd ipsa quidem cibaria, vt Dei creatura, per se munda sint: sed idolorum ac dæmonum inuocatio, ea facit immunda. 11

NOtandum: Non eundem ordinem esse discentium: ac pro ratione illorum, doctrinam accõmodandam esse: quod nunc Christus Dominus clarè ostendit, qui de vna & eadem re, alio modo cum Pharisæis loquitur, alio cum plebe, alio cum discipulis. 12

NOtandum: Vitiosum esse auditorem, qui obscurè manifesta, aut manifestè dicta, obscurè velit intelligere: vnde Apostoli corripiuntur à Domino, quòd perspicuè dicta, parabolicè prolata existiment. Sic & vos, inquit, imprudentes estis? 13

NOtandum: ex sententia Christi, qua definiuit, de corde malas cogitationes procedere, arguendi sunt, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria nasci voluntate. Diabolus incentor & adiutor esse malarũ cogitationum potest, autor esse non potest. Sin autem semper in insidiis positus, leuem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammârit: non debemus opinari, eum cordis quoque occulta rimari; sed ex corporis habitu & gestibus æstimare, quid versemus intrinsecus. Verbi gratia: Si pulchram mulierem nos crebrò viderit aspicere, intelligit cor amoris iaculo vulneratum. 14

Notandum,

15 NOtandum: Multos elaborare in colligendis ac discernendis mortalibus peccatis: multa aliquando affingere, ac comminisci, & ex non mortalibus mortalia facere: cùm nunc ipse saluator illorum Catalogum texat. Ab intus, inquit, de corde hominum malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudiciciæ, falsa testimonia, oculus malus, blasphemiæ, superbia, stultitia. Omnia hæc mala ab intus procedunt, & communicant hominem. Quibus si ea addideris, quæ Paulus recenset, nescio quid in hoc genere amplius sit desiderandum. Et sicut non probauerunt, inquit, Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum; vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. Qui cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt: quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui ea faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus. Et nolite errare, inquit, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebũt. Et manifesta sunt inquit opera carnis, quę sunt fornicatio, impudicitia, immũdicia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitię, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia. Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quæ vtinam in animis nostris insculpta habeamus, ab hisque vel maximè cauere studeamus; tum ita difficilis non esset aliorum ratio. In omnibus ergo, sicut scriptum est, omni custodia seruemus cor nostrum, quia ex ipso vita procedit.

Rom. 1.

1. Cor. 6.

Gal. 5.

16 NOtandum: Oculum malum ab Euangelista, aut inuidiam, aut incontinentiam intelligi, docet Theophilactus: Nam vt inuidus, non nisi iniquis & maleuolis oculis, eum, cui inuidet, aspicit ac contuetur; sic & incontinens, vbi oculos ab aliena pulchritudine non continet, nec à videnda vanitate eos auertit, facilè conquirit malum & accersit.

17 NOtandum, Meritò quæri, quomodo dicatur, quòd Dominus neminem voluerit iter suum scire, nec tamen latere potuerit. Quid enim est, quod ille non potuerit, qui etiam temporaliter inter homines positus, omnia inuisibiliter, quæ foris agebantur, intus cum patre disponebat? Aut, quam ob causam putandus est fines Tyri & Sidonis intrasse, nisi vt filiam Syrophænissę à dæmonio liberaret, ac fide fœminæ gentilis, perfidiam argueret scribarum & pharisæorum? Sed fideliter sentiendum est ac piè: quia nequaquam de illo hac in re quod ipse noluit factum est: sed fidelibus iter eius sequentibus, quid principaliter in bonis, quæ agunt, velle debeant, ostensum. Ingressus quippe domum, præcepit discipulis, ne se, cuiquàm in regione ignota, quis esset, aperirent. Attamen, ipse suum illò introitum gentili fœminæ, & quibuscunq; voluit ipse prudentibus publicauit: ipse cor illius ad quærendam à se salutem inuisibili accendit instinctu; vt exemplo eius discerent, quibus sanandi gratiam

am infirmos conferret, in exhibitione miraculorum, humani gloriam fauoris quantum possent declinare; nec tamen à pio virtutis opere cessare, quando hæc fieri, vel fides bonorum iustè mereretur, vel incredulitas prauorum necessariò cogeret. Exacuant igitur arma Reges terrę, fremant Iudæi & blasphement, rumpantur hæretici, ac omnes suas artes & fraudes, ad Christi nomen & gloriam obruendam & obscurandam conferant: ille tamen nunquam latere poterit, nunquam gloria eius & lumen obscurari.

18 NOtandum: Vbi repulsi sunt lupi & canes, adest humilis ouis Syrophænissa; mulier misto genere, at fide sincerissima: adfert donum orationem: tria summa & prima ornamenta habentem; fidem, prudentiam, & perseuerantiam. Nihil tale attulerant Hierosolymitani sacerdotes: & ideò nihil simile retulerunt.

19 NOtandum, illos solùm fideliter ac rectè pro erratibus orare, qui priscas suę perfidię mansiones relinquunt, atq; in domum domini, videlicet ecclesiam, pia se deuotione transferunt: quod nunc in Canaanitide videmus.

20 NOtandum, Christum dominum Canaanitidi respondisse, sine prius saturari filios: ac si apertius diceret, restat futurum, vt etiam vos qui de gentibus estis, salutem consequamini; sed primò oportet Iudæos, qui merito antiquę electionis, filiorum Dei nomine solent censeri, pane cælesti refici, & sic tandem gentibus vitę pabula ministrari.

21 NOtandum, eam vim esse virtutis ac bonorum operum, vt ex canibus faciant filios: vt peccata, ex filiis canes. Canis fuit hæc ethnica, & facta est propter fi em filia: filij fuerunt pharisæi, & facti sunt propter peccata canes; & circumeunt ciuitatem, & famem patiuntur vt canes. Vnde V. Beda, Mira, inquit, rerum conuersio: Israël quondam filius, nos canes: pro diuersitate fidei ordo nominum commutatur: de illis postea dicitur, Circumdederunt me canes multi. Et videte canes, videte malos operarios, videte concisionem. De nobis à latratu blasphemię, contradictionis, ad pietatis gratiam conuersis, ipse alibi dicit: Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.

22 NOtandum, eam esse benignitatem nostri saluatoris, vt quæ eius propria sunt, nobis tribuat; & nostra nonunquam sibi assumat. Virtute illius est sanata & curata filia istius: tribuit hoc tamen Christus dominus fidei illius. Propter hunc sermonem, inquit, vade: exiit dæmonium à filia tua. Et nostra ipse assumit nonunquam: miseretur super turbam: flet super Ierusalem: esurit. Quod hæresis non agnoscit: imò clamitat, quæ Christi sunt, hominibus tribuenda non esse.

23 NOtandum, dari hoc loco exemplum catechizandi & baptizandi infantes: quia videlicet per fidem & confessionem parentum in baptismo, liberantur à Diabolo paruuli, qui nec dum per se sapere, vel aliquid agere boni possunt aut mali.

24 NOtandum: Sensum petitionis Syrophænisse ponit hunc Theophilactus

ctus: Iudæi, inquit, panem habent te solum totum & integrum, qui de cælo descendisti, habent & integra tua beneficia: ego contenta sum reliquiis catulorum, vt humilitate micarum, ad panis integri cœnam veniam magni Dei.

25 NOtandum, Decapolim esse (vt ipso nomine probatur) regionem decem vrbium, trans Iordanem ad orientem, circa Hippum & Pellam, & Gadaram contra Galilæam sitam.

26 NOtandum: Quemadmodum non postremum inter miracula Christi fuit hæc curatio surdi & muti, ita neque primum.

27 NOtandum, nullum Christi miraculum fuisse, in quo pluribus mediis vsus fuisset, quàm hæc ipsa surdi & muti curatio.

28 NOtandum: Genus humanum per multa membra, ac si vnus homo varia peste absumtus enumeratur: in protoplasto cœcatur, dum videt: surdus fit, cùm audit: dum odoratur, emungitur: obmutescit, dum loquitur: mancus fit, dum manum extendit: incuruatur, dum erigitur: hydropicus fit, dum cõcupiscit: claudus fit, dum progreditur: lepra suffunditur, dum nudatur: dæmone impletur, dum diuinitatem appetit: morte moritur, dum audacter excusat, quod inobedienter commisit.

29 NOtandum ex dictis apparet, non tam debilitatis Christi fuisse, aut magnitudinis miraculi, vt tot mediis vteretur; quàm instructionis nostræ ac rei cuiusdam, maximè spiritualis adumbrationis & instructionis causa, conuersionis inquam, & iustificationis peccatoris, cuius omnes partes in hoc miraculo adumbrantur.

30 NOtandum, conuersionis & iustificationis peccatoris, has partes esse: primùm Deum ipsum eiusque immensam misericordiam: exprimit eam partem Christus dominus in curatione istius, dum eleuat in cælum oculos. Deinde dilectionem & propitiationem Christi, meritum item ipsius, quod declarat nunc gemitu suo, deinde porrectione manus, quæ est præueniens gratia liberi nostri arbitrij: quam æger ipse repræsentat, dum ducentem Christum sequitur. Deinde oportet relinquere vias veteres pessimas, & adhærere nouis: exuere veterem hominem, & induere nouum: egredi de domo patris sui, relinquere veteres mores, consuetudines, sodalitates, vulgi opiniones: quod nũc Christus declarat, cùm istum remouet à turbis. Auribus deinde opus est, quæ verbum vitæ & veritatis accipiant, quæ in obedientiam fidei apertę sint, quæ doctrinam Christi ad cor transmittant: de quibus auribus illud: Tu inquit, aperuisti aures meas, & ego nõ contradixi: & illud: Qui habet aures audiendi, audiat. Quæ aures quoniam hactenus Iudæis clausæ sunt, ideo quantumùis quotidie Moyses in Synagogis eorum legatur, Christum per Moysen & prophetas loquentem exaudire non possunt. Declarat eam aurium apertionem Christus Dominus, dum digitum virtutis suæ in aures istius dæmoniaci immittit, easque aperit: de quo digito, si ego, inquit, in digito Dei eiicio dæmonia: & Magi in Ægypto, Digitus, inquiunt, Dei hic est. Ore deinde soluto opus est, vt quod corde creditum est ad iustitiam, eius ore confessio fiat ad salutem: hæc labia aperit nunc Dominus; linguam ligatam soluit, ad omnem benefi-

ciorum

ciorum Dei prædicationem, proximiq; instructionem. Quæ omnia, quoniam in posterũ à ministris Christi, mediantibus visibilibus sacramentis, fieri debebant; ideo Christus accipit sputum visibile, & inungit linguam eius: sputum, & non aliud; vt ostendat mediante humanitate sua, quam propter nos nostramq; salutem assumsit, & in qua passus est, hæc futura omnia. Si enim homo aut ex carne constaret tantùm, aut ex animo, tum ad eius curationem, aut carnalia tantùm & visibilia, aut spiritualia adhibita fuissent: Verùm cum ex vtrisque conflatus & compositus sit; vtraque hæc ad curationem eius Deus adhibere voluit. Quæ hæresis, cùm non intelligat, errat, & confundit omnia.

31 NOtandum: quòd omnia tot tantaq; & talia, quæ hoc continentur miraculo, admiranda mysteria dum animaduertisset sancta Ecclesia, omnia illius signa ac sacra symbola ad primum & summum sacramentum, imò ad portam ipsam sacramentorum, baptismum, inquam, sacramentum fidei regenerationis primæ iustitiæ, retulit. Sunt adductores, quos διαδόχους Græci vocant: sunt reductiones & inunctiones: sunt preces sanctæ: sunt vnctiones, cõtactus, manuum impositiones, sacra verba: quæ impudens Caluinus magicos exorcismos appellare, contra omnem vetustatem, non erubescit. De quibus qui plura cognoscere velit, legat diuinum illum Areopagitam de cælesti Hierarchia: legat Illustrissimum quondam Hosium nostrum: sed & nos obiter in lib. 1. de Ecclesia hęc eadem attigimus.

32 NOtandum, saluatorem nostrum, cum & alio modo hunc curare posset, sputo potissimum curasse; vt sciremus, omnem partem sancti corporis ipsius diuina plenam esse virtute. Ecce enim sputum etiam immaculati oris sui, quo linguam tetigit impeditam, diuinam quoq; participabat virtutem, ac omnino excrementa diuini corporis omnia sancta erant, vtpote talis corporis: solum autem operabantur, dum vellet. Propterea & sequenti capite, vt videbimus, sputo vsus est ad cœci curationem. Tum & apud Ioannem, quando cœcum à natiuitate curauit. Hoc autem agebat, vt fidem faceret vnitę sibi diuinitatis: quo enim pacto hæc operaretur, nisi Deus esset?

33 NOtandum: Suspexit saluator in cælum, vt inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde cunctis infirmitatibus medelam doceret esse quærendã. Ingemuit autem, non quia ipsi opus esset, cum gemitu aliquid petere à patre, qui cuncta petentibus donat cum patre; sed vt nobis gemendi daret exemplum, cùm vel pro nostris, vel pro nostrorum erratibus, proximorum supernę pietatis præsidia inuocamus. Quod autem ait, Epheta, id est adaperire, ad aures propriè pertinet. Aures etenim ad audiendum aperiendę; lingua verò vt loqui posset, à retinaculis erat suę tarditatis soluenda. vnde & subditur: Et statim apertę sunt aures eius, & solutum est vinculum linguę eius, & loquebatur rectè.

34 NOtandum: si sciebat eos, sicut ille qui notas habebat & præsentes & futuras hominum voluntates, tanto magis prædicaturos, quanto magis ne prædicarent eis præcipiebat; vt quid hoc præcipiebat? nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius, quantoque feruentius eum prædicare debeant, quibus iubet vt prædicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant.

Caput

Caput VIII.

1 OTANDVM, diuites egere & esurire, inquirentes autem Dominum, non diminui omni bono. Misereor, inquit, super turbam, quia iam triduum sustinent me. Magnum meritum & magna laus sustinentium: & propter, inquit, legem tuam sustinui te Domine.

2 NOtandum, quæ causa sit, cur neq; semper turbas Dominus aluit, neq; semper ieiunas dimisit. An ideo non semper aluit, ne propter externum panem commodaque sequi illum viderentur: an ne otiosos & desides efficeret: aluit autem aliquando, ne de prouidentia atque virtute bonitateq; illius dubitarent; præsertim vbi necessitas ferebat, & vbi occasio & facultas laborandi non fuit: quod & nobis sæpe facit.

3 NOtanda discipulorum frigiditas & stupiditas: paucis antè diebus hoc ipsum miraculum, imò maius editum videbant, & tamen nunc iterum credere nolunt: quinimo Dominum rident, ac contumeliosiùs compellant. Cuius rei formam & figuram iam antè in libris regum legimus: Vir quidam, inquit, venit adferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua. At ille dixit: Da populo vt comedat. Hæc enim dicit Dominus: Comedent & supererit. Posuit itaque coram eis: qui comederunt, & superfuit iuxta verbum Domini.

4 NOtanda Domini benignitas & humanitas, qui ea stupiditate discipulorum nihil offenditur, beneficia sua continuat; vt doceat sapientes sufferre insipientes, cùm ipsi sapientes sint.

5 NOtandum, Non frustra iam bis contradictionem fieri, & specimẽ quoddam infidelitatis edi circa panem & saturationem panibus; partim vt exemplum detur, plerumque circa panes diffidentiam hominum declarari, dum parum prouidentiæ Dei credunt, dum nimis soliciti sunt: partim vt hac figura adumbretur, daturum quondam fuisse Deum panem mysticum corporis & sanguinis sui, cui ab omnibus contradiceretur: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Berengariis item, Zuingliis, Caluinistis, & aliis huius generis. Et ideo vtraq; panis distributio in monte facta est, quia hæc ipsa res sublimioris cuiusdam rei typus esse debuit.

6 NOtandum, non posse id de mensa mundi dici: Et manducauerunt, & saturati sunt: in qua nihil vnquam superfluit, semper multum deest: & de qua illud potius prophetę dicitur: Manducastis, & non estis saturati.

7 NOtandum, esse aliquem, qui nihil fraudis & nihil carnalis corruptionis expertus, ad omnipotentis Dei seruitium festinauit. Iste de longinquo non venit, quia per incorruptionem & innocentiam proximus fuit. Alius nulla impudicitia, nullis flagitiis inquinatus, solum autem coniugium expertus, ad ministerium spiritale conuersus est. Neque iste venit è longinquo, quia vsus coniunctione concessa, per illicita non errauit. Alij verò post carnis flagitia, alij post falsa testimonia, alij post facta furta, alij post illatas iniurias & violentias, alij post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atq; ad omnipotentis Dei seruitium conuertuntur. Hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt.

QVanto enim quisque plus in prauo opere errauit, tanto ab omnipotenti Domino longiùs recessit. Dentur ergo alimenta eis, etiam qui de longinquo veniunt: quia conuersis peccatoribus doctrinę sanctę cibi præbendi sunt, vt in Deum vires reparent, quas in flagitiis amiserunt. Item Iudæi, quicunq; in Christo crediderunt, de prope ad illum venerunt, quia legis & prophetarum erant literis edocti de illo. Credentes verò ex gentibus, de longè vtique venerunt ad Christum, quia nullis paginarum sanctarum monimentis, de eius erant fide præmoniti. 8

NOtandum: Dalmanutha, quæ & Magdalum, de qua in præsenti euangelica historia scribitur, sita est inter locum Genezar, & Tabor montem. 9

NOtandum, redire synagogam iterum: ac quemadmodum superiùs vanam & futilem quæstionem proposuit; ita nunc signum & inutile prodigium petere: signum inquam de cælo, vt scilicet aut sol obscuretur, aut stella aliqua cadat, aut aliquid simile. Cùm enim arbitrarentur Christum dominum in potestate Beelzebub signa facere, cuius vim ad cælum vsque pertingere nō posse existimarent, de cælo malitiosè signum petunt: quod tamen non datur illis; partim quòd malo animo & insidioso id peterent; partim quòd inutile signum exquirerent, ex quo nulla quæquam vtilitas consecutura esset: partim quòd hæc futuro eius aduentui reseruabantur, quando sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, & stellę de cælo cadent. Vt igitur curiositatis Herodianę causa nullum signum fecit Dominus; ita ne istorum quidem malitię. 10

NOtandum, fermentum Pharisæorum & Saducæorum, docere S. Hieronymum non corporalem panem, sed traditiones peruersas, & hæretica significare dogmata: quare & cibos, quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam integramque significare. Vel sicut Theophilactus, Fermentum est, inquit, doctrina Pharisæorum & Herodianorum, acida, veteriq; malitia & improbitate redundans. Quisquis enim vitiorum vetustate obsoleuit, nec quidquam spirituale proferre potest, ita vt aliqua dulcedine spiritus audientem reficiat, fermentum hic Pharisaicum habere existimandus est: veteris inquam, nequitiæ doctrinam mordacem, quæq; animam credentis à præsenti pœnitentia auocat, & vt eam negligentiùs in dies proferat, inducit. Herodianum autem fermentum, nouum quoddam & recens magisterium atquę doctrina est, qua Herodem esse Christum profitebantur, Herodique velut vero Messiæ credendum esse docebant. 11

NOtandum, dum Christus dogma cæleste prædicat, dum falsos doctores refutat, Apostolos Apostolicosq; viros plerumque panes quęrere, hoc est opes ac facultates suas dilatare: quod nunc facere videntur Apostoli. 12

NOtandum, pauper penu Christi, quòd vnum solum continebat panem. 13

NOtandum: Quemadmodum boni præceptoris est, suorum defectus & infirmitates ad tempus dissimulare: ita deinde eiusdem est, tempore opportuno eos reprehendere ac obiurgare, seueriorique medicina curare: quod Christus dominus facit. Dissimulauit bis iam incredulitatem Apostolorum in panibus: nunc iam apertè exprobrat, & incusat. 14

Notandum,

15 NOtandum, neq; sensum miraculorum, ac ne contactum quidem ipsum prodesse, nisi Christi lumen luceat: quod nunc Apostolis, non tantùm panes contingentibus, sed etiam illis vescentibus contigit. Frustra igitur signa petuntur.

16 NOtandum: Quemadmodum superiùs curauit dominus surdum & mutum, ita nunc curat & cœcum: vt ostendatur perfecta naturę nostrę corruptio: neque enim tantum surdi aut muti fuimus, sed etiam cœci. A qua cœcitate vt liberaretur Dauid, supplex petiit: Illumina, Domine, oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: & ne dicat inimicus meus, præualui.

17 NOtandum, rogasse Betsaiditas Christum, vt cœcum tangeret, scientes quia tactus Domini, sicut leprosum mundare, ita etiam cœcum illuminare valeret.

18 NOtandum, multos esse, qui cùm aliquo loco non possint esse capaces gratię Dei, ex eo educti capaces efficiuntur: quomodo Abraam eductus est de domo sua, & cognatione sua; Loth item, Iacob, & vniuersi Patriarchę: quod & huic nostro cœco accidit, quem dominus manu prehensum educit, primùm ex contubernio Betsaiditarum, deinde sanat. Ideo autem docet V. Beda: Cœcum hunc paulatim Dominum, & non statim repenteque curare, quem vno mox verbo, si voluisset poterat curare; vt magnitudinem humanę cœcitatis ostenderet, quæ quasi pedetentim, & per quosdam profectuum gradus ad lucem diuinę visionis solet peruenire: seu vt suę nobis gratię crebra daret indicia, per quam singula nostrę perfectionis incrementa, vt proficere aliquid possint, nec deficiant, adiuuat.

19 NOtandum, iuxta dispositionem earum rerum quæ patiuntur, agentia operari. Eadem illa virtus Christi, quæ absens centurionis filium à morte planè excitauit, hæc ipsa nunc præsens, multis mediis adhibitis, cœcum simul illuminare non potest, quia subiectum non erat rectè dispositum. Magna fuit fides centurionis, magna etiam refert: nulla vel perexigua fides erat istius cœci, & Bethsaidarum, modica item refert.

20 NOtandum sputo ac manibus hunc à Domino sanari; vt ostendatur, quòd sermo coniunctus operibus miraculum operari potest: sermonis quidē signum est sputum, vtrumque enim ab ore egreditur: operis verò, manus. Sermonem autem dico, laude dignum: similiter & operationem.

21 NOtandum cum Euthymio, cœcum hunc imperfectè primò curatum esse, vtpote imperfectè credentem: ideo etiam interrogatus, si quid videret; vt qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectiùs, ac sanaretur perfectiùs; augmentoq; fidei augmentum promereretur sanitatis: sapiens enim erat medicus.

22 NOtandum, sine diuino lumine, vel nos penitus cœcos esse, vel vmbras potius rerum, quàm res ipsas videre: quomodo cœcus iste, primo manus Christi contactu, arbores motas pro ipsis hominibus videbat: quod & nobis sæpiùs accidit, vt aliud videamus, & aliud nos videre arbitremur.

23 NOtandum, quæ prolixiùs de confessione Petri Matthæus perscripsit,

hæc breuiſsimè Marcum narrare. De remuneratione itidem, ne aliquid laudibus Petri præceptoris dare videretur: an quòd ita Petrus ipſe voluerit, quē ab omni auiditate laudis externę fuiſſe alieniſsimum, certum eſt.

NOtandum: Complexus eſt Petrus ea, quæ ad Chriſtum pertinebant, paucis verbis omnia: ſaluatorem noſtrum Chriſtum eſſe, cuius & naturam & nomen expreſsit, in quo ſumma virtutum eſt: nos etiam de generatione Dei diſſerimus quæſtiones: Cùm Paulus indicauerit, nihil ſe ſcire, niſi Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum: Petrus nihil amplius, quàm Chriſtum Dei filium putauerit confitendum: nos & quando, & quomodo natus ſit, & quantus ſit, humanę infirmitatis contemplatione rimamur. Finis ergo fidei meę, Chriſtus eſt: finis fidei meę, Dei filius eſt. Non licet mihi ſcire generationis ſeriem: nō liceat tamen neſcire generationis fidem. 24

NOtandum: Viderunt Apoſtoli miracula Chriſti, viderunt morbos, mortes, dæmonia, maria, ventos, vniuerſam item naturam illi ſubiectam, tot millia hominum ſatiata, & ideo magnificum teſtimonium illi reddiderunt, eum ſcilicet eſſe filium Dei viui. Proponuntur eis nunc aduerſa, primùm ne tanta gloria magiſtri ſuperbiant: deinde vt maturè de rebus aduerſis præmoneantur, adſueſcantque non tantùm iucunda audire, ſed etiam ſalutaria. Vnde præclarè quidam, ſicut gubernator peritus, tempeſtatem in tranquilitate præcauens, nautas paratos vult eſſe. Denique vt probetur, quàm conſtans eorū iſta confeſsio fuerit. 25

NOtandum, labaſcere illum fortem Petrum, ad vnam ſolam mortis mentionem: mirè enim terretur animus in rebus ſecundis educatus, vel ſola rerum aduerſarum memoria. Et quemadmodum aurum probatur Lydio lapide, ita animus excelſus rerum aduerſarum recordatione. 26

NOtandum, Eum, qui hodie manè fuit conſtans confeſſor, veſpere fieri ſathanam, niſi Deus teneat, & niſi cautè ambulemus: quod nunc Petro accidit: nunc Chriſtum magnificè filium Dei prædicat, nunc increpat, à mortis propoſito deterrens. 27

NOtandum, nullum eſſe tam bonum inſtitutum, quod diſsuaſore ſuo careat: quod nunc in Chriſto domino videtur. Salutem humani generis meditatur, & Petrum diſſuaſorem habet. 28

NOtandum: Malis conſiliariis non modò parendum non eſt, ſed etiam acerbè, vt nunquam aliâs, obiurgandi: quod nunc Chriſtus facit, Vade retro me Sathana, non natura ſed conſilio. Solus enim diabolus Chriſtum pati noluit. Vnde Beda, Sathanas, inquit, interpretatur aduerſarius, ſiue contrarius. Quia contraria, inquit, loqueris voluntati meę, debes aduerſarius appellari. 29

NOtandum: Vbi Chriſtus dominus animaduertiſſet, graue ſcandalum ex memoria mortis ſuę in animis diſcipulorum conceptum eſſe, rem totam grauiùs & magis ſeriò illis explicandam eſſe duxit: nec illis tantùm, ſed quoniam commune negotium fuit, turbis etiam, vt iacula præuiſa minus feriant: non ſibi tantùm cæleſtis doctrinę & cæleſtis glorię cauſa moriendum eſſe; verùm etiam omnes diſcipulos ſuos ad id paratos eſſe debere: nec ad quodùis genus mortis, ſed & illud quod maximè infame & miſerum eſſe putabatur, 30

crucis

crucis inquam; quale pòst Petrus, quale Andreas subiit: nec qualicunq; conditione, sed sub pœna interitus aut saluationis animę suę, cuius pretium est maximum. Hoc autem ita futurum esse, si non reddiderint sibi, doctrinæque suę testimonium, sique illud abnegauerint; vt vicissim si confessi fuerint, eum se illos confessurum apud patrem, qui in cælis est, in cuius glorię consortium assumendi sint, cuius post dies aliquot gustum habituri essent.

31 NOtandum, Adstruit hoc loco saluator noster, contra omnem Caluini impietatem, liberũ arbitrium nostrum; cùm non dicit, Qui sequitur me, abneget semetipsum; aut omnes sequantur me, & abnegent semetipsos: sed sub ea conditione, Qui vult venire post me, abneget semetipsum: ac si diceret, liberũ suum conseruet arbitrium. Abnegare autem seipsum, est alterũ ex altero effici.

32 NOtandum, Qui vult venire post Christum, debere abnegare seipsum, & sequi eum. Quid autem sit abnegare seipsum, & sequi eum, pulchrè explicat ex Chrysostomo Theophilactus. Quid, inquit, sit abnegare seipsum, inde facile quisque colliget, qui antè, quid sit alium negare, cognouerit. Quid igitur est abnegare alium? Qui alium iam negauit, parentem nimirum, fratrem, aut familiarium quempiam, conspiciatque vim afferri, detrudi in carcerem, virgis terga lacerari, pro libidine potentis sęuiri in ceruices eorum; scelere illo audaciũ non mouetur, non accurrit auxilio, non adest cruciatu & contumeliis, si præsertim potens sit, suos non vindicat: estq; planè instar eius, quem nulla iura iungunt parentibus aut consanguineis. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult, vt neque si cæditur, neque si pellitur, neque si vritur, nec si quid aliud huiusmodi patitur, èi parcamus.

33 NOtandum: Qui non abnegat semetipsum, nec sequitur Christum, nec odit animam suam, sed amat; perdet illam. Quid autem sit odisse animam suã, aut amare, quid perdere, aut inuenire; pulcherrimo explicat exemplo D. Gregorius. Sic dicitur, inquit, fideli: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet: ac si agricolæ dicatur: Frumentum si seruas, perdis: si seminas, renouas. Quis enim nesciat, quòd frumentum, cùm in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? sed vnde putrescit in puluere, inde virescit in renouatione.

34 NOtandum, Nihil pretiosius esse apud Deum, anima nostra. Quam, inquit, dabit homo commutationem pro anima sua? vtpote, quæ creatur omnipotenti dextera dei, ad imaginem & similitudinem eius; vt pote, quę redempta sit sanguine illius, iuxta illud: Redemisti nos domine Deus in sanguine tuo: vtpote, cui hæreditas Dei comparata est: Venite benedicti patris mei. Hac autẽ nihil vilius apud nos: quàm inanimati & modici auri nõnunquam, aut fętidæ voluptatis causa prodimus.

35 NOtandum, præmium verę confessionis: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Magnum certamen & labor propositus fuit: proponuntur item ingentia præmia, ita vt labor ille in beneficio potius, quàm in labore habendus sit. Sed illud Pauli diligenter considerandum, ne lingua illum nos nosse confiteamur, factis negemus.

NOtandum, Verba Euangelij: Quemcunque puduerit mei meorumque sermonum in generatione hac adultera ac peccatrice; eius quoque pudebit filium hominis, cùm venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis; ea paraphrasi Euthymium exponere. Quisquis pudore tactus non ausus fuerit confiteri me esse Deum, meosq; sermones esse Dei, propter incarnationis humilitatem; afflictiones & crucem; me quoque pudebit confiteri illum esse meum, quum venero, non iam abiectus vt nunc, sed gloriosus sicut pater meus. Oportet enim non modo credere, verumetiam liberè prædicare. Adulteram verò impiorum generationem appellauit, vtpote à Deo, qui pietatis ac virtutis sator est, deficientem, ac dæmoni adhærentem, qui impietatem ac malitiam seminat. 36

NOtandum: Propositi sunt magni labores, proposita ingentia præmia: vnum illud deerat, ad quod vltimò mortales in hoc genere recurrere solent, Domine, quando hæc erunt? respondet Dominus tacitæ obiectioni, neque hæc diutius expectanda: Amen dico vobis, sunt de hic astantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in gloria sua. Erant autem hi, Petrus, Iacobus, & Ioannes: Mirari autem hoc loco licet Christi benignitatem, quòd Petrum, in quem tantopere insurrexerat, & quem tantopere obiurgârat, primum illorum bonorum, quæ impedire volebat, inspectorem esse voluit: ita quamuis ille increpet, obiurget, feriat, non tamen abijcit: neq; enim amat, & deserit. 37

Caput IX.



NOTANDVM: Præstantur promissa: dixerat Dominus, esse de circumstantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute: hoc igitur nunc implet. Assumit eos, qui columnę vocabantur, qui coryphæi Apostolorum erant, qui Cardinales censebantur, ducit eos in montem, rem sublimem ostensurus, transfigurat se in oculis eorum: ac in omne futurum tempus exemplum datur, res magni arcani & mysterii inter paucos & præcipuos versari debere; contrà quàm hæresis facit, quæ ipsum vulgus ad vulgus omnia reuocat. Ostenditur autem illis gloria, qui postea sanguineo sudore sudantem visuri erant. Notat autem V. Beda, quòd semper loca rebus congruunt. In monte Dominus orat, transformatur, discipulis arcana suæ maiestatis aperit. In inferiora descendens, turbę occursu excipitur, miserorum fletu pulsatur. Sursum discipulis regni mysteria reserat: deorsum turbis peccata infidelitatis exprobrat. Sursum patris vocem iis qui sequi se poterant pandit: deorsum spiritus malos ab his, qui vexabantur expellit. Qui etiam nunc, pro qualitate meritorum, aliis ascendere, aliis verò non desistit descendere. Nam carnales adhuc & incipientes, quasi ima petens confortat, docet, castigat: perfectos autem, quorum conuersatio in cælis est, sublimiùs extollendo glorificat, liberiùs de æternis instruit; & sæpè, quę à turbis ne audiri quidem valeant, docet. 1

NOtandum: Non ita facilè est abnegare semetipsum, tollere crucem, sequi Christum, eos qui non gustauerunt suauitatem Christi, eiusque regni & glorię. 2

gloriæ. Quod etsi sensibiliter non ita frequenter fit, fuit tamen in multis, Nazianzeno, Francisco, Thoma, & aliis: in contemplatione tamen & meditatione frequentius euenire solet, vbi concalescit animus, & in meditatione exardescit ignis: vbi quemadmodum ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum fontem viuum. Sitiuit anima mea in te, quàm multipliciter tibi caro mea. In terra deserta, inuia, & inaquosa; sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam. Ad quem gustum nos prouocat Propheta: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus. Quo gustu, quoniam caremus plerique omnes; ideò nihil magnificum, nihil excelsum aggredimur: quali gustu nunc aspergitur Petrus, & alij: ideo dicit, Bonũ est nos hîc esse.

3 NOtandum: Transfiguratus saluator non substantiam verę carnis amisit, sed gloriam futurę, vel suę vel nostrę, resurrectionis ostendit. Qui qualis tunc Apostolis apparuit, talis post iudicium cunctis apparebit, & electis. Nam in ipso tempore iudicandi, & bonis simul & malis in forma serui videbitur: vt videlicet impij quem spreuêre, Iudæi quem negauêre, milites quem crucifixere, Pilatus Herodesque quem iudicauêre, queant agnoscere iudicem.

4 NOtandum, vestimenta Domini rectè sanctos eius accipi, teste Apostolo, qui ait: Quicunq; ergo in Christo baptizati estis, Christum induistis. Quæ videlicet vestimenta, Domino in terris consistente, despecta, aliorumque similia videbantur: sed ipso montem petente, nouo candore refulgent: quia nunc quidem filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem, quia cùm apparuerit, similes ei erimus: videbimus enim eum sicuti est.

5 NOtandum, Christum Dominum inter Moysen & Eliam apparere, inter vitam speculatiuam & practicam, castam & coniugalem, ciuilem & solitariam: nam quidquid amplius est, ex malo est. Conuincuntur autem Manichæi, Marcion, & cæteri multi, qui Christum inimicum Moysis esse putauerunt, inimicum legis: quod pulchrè annotat Theophilactus. Quoniam, inquit, multi Christum dominum, Deo aduersum & contrarium (vtque eius verbo vtar) antithęum, violatorem item sabbati, legisque Mosaicæ transgressorem esse opinabantur; medius inter prophetas in monte constitit: quorum quidem alter legislator, alter zelotes erat: cùm nequaquam tanti latera eius circumdedissent Prophetę, si legem eum soluere agnouissent, vel prædicationem improbassent.

6 NOtandum: Inconstans auicula est homo: facilè in quouis ramo consistit: sed & facile eundem deserit. Ecce nunc Petrus in modici temporis ramo conquiescere vult: metuens enim de monte descendere, vt qui timeret, ne cum Christo domino crucifigeretur, prodit metum & inquit: Domine, bonum est nos hîc esse: ac si dictum vellet, ne nos amplius permisceamus Iudæis. Quodsi huc etiam suo cœco impetu & rabie concitati, te perditum ire perrexerint, habemus Moysen, quo duce aliquando Deus Ægyptios cum curribus & equitibus proiecit in mare: habemus Eliam, cuius virtute & deprecatione effectum est, vt cum suis quinquaginta asseclis quinquagenarius quondam igne cælesti conflagraret. O quanta felicitas: exclamat hoc loco V. Beda, visioni deitatis inter angelorum choros adesse perpetuò; si tantum trans-

figurata Christi humanitas, duorumq; societas sanctorum ad punctum visa delectat, vt eos, ne discedant, etiam obsequio Petrus sistere velit: qui etsi pro stupore humanæ fragilitatis, nesciat quid dicat, insiti tamen sibi dat affectus indicium. Nesciebat enim quid diceret, qui oblitus est regnum Dei sanctis à Domino, non alicubi terrarum, sed in cælis esse promissum.

NOtandum: Nescit Petrus quid loquatur: sed quid mirum? Timet, gaudet, sperat, amat, irascitur: omnes igitur homines, qui de rebus magnis consultant, vt dicit Salustius, ab ira, odio, inimicitiis, vacuos esse decet. 7

NOtandum: Quia imprudenter interrogauerant, propterea responsionē domini non merentur: sed pater respondet pro filio, vt verbum domini compleretur: Ego testimonium non dico pro me, sed pater qui me misit, ipse pro me dicit testimonium: Hic est filius meus dilectus. 8

NOtandum: quòd Matthæus Dominum Marcusque post sex transfiguratum dicunt dies; nec temporis ordine, nec ratione mysterij discrepant à Luca, qui octo dies dicit: quia illi medios tantum ponunt dies, vt & absolutè post sex dies factum commemorant: hic primum, quo hæc dominus promisit, & vltimum, quo sua promissa compleuit, adiungit. Ideoque temperantiùs ferè dies octo ponit. 9

NOtandum: Putauerunt discipuli, ex his quæ fiebant & dicebantur, iam præsentem resurrectionem, quam non intelligebant, atque adeò aduentum Christi adesse: & ideò à Christo quærunt, quomodo hæc fieri posśint, quandoquidem Elias nondum aduenerit, qui iuxta Malachię prædictionem aduenire debuit? In quo autem errarent, mox apparebit. 10

NOtandum, Duos debuisse Christi esse aduentus, alterum humilem in carnem, alterum magnificum ad iudicium; vterque præcursorem suum habere debebat, primus Ioannem, dictum per similitudinem Eliam, alter ipsum Eliam. 11

NOtandum, & Pharisæos & Discipulos in hoc errasse, quòd confunderent eos aduentus, ac ex duobus vnum facerent. Hac autem potiśimùm ratione, Christi deterrebant discipulos, quòd nondum Elias venisset: & ideò allegant Pharisæos: Pharisæi, inquit, dicunt, quòd ante Christum debet venire Elias. 12

NOtandum, Responsionis Christi eam esse summam, verum esse Eliam venturum, sed in secundo aduentu; & in primo iam venisse Ioannem: absurdè autem errare Pharisæos, qui non distinguant inter hos aduentus. Nam quomodo hæc constabunt, Eliam ante aduentum venturum, & ad Meśiam omnes adducturum, si tamen Meśias patietur & crucifigetur? Ergo distinguēdi erant isti aduentus. Fusiùs hæc & clariùs explicat Euthymius: Hoc, inquit, dixit, coniiciens in dubitationem responsionis ipsos scribas. Si enim secundùm ipsos, quum nondum venerit Elias, nondum venit Christus: Elias autem quum prius venerit, restituet omnia; hoc est, veniet & conuertet omnem Iudæum ad Christum: quomodo scriptum est de filio hominis, siue de Christo, vt à Iudæis multa patiatur? Si enim ad ipsum conuertendi sunt, quomodo ab ipsis multa patietur? Itaq; Elias Thesbites ante secundum Christi aduentum 13

venturus

venturus eſt, quando hi, qui tunc erunt, Iudæi conuertentur ad ipſum. Nunc autem primus Chriſti aduentus eſt, quum à Iudæis multa patitur, cuius præcurſor non Thesbites, ſed Ioannes.

14 NOtandum, Chriſto domino abſente, ac gloriam ſuam principibus populorum oſtendente, nouem diſcipulos otioſos non fuiſſe, ſed inſtructioni populorum ac ſanandis morbis deditos fuiſſe: quod vtinam nunc Apoſtolici viri faciant itidem, vt cùm veniat princeps paſtorum, coronam referant immarceſcibilem.

15 NOtanda eſt in omnibus locis diſtantia mentis ſcribarum & turbæ. Erat enim cum diſcipulis turba, erant & ſcribæ: ſed adueniente Domino, mox omnis turba ſtupefacta expauit eum, ſalutans accurrit. Scribę nihil deuotionis, fidei, humilitatis, & reuerentię ei exhibuiſſe narrantur. Quid autem cum diſcipulis domini turbæ ſiue ſcribæ conquirerent, Euangeliſta non dicit. Poteſt verò, niſallor, aptè intelligi de hoc quæſtionem fuiſſe motam, quare ipſi cùm eſſent diſcipuli ſaluatoris, ſaluare dæmoniacum, qui in medio erat poſitus, nõ poſſent: quod ex ſequentibus Euangelij verbis poteſt coniici, dum dicitur: Et interrogauit eos, Quid inter vos conquiritis? Et reſpondens vnus de turba, dixit: Magiſter, attuli filium meum ad te, habentem ſpiritum immundum. Et dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.

16 NOtandum: Iuſtis & ſanctis expectantibus Dominum, iucundiſsimus & ſuauiſsimus erit aduentus domini, quomodo nunc turbæ, aliquanto tempore expectantes dominum, eundem redeuntem ſalutant, amplectuntur, adorant. Quis nobis item aliquando dabit, benignos & miſericordes pedes eius amplexari?

17 NOtandum, conſuetum eſſe vulgo & laicis, Apoſtolos Apoſtolicoſque viros accuſare: quomodo nunc turbæ accuſant Apoſtolos, in eos infidelitatis culpam ſuę referunt, eos cauſantur.

18 NOtandum: Quemadmodum vulgare eſt turbis, Apoſtolos doctoreſque ſuos accuſare; ita itidem ſolenne eſt Chriſto, his talibus accuſationibus offendi, eaſque obiurgare: quod nunc Chriſtus facit, turbas obiurgat, infidelitati eorum omnia adſcribit, Apoſtolos excuſat. Quod omnes item viri boni, pij & prudentes facere debent. Nunc prima concionatorum popularium laus eſt, ſacerdotes & presbyteros obiurgare: quod Chriſtus non fecit: omnem enim accuſationem in ipſum delatorem reiecit. Eſt autem Chriſti verborum hic ferè ſenſus. Tua incredulitate factum eſt, ne filius à dæmonio liberaretur. Quod quidem non ſoli, qui attulerat filium, exprobrat; ſed Iudæis quotquot tum ibi aderant audientibus dicit; quaſi commune tunc, quod omnium peruaſerit ingenia, malum, diffidentiam, inquam, & incredulitatem coarguens accuſet.

19 NOtandum: Allatum domino puerum ſpiritus conturbat & elidit: quia ſæpè, dum conuerti ad dominum poſt peccata conamur, maioribus nouiſq; antiqui hoſtis pulſamur inſidiis. Quod ob id vtique callidus facit aduerſarius, vt vel odium virtutis incutiat, vel expulſionis ſuæ vindicet iniuriam: hinc eſt enim (vt de ſpecie tranſeamus ad genus) quòd eccleſiæ ſanctæ primordiis tot

grauiſsima

grauissima inferebat certamina persecutionum, quòd suo regno dolebat subitò animarum illata fuisse dispendia.

NOtandum: Falsò mentitur hæresis, Caluinus autem inprimis, Hominem ad iustitiam nihil suum afferre, cùm hoc loco Christus dominus euidenter doceat, Istius puerum neque à discipulis neq; à se potuisse curari, propter incredulitatem: nec prius perfectè curatum esse, quàm illi maiorem quæsiuerint fidem. Vnde ipsi precantur, Adauge nobis, Domine, fidem. 20

NOtandum: Erubescat Iulianus, qui dicere audet, omnes homines absque peccati contagione nasci in carne, tam innocentes per omnia, quàm fuit Adam, quando creatus est. Quid enim habuit iste puer, vt ab infantia dæmonio vexaretur acerbissimo, si non vllo peccati originalis vinculo tenetur, quē constat nullum adhuc proprium potuisse habere peccatum? Confiteatur catholicus, quia nemo immunis à noxa primæ præuaricationis nascitur, & inuocet gratiam Dei, qua liberetur de corpore mortis, per Iesum Christum dominum nostrum. Intelligat scriba doctus in regno cælorum, in hoc dæmoniaco à domino curato, saluationem omnium fidelium esse designatam, qui originalis culpæ reatu astricti, veniunt in hunc mundum, nec nisi vnius redemptoris Iesu Christi fide & gratia sunt saluandi. 21

NOtandum est, contra huius seculi hæreses, fidem gradus suos habere ac incrementa: quod nisi esset, nunquam iste ita precaretur. CredoDomine, adiuua credulitatem meam. Nemo igitur desperare debet, si non plenam statim habet fidem; sed potiùs Deum bonorum omnium autorem orare, Christumque eius filium, vt adiuuet eius incredulitatem. Vnde præclarè hoc loco V. Beda: Nemo repentè fit summus, sed in bona conuersatione à minimis quisq; inchoat, vt ad magna perueniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. 23

NOtandum, Propter peccata hominū, dæmonia quæ semel eiecta sunt, vel ex animo, vel ex corpore, iterum redire. Vnde nunc Christus dæmonio interminatur, ne iterum in puerum curatum redeat. 24

NOtandum, Permissu diuino hominem à dæmone allidi: vt hinc cognoscatur, quanta sit nequitia dæmonis, qui ad internecionem vsque affligeret hominem, nisi potenti Dei dextera tegeretur. 25

NOtandum, proiici oppressum à dæmone in ignem, furoris & concupiscentię ardorem; & in aquam, negotiorum huius seculi procellas: vel ad voluptates carnis, quæ dissoluere mentem per delicias solent. Oppressor autem hic, mutus est & surdus: Surdus quidem ad audiendum veritatis sermonem: mutus autem, vt qui cæteros docere nequeat, quæ ad salutem sint necessaria. 26

NOtandum, Euenire plerunque peccatis hominum, vt eam gratiam quā gratis à Deo obtinuimus, peccatis iterum nostris offenso Deo amittamus: quod hoc loco Apostoli perhorrescere videntur. Vbi enim dæmoniacum curare non possunt, quærunt à Domino diligenter & sollicitè, quæ causa ipsa sit, cur dæmonia illis non pareant; aut num aliquo peccato datam sibi à Christo gratiam eiiciendorum dæmoniorum amiserint. Refert huius rei pulchrum exemplum D. Gregorius: Iustiniani, inquit, temporibus, dum contra Catholicorum 27

licorum fidem exorta à Vandalis persecutio Ariana in Africa vehementer insaniret, quidam in defensione veritatis Episcopi fortiter persistentes, ad medium sunt deducti. Quos Vandalorum Rex verbis ac muneribus ad perfidiam flectere non valens, tormentis frangere se posse credidit. Nam cùm eis in ipsa defensione veritatis silentium indiceret, nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo forsitan consensisse viderentur, raptus in furorem, eorum linguas abscindi radicitus præcepit. Res mira, & multis nota senioribus, quia ita pro defensione veritatis etiam sine lingua loquebantur, sicut prius loqui per linguam consueuerant. Hi itaque eo tempore profugi ad Constantinopolitanam vrbem venerunt. Eo quoq; tempore, quo pro responsis explendis ecclesiæ, ad principem ipse transmissus sum, seniorem quendam Episcopũ reperi, qui se adhuc eorum ora sine linguis loquentia vidisse testabatur, ita vt apertis oribus clamarent: Ecce videte, quia linguas non habemus & loquimur. Videbatur enim à respicientibus, vt ferebat, quia abscissis radicitus linguis, quasi quodam baratrum patebat in gutture; & tamen ore vacuo, plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic vnus in luxuriam lapsus, mox priuatus est dono miraculi; recto videlicet Dei omnipotentis iudicio, vt qui carnis continentiam seruare neglexerat, sine lingua carnea non haberet verba veritatis.

28 NOtandum, Insigniter mentiri hæreses, ieiunium & orationem meritoria non esse, Deumque non placare: cùm apertè Christus dominus doceat, dæmonia non eiici nisi merito ieiunij & orationis. Negat Caluinus: affirmat Christus: tu vide vtrum potius sequare, aut vtri credas. Ieiunium autem intelligit, tam eius ex quo dæmonia eiiciuntur, quàm eius qui eiicit. Vbi item notes, ieiunium, orationem, & fidem, inseparabilem sodalitatem esse.

29 NOtandum, Turbas solitudinem, res lætas mœsta, in vita Christi & Apostolorum excipere. Ideò toties illis mortis suæ & resurrectionis memoriam inculcat, vt hac quasi frequenti commonitione, familiares eis res duas maximas efficiat, ne incautos opprimant. Nam etsi tam & diligenter & frequenter hęc illis inculcata sunt, tamen pòst relicto illo fugerunt omnes.

30 NOtandum, stultam & importunam rem esse ambitionem, nihil tempore suo agentem. Christus de morte & passione sua prædicit, rebus acerbis, & tristibus: isti de maioritate contendunt, planè tempore suo.

31 NOtandum, Hoc esse vitium naturę nostræ, vt aliena nos minùs moueant, nos nostraque amemus & curemus omnes. Parum mouit Apostolos passio & crux Christi: at de suis augmentis & honoribus multa cura.

32 NOtandum: Nemo est, quem suæ ambitionis non pœniteat: nam & isti erubescunt fateri, quid inter se collocuti sint.

33 NOtandum, Magnum argumentum esse diuinitatis Christi, ad occultos sermones Apostolorum respondere, ac eos refutare.

34 NOtandum: Via & regula crescendi hæc est, vt quanto quisque præstantior vult esse, tanto se magis deiiciat. Si quis vult primus esse inter vos, erit omnium nouissimus & omnium minister. Hinc illud Ecclesiastici: Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. *Cap. 20.*

No-

NOtandum, Quo scopo & fine Christus dominus paruulum in medium Apostolorum adduxerit. Explicat eius rei causam pulchrè V. Beda: Curat, inquit, desiderium gloriæ, humilitatis contentione sanari; primatumque non esse quærendum, & priùs simplici humilitatis commonet imperio, & mox puerilis innocentiæ docet exemplo. Quod enim ait: Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit; vel simpliciter pauperes Christi, ab his qui velint esse maiores, pro eius ostendit honore recipiendos; vel certè malitia paruulos ipsos esse suadet, vt instar ætatis paruulæ, simplicitatē sine arrogantia, charitatem sine inuidia, deuotionem sine iracundia conseruent. 35

NOtandum, Quòd amplexatur puerum Christus dominus, significat humiles suo dignos esse complexu ac dilectione: talesq; cùm impleuerint quod præcepit, Discite à me quia mitis sum, & humilis corde; iure posse gloriari ac dicere: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 36

NOtanda gradatio: qui pauperes & humiles recipit, Christum recipit: qui Christum recipit, patrem recipit, & consequenter & spiritum sanctum, atque ita totam sanctam Trinitatem. Et contrà, qui pauperes reiicit, hos omnes reiicit & excludit. Vnde Beda hoc loco: Talem se vtique ac tantum credi vult, qualis & quantus est pater. Vsq; adeò enim, inquit, nihil distat inter me & eum, vt qui me receperit, recipiat & eum qui misit me. 37

NOtandum, Omni modo nomen Christi celebrandum, Euangeliumque prædicandum, modò non contra Christum: quod pluribus D. Paulus explicat: Scire autem, inquit, volo vos fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profectum venerunt Euangelij, ita vt vincula mea manifesta fierent in Christo, in omni prætorio, & in cæteris omnibus, vt plures è fratribus in domino, confidentes in vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem: quidam autē & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Quidam ex charitate, scientes, qnoniam in defensionem Euangelij positus sum. Quidam autem ex cōtentione Christum annunciant, non syncerè; existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo. 38 *Philip. 1.*

NOtandus fuit hic, Christi nomine miracula faciens; exemplum, & documentum in futurum, non suffecturum paruum gregem ad prædicandum Euangelium Christi, sed laudabile nomen eius futurum à solis ortu vsq; ad occasum, & ad fines orbis terrarum. 39

NOtandum: Nomen Iesu Christi & signum crucis, etiam ab his prolata & vsurpata, qui fidem non habent, vi & natura sua valere: quod in hoc iuuene cernere est: de cruce autem in Iuliano, & in Iudæo, de quo S. Gregorius. 40

NOtandum, Prædixisse de hoc genere hominum Christum Dominum, locumq; hunc prolixius explicasse apud Matthęum: Multi, inquit, venient in illo die dicentes: Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? 41

NOtandum, Prædicationem aut signorum operationem, sine missione 42
aut

aut grege Christi, posse quidem esse multis vtilem, iis tamen qui ea vtuntur, non satis securam: quod pulchrè docet V. Beda: Licèt Apostolus gaudeat etiã de his, qui Christum anunciant non syncerè, & tales aliquando in nomine Christi signa facientes, ob aliorum salutem, censeantur non esse prohibendi; non tamen ipsis per talia signa secura sua conscientia redditur: quin potius in illa die, cùm dixerint, Domine, Domine, nonné in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? responsum accipient, Quia nunquam noui vos: discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem.

43 NOtandum: In hæreticis & malis Catholicis, non sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt, & aduersum nos non sunt; sed diuisionem pacis veritati contrariam, qua aduersum nos sunt, & Dominum non sequuntur nobiscum, detestari ac prohibere debemus.

44 NOtandum: Extraordinaria hæc miracula facta sunt, cùm nondum ordinaria missio facta esset, & cùm nondum Apostolis dictum esset, euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium: & ideo neque hæretici, neque Apostatę se illa tueri possunt.

45 NOtat autor operis Imperfecti, eiicere dæmones, commune esse opus inter ministros Dei & ministros diaboli: veritatem autem confiteri & iustitiam facere, priuatum opus esse tantummodò sanctorum. Ideo quem videris dæmonia eiicientem, si non est confessio veritatis in ore eius, nec iustitia in manibus eius, non est homo Dei. Si autem videris veritatem confitentem, & iustitiam facientem, etsi dæmonia non eiicit, homo Dei est. Ecce si tu, & vicinus tuus, habeatis simile signum vnusquisque in equo suo, & perierint ambo, & inuentus fuerit ex eis vnus, nunquid curris & dicis, meus est equus, quia hoc signum habet? Dicit enim tibi vicinus, & meus equus hoc signum habuit. Quid ergo? Necesse habes aliud signum priuatum, quod vicinus tuus non habet in suo. Si ergo in cognoscendis animalibus sic sapis, quomodo in cognoscendis seruis Dei sic non intelligis? Sed per illud signum vis cognoscere seruos Dei, quod habent & serui diaboli: cùm magis deberes aspicere, quod habent soli serui Dei.

46 NOtandum: Soluit hoc loco contradictionem quandam Theophylactus in hunc modum: Videtur, inquit, sibi Dominus contraria dicere. Cùm alibi dixerit: Qui non est mecum, contra me est: nunc dicat: Qui non est contra nos, pro nobis est: quæ quidem non ita sunt, quàm videntur contraria. Nam illud, Qui non est mecum, contra me est, dictum de dæmonibus, quorum ea vna cura est, hoc vnum studium, vt homines Dei seruitio addictos, à Deo auocent & abstrahant, ac ea quæ Dei sunt, hostiliter & infestè longè lateque dispergant: quod autem nunc dictum est, de iis debet accipi, qui quamùis ordinis Apostolici non sint, pro viris tamen Apostolicis se gerentes, multos prædicatione Euangelij signorumque operatione Christo lucrifaciunt.

47 NOtandum: Velle Christum Dominum nomen suum sanctificari, propagari, omniaque causa illius fieri: quod hoc loco videmus. Persentiant ergo illi, qui nomen eius aut blasphemant aut deformi vita contaminant, aut illius causa nihil facere volunt, quanto se flagitio obligent ac scelere.

NOtandum, auferri omnem occasionem excusationis in peccatis illis, qui opera misericordiæ pro nomine Christi exercere nolint, his verbis: Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ frigidæ, in nomine meo, quia Christi estis, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Ac si diceret, paupertatem excusare non potes, da vrceum aquæ: neque calidam peto, quam non omnes habere possunt; sed frigidã, quæ omnibus patet & communis est. 48

NOtandum: Quoniam autem maximè male audit nomẽ Dei in gentibus, propter scandala, quæ inter nos oriuntur, & quæ paruulis siue ætate siue profectu dantur (qui enim magnus est, quæcunque viderit, quæcunq; passus fuerit, non declinat à fide: qui autẽ pusillus est animo, & paruus occasiones quærit, quomodo scandalizetur) ideo maximoperè à scandalis dehortatur. Quorũ quoniam duo genera sunt, data & accepta; primùm nos saluator à datis grauissima commonitione deterret: Bonum est, inquit, illi homini, qui scandalizauerit vnum ex his pusillis, credentibus in me, si circumdaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur. Deinde ab acceptis, dum res quasuis charissimas, quasuis vtilissimas, quasuis maximè necessarias, vt oculum, vt manum, vt pedem, relinquere iubet, idque sub graui pœna ignis inextinguibilis & vermis perpetui. 49

NOtandum: Ter saluatorem nostrum, ad extinguendam impudentiam hæreticorum, ignem gehennę nominare, qui putabant errantes, ignem hunc metaphysicum esse. Quo eodem loco refutantur Origenistæ, qui putabant pœnas inferni temporales esse, ac aliquando Dei misericordia desituras. Ter hoc loco saluator vocat ignem inextinguibilem, hoc est æternum. 50

NOtandum: Vermis non moriens, & ignis inextinguibilis, quæ dies noctesque pœnas à sceleratissimis quibusque repetunt, suæ cuiusque fraudes, sui terrores, sua cuiusque scelera, suæ malæ cogitationes conscientiæque animi sunt, & recordatio omnium impiè & sceleratè, in vita præsertim anteacta commissorum: quæ tanquam vermes corrodunt & consumunt, ac quemadmodum ignis incendunt & exurunt peccatorem. Vnde pulchrè V. Beda: In verme putredinem gehennæ, sicut in igne ardorem designat: vt ignis sit pœna extrinsecus sęuiens, vermis dolor interius accusans.

NOtandũ: Quoniã Saluator dixit, oculos effodiendos esse, manus & pedes abscindendos; ideò ne quis hæc imprudenter intelligat, ac inde scandalizetur, ad omnem hanc doctrinam suam rectè intelligendam, duobus esse opus docet, igne & sale. Igne charitatis, sale sapientiæ; quibus duabus rebus omnia in re Christiana metienda sunt. Concordiam autem ante omnia illis commendat, quam sal sapientiæ cohærere facit. Verùm quia sunt nonnulli, quos dum maior scientia erigit, à cæterorum societate disiungit, & quasi quo plus sapiunt, eò longius à concordiæ virtute desipiscunt; rectè subiungitur: Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Per sal quippè, verbi sapientia designatur: Qui ergo loqui sapienter nititur, magnoperè metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur. Sal quippè sine pace, non virtutis est donũ, sed damnationis augmentum. Quo enim quisque meliùs sapit, eò deteriùs delinquit. Et ideò in excusabiliter merebitur supplicium, qui prudenter, si voluisset, potuit vitare peccatum. Vel vt Euthymius. Dicitur, inquit, sal prudentia & 51

tia & gratia: quemadmodum dicit Paulus, Sermo vester semper in gratia sale condiatur. *Colos. 4.*

52 NOtandum: Mirè dictum est, Omnis igne salietur. Quod enim sale salitur, vermis putredinem arcet. Quod verò igne salitur, id est ignibus sale aspersis conditur, non solùm omnem vermium contagionē longè abigit, sed ipsam quoque, quæ ita salitur, carnem consumit. Quod in hostiis, quæ in altari cremabantur, fieri solere, diuinæ legis scita declarant, vbi in omni victima & sacrificio sal offerri præceptum est.

53 NOtandum: Bonum est Dei verbum audire, frequentiùs sale sapientiæ spiritalis cordis arcana condire, imo ipsum cum Apostolis sal terræ fieri, id est eorum quoque, qui adhuc terrena sapiunt, imbuendis mentibus sufficere. At si quis semel veritatis condimento refectus, ad apostasiam redierit; quo alio doctore corrigitur, qui eam quam ipse gustauit sapientiæ dulcedinem, vel aduersis seculi perterritus, vel allectus prosperis, respuit? Cui aptè congruit illud viri sapientis: Quis medebitur incantatori, à serpente percusso?

NOTARVM
IN D. MARCVM. LIB. II.
Caput X.

1 

OTANDVM: POSTQVAM SALVATOR NOSTER, EX finibus Iudææ & Galilææ gentiū, expurgauit aream suā, nunc in ipsam aream ingreditur, Iudæam inquam; frumenta sua in cellas patris comportaturus: sed non eundem affectum erga se inuenit, quem affert. Affert ipse amoris & charitatis affectum: inuenit inuidiæ, calumniæ, insidiarum. Incipit autem ea narrare, quæ in Iudæa fecit, & docuit, & passus est. Et primò quidem trans Iordanem ad orientem, deinde etiam cis Iordanem, quando venit Ierícho, Betaniam, & Hierosolymam. Nam cùm omnis Iudæorum prouincia generaliter, ad distinctionem aliarum gentium, Iudæa dicta sit; specialiùs tamen meridiana eius plaga appellatur Iudæa, ad distinctionem Samariæ, Galilææ, Decapolis, & cæterarum in eadem prouincia regionum.

2 NOtandum, Hierosolymam eiusq; ministros, scribas & Pharisæos, alteram iam ferre ad Christum quæstionem, de repudio inquam vxorum: quæstionem plenam odij & insidiarum: non vt aliqua ipsa, aut discat, aut doceat; sed vt potius turbam impediat, ac perturbet, & à doctrina Christi reuocet. Est autem solenne hoc diabolo, vt per quæstiones inutiles, siue ab hæreticis præpositas, siue ab incautis & curiosis Catholicis, populum Dei ab vtili & salutari doctrina reuocet: quod nostra ætas abundè, magna verbi Dei & doctrinæ Christi iactura, experitur. Pauca enim quædam de moribus, pauca de vita & honestate docentur: omnia ad inanes quæstiones referuntur.

NOtandum: Quamuis hæc quæstio fraudulenter & insidiosè Christo proposita sit; multa tamen vtilia & salutaria, ex parte Christi nobis peperit, de his quæstionibus, quæ ad vitam nobis pernecessariæ sunt; & de quibus per omne æuum, tam inter Catholicos, quàm inter hæreticos difficultates exoriri debebant; inseparabili, inquam, matrimonij vinculo, & de monogamia, ex quibus vsus vitæ humanæ pendet. Vnde præclarè hoc loco D. Chrysostomus: Perpende, inquit, quomodo ab aliorum maliciosis quæstionibus non parum alij lucrantur. Nam Pharisæi quidem, qui vt caperent, non vt discerent, interrogabant, nihil inde consecuti abierunt: discipuli verò attentè cuncta percipientes, multa didicerunt. 3

NOtandum: Multa facere solet aliquando Deus ipse, non tam ad primā voluntatem suam, quàm ad duritiam cordis nostri: quod in diuortio nunc fecisse legitur. Quod idem Ecclesia Dei necesse habuit sequi, vt multa ab antiquo ritu ad nouum, ob duritiam posterioris temporis, reuocare necesse habuerit: quales sunt secundæ & tertiæ nuptiæ, qualis nocturnarum vigiliarum subtractio, qualis ieiuniorum contractus, & alia multa. Simulque considerandum, quòd non dixit, propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed Moyses: vt iuxta Apostolum sit consilium hominis, non imperium Dei. 4

NOtandum, Solere discipulos in tricis Pharisæorum & scribarum nonnunquam immorari: quod nunc etiam de connubio agunt, quos tamen Christus eo nomine non obiurgat, sed potius docet & instruit. 5

NOtanda sunt ea argumenta, quæ Christus colligit ad id demonstrandū, quòd à principio sic non fuerit: quòd scilicet aliquis repudium daret, aut plures vxores haberet. 6

PRimùm, quòd Deus masculum & fœminam fecit eos, non masculum & fœminas plures. 7

DEinde, quòd propter vxorem relinquet homo patrem & matrem suam: ergo vxorem nullius causa dimittere debebit, cùm patre & matre nihil maius sit. Deinde quòd vnum corpus & caro sunt: corpus autem nostrum relinquere non possumus, neque vllam eius partem. Deinde quòd quæ Deus coniunxit, homo non separare debet: nam hoc esset cum Deo pugnare. 8

NOtandum, Duas esse causas diuortij: vnam carnalem fornicationem, alteram spiritualem timorem Dei, vt vxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege perscripta, vt viuente ea, quæ relicta est, alia ducatur. Quam pulchrè D. Gregorius illustrat: Per se, inquit, veritas dicit, Quæ Deus coniunxit, homo non separet. Quæ etiam ait: Non licet dimittere vxorem, excepta causa fornicationis. Quis ergo huic cælesti legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est, Erunt duo in carne vna. Si ergo vir & vxor, vna caro sunt, & religionis causa vir vxorem dimittit, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel fortasse ad illicita migrantem; quæ est ista migratio vel conuersio, nisi quia vna eademque caro & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutionem? Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere; hoc quis audeat accusare? quando certum est, quòd omnipotens Deus, qui minora concessit, maiora non prohibuit: 9

prohibuit? Et quidem multos sanctorum nouimus, cum suis coniugibus & prius continentem vitam duxisse, & postmodum ad sanctæ ecclesiæ regimina migrasse. Duobus enim modis sancti viri, etiam à licitis solent abstinere: aliquando vt merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando verò vt anteactæ vitæ culpas detergant. Tres enim pueri in Regis Babylonici obsequium deducti, legumina ad vescendum petentes, cibis regiis vti noluerunt: non quia culpa esset, si ea quæ Deus creauerat ederent. Noluerunt ergo ea sumere, quæ licebat, vt per continentiam virtus excresceret. Dauid verò qui alienam vxorem tulerat, & pro sua culpa fuerat flagellatus, aquam bibere longè pòst de Betlehemitica cisterna noluit, eamque fundendo, Domino libauit. Licebat enim bibere, si voluisset: sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter à licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non metuit; postmodum si aquam biberet, etiam viuentium militum sanguinem se fudisse iudicauit, dicens: Num sanguinem istorum hominum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam? Proinde cùm boni coniuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, vt se ad continentiam adstringant, & meliorem vitam appetant, licet. Si verò continentiam, quam vir appetit, vxor non sequitur, aut quam vxor appetit, vir recusat; diuidi coniugium non licet: quia scriptum est: Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

10 NOtandum, apud Dominum fontem esse vitæ: vt ergo ad fontem omnes currunt, siue claudi, siue muti, siue cœci, & omne aliud genus hominum, pueri, iuuenes & senes; ita ad Christum dominum, qui est fons vitæ, omne genus hominum currit & adducitur. Sed & pueri planè infantes, & quemadmodum, qui à fonte arcet homines, fonti iniuriam facit; ita discipuli, qui prohibebant pueros, ipsi fonti Christo iniuriam facere videbantur, & ideo meritò increpantur.

11 NOtandum, Illum paruulos à Christo arcere, qui rudes & simplices homines ab vsu sacramentorum arcet & prohibet.

12 NOtandum, Duas fuisse præcipuas virtutes, quas Christus in omni doctrina sua docuit, quas omni vita sua repræsentauit, quas omnibus signis & parabolis adumbrare voluit: Humilitatem, inquam, ac simplicitatem veritatis. Has easdem, hac puerorum præsentatione, & suaui amplexu, discipulis suis præsentat, & commendat: vt quos nuper de maioritate contendentes deprehendit.

13 NOtandum, amplexum hunc puerorum, tantamque humanitatem, quæ illis exhibetur, non tam ad pueros pertinuisse, quàm ad Apostolos: omnesque qui ad humilitatem & veritatem prouocantur, declarant hæc verba: Talium, inquit, est regnum cælorum: non dicit horum, sed talium, id est horum similium. Vnde V. Beda significanter dixit: Talium est, non istorum; vt ostenderet non ætatem regnare, sed mores: & his, qui similem haberent innocentiam & simplicitatem, præmium repromitti, Apostolo quoque in eandem sententiam congruente: Fratres nolite fieri pueri sensibus, sed malitia paruuli estote, sensu autem vt perfecti sitis.

NOtandum: Quem dulcis amplexus Christi delectat, humilis sit & syncerus, & in eo conquiescet ac oblectabitur. Quo loco Beda V. Complexus, inquit, benedicit paruulos, vt humiles spiritu sua benedictione, gratia, & dilectione dignos esse significet. 14

NOtandum, Benedictionem & impositionem manuum, plurimùm ad omnem successum valuisse, iam à Patriarcharum temporibus discimus: & nunc hoc ipsum Christus in pueris docet, dum eis benedicit, eosque amplexatur. Quæ omnia hæresis ridet & contemnit, exorcismos magicos ritus vocat, nullo suo successu. 15

APprimè notandum est, post tot millia hominum, quæ ad Christum hactenus venerunt, multarum necessitatum causa, visus alij, auditus alij, à dæmonibus liberationis alij, multis aliis de causis alij, primum hunc adolescentem repertum esse, qui ea causa ad Christum veniret, idque ab illo interrogaret: Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo? Omnes præsentia curant: hic solus futura. Ideò annotat Euangelista, quòd Christus dilexerit illum. Sed & nunc quærimus alij alia, honores alij, opes alij, voluptates alij: quærit mundus, quærit hæresis, quærit schola quid in cælis, quid in terra, quid in profundo fiat: rara quæstio, quid faciendo vitam æternam possidebo? atqui hoc vnum erat necessarium. 16

NOtandum: Cur Christus dominus se bonum appellari prohibet, cùm peccatum non fecerit, nec dolus est inuentus in ore eius: & aliâs dicit: Ego sum pastor bonus? An vt istum ab assentatione abducat? an vt aliquid profundius de se & credere & quærere cogat, eum scilicet non solùm magistrum esse bonum, cùm nemo natura sit bonus, nisi solus Deus? Ergo eo ampliùs Deum confitendum esse. Vnus autem Deus bonus, non pater solus intelligendus est, sed & filius qui dicit: Ego sum pastor bonus; sed & Spiritus sanctus, quia pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se. Id est, ipsa vna & indiuidua Trinitas pater, & filius, & spiritus sanctus, solus & vnus Deus bonus est. Quam confessionem ipsa quoque delectatione boni exprimere voluit. 17

NOtandum, Multas esse vias consequendæ vitæ æternæ: distinctas illas quidem, non tamen pugnantes, sed secundùm quosdam gradus perfectionis & profectus distinctas: quemadmodum hoc loco Christus consecutionem vitæ æternæ primùm tribuit mandatis Dei: deinde distributioni in pauperes bonorum suorum, imitationi sui, crucis portationi. Quorum primum illud, necessitatis & præcepti est: hæc posteriora, commoditatis & consilij. Frustra igitur turbat mundum hæresis illis inutilibus quæstionibus, de iustificatione, vtrum hæc fidei aut charitati, vtrum bonis operibus tribuenda sit, cùm hæc omnia ad veram iustificationem sint necessaria: sed & alia multa de quibus hoc loco non attinet dicere. 18

NOtanda singulorum domini verborum vis & energia: Vade, inquit, vende: non mediam partem bonorum tuorum; sed, quæcunque habes: & da pauperibus; non scortis propter libidinem, sed miseris & egentibus propter humanitatem & misericordiam. Pecuniam tuam non perductores, aleatores, lenones, & alij perdendæ pecuniæ geniti homines diripiant; sed pietati illam ac Deo præstes: non ventri ac gulæ ingeras, sed in thesauros iustitiæ recondas; 19

vt

vt cùm ita disperseris dederisq; pauperib⁹, iustitia tua maneat in seculũ seculi. Sed & sequere me, addit: ac si dicat, me tanquã speculũ omnis puritatis & innocentiæ identidẽ contuere, omniumq; virtutũ, quarũ exempla me videndo assecutus fueris, tibi ornamenta conquire. Inuenies enim plerosq; pauperes & inopes, animos tamen supra fortunam gerentes. Vel si & hos modestum ingenium adornat, sunt tamen, qui vnicam illam modestiam, vel ingurgitatione, aut nefanda aliqua turpitudine inquinent & contaminent. Non satis ergo est, si omnia diuendiderimus, eaq; in pauperes effuderimus, nisi & vestigia persecuti fuerimus, & crucem, quod in verbis Domini postremum est, tulerimus: id est, nisi vile nobis corpus fuerit, cælestem illam gloriam petentibus: & nisi paratos semper, pro nomine IESV contumelias patiendi, imò & mortem fortiter obeundi, animos gesserimus.

20 NOtandum, Clarè & euidenter hoc loco refutari Manichæum atq; Marcionem, qui dicebant, veterem legem à malo Deo conditã fuisse, Christumq; eius aduersarium & inimicum esse: cùm hoc loco Dominus legi veteri, eiusq; decalogo tribuat consecutionem vitæ æternæ.

21 NOtandum, Quod iustitia legis suo tempore custodita, non solùm bona terræ, verùmetiam suis cultoribus vitam conferebat æternam.

22 NOtandum, Quæ causa sit, cur ad consecutionem vitæ æternę suas res dispergere, & dare pauperibus sit necessarium; cùm iustitiæ munus sit, suum quemque retinere, ac suum cuique reddere? An ea causa est, quam Christus paulo pòst exponit: Maior scilicet securitas, & pauciora impedimenta: Quàm difficile, inquit, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt? Quo loco V. Beda clare inquit, Qui hîc multiplicandis diuitiis incumbunt, alterius vitæ gaudia quærere contemnunt. Sed inter pecunias habere, & pecunias amare, multa distantia est. Multi enim habentes, non amant: multi non habentes, amant. Item & alij habent, & amant: Alij nec habere nec amare se diuitias seculi gaudent: quorum tutior status est: quia dicere cum Apostolo valent: Nobis mundus crucifixus est, & nos mundo. Vnde & Salomon non ait, Qui habet; sed, Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Et ipse Dominus, obstupescentibus in verbis huius sententiæ discipulis, exponendo subiunxit, dicens: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire. Facilius est camælum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Qui magis admirabantur, dicentes apud semetipsos: Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos Iesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.

23 NOtandum: Sed si necessarium est bona sua relinquere, ad consequendã vitam æternam, quomodo igitur multi diuites vitam æternam consequuntur, vt Abraham, Loth, Iob, Dauid? An quòd non hoc dicitur, impossibile est diuitias habentes in regnum Dei introire; sed hoc, quàm difficile est confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire? Quo loco pulcherrimè locus D. Matthæi atque Lucæ illustratur. Confidere autem in diuitiis est, apponere illis cor suum, vt exponit Dauid, & à Domino Deo auertere. Diuitiæ si affluant, inquit, nolite cor apponere. Iuxta illud Isaiæ: Væ tibi qui relinquens templum sanctũ meum, constituisti altare fortunę: Exponit autem hæc posterior particula

illam priorem. Cùm enim dixiſſet Chriſtus Dominus, quàm difficile illi, qui pecuniam habent, in regnum Dei introibunt: diſcipuli autem obſtupuiſſent ſuper ſermone illius, vt eorum iacentes animos erigat, dictum interpretatur: Filioli, quàm difficile eſt, confidentes in pecuniis, regnum ingredi cæleſte: Imò hac ratione non tantùm difficile, verùmetiam impoſsibile eſſe docet, ſubiuncto exemplo: Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Omnia tamen poſsibilia apud Deum eſſe, mox demonſtrat. Nam & hic, qui confidit in pecuniis, ſtatim eam fiduciam deponere poteſt, & theſaurizare ſibi theſauros in cælis, facereque ſibi amicos de mammona iniquitatis.

NOtandum, Quærere V. Bedam, quo pertineat reſponſio Apoſtolorum: Et quis poteſt ſaluus fieri? cùm incomparabiliter maior ſit turba pauperum, quæ diuitibus perditis potuerit ſaluari. Niſi quia intellexerunt, cunctos, qui diuitias amant, etiamſi adipiſci nequeant, in diuitum numero deputari. 24

NOtandum: Audierat Diuus Petrus in vitam æternam neminem ingredi poſſe, niſi qui venderet omnia, ſequeretur Chriſtum, tolleret crucem: conſcius erat ſibi ſuoque collegio, hæc ſe omnia feciſſe. Magna igitur fiducia interrogat: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Quod quoniam liberiùs dictum eſſe videbatur, ad ipſos quidem Chriſtus nihil reſpondet: ſed primùm eius libertatem infringit, non ſolos illos tales eſſe, aut futuros, ſed multos alios, qui illius cauſa relicturi eſſent omnia: ſed quicunq; illi eſſent, eos illud mercedis ſecuturum, vt centuplum & in hoc tempore accipiant, & vitam æternam poſsideant. 25

NOtandum, duos errores Chriſtum Dominum reſponſione ſua refutaſſe. Primum eorum, qui putant bona opera vitæ æternę meritoria non eſſe: qualis erat Lutherus, & Caluinus, & cæteri huius ſeculi errores: quos Chriſtus refutat cùm dicit: Et vitam æternam poſsidebunt. Deinde eorum, qui negant temporalium bonorum cauſa virtutem exercendam eſſe, aut illam meritoriam eſſe, refutat hoc loco Chriſtus Dominus cùm dicit: Centuplum accipient, & vitam æternam poſsidebunt. 26

NOtandum: Refutari item eorũ errorem, qui putant Apoſtolos Apoſtolicoſq; viros, ſemper in hoc mundo pauperes & mendicos fore debuiſſe. Negat hoc Chriſtus Dominus cùm dicit: Centuplũ accipient, & vitam æternã. Quod D. Benedicto, Bernardo, Franciſco, Dominico eueniſſe legimus: Sed & ipſis Apoſtolis; vel ſi non ipſis, tamen eorum ſucceſſoribus: Conſtitues eos principes ſuper omnem terram: qua de re plura inuenies in ſermone quarto Nuntij ſalutis, & in Matthæum lib. 5. de octo beatitudinibus. 27

NOtandum, Errare vehementer huius ſeculi hæreticos, qui putant ipſi literę ſacræ ſcripturæ adhęrendum eſſe, nec ab illa latum vnguem recedendum. Cùm ſi hoc eſſet, tum nobis centum matres & patres & vxores expectandæ eſſent. Sic enim ſunt clara verba Euangelij: Nemo eſt, inquit, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem aut matrem, aut filios aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus: & in futuro ſeculo vitam æternam. Atqui horum non voces, 28

ſed

ſed ſenſus verborum ſpectandus eſt, ille quem deſcribit D. Hieronymus: Qui propter Euangelium Chriſti carnalia reliquerit, ſpiritalia bona recipiet: quæ comparatione & merito ſui ita erunt, quaſi paruo numero centenarius comparetur numerus. Quia nimirum à fratribus atque conſortibus propoſiti ſui, qui ei ſpiritali glutino colligantur, multò gratiorem etiam in hac vita recipiet charitatem. Lege actus Apoſtolorum, quòd multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna; & erant illis omnia communia, nulluſque egens erat inter illos, qui ſua pro Domino reliquerant. De quibus & Apoſtolus ait: Tanquam nihil habentes, & omnia poſsidentes.

29 NOtandum, Eccleſiæ ſtatum vſque ad diem iudicij talem fore debuiſſe, vt læta & dulcia cum perſecutionibus miſceantur. Recipiet, inquit, centies, tantùm cùm perſecutionibus.

30 NOtandum: ne ſuperbiat Petrus, & efferatur magnis promiſsis, addit Chriſtus grauem & metuendam ſententiam: Multi autem primi erunt nouiſſimi, & nouiſsimi primi. Quo loco Beda: Vide, inquit, Iudam de Apoſtolo in Apoſtatam verſum; & dicito, quòd multi erunt primi nouiſsimi: vide latronē in cruce factum confeſſorem, eodemque die, quo pro ſuis crucifixus eſt peccatis, gratia fidei cum Chriſto in paradyſo gaudentem; & dicito, quòd & nouiſsimi erunt primi. Sed ne Petrus quidem ipſe longè à nouiſsimo aberat, quando Chriſtum negârat. Sed & quotidie videmus, multos in laico habitu conſtitutos, magnis vitæ meritis excellere: & alios à prima ætate ſpiritali ſtudio feruentes, ad extremum otio torpente laceſſere, atq; inerti ſtulticia, quod ſpiritu cœperant, carne conſumare.

31 NOtandum: Poſt ingentia promiſſa Chriſtus vadit in Ieruſalem: ad mortem dux fit diſcipulis: ſequuntur mœſti: mortem & reſurrectionem prædicit. Quemadmodum autem mundus dux eſt ad voluptatem & ad gaudium: ita Chriſtus Dominus dux & autor eſt crucis, tribulationū, & mortis. Metuebant autem, ne vel ipſi cum eo occiderentur; vel ſaltem ille, cuius vita & magiſterio gaudebant, inimicorum manibus occumberet.

32 NOtandum, tertiò iam Chriſtum Dominum futuram mortem ſuam diſcipulis ſuis prædicere: nunc autem diſtinctiùs quàm antea, & per partes. Partes autē iſtę ſunt: Filius hominis, inquit, Hieroſolymæ tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & damnabunt eum morte, & tradent eum gentibus, & illudent ei, & conſpuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum. A Iuda traditus, in horto captus eſt, damnatus apud Caypham, traditus Pilato. Quæ partes iiſdem quaſi verbis à prophetis antè prædictę: & quas eaſdem fides Catholica in ſuo ſymbolo confitetur, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus: quæ ſunt veluti gradus quidam, & argumentum futuræ ſpeculationis paſsionis IESV CHRISTI.

33 NOtandum, Non ob vnam ſimplicem aliquam cauſam, Chriſtum Dominum ordinem paſsionis ſuę apud diſcipulos retexere: ſed vt & illos confirmet, ac præmoneat, vt improuiſa iacula eos minus feriant: & vt pòſt cognoſcant, nihil illo ignorante, nihil inuito illi accidiſſe; libenter ſe ac ſponte paſsioni, noſtra cauſa, offerente. Si enim prædicit, ſcit: ſi ipſe vadit, non inuitus facit: ſi ſe vltrò offert, libens & ex animo id ſubit.

Notandum:

NOtandum: obliti sunt Ioannes & Iacobus filij Zebedæi, principes Apostolici collegij, mandatorum Christi, Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister: obliti pueri, in medio tanta diligentia & solennitate collocati, & Christi dicentis, Nisi efficiamini sicut hic paruulus, non intrabitis in regnum cælorum: obliti proximorum de morte & passione sermonum, dextras & sinistras in regnis repetunt. Obliuiosa est humana natura, etiam in preceptis legis & mandatorum Dei: facilè præteritorum obliuiscitur. Nemo autem desperet in suis imperfectionibus, nemo exprobret alienas, nemo præsumat de suis, cùm videt apices Apostolorum huc peruenisse. Quod autem Mattheus scribit, hæc matrem filiorum Zebedei Dominum postulasse pro illis, Marcus ipsorum desiderium atque consilium volens aperire legentibus, tacet de interueniente matre, ipsos id potiùs dicit postulare, quod ipsorum rogatu per matrem nouerat esse postulatum. Denique Dominus secundum vtrumque Euangelistam, non matri sed ipsis respondit: Nescitis, quid petatis. 34

NOtandum, Ambitiosos nescire, quid petant: nam & isti nescierunt, quid petierunt. Christus ad mortem & passionem Hierosolymam ascendit, quod ipse palam profitetur: & isti eum putant ad prehendendum regnum futurum pergere: indeq; occasionem ambitionis sumunt, vnde ansam humilitatis debebant sumere. Nesciunt, quid petant, inquit V. Beda, qui sedem gloriæ à Domino, quam nondum merebantur, inquirunt. Iam enim delectabat eos culmen honoris; sed prius viam habebant exercêre laboris: Desiderabant regnare cùm Christo sublimiter; sed prius erat pati humiliter pro Christo. Sed & alij omnes ambitiosi nesciunt, quid petunt: putant se dignitatem, opes, potentiam, amicitias, quietem, tranquillitatem, otium & securitatem petere; plerunque nec ista assequuntur, & sua, si quę habuerunt, amittunt. Nesciunt quid petant: nam vel per se satis dignitatis habent, & ita externa frustra petunt: vel indigni sunt, & ita dedecus pro honore acquirunt: hacque ratione nesciunt quid petant. Qua de re plura in nostro Epithalamio scripsimus. 35

NOtandum, Neminem posse sedere in regno Dei, nisi qui biberit calicē, quem Christus bibit, & baptismo, quo Christus est baptizatus, baptizetur: contrà quàm docet nouum Euangelium. Nomine autem calicis siue baptismi, passionem designat martyrij, qua & ipsum & illos docebat consummari. Vnde & alibi de sua passione loquitur, Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coartor nisi dum perficiatur? Et eidem passioni appropians orabat dicens: Pater, si vis transfer calicem istum à me. 36

NOtanda Christi responsio ex V. Beda, Regnum cælorum non esse dantis sed accipientis. Non est enim personarum acceptio apud Deum: sed quicunq; talem se præbuerit, vt regno cælorum dignis sit, hic accipiet; quòd non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis, qui consequamini regnum cælorū, quòd pater meus victoribus & triumphantibus præparauit, vos quoq; accipietis illud. Item non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Non est meum dare superbis: hoc enim adhuc erant. Sed si vultis accipere illud, nolite esse quod estis: aliis paratum est, & vos alij estote. Prius humiliamini, qui iam vultis exaltari. 37

Notan-

38 NOtandum, Plerumque ambitiosos nihil aliud ex sua ambitione referre, quàm odia & inimicitias hominum, inuidiam item, quam nunc Iacobum & Ioannem à fratribus suis referre videmus. Nemo enim est, qui illum amet,& non oderit potius,qui se anteferat cæteris,& qui maior esse cupit: quiq; ignorans mensuram suam, immodica cupiditate exardescit.

39 NOtandum: Quemadmodum ambitio,turpe est peccatum & ingratum: ita & inuidia & rancor erga proximos. Nam & in hoc ipso tacita inest ambitio: nisi enim hi ipsi reliqui Apostoli ambitiosi fuissent, fratrum infirmitatem facilè sustinuissent. Quod Christus Dominus demonstrat, dum inuidentes & murmurantes discipulos obiurgat & increpat.

40 NOtandum:Nihil melius est & salubrius,quàm duobus aut pluribus inter se frustra & sine causa litigantibus turbasque cientibus, hos & illos vehementissimè increpare: quod nunc Christus Dominus eximiè facit, tam Ioannem, quàm Iacobum, & cæteros discipulos, quàm vnquam aliâs sufficientiùs, arguans & accusans.

41 NOtandum: Maioritas & minoritas, non aufertur ex ordine Apostolico & populo Christiano: sed modus maioritatis & minoritatis, ne more gentiliũ fiat, & vt & humilitas conseruetur. Quo loco V.Beda: Frustra,inquit,aut immoderata quæsierunt, aut isti dolent super maiorum desiderio: cùm ad summitatem virtutum, non potentia,sed humilitate veniatur.

42 NOtanda est causa præcipua aduentus Christi Domini, ex ipsiusmet verbis: Nam & filius hominis,inquit,non venit vt ministraretur ei,sed vt ministraret, & daret animam suam redemtionem pro multis. Nota inquit Beda, eum qui ministraret, filium hominis appellari, & dare animam suam redemptionẽ pro multis: quando formam serui accepit,vt pro mundo sanguinem funderet. Et non dixit, Dare animam suam redemtionem pro omnibus, sed pro multis, id est pro eis, qui credere voluerunt.

43 NOtat Theophylactus,Ministerium hoc, atque adeò demissionem, exaltationem, decus, & magnam gloriam cùm ipsius Christi, tum omnium eius imitatorum & fuisse & forè semper. Antequam enim homo fieret, solis erat cognitus Angelis; postquam autem carne humana assumta, natus ex virgine, & cum hominibus conuersatus, & cruci affixus est, præterquàm quòd ab Angelis glorificabatur, & terrestri gloria auctus est, vniuersique terrarum orbis tanquam Rex & Imperator potentissimus cepit imperium.

44 NOtandum: Proficiscitur Hierosolymam Dominus: primùm tamen testari voluit, qua causa veniat; idque verbis imprimis, vt scilicet daret animam suam redemtionem pro multis: deinde,vt assolet,præsenti miraculo,dum eodem itinere propè Hierosolymam duos cœcos illuminat, vt Matthęus refert: duos inquam populos, Iudaicum simul & gentilem; vt quòd extra agebat, demonstraret illud,quod intus satagebat, curationem generis nostri. Vnum autem ex illis fuisse notiorem, ex eo apparet, quòd nomen eius & patris eius D.Marcus commemorauit: quod in tot superiùs sanatis à Domino, non facilè occurrit: nisi quum Iairum Archisynagogum etiam nomine expressit,cuius filiam resuscitauit IESVS. In quo etiam magis iste sensus apparet,quia & ille Archisynago-

chiſynagogus vtique in loco illo nobilis fuit. Proculdubio itaque Bartimęus iſte Timæi filius, ex aliqua magna felicitate deiectus, notiſsimę & famoſiſsimę miſerię fuit; qui non ſolùm cœcus, ſed etiam mendicus ſedebat. Hinc eſt ergo, quòd ipſum ſolùm voluit commemorare Marcus: cuius illuminatio tam gratam famam huic miraculo comparauit, quàm erat nota illius calamitas.

NOtandum: Clamat magna voce cœcus: IESV fili Dauid miſerere mei: exauditur à turbis & arcetur: exauditur ab Apoſtolis, curatur à Chriſto. A Neſtorio tamen, qui illum Dauidis filium eſſe negat, ſed ne filium quidem hominis planè confitetur, exaudiri non poteſt: Sed ne à Caluino quidem, vt dictum eſt aliquo modo. 45

NOtandum: Qui nunc prohibent cœcum clamare, piè & ſanctè Chriſtum compellantem, quaſi honoris & reuerentiæ cauſa, iſti paulo pòſt impie & ſacrilegè contra illum dabunt voces ſuas, Tolle, tolle, crucifige, crucifige illum. Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. 46

NOtandum: Videt & ſequitur Chriſtum, qui bonum quod intelligit operatur. Videt autem, ſed non ſequitur, qui bonum quidem intelligit, ſed bene operari contemnit. IESVM enim Dominum ſequitur, qui imitatur. Hinc namque dicit: Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Conſideremus ergo quà graditur, vt ſequi mereamur. Ecce cùm ſit dominus & creator angelorum, ſuſcepturus naturam noſtram, quam condidit, in vterum virginis venit. Naſci tamen in hoc mundo per diuites noluit, parentes pauperes elegit: vnde & agnus, qui pro illo offerretur, defuit; columbarum pullos vel par turturum ad ſacrificium mater inuenit. Proſperari in hoc mundo noluit: opprobria, irriſioneſque tollerauit: ſputa, flagella, alapas, ſpineam coronam, crucem ſuſtinuit. Et quia rerum corporalium delectatione à gaudio interno cecidimus; cùm qua amaritudine illuc redeatur, oſtendit. 47

NOtandum, quàm conueniens ſit ordo ſalutis in cura iſtius cœci repræſentatus: audimus primò, deinde clamamus, poſteà vocamur, poſtremo ſurgimus. Audimus per prophetas: clamamus per fidem: vocamur per Apoſtolos: ſurgimus per pœnitentiam: exuimur per baptiſmum: interrogamur per voluntatem. Vnde ſequitur: Qui proiecto veſtimento exiliens, venit ad IESVM. 48

Caput XI.



OTANDVM: Duo ſunt quæ nobis maximè admirabilem Dei virtutem faciunt: primùm ſcientia rerum, non tantùm præſentium, ſed etiam earum quę longiſsimè abſunt; non vniuerſalium tantùm, ſed etiam ſingularium: deinde potentia eius incredibilis, per quam omnibus imperat, & in omnia ius habet. Oſtendit vtramq; hanc virtutem in ſuo primo ad vrbem ingreſſu ac triumpho Dei filius Rex Dauid. Scientiæ quidem, dum dicit: Ite in Caſtellum, quod contra vos eſt: Et ſtatim introeuntes illuc, inuenietis pullum ligatum, ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit: vbi abſens videt. Potentiæ autem in illis verbis: Et ſi quis vobis dixerit, Quid facitis? Dicite, quia Domino neceſſarius eſt: & con- 1

tinuò illum dimittet huc: quibus verbis probat se esse verum Deum & Dominum omnium.

2 NOtandum: Quemadmodum ex parte ipsius Regis, superioribus facultatibus diuinitas & regnum ipsius demonstratum est: ita ex parte Israëlis sani, & qui tum adhuc spiritu Dei agebatur, nunc eadem declarantur; dum eum plena laude & adoratione tanquam regem suum, adorant & excipiunt. Quæ adoratio consistit in signis & verbis: signis quidem, obuiationis, strationis in via vestimentorum, palmis & floribus. In verbis autem istis, ex psalmis Dauidicis sumptis, solique Deo conscriptis: Hosanna: benedictus qui venit in nomine Domini: Benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid: Hosanna in excelsis. Quibus perfecta adoratio constat: contrà quàm sentit hæresis.

3 NOtandum, Vestimenta Apostolorum, vel doctrinam virtutum, vel edissertionem scripturarum, vel certè Ecclesiasticorum dogmatum varietates intelligi posse; quibus illa corda hominum, antè nuda & frigida, quo Christo sessore digna fiant, operiunt. Portante autem Dominum asino, multi vestimenta sua in via sternunt: quia sancti martyres propriæ se carnis amictu exuentes, simplicioribus Dei famulis viam suo sanguine parant, vt inoffenso videlicet gressu mentis ad supernæ ciuitatis mænia, quò IESVS ducit, incedant.

4 NOtandum: Frondes vel ramos de arboribus cædunt, qui in doctrina veritatis verba atque sententias patrum de eorum eloquio excerpunt; & hæc in via Dei, ad auditoris animum venientis, humili prædicatione submittunt.

5 NOtandum, De regno Dauidis nos aliâs prolixius dixisse, in tertio sermone Nuntij salutis: vnde illa huc referri possunt, & aliquando debent.

6 NOtandum, Ideò Christum Dominum asino, animali pigro, incomto, stulto & simplici Hierosolymam inuectum esse; vt ostendat miseriæ nostræ, & nostri asini quem assumpsit, vilitatem, pigritiam, stultitiam, & immunditiam. Pudeat autem prælatos huius seculi, equorum phaleratorum, aut rhedarum multiiugarum. Legimus D. Adalbertum ab Archiepiscopo Moguntino consecratum, Pragam vili & simplici equo & freno canabeo venisse. Fallax equus ad salutem.

7 NOtandum: Solent magni Reges, vbi cum triumpho in vrbem ingressi sunt, summam arcem eiusq; templum petere: facit hoc similiter noster triumphator Christus IESVS, in arcem patris summi templumque eius primò venit, & tum verè & propriè impleta est illa prophetia: Et statim veniet ad templũ suum dominator, quem vos quæritis; & Angelus testamenti, quem vos vultis. *Malach. 2.*

8 NOtandum: Quòd ingressus ciuitatem, primò templũ adiit, formam nobis religionis, quam sequamur, præmonstrat. Vt cùm fortè villam aut oppidum, aut alium quemlibet locum, in quo sit domus orationis Deo consecrata, intramus, primò ad hanc diuertamus, & postquàm nos Domino per orationũ studia commendauerimus, sic deinde ad agenda ea, propter quæ venimus, temporalia negotia secedamus.

9 NOtandum, Quòd hic introitus Christi in Ierusalem, ante quinque dies Paschę, in quo mysteriũ sacrosanctę passionis suę implere decreuerat, factus est.

Narrat enim Ioannes, quòd antè ſex dies Paſchæ venerit Betaniam : vbi cœna ei facta, & diſcumbentibus multis, ſoror eum Lazari Maria vngento myſtico perfuderit; atque in craſtinum aſinę inſidens, obuiante cùm palmis plurima turba, venerit Hieroſolymam. Vbi non prætereunda ſilentio eſt, non tantùm concordia in rebus, verùm etiam in temporibus veteris & noui teſtamenti, vmbræ & veritatis, legis & euangelij. Scriptum namq; in lege eſt, dicente Domino ad Moyſen & Aaron: Menſis iſte vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cætum filiorum Iſraël, & dicetis eis: Decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas. Et paulò pòſt: Et ſeruabitis eum vſque ad quartam decimam diem menſis huius: immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam. Decima ergo die menſis primi, agnus, qui in Paſcha immolaretur, domũ introduci iuſſus eſt: quia & Dominus decima die eiuſdem menſis, hoc eſt antè quinque dies Paſchæ ciuitatem in qua pateretur erat ingreſſurus. Et ſicut agnus de toto grege electus, certum ſuæ victimationis diem expectabat: ita & Dominus coniurante aduerſum ſe omni ſeniorum & principum concilio, certus præſtolabatur horam, in qua ſeipſum pro ſalute mundi oblationem Deo, & hoſtiam in odorem ſuauitatis, offerret. Immolabatur agnus quartadecima die primi menſis ad veſperam: & Dominus eadem hora agnum cum diſcipulis manducans, vbi legalis Paſchæ decreta compleuit, egreſſus eſt cum eis ſtatim ad locum orationis: vbi comprehenſus à Iudæis & ligatus, iam ſacramenta beatæ ſuæ victimationis inchoaret.

10 NOtandum, Ideo Chriſtum Dominum eadem die noctem in Bethaniam tranſigere, vt oſtẽdat ſe in ciuitate ſancta, in ciuitate Dauid, in ea gente cui adueniebat, in eo populo à quo ſic honorificè mane ſuſceptus eſt, locum pro nocte, vbi reclinaret caput, non inueniſſe: eam inconſtantiam, eam voluntatum mutabilitatem humanarum eſſe.

11 NOtandum, Quòd non ſemel exiit IESVS in Bethaniam cum duodecim, ſed per omnes quinque dies, ex quò Hieroſolymam aſcenderat, vſq; ad tempus paſsionis, hoc ipſum agere ſolebat; vt per diem in templo doceret, noctibus verò exiens moraretur in montibus Olíueti, ſicut in Luca legimus. Vnde hoc intelligendum eſt, quòd tantæ Dominus fuerit paupertatis, & ita nulli ſit adulatus, vt in vrbe maxima nullum hoſpitem, nullam inuenerit manſionem: ſed in agro paruulo, apud Lazarum ſororeſque eius habitaret. Eorum quippè vicus Bethania eſt. Non priùs autem exiit in Bethaniam, quàm circumſpexit omnia, quæ in templo erant, tanquam dominus habitaculi illius.

12 NOtandum, Idem poſtridie facere Chriſtum Dominum in ficu maledicenda, quod fecit pridiè in vrbe relinquenda: ingratitudinem ſcilicet, & vltimam plagam populi illius denunciare. Vbi notandum eſt, duplicem prophetiam eſſe, alteram quæ verbis fit, alteram quæ ſignis; vt cùm Ieremias iubetur ſtercus comedere, Ieremias nudus incedere, catena lignea vinciri, Oſeas filios fornicationum facere: quæ omnia ſigna erant futurorum euentuum. Eodem etiam modo nunc Saluator noſter ſigno ficulneæ prophetat extremum & æternum exitium, ac æternam reprobationem gentis illius demonſtrat. Alioquin enim, ſecundùm literam, res quædam frigida eſſet, manè eſurire, lignum in anima-

in animatum obiurgare, fructum non suo tempore repetere: vbi non rami tantùm aut stipites infructuosæ ficus, sed ipsa etiam radix arefiendo, sententiã diuinæ in se reprobationis paulò pòst ostendit. Et Ioannes ait, quia securis ad radicem arborum posita est. Arefacta est itaque ficus à radicibus, vt ostenderetur gens impia, non ad tempus vel ex parte corripienda externorum incursibus, & mox miserante Domino, post actam pœnitentiam, priscæ restituenda libertati, vt sæpè factum sacra historia refert; sed æterna potius damnatione ferienda. Arefacta est à radicibus: vt intimaretur nefanda plebs, non solùm humana gloria forinsecus, verùmetiam diuino intus fauore funditùs esse destituenda. Nam & salutem vitamque, quam accipere poterat in cælis, & quam iam perceperat patriam perdidit in terris.

13 NOtandæ partes eius Prophetiæ: primùm Dominus esurit, videt à longè ficum habentem folia, venit si quid fortè inueniret in ea, nihil inuenit præter folia, ad extremum maledicit: Iam non amplius in æternum ex te fructum quisquàm manducet.

14 NOtandum cum D. Chrisostomo, non esse quærendum, vtrum meritò exsiccata ficus sit, si tempus non erat fructuum: delirationis enim id videretur esse extremæ; sed signum solùm modò considerandum, & creatori gloriã reddendam. Sic & in porcis submersis, rationem iustitiæ diligenter inquirentes multos fecisse: quibus tamen mens adhibenda non est. Sicut enim porci ratione, sic & planta anima caret.

15 NOtandum igitur, esuriem inprimis Christi significare studium, & desiderium summũ, quod Christus Dominus ad saluandum illum populum, illamq; vrbem attulerat: de quo ipse toties testatur: Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? & vltimis suis vocibus in cruce pendens. Sitio: salutẽ inquã, & vrbis & gentis. Visio à longè ficus, est æterna & cælestis Dei misericordia, qua aspexit gemitus & compedes Israëlis, ad sanandum eum. Accessus ad ficum, est ipsa incarnatio, ac in Iudæa conuersatio. Ficulnea populum ipsum ingratum significat, qui multos quidem annos præstantes & vberes fructus dedit; Patriarcharum, inquam, Prophetarum, sanctorum, & excellentium Regum, sacerdotum piorũ & legis Dei obseruantium: vltimò adeò sterilis facta est, vt etiam felle & aceto potaret saluatorem suum: Folia, præter quæ nihil inuenit, significant ceremonias, cultum externum, disputationes, quæstiones: quibus solis tum se & mundo & saluatori commendare volebat populus ingratus. Quod verendum est, ne & nunc fiat. Quo etiam facto terrebat, inquit Beda V. ne quis habendo folia, & fructum non habendo, hoc est verba iustitiæ absque operibus prætendendo, excidi & in ignem mereretur proiici. Vnaquæque enim arbor, non de floribus, non de foliis, sed de fructu suo cognoscitur: id est vnusquisque homo, non de æstimatione famæ, vel sermonum pompa, sed de suorum testimonio probatur actionum. Vel folia significant synagogam, quam Saluator vestitam mandatis hominum, & superstitionibus ornatam inuenit. Decretum contra ficulneam horrendum factum quidem est iam à multis annis, & executum; vltimum autem illud fiet: Ite maledicti in ignem æternum.

16 NOtandum: Vt frequens & familiare erat discipulis Domini, miracula

 videre,

videre, ea præsertim quibus insignia aliqua beneficia hominibus conferebantur: ita inusitatum & insolens fuit, eum ad vexandos infestandosq; homines, quidquam illis videntibus comparare. Quapropter hoc loco volens Apostolis demonstrare, nocendi etiam sibi facultatem esse, suorumque hostium, qui eius supplicia atque adeo vitæ cum sanguine profusionem auidissimè expetebant, vno temporis momento funditùs tollendorum, se habere potestatem; virtutis atque potentiæ suæ tantæ edidit specimen in arbore sensus experte.

17 NOtandum: Minatur bonus paterfamilias ficulneæ: non tamen eam statim succidit, sed fouet potius, circumfodit, curat quantum potest, ac ad se redire hortatur. Quod pulchra parabola prolixius explicat D. Lucas: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, & venit quærere fructum in illa,& non inuenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac,& non inuenio. Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi: Domine,dimitte illam & hoc anno,vsque dum fodiam circa illam,& mittam stercora. Et si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides illam.

18 NOtandum,Eam curationem ingratæ ficulneæ, à domo Domini eum incipere: quod idem fecit pater eius: A sanctuario,inquit,meo incipite. Quodsi mundum & sanum est, facilè reliquæ partes Reipub. mundæ & sanæ efficiuntur: Si profanum & pollutum, nihil sanctum & sanum ibi esse potest.

19 NOtandum, Curationem & purgationem domus Domini, abiectione vendentium & ementium,Christum Dominum inchoâre: Non tam turturum aut columbarum: nam ista ad necessitatem præsentem forte non iniquè vendebantur; quàm earum rerum quæ per hæc designabantur; donorum scilicet Spiritus sancti, & spiritualium functionum: Quod pulchrè V. Beda explicat: Qui autem sunt, inquit,in templo Dei hodie, qui columbas vendunt? nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt: per quam videlicet impositionem, Spiritus sanctus cælitùs datur. Columba ergo venditur, quando manus impositio, per quam Spiritus Sanctus accipitur, ad pretium præbetur. Sed redemptor noster cathedras vendentium columbas euertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Hinc est, quòd sacri Canones Simoniacam hæresim damnant: & eos sacerdotio priuari præcipiunt, qui de largiendis ordinibus mercedem quærunt. Magnum siquidem est malum simonia; an potius principium & fons omnium in Ecclesia malorum. Vnde Gregorius: Liqueat, inquit, hanc hæresim ante omnes radice pestifera surrepsisse: atque in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam: Pecunia tua tecū sit in perditionem: quia donum Dei pecunia existimasti possideri. Cur non cauetur, cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem conuertitur; qui ad hoc vt fiat hæreticus promouetur? Quæ omnia plenius explicat D. Gregorius in aliis epistolis.

Lib. 7. Epist. 120.

Lib. 4. Epist. 5. & 56. & lib. 5. Epist. 7. & lib. 7. Epi. 120 & 113. & lib. 9. Epist. 40 & 51. & 53. 54. 55. & 64 & lib. 10 Epist. 32. & 33.

20 NOtandum,Post eiectionem vendentium ac ementium,magnam domus illius curare Saluatorem munditiem & sanctitatem; vt qui ne vas quidē profano vsui accommodatum,per illam transferri velit. Quod dum aliquando in populo Christiano fiebat, tum ex ea domo efferebantur mira & infinita gratiarum & curationum dona: nunc posteaquam planè in stabulum, aut publi-

cam porticum viamq; relata est, nihil ex ea tale exportari videmus. Vel sicut Euthymius inquit: Vas non permittebat per templũ deferri, vt doceret, quòd nihil per neglectum admitti debeat, quod indecens sit in templis. Quanta autem sanctitas, quanta commoditas domus Dei sit, pulchrè explicat D. Chrysostomus: Magnæ inquit hîc nobis sunt possessiones: hîc omnis spes nostra sita est: omnia quæ hîc sunt, sublimia certe sunt atque fulgentia: hæc mensa preciosior multò est atque iucundior, quàm tua: & lucerna, quàm tua lucerna. Et nouerunt, quotquot cum fide tempestiuè oleo vncti, à morbis liberati sunt. Arca etiam hæc, melior quàm tua; estq; magis necessaria: non enim preciosas vestes, sed misericordiam inclusam continet: qua qui priuantur, culpa sua priuantur. Hic & lectulus est valde tuo præstantior: diuinarum enim scripturarum lectio, omni magnifico lecto suauior est. Et certè bene nobiscum ageretur, si nullam aliam domum præter hanc possideremus. Quod dictum ne graue nobis videatur, rectè dictum: tria millia hominum, & quinque millia illi testantur, qui domum vnam, & animam vnam habuerunt. Totius enim multitudinis credentium, inquit, vnum cor erat, & anima vna. Et paulo pòst: Multa nos, inquit, coniungunt ac copulant: vna mensa omnibus nobis proposita est: vnus nos omnes genuit pater: eosdem omnes dolores partus intulimus parenti: idem potus omnibus; quid dico vnus, cùm etiam ex vno & eodem calice detur? Pater enim noster magno charitatis vinculo studens nos vnire, vt etiam ex vno calice biberemus, effecit: quæ res, maxima nos charitate copulat.

21 NOtandum, Eos ex domo domini speluncam latronum facere, qui ex rebus sacris quæstum quærunt: & apud quos omnia venalia, altare, cathedra, sacerdos: quod tunc in illo Iudaico templo fuit. Quòd pulchrè adnotat V. Beda: Qui ad accipienda, inquit, munera in templo residebant, profectò, quin quibusdam non dantibus læsiones exquirerent, dubium non erat. Domus ergo orationis, spelunca latronum facta fuerat: quia ad hoc in templo assistere nouerant, vt aut non dantes munera studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritaliter necare.

22 NOtandum, Si templum Hierosolymitanum ita suscepisset regem suum, vti debebat; tum illud templum fuisset sedes Messiæ, templum omnium gentium & nationum, totius denique orbis, qualem nunc Romam esse cernimus. colligitur hoc ex verbis Isaiæ: Domus mea domus orationis cunctis gentibus. Vnde V. Beda: Omnibus gentibus, inquit, non vni genti Iudaicæ, nec in vno Hierosolymę vrbis loco; sed in toto terrarum orbe: & nequaquam taurorum & hircorum & arietum; sed orationis. Pulchrè hoc loco explicat particulas huius Christi facti Theophylactus: Speluncam latronum appellat, inquit, templum, propter insatiabilem auri cupiditatem, infinitumque studium auaritiæ, quæ tanquam contagio aliqua sacerdotum tunc, templiq; præpositorum animos peruaserat. Genus enim hominum latrociniis & raptò viuere assuetum, lucra semper, prędas, compilationes, rapinasq; cogitat & meditatur. Proinde istis, qui speciosè quidem primo aspectu sacrificiis competentia, venum afferebant animalia, reuera tamen vt pecuniam facerent, latronum vt merebantur nomen indidit. Κολλυβιςαὶ autem numularij dicebantur, quorum omnes vitæ rationes in pecuniarum permutatione constabant: Κόλλυβος enim erat

ſpecies quædam æręi numiſmatis minutioris, quod vt refert Heſychius, imaginem bouis impreſſum habebat.

NOtandum: Et pater quidem familias circa ficulneam ac vineam ſuam hæc. Quid ad hæc villicus, cultorq; vineæ? num deprecatur Dominum? Vſq; dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, dimitte. Et ſiquidem fecerit fructum: ſin autem in futurum ſuccides illam. Nihil horum. Quid igitur murmurat? quærit quomodo patrem familias perdat: Quærebat, inquit, Synagoga, quomodo eum perderet: timebat enim eum, quoniam vniuerſa turba admirabatur ſuper doctrina eius. 23

NOtandum: Confecto diurno opere, paterfamilias reuertitur ad noctem iterum Bethaniam: mane iterum redit ad opus: ſequuntur diſcipuli: prætergrediuntur ficum: recordatur & dicit Petrus, Rabbi, ecce ficus cui maledixiſti aruit. 24

NOtandum, Non fruſtra, nec temerè, nec ſine magno myſterio, de ficu interrogare Petrum: ſed volebat Deus demonſtrare, efficax eſſe verbum filij ſui, nec profanari teſtamentum eius, & quæ procedunt de labiis eius, non fieri irrita: arefieri iuſsit ficum, arefacta eſt: & in æternum fructum non dare, non dedit. Dixit itidem Hieroſolymis, lapidem ſuper lapidem non manſurum, non remanſit: Eccleſiam per orbem ædificaturum, extruxit: ſe venturum ad iudicandum viuos & mortuos, veniet & non tardabit. Vt ita ne vnum quidem verbum, quod nobis præſtiturum ſe eſſe promiſerat, irritum eſſet, ſed rebus explerentur omnia. Sicut autem implentur omnia proſpera, quæ promittuntur: ſic adducetur ſuper nos, quidquid malorum comminatur. Diſcant igitur ſacramentarij verbo Dei credere. 25

NOtandum, Chriſtum Dominum hoc facto ſuo, ſe verum Deum demonſtrare. Nam de verò Deo ſcribit hæc Ezechiel: Et ſcient, inquit, omnia ligna regionis, quia ego Dominus ſiccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum. Ego dominus locutus ſum, & feci. Atqui Chriſtus non tantum hoc facit ipſe, ſed etiam eius rei faciendæ aliis poteſtatem tradit: imò longè maioris, vt transferendorum montium. Ergo eſt verus Deus. 26

NOtandum: Oratio feruens, & dilectio inimicorum, facit transferri montes. Vnde V. Beda: Qui perfectam habet fidem, quæ per dilectionem operatur, ille orando vel etiam iubendo poteſt montes transferre ſpiritales: quomodo fecit Paulus de Elyma mago, quem & oculis & arte nefanda priuauit: Quomodo de Pythoniſſa in Philippis, de qua ſpiritum malignum, montem videlicet ſuperbiſsimũ eiecit. Quod idem precibus beati patris Gregorij Neocæſareæ Ponti antiſtitis, viri meritis & virtutibus eximij, factum legimus; vt mons in terra tantum cederet, quantum incolæ ciuitatis opus habebant. Cùm enim volens ædificare Eccleſiam in loco apto, videret eum anguſtiorem eſſe, quàm res exigebat, eò quod ex vna parte rupe, ex alia monte proximo coarctaretur, venit nocte ad locum, & genibus flexis, admonuit promiſsionis Dominum ſuæ, vt montem longiùs iuxta fidem petentis ageret. Et manè facto reuerſus, inuenit montem tantũ ſpatij reliquiſſe ſtructoribus Eccleſiæ, quantum opus habuerunt. 27

NOtandum: A templo ad curam miniſtrorum templi ſe transfert Dominus. 28

nus. Veniunt, inquit, rursus Hyerosolymam. Et cùm ambularet in templo, Accedunt ad eum summi sacerdotes & scribæ, & seniores, proponunt quæstionem: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem vt ista facias? vt eiicias videlicet vendentes & ementes in templo, euertas præfatas mensas ac sellas, non permittas defferri vas per templum, & similia?

29 NOtandum, In hac quæstione esse quædam bona & laudabilia, esse quædam mala & vitiosa. Bonum est à nouo doctore inquiri, in qua potestate doceat. Nemo enim debet sibi assumere honorem, nisi vocatus à Deo, tanquàm Aaron: sed nec Christus semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Bonum item & laudabile est, vt sacerdotes de noua inquirant doctrina, iuxta illud legis: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter causam & causam, venies ad sacerdotē Leuitici generis, & ad iudicem, quæresq; ab eis. Quodsi hoc seculo in initio hæresum factum fuisset, vel nullas vel pauciores haberemus. Viciosum est in quæstione, quòd malo animo proponitur, capiendi scilicet Christi, & ad vulgus infamandi: deinde quòd de rebus cognitis, & iam olim per prophetas Ioannemque ipsum Baptistam, prædictis sit proposita.

30 NOtandum, eam causam esse, cur indirectè Christus Dominus quæstioni illorum respondeat, vel quòd nondum planè mysterium totum reuelandum fuit; vel ne videretur de se ipso testimonium perhibere, quod semper fugiebat. Ad Ioannis igitur testimonium illos remittit, illud inquam: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et illud: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Rectè autem & de Christo, & de Ioanne isti nouerant, in qua potestate docebat: Iam enim hoc vtrumque per Prophetas prædictum fuit.

31 NOtandum, Quòd duas ob causas scientia, maximè veritatis, est occultanda quærentibus. Cùm videlicet is, qui quærit, aut minus capax est ad intelligendum quod quærit, aut odio vel contemtu ipsius veritatis, indignus est, cui debeat aperiri, quod quærit. Propter quorum vnum dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modò. Propter alterū verò discipulis præcepit: Nolite dare sanctum canibus, neq; mittatis margaritas vestras ante porcos.

Caput XII.

1 
OTANDVM, Agriculturam saxi durissimi aggredi Saluatorem; iamque parabolis, iam scriptura, iam aperta obiurgatione eos emollire, & ad se attrahere conari. Primum autem adfert parabolam vineæ: cuius tres sunt partes. In quarum prima, diuina erga illos beneficia recenset, vineæ pastinationem, populi quē plantauit dextera domini: munitionem sepis; Legem enim statuit, quæ vetabat eos commiscere se inter gentes, ne discerent opera eorum. Turris ædificationem, quæ repræsentabat templum, vnde pericula imminentia præuideri possent. Laci fossionem, cùm altare constituit, quod effuso semper sanguine madebat. Traditionem vineæ agricolis: Doctoribus namque & primoribus Iudæorum, penes quos tunc populi regimen erat, populū regendum

dum atque docendum commisit. In secunda parabolæ parte summam & extremam illorum ingratitudinem: quibus non satis fuit vineam non excoluisse, fructum non dedisse; sed etiam seruos & nuncios occiderunt, ad extremum ipsum hæredem. In tertia parte vltimam eorum reprobationem ac punitionem eorundem decreto adfert. Veniet,inquit,& perdet colonos,& dabit vineam aliis.

2 NOtandum circa primam partẽ de eo, qui sint isti nuncij, qui missi sunt. Quod pulchrè explicat Theophilactus: Misit,inquit, seruum vnum: Eliam fortasse cum grege prophetarum,& Michæam,quem Sedechias pseudopropheta percussit in maxillam. Alterum autem,cuius cum lapidum impetu caput vulnerauerunt, id est probris & contumeliis oneratum trucidarunt: quod Oseæ atque Isaiæ euenisse legimus. Præter hos missus & tertius seruus, in captiuitate Daniel cum Ezechiële propheta. Ad extremum autem misit Deus filium suum dilectum: Reuerebuntur,inquit, filium meum.

3 NOtandum circa secundam partem, quemadmodum virtutum, ita & vitiorum profectum esse, semperque scelus, nisi puniatur, crescere. Seruum, inquit,patrisfamilias apprehensum ceciderunt,alium in capite vulnerauerunt & contumelijs affecerunt, alium occiderunt. insuper & filium charissimum patris, quem reuereri debebant, occiderunt, & extra vineam eiecerunt.

4 NOtandum,Decretum suum de perdendis colonis,& vinea locanda aliis, Christum Dominum his verbis apud D. Matthæum exposuisse: Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Quo loco Beda V. Perdito malo cultore, vinea dabitur alteri: quum dono gratiæ, quod superbus spreuit, humilis quisque ditabitur.

5 NOtandum, quod in parabola dixit, scriptura ex Dauidis psalmo sumpta confirmat. Cuius hic sensus est, & istæ partes. Primùm, futurum Messiam ab his ipsis ædificatoribus,quos supra colonos dixerat,hoc est Scribis,Phariſęis & Senioribus, reprobandum esse. Secundò eam ipsam reprobationem nihil illi nocituram, quinimo eam ipsam ob causam in lapidem angularem constitutũ iri; ex quo duo populi pendeant, Iudaicus, inquam, & Gentilis: in caputq; Ecclesiæ constituendum esse. Christus,inquit Paulus,factus est obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum. Tertiò eam ipsam rem nullũ solatium reprobantibus allaturam: vanisque suis spebus frustratum iri: quinimo hunc ipsum lapidem in ipsos casurum,ac æternùm illos contriturum: idq; à Domino futurum, & fore mirabile in oculis hominum.

6 NOtandum: Impura corpora, quò plus aluntur, magis offendi docebat vetustissimus medicus: sic improbos animos,quò plus doceas,plus deprauces. Quod istis nunc euenit: nam tam illustri & aperta doctrina, nõ modò correcti non sunt,sed longè deteriores facti,de aperta Domini nece cogitare cœperũt: Iam enim clarè perspexerant,vt notat Euangelista, de se hanc fabulam narrari. Cùm autem duobus generibus hominum, ad eam necem conficiendam, maximè opus haberent,populo, inquam, & Romanis; ideo vtrumq; ad eam rem disponunt:

diſponunt: ac eas queſtiones Chriſto proponunt, quę apud vtrumque genus hominũ illi odiũ pareret. Ex quo genere hęc ipſa erat quęſtio, de dando cenſu Cæſari. Si enim dandum cenſuiſset, offenſam populi incurriſſet, vt qui populũ Dei, qui decimas ſoluebat, & primitiua dabat, et cætera quæ in lege ſcripta ſunt, humanis legibus ſubiiceret. Si negaret, ſtatim audientes Herodiani, tanquã ſeditionis contra Romanos autorem, eum tenuiſſent. Herodiani autem dicebantur, milites Herodis Tetrarchæ: qui & ipſe tunc temporis erat Hieroſolymis, atque in ſpernendo & irridendo Dominum, Pilato & Iudæis conſentiebat, vt Lucas Euangeliſta teſtatur.

7 NOtandum, Chriſtum Dominum ita reſponſionem ſuam attemperare, vt iſtorum quidem maliciam prodat, ex his autem neutrum offendat: eo ſcilicet ſenſu. Non tum demum deliberandum fuiſse de eo, num dandus fuiſset, cenſus Cæſari: neque nunc primùm interrogandum; ſed tum, cùm ſe vltrò ipſi Cæſari tradebant, cùm Romanos accerſebant, cùm ad illos relicto templo currebant, cùm leges & monetam, quam nunc Chriſto offerunt, ab ipſis ob priuatam ambitionem accipiebant; cùm antea & legibus ſuis & moneta potiore eſsent contenti. Ipſos ipſos proditores eſſe: nam nunc & ipſis illud, & populo exedendum erat, quod ipſi intriuerunt. Quam interpretationem poſterior pars libri primi Machabæorum continet.

8 NOtandum, Maleficos homines, dum Chriſto nocere volunt, egregium illi elogium dediſſe: formamq; & exemplũ perfecti doctoris nobis tradidiſſe. Magiſter ſcimus, inquiunt, quia verax es, & non curas quenquã? Nec enim vides in faciem hominis, ſed in veritate viam Domini doces. Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonũ. Qui ſe alicui vltrò tradit, illius leges & imperiũ ſubeat oportet. In illũ vis haud eſt iniuſta, qui ſe alicui ſponte ſubiecit.

9 NOtandum: Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; numum, tributum, & pecuniam: & quæ ſunt Dei, Deo; decimas, primitias & oblationes ac victimas debere intelligi: Quomodo & ipſe reddidit tributa pro ſe & Petro: & Deo reddidit, quæ Dei ſunt, patris faciens voluntatem.

10 NOtandum: Accedit ſecundus cuneus Hypocritarum, & Sycophantarum: Saducæi inquam: Erant hi, qui neque de angelis, neque de dæmonibus aliquid ſentiebant: ſed neque de reſurrectione. Sciendum eſt autem eam vim eſſe errorum atque hæreſium, vt quantumuis inter ſe diſsideant ac pugnent, in eo tamen conuenire, vt Chriſtum & veritatem eius oppugnent: quod nũc Herodianis, Phariſęis & Saducæis euenit: & quod in libro Iudicum per vulpeculas demonſtratum eſt.

11 NOtandum, Finem & ſcopum Phariſæis in præſenti quæſtione hunc propoſitum eſſe: Chriſtum eò adducere, vt vel reſurrectionem neget, vel ineptũ quid ipſoque Moyſe indignum affirmet. Proponunt autem caſum non verùm, ſed fictum, ſed ridiculum, de ſeptem fratribus & vna vxore.

12 NOtandum, Soluere Chriſtum Dominum eam quæſtionem, quomodo aliæ omnes quæſtiones tàm hæreticorum, quàm quolibet modo errantium ſolui rectè poſsint. Nónne ideò erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei? Omnis enim hæreſis, vel ideo errat, quia neſcit ſcripturã; vel ideò, quòd

ſenſum

ſenſum illius non conſequitur, ac de potentia dubitat Dei: quod iſtis Saducæis eueniebat. Nam & ſcripturam non legebant, vt pote ſolis libris Moyſi contenti: & eam quam ſciebant, non rectè intelligebant, vt pote quàm ruditer & carnaliter exponebant. Erit enim reſurrectio, non ſimpliciter carnalis, ſed glorificata, & propè Angelica, diuiniorq; quidam vitæ ſtatus & conditio.

13 NOtandum: Qui animam immortalem eſſe dicit, idem & reſurrectionem affirmet oportet. Neque enim aut anima ſine corpore, aut corpus ſine anima hominem integrum vlla ratione conſtituere poteſt: Simulq; iſta & creata & iuncta ſunt, vt ſimul perpetuò ſint: quod conſequentia Chriſti demonſtrat. Nam cum Moyſes de animabus Abraam, Iſaac, & Iacob loquatur; inde Chriſtus colligit corporum reſurrectionem, quòd ſcilicet animæ ſine corpore finaliter conſiſtere non poſsint. Quod quidem ſatis acutè notauit Scotus.

Paſtoral. par. 1. cap. 5.

14 NOtandum: Locum hunc Moyſis pulchrè expendit D. Gregorius. Moyſes ait, vt vxorem fratris ſine filiis defuncti ſuperſtes frater accipiat, atque ad nomen fratris filios gignat: quam ſi accipere fortè renuerit, huic in faciem mulier expuat, vnumque ei pedem propinquus diſcalciet, eiuſq; habitaculum domus diſcalceati vocetur. Frater quippè defunctus ille, inquit, eſt, qui pòſt reſurrectionis gloriam apparens, dixit: Ite nunciate fratribus meis. Qui quaſi ſine filiis obiit, quia adhuc electorum ſuorum numerum non impleuit. Huius ſcilicet vxorem ſuperſtes ſortiri præcipitur: quia dignum profectò eſt, vt cura ſanctæ Eccleſiæ ei, qui hanc benè regere præualet, imponatur. Cui nolenti, in faciem mulier expuit; quia quiſquis ex muneribus perceperit, prodeſſe aliis non curat, bonis quoq; eius ſancta Eccleſia exprobrans, & quaſi in faciem ſaliuam iactat. Cui ex vno pede calceamentum tollitur, vt diſcalceati domus eius vocetur: ſcriptum quippe eſt, calceati pedes in præparatione Euangelij pacis. Si ergo vt noſtram, ſic curam proximi gerimus, vtrumq; pedem per calceamentum munimus. Qui verò ſuam cogitans vtilitatem, proximorum negligit, quaſi vnius pedis calceamentum cum dedecore amittit.

15 NOtandum, Finem proprium connubij eſſe, prolem, & continuationem æternitatis in ſpecie, vbi in numero conſeruari non poteſt. Quorum vtroque cùm in cęlo nihil opus ſit, vbi in numero res ſuam immortalitatē tuentur, neque igitur connubio. Vnde dicit Theophylactus: Quandoquidem ab omni corruptione alieni futuri, iidem ſemper permanſuri ſumus, ob id & nuptiarum non erit vlla neceſsitas. Nuptię enim ſunt quoddam corruptionis remedium: vt quod mortalitate deperit, id per nuptiarum quaſi ſucceſsionem accreſcat.

16 NOtandum: vltima hæc eſt quæſtio, à Phariſæis profecta, idque ab illo Phariſæo, qui cum eodem animo tentandi & capiendi Chriſtum cum cæteris venerat: quod notat D. Matthæus: Ac poſteaquam eius ſanam ac ſalutarem doctrinam agnouiſſet, miſsis fraudibus, eum grauiter & ſeriò compellat: & neſcio an non ſummam & primam ex lege illi quæſtionem proponit. Acceſsit, inquit Euangeliſta, vnus de ſcribis, qui audierat illos conquerentes: & videns quoniam benè illis reſpondiſſet, interrogauit eum, quod eſſet primùm omniū mandatum. Et vtinam nos quoque de mandatis quæramus, non de curioſitatibus, quæ ad rem nihil pertinent.

Notan-

NOtandum: Quo animo quis Christum interrogabat, eodem etiam responsum referebat. Insidiosè & obliquè Pharisæi interrogabant, obliquas quoque referunt responsiones: purè & sincerè interrogat iste, claram item & luculentam & valde salutarem refert responsionem. Qua enim mensura metiemur, remetietur nobis.

17 NOtandum, Tres, quot extant, potentias & facultates animæ, hoc loco à Christo esse recensitas. Est enim vna, quam animalem vocant: quæ inuolutè & paulò obscuriùs significatur, dum ex tota anima Deum diligere præcipimur. Nam & iram, & cupiditatem, & reliquas huius generis affectiones, propter Dei dilectionem, imperio rationes esse subiectas oportet. Altera est, quæ vulgari à philosophis nomine vegetatiua dicitur, quæ nutriendi & augendi vim atque efficaciam habet: neque huius pars aliqua Deo deneganda, sed tota adeò ad amorem eius referenda est. Est & tertiaquæ vocatur rationalis communiter, quam hoc loco lex appellatione mentis expresit. Quas quidem omnes animæ potentias dilectioni Dei impendi debere, docet Saluator.

18 NOtandum, Dilectionis Dei, & proximi nexum, indissolubilem esse: quod notat hoc loco Theophilactus. Primum, inquit Dominus, & magnum mandatum est, diligere Deum: secundum autem ei simile diligere proximum. Quę autem est horum mandatorum similitudo? Ea scilicet, quòd duo hæc ita inseparabili nexu inter se cohærent, & connectuntur, vt alterum sine altero non posit esse verum. Nam qui diligit Deum, & creaturam eius diligat, necesse est: in rebus autem creatis, nihil præstantius à Deo creatum esse homine, constat. Quocirca Deum verè diligentibus, necesitas proximos etiam diligendi, videtur esse imposita. Qui autem proximũ charitate complectitur, is quin & Deum diligat, nemo ambigere audeat. Si enim eum, qui sua improbitate ansam offensionibus & odijs occasionẽ præbeat, diligit; quomodo Deum, à quo tot diuinis & cælestibus beneficijs cumulatisimè auctus est, non vero & integro amore amet? Audi quid dicat Dominus: Qui diligit me, sermones meos seruabit. Vides quos effectus dilectionis Dei statuat, si sermones eius seruauerimus. Sermones autem eius & præcepta ad id solùm comparata sunt; vt nos, quantum maximè fieri potest, propensisimos ad mutuam dilectionem efficiant. Et alio loco: In hoc: inquit, cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si inuicem dilexeritis. Quibus verbis, quid aliud innuit, quàm mutua charitate conseruata, facilè quemque cogniturum & iudicaturum, quòd verè & ex animo Christum diligamus, eiusque discipuli & amici simus.

19 NOtandum, Deum diligere ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tanquam seipsum; maius esse omnibus holocautomatibus & sacrificiis. Grauis enim sæpè inter scribas & Pharisæos quæstio versata est, quod esset mandatum primùm, siue maximũ diuinę legis: quibusdam videlicet hostias & sacrificia laudantibus; alios verò maiore autoritate, fidei & dilectionis opera præferentibus, eò, quòd plurimi patrum ante legem, absque omni victimarum & sacrificiorum consuetudine, ex fide tantum, quæ per dilectionem operatur, placuerint Deo, summoque apud ipsum loco haberentur: nemo autem vnquam absque fide ac dilectione,

holocausta

holocausta solum & sacrificia offerens, Deo placuisse inueniretur. In qua sententia scriba iste etiam se fuisse declarauit. Deum autem ex tota anima diligit, qui omne bonum credit apud Deum, & omne bonum credit esse Deum, & extra Deum non credit esse bonum. Qui omnem virtutem & sapientiam credit esse Deum, & extra Deum non credit esse vllam sapientiam aut virtutem. Qui credit Deum omnia facere, & sine Deo nihil fieri posse; ille perfectè ex tota anima diligit Deum. Si vir habeat vxorem, quomodo cognoscitur vxoris plena dilectio? Vxor neminem debet sapientiorem reputare, quàm virum suum: etsi alter fortior sit, tamen illa intelligere non debet alterum fortiorem. Vxor neminem formosiorem debet putare, quàm virum suum: etsi sit alter formosior; tamen oculis eius alter formosior non debet apparere. Perfectum enim odium, & perfectus amor, iudicium rerum non cognoscit: vt puta, si perfectè oderis aliquem, qualiacunque fuerint apud illum, omnia tibi displicent, siue quæ dicit, siue quæ agit: etsi verè bona sunt, tamen tibi mala videntur. Si & perfectè aliquem amas, quæcunq; sunt apud eum placent tibi, siue quę loquitur, siue quæ agit: etsi mala sunt, tamen tibi bona videntur. Ergo & vxor, si videns aliquem dixerit, quàm sapiens vir, vtinam vir meus talis esset; iam amor eius minus haberet perfecti amoris: & quanto amplius aliquid laudauerit in altero viro, quàm in suo; tanto dilectio eius minor est ad virum suum. Sic ergo & omnis anima Christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, vt nihil sit in mundo, quod ampliùs amet, quàm eum, aut tantoperè. Quanto autem plus aliquid amauerit, tanto minus amat Deum.

NOtandum, neque solam fidem ad veram consequendam iustitiam conferre, neque solam charitatem, sed vtraq; simul iuncta: nam neque hic Pharisæus omnino iustificatur, etsi charitatem commendet: fide enim perfecta caruit: neque alij cum fide, sine charitate salui esse poterunt: vtrunque enim necessarium est: charitas tamen singulari quodam modo ad fidem & salutem disponit. Vnde dicit Saluator: Non longè es à regno Dei, disponente te charitate. 20

NOtandum, Verba hæc, Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est, Matthæum non scripsisse, vt pote procemium primi præcepti. Quæ quidem tres demonstrant hypostases, vnamque diuinitatis naturam. Quum enim dicitur Dominus, deinde Deus tuus, & rursum Deus, tres personæ manifestantur: quod autem additur vnus, naturæ declarat vnitatem. Alio quoque modo dici potest: quod videlicet Hebræis frequens sit hæc reduplicatio, Dominus Dominus, & Deus Deus, propter eius sublimitatem. 21

NOtandum, Duabus pulcherrimis rebus saluatorem totam suam prædicationem obsignare: primò, inquam, & summo præcepto legis: deinde maximo fidei nostræ articulo, incarnationis filij Dei. Notandum autem, verbum responsionis plus continuationis esse, quàm interrogationis, quale illud: Respondens IESVS dixit: Confiteor tibi pater, domine cæli & terræ. 22

NOtandum, Duas opiniones iam Christi temporibus fuisse de futuro Mesia: alteram eorum; qui putabant eum Regem & prophetam futurum ex semine Dauid tantùm: alteram eorum, qui hæc omnia putarunt, & vltrà, filium 23

lium

lium Dei futurum, verum Deum & hominem, Primam illam sententiam nunc etiam Iudęi sequuntur multi, Ebionitę item, Cerinthij, Samosateni, Machometani, ac huius ætatis pleni hæreticorum greges. Ad quos omnes refutandos adfert Dominus testimonium Dauidis, in quo illum, non filium tantùm suum; sed Deum etiam ac dominum confitetur: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

24 NOtandum, Quòd à patre subiiciuntur filio inimici, non infirmitatem eius, sed vnitatem naturæ, qua in altero alter operatur, significat. Nam & filius subiicit inimicos patri, qui patrem clarificat super terram.

25 NOtandum, Quoniam autem vniuersam hanc confessionem populus quidem laudare debebat, quod quidem nunc faciebat; multa enim turba eũ libenter audiuit; Pharisæi autem & sacerdotes reprehensuri erant: ideo monet Dominus diligenter turbas, vt caueant, eosque pulcherrimis ac verissimis coloribus depingit. Cauete, inquit, à scribis, qui volunt in stolis ambulare, & salutari in foro, & in primis cathedris sedere in Synagogis, & primos discubitus in cœnis; qui deuorant domos viduarum, sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient prolixius iudicium. Quos colores latius explicat Diuus Matthęus Cap. 23.

26 NOtandum, Quòd non salutari in foro, non primos sedere vel discumbere vetat eos, quibus hoc officij ordine competit; sed eos nimirum, qui hæc siue habita, seu certè non habita, indebitè amant: animum videlicet, non gradum, iusta districtione redarguens.

27 NOtandum: duplici ratione à vanæ gloriæ cupidis attendere iubemur: ne scilicet eorum vel simulatione seducamur, æstimantes bona esse & facienda quæ faciunt; vel æmulatione inflammemur, frustra gaudentes in bonis laudari, quæ simulant.

28 NOtandum: Sunt qui se iustos, & magni apud Deum meriti simulantes, ab infirmis quibuslibet, & peccatorum suorum conscientia turbatis, quasi patroni pro eis in iudicio futuri pecunias accipere non dubitant: & cùm porrectæ manus pauperi preces iuuare soleant, illi ob hoc maximè in precibus, vt pauperi numum tollant, pernoctant. Quibus illa Iudæ maledictio non immeritò congruit: Cùm iudicatur, exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum. Condemnatus quippè cùm iudicatur exit, & orationem suam in peccatum recipit, qui magnæ nunc æstimationis apud homines habitus, in diuino tunc examine non solùm se pro aliis interuenire non posse, sed nec sua sibi merita sufficere posse deprehendit: imò ipsarum, quibus humanum iudicium fefellerat, precum inter crimina pœnas luit.

29 NOtandum: Qui sub obtentu simulatæ iustitiæ deuorant domos viduarum, accipient prolixius iudicium.

30 NOtat V. Beda: quia sermone græco φυλάττειν seruare dicitur, & gaza lingua Persica diuitiæ vocantur: gazophylacium locus appellari solet, quo diuitiæ seruantur. Quo nomine & arcam, in qua donaria populi congregabantur, ad vsus templi necessarios, & porticus, in quibus seruabantur, appellabant.

Habes exemplum de porticibus in Euangelio: Hæc, inquit, verba locutus eſt IESVS in gazophylacio, docens in templo. Habes de arca in libro Regum: Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium vnum, aperuitq; foramen deſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexteram ingredientibus domum domini: Mittebantque in eo ſacerdotes, qui cuſtodiebant oſtia, omnem pecuniam, quæ deferebatur ad templum Domini. Cumque viderent nimiam pecuniam eſſe in gazophylacio, aſcendebat ſcriba Regis, & Pontifex, effundebantq; & numerabant pecuniam, quæ inueniebatur in domo Domini.

31 NOtandum, Quadrantem vocari à calculatoribus, quartam partem qualiſcunque rei, videlicet aut loci aut temporis, aut libræ ſiue aſsis. Hoc loco ergo quartam partem aſsis, idem ſolidi ærei, qui octo minuta valebat ſignificat.

32 NOtandum, Gratum eſſe aſpectum ſaluatori noſtro, bonorum operum noſtrorum: contrà quàm ſentit hæreſis: ſedet ante gazophylacium: aſpicit eleemoſynas. Verendum autem eſt, ne nunc aliud de cælo ſancto ſuo in Eccleſia ſua videat, quàm tunc in Hieroſolymitano templo vidit. Aſpiciebat, inquit, quomodo turba iactaret æs in gazophylacium: & multi diuites iactabant multa. Nunc autem contraria omnia: ex altari, ex templo, ex ærario, ex agris, ex decimis, tam à diuitibus quàm à pauperibus, Eccleſiaſtica ad nepotes & pronepotes ferri & rapi: obſequiumque arbitrari ſe præſtare Deo, ſi Eccleſiaſticum abſtulerit aliquid.

33 NOtandum, Vidiſſe Chriſtum Dominum, magnum fuiſſe templi theſaurum: vidiſſe luxurioſos eſſe ſacerdotes, pauperes multos: vidiſſe viduam tenuiſsimam: neque tamen illud dicere, templum diues eſſe, ſacerdotes per luxum omnia prodigere: pauperes multos, viduam egentem. In hoc igitur potiùs, quàm in illa eas opes conferendas eſſe. Nam hæc oratio ſoliùs Iudę fuit, & nunc inuidorum hæreticorum.

34 NOtandum, Vt omnia alia opera noſtra, Deum animo & optima voluntate, fineque ac inſtituto bono magis metiri, quàm rebus & operibus ipſis: ita maximè in eleemoſyna bonorumque ſuorum diſtributione: quod in iſta vidua apparet. Contulit hæc minuta duo ſola, & tamen plus omnibus contuliſſe decernitur ab illo, qui iudicat æquitatem, idque magna attentione ſuorum diſcipulorum.

35 NOtandum, periculoſam eſſe doctrinam, quæ docet ex ſuperfluis, & ex his quæ reliqua ſunt tantum eleemoſynas faciendas, paupereſq; ſubleuandos eſſe: cuius doctrinæ initium ſumtum eſt ex illa interpretatione Lucæ, Quod ſupereſt date eleemoſynā: hoc eſt, ex ſuperfluo, & eò quod ſupereſt: cum iſtic Græcè non ſit περισσὸν aut περισσεῦον, ſed τὰ ἐνόντα, quæ Theophylactus τὰ ὑπάρχοντα ὑμῖν exponit, alij alio modo interpretantur. *Luc. 11.*

36 NVnc autem Chriſtus aliam ſententiam fert, non expectandum eſſe, donec aliquid ſuperfluat; ſed ex penuria etiam ac victu ſuo conferendum. Quid enim vnquam auaro ſupereſſet, cui tantum deeſt, quantum ſupereſt? præſertim his, qui de mutando ſtatu indies cogitant. Sed & prodigo raro aliquid ſupereſt. Quod clarè docent verba Euangelij: Hæc, inquit, ἐκ τῆς ὑστερήσεως vel

ὑστερήματος, id est, ex penuria etiam ac victu suo, & ex eo quod illi deest, siue ex egestate sua, misit in gazophylacium totum victum suum. Modus autem & mensura istius rei est illud Tobiæ: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Quomodo potueris, ita esto misericors.

37 NOtandum hoc loco, neminem ab eleęmosynis faciendis eximi, nisi eos qui penitus nihil habeant: quod ista vidua docet, quę dimidium victum suum in gazophylacium contulit, magna domini approbatione. Explicat hanc rem D. Basilius in ea oratione, quam de fame & squalore conscripsit.

38 NOtandum, In hac viduæ commendatione maiestatem diuinitatis suæ Christum admodum declarasse; vt qui absens substantiam eius nouerit, animum & institutum viderit, decretū iustitiæ illi dederit, quæ Dei sunt propria.

39 LAudabilis & gloriosus sis, IESV Christe, in secula, qui nonnūquam dona, animo & voluntate eorum, qui libenter offerunt, quàm re maiora, amplioraque, vt libenter aspicias, ita gratè accipias. Vtinam verò & anima mea vidua efficiatur, abiecto diabolo, cui adglutinata est atque subiecta, quæ mittat in Dei thesaurum duo minuta, videlicet corpus ac mentem: comminuta, illud quidem per temperantiam, hanc autem per animi modestiam.

Caput XIII.

1 FINITA & obsignata ad Pharisæos & ad turbas doctrina sua, nunc ad Apostolos suos se conuertit: ac quid in posterum futurum sit cum templo, vrbe, toto denique mundo, illis prædicit. Primùm vt se verum Deum esse probet, cui nō minus futura, quàm præsentia nota sunt: deinde vt det significationem timentibus se, vt fugiant à facie arcus: quæ omnia cum in Matthæum fusissimè notata sit, paucissima nobis quædam notanda relicta sunt.

2 NOtandum, Diuinitus procuratum est, vt patefacta per orbem fidei Euangelicæ gratia, templum ipsum, quondam angustum, cum suis cerȩmonijs tolleretur: ne quis fortè adhuc paruulus ac lactens in fide, si videret illa permanere, quæ à prophetis sanctis facta, quæ à Domino sunt instituta, admirando sanctum seculare, paulatim à synceritate fidei, quæ est in Christo IESV, ad carnalem laberetur Iudaismum. Prouidens ergo Deus infirmitati nostræ, & Ecclesiam suam multiplicari desiderans, omnia illa subuerti fecit penitùs ac auferri: quatenus vmbra & typo cessante, veriorem ipsa iam veritas per orbem declarata palmam teneret. Destructum est & illam ob causam, vt ostendatur Iudæis, omnes victimas & holocausta illorum, omnes item cerȩmonias & ritus, omnem cultum & adorationem, abrogata & à Deo repudiata esse: quandoquidem illud templum sublatum est, cum quo ista ita coniuncta erant; vt nusquam aliâs obiri, & sine crimine ac scelere celebrari possent.

3 NOtandum: Nulla est moles tanta, quam moles peccatorum non euertat, ingratitudinis præsertim. Quæ enim maiestas, aut quæ amplitudo tantą

fuit, quanta Hierosolymitani templi? Ecce locus, vbi Troia fuit. Non relinquetur, inquit, lapis super lapidem, qui non destruatur.

4 NOtandum: A templo Dei vbique initium ruinæ: probat hæc nunc Gallia, probauerunt multa Christiani orbis regna. Sedet autem Dominus in monte Oliuarum contra templum, cùm de ruina templi & excidio gentis disputat: vt etiam ipse corporis situs, verbis, quę loquitur, congruat: mysticè designans, quia quietus manens in sanctis, superborum detestetur amentiam.

5 NOtandum, Rem subiectam oculis mouere magis. Itaque Christus Dominus & Apostoli eius, conspectu templi & vrbis moti, grauissimè de illius interitu disputant: Magister, inquiunt, aspice quales lapides, & quales structurę.

6 NOtandum: Primus gradus infidelitatis, dubitare quando hæc fient: quæ frequentissima nunc est quæstio siue de morte, siue de pœnis malorum, siue de extremo iudicio cum hominibus mundo deditis disputes. Quod tantò magis fore, quantò magis ad finem & occasum suum mundus inclinauit, docet D. Petrus: Venient, inquit, in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes, Vbi est promissio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ.

2. Pet. 3.

7 NOtandum, errores & vitia occasione crescere: quomodo nunc venerat tempus aduentus Messiæ; cognitum id erat fere omnibus: ideò multi pseudoprophetæ, multi Pseudomessiæ exoriebantur, & postea exoriri debebant, quod nunc monet Saluator: Venient multi in nomine meo dicētes, quia ego sum, & multos seducent: qualis Iudas, qualis Theudas in actibus Apostolorũ recensentur. Quomodo nunc, occasione malorum principum, ac eorum qui non timent Dominum, multi errores, multæ hæreses exoriuntur. Nam principes pij & zelosi, etsi aliquando non extirpant hæreses, comprimunt tamen plerunque: quod pulchrè docet D. Gregorius: Temporibus, inquit, piissimorum & Christianissimorum Imperatorum, ora hæreticorũ conticescunt. Quia etsi eorum corda, in insania peruersi sensus ebulliunt; orthodoxi tamen Imperatoris tempore praua quæ sentiũt, eloqui non præsumunt: ita vt apertè videamus impleri, quod scriptũ est: Congregās sicut in vtre aquas maris: aqua enim maris, sicut in vtre, cōgregata est: quia amara hæreticorũ scientia, quidquid odit, prauũ sentit, in pectore comprimit, & apertè dicere non præsumit.

Lib. Ep. 9. Epist. 40.

8 NOtandum, Vnum malum extremum multa solere antecedere mala: neque tamen statim finem esse. Quemadmodum mortem hominis multi antecedunt morbi, priusquàm hominem conficiant: præcedunt autem multa mala, vnum summum malum; vt se colligant homines, vt ad se reuertantur, vt pœnitentiam agant; ne subitò ab vltimo malo occupentur. Exoriebantur autem hæc mala in Iudæa, partim ob ipsas Iudæorum seditiones & turbas, partim à Romanis, quorum iugum excutere voluerunt: qua de re legendus est Iosephus de bellis Iudaicis.

9 NOtandus est catalogus malorum, quæ communiter diuexant genus humanum. Cùm audieritis inquit bella, & opiniones bellorum, ne timueritis: oportet enim hæc fieri; sed nondum finis. Exurget enim gens contra gentem, & regnum

& regnũ super regnum; & erunt terræ motus per loca, & pestilentiæ & fames.

10 NOtandum: Quando maximè Ecclesia premitur, Apostoli Apostolicique viri opprimuntur; tum maximè Euangelium crescit, maximè propagatur, maximè viget: quod hoc loco prædicit Christus. Tradent enim vos in conciliis, & in Synagogis vapulabitis: & ante Reges & præsides stabitis propter me, in testimonium illis. Et, In omnes gentes primùm oportet prædicari Euangeliũ.

11 NOtandum: Non esse istos, qui loquuntur, sed Spiritum sanctum. Quo loco primum illud notant sancti patres, Spiritum sanctum verum Deum esse, æqualem patri & filio. Nam hoc idem alio loco idem Christus dominus de se locutus est: Ego, inquit, dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Deinde quàm magnifica sit dignitas sacerdotum, quorum lingua est instrumentum Spiritus sancti, ad omnẽ doctrinam & benedictionem. Non enim, inquit, vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. Sed & hæc lingua cauta & sancta sit oportet, qua hic tantus vtitur artifex.

12 NOtandum: Magna lis est & odium diuersæ religionis & fidei, & quæ in proxima quæque maximè coniuncta sæuit, parentes, inquam, filios, fratres: quod nunc clarè Christus Dominus explicat. Tradet, inquit, frater fratrem in mortem, & pater filium, & consurgent filij in parentes, & morte afficient eos. Experta hoc est non ita pridem Flandria, experta Hungaria, & Boëmia, experitur magno orbis Christiani damno Gallia: quod vtinam nos experiamur nunquam. Prȩclarè igitur Beda V. nullus, inquit, inter eos est fidus affectus, quorum diuersa fides est. Verùm hac tota de re in eo sermone diximus, quem de falsis prophetis dignoscendis conscripsimus.

13 NOtandum, nullam persecutionem maiorem esse, quàm eam, quæ ab his prouenit, qui nobis auxilio & præsidio esse debuerunt: qualis hæc est fratrum, parentum, & domesticorum. Ideo Christus Dominus eam vltimo loco ponit: & illi solatium adiungit, Propter me inquit, & propter nomen meum.

14 NOtandum, ipsam desolationem domus Domini abominationem significare. Nihil enim tristius, nihil turpius esse potest, quàm vbi domus Dei desolari incipit. Abominatio hæc est maxima. Fit enim plerumque, vt vbi templa & domus Dei à suis deseruntur, vel à paganis vel ab hæreticis occupantur, quæ longè maxima est abominatio. Quod Constantinopoli & aliâs factum esse legimus. Talem desolationem deplorat Hieremias: Viæ Sion, inquit, lugent, eo quod non sint, qni veniant ad solennitatem. Et Dominus apud Aggæum: Respexistis, inquit, ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domũ, & exsuflaui illud. Quam ob causam, dicit Dominus exercituum: quia domus mea deserta est: & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Talis item desolatio solet esse signum extremæ desolationis Rerumpublicarum, vbi cultus Dei negligitur, templa vacua stant: qualis desolationis & abominationis apud nos magna sunt initia, dum tot tẹmpla, tot parœcias desertas ac desolatas esse videmus: dum, vel in vna diœcesi Cracouiensi septuaginta Ecclesias vacuas & desolatas esse conspicimus.

15 NOtandum, Dubitari à multis, num à plagis Dei fugere debeamus, hoc

 est

eſt peſte & fame. Sunt multa, quæ id fieri iubent. Nam & primi Patriarchæ famem fugiendo venerunt in Ægyptum: & Moſes iram Regis declinans in Arabiam aufugit: & Chriſtus Dominus in Ægyptum, propter Herodem, portatus eſt: & Apoſtoli exitium vrbis prǫuidentes, omnes priuſquam veniret, Hieroſolymis diſceſſerunt: & alij multi ſancti. Sed hoc loco clarè idem præcipere videtur Dominus, vt eas calamitates, quæ impendebant, fugerent.

NOtandum, Non tantum fugiendum eſſe, ſed ſubitò etiam, & velociter fugiendum. Nam iſta quǫ ponuntur in Euangelio, ſubitæ fugæ & diſceſsionis ſunt: vt pulchrè exponit Theophilactus. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant in montes: & qui in agro erit, non reuertatur tollere veſtimentum ſuum. Satis enim lætum eſt, ſi quis re ſua familiari domeſtica neglecta, nudo tantum corpore fugam capeſſat, eaque ſibi ſalutem acquirat. Inepti quidem in tali fuga ineptiùs ſe præparant & gerunt, quàm ſi ad nuptias proficiſcerentur, aut in nuptijs eſſent; quod eſt tentare Dominum. Simile quid eſt apud Ezechielem, de tempore iræ Domini: Venit inquit tempus: appropinquauit dies: qui emit, non lætetur: & qui vendit, non lugeat: quia ira ſuper omnem populum eius; quia qui vendit, ad id quod vendidit, non reuertetur. 16

NOtandum, Prægnantium & lactentium mulierum in omnibus rebus potiſsimam habendam eſſe rationem, omnibuſque illarum commoditatibus prouidendum. Legenda eſt Regum Hiſtoria, vbi vxor Ionathæ malum captiuitatis præpropera fuga vitando, lapſum ſinu filium, perpetuò claudũ recepit. 17

NOtandum, Quòd Dominus orare præcipit, ne hyeme fugiatur: & tota conſequens locutio partim ad captiuitatem Iudaicam, quæ à Romanis facta eſt; partim ad diem iudicij pertinet. Nam & apud Mattheum ita diſcipuli Dominum, cùm hæc eſſet locutus, interrogaſſe leguntur: Dic nobis, quando hæc erunt, & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſeculi? 18

NOtandum, Pulchrè monet Saluator, orandum eſſe, ne fuga noſtra ſit hyeme: refrigeſcet ſiquidem charitas vltimis diebus, & abundabit iniquitas: ad quam iniquitatem ſuperandam multo opus erit charitatis calore. 19

NOtandum, Quo tandem pacto erunt dies illi tribulationis tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus, vſq; nunc, neque fient; cùm decem vniuerſis perſecutionibus, quarum crudelitas oratione explicari non poteſt, vſque ad Diocletiani tempora vexata ſit Eccleſia. an quod tunc ſoluetur Draco, hoc eſt Diabolus, ad omnem implendam crudelitatem, qui tunc vinctus fuit. Quòd ſi eo tempore tantum ſæuiit, quid ſolutus faciet? An quòd vltimus hic erit agon, vltima congreſsio diaboli cum Eccleſia, vltima fidelium probatio, quæ vehementiora præ cæteris eſſe ſolent. An quòd illo tempore in corpora tantum ſæuiit, tunc autem & in corpora & in animos ſæuiet: nec tantum gladio pugnabit, ſed ſignis etiam, portentis, ſcriptura, opibus, & aliis inſtrumentis, quibus omnia cedere ſolent. An quòd non de terra tantum aut cæteris elementis, ſed etiam de cælo aduerſa, terroreſque venient: & pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. 20

NOtandũ, tribulationes has, Antichriſti propriè temporibus congruere, quando non ſolùm tormenta crebriora & acerbiora, quàm priùs conſueuerũt, 21

inge-

ingerenda sunt fidelibus;sed quòd grauius est,signorũ quoq; operatio eos, quĩ tormenta ingerunt, comitabitur, teste Apostolo: qui ait, Cuius aduentus secundùm operationem Sathanæ, in omni seductione, signis, & prodigiis mendacij. Quanta enim sæpe miracula, quot virtutes sancti martyres coram persecutoribus fecerunt? nec tamen credere illi, neque à persequendo cessare voluerunt. Quis ergo ad fidem conuertitur incredulus, cuius iam credentis non pauet & concutitur fides, quando persecutor pietatis, fit etiam operator virtutis: idemq; ipse, qui tormentis sæuit vt Christus negetur, prouocat miraculis vt Antichristo credatur?

22 NOtandum, Electis omnia seruire, & propter electos abbreuiari dies malos. Hæc enim tribulatio, quantò cæteris, quæ præcessêre, pressurarum pondere grauior, tantò est temporis breuitate moderatior futura. Namque tribus annis ac dimidio, quantum ex prophetia Danielis, & Apocalypsi S. Ioannis cõijci potest, Ecclesiam per orbem impugnatura esse creditur.

23 NOtandum, Magnum thesaurum esse in vnaquaque republica, electos: & ideò colendos & venerandos esse, vt pote amicos Dei. Miseram autem illã rempub. vbi tales pauci vel nulli reperiuntur, vel persecutiones patiuntur.

24 NOtandum: Quoniam autem dixit Christus Dominus, tribulationem talem futuram, qualis non fuit à principio; ideò nunc ampliùs id quod dixit auget, & explicat: id propterea futurum, quòd non tantùm corpus, sed etiam animæ ipsæ in periculum adducentur. Quemadmodum enim primum Christi aduentum veri prophetę antecesserunt: ita item Christi aduentum falsos prophetas præituros, hoc est hæreticos. Et quemadmodum quantò vicinior erat Christi aduentus, tantò plures prophetæ: ita quantò viciniora tempora Antichristi, tantò plures hæresiarchæ. Qualis enim res mota fuerit, talis odor procedit. Accenso enim thymiamate, suauis fragratio exit: commoto autem stercore, putredo grauis prodit. Ante lucem, aurora exit: ante noctem, obscuritas. Horum autem eam vim forè dicit, ea signa & miracula, quòd etiam electos, si fieri posset, seducerent: hos igitur cauendos monet.

25 NOtandum, Electos Dei esse muros insuperabiles, quibus non est scandalum, quibus omnia cooperantur in bonum, quorum dominus Deus est murus & antemurale; quorum custos non dormit, neque dormitat: & ideo non cadunt; vel si cadunt, resurgunt.

26 NOtandum, Quoniam dixit, cauendum esse à pseudoprophetis, ostendit id, non ita simpliciter aduentum Messiæ futurum: quia aduentum Messiæ debent præcedere signa manifestissima, ex quibus manifestissimè & Messiæ aduentus dignosci poterit, & istorum fraus detegi. In illis diebus, inquit, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, stellæ cæli erunt decidentes; & virtutes, quæ sunt in cælis, mouebuntur.

27 NOtandum: Sidera in die iudicij videbuntur obscura, non tam diminutione fortasse suæ lucis accedente, sed superueniente claritate veri luminis, hoc est summi iudicis, cùm venerit in maiestate sua, & patris & sanctorum angelorum. Quamuis nil prohibeat intelligi, veraciter solem tunc & lunam, cum sideribus cæteris, ad tempus suo lumine priuari: quomodo factum de sole

conſtat, tempore dominicæ paſsionis. Vnde nondum planè completa eſt prophetia illa Ioël: qui cùm dixiſſet, Sol conuertetur in tenebras,addidit, Et luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifeſtus. Et erubeſcet,inquit,luna & confundetur ſol,cum regnauerit Dominus exercituũ in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus. Cæterũ peracto die iudicij, & clareſcente futuræ vitæ gloria, cùm fuerit cælũ nouum & terra noua, tunc fiet quod idẽ propheta dicit alibi: Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.

28 NOtandum, Non eſſe mirum, homines, qui & natura ſunt & ſenſu terreſtres, ad hoc iudicium perturbari: cuius aſpectum & ipſę cælorum virtutes, hoc eſt angelicæ trement poteſtates; beato quoque Iob atteſtante, qui ait: Columnæ cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. Quid ergo facient tabulæ, quando trement columnæ? Quid virgula deſerti patitur, cùm cedrus paradyſi concutitur?

29 NOtandum cum Theophylacto, Æquè filium ac patrem mittere angelos. Pudeat itaque homines leuiſsimos ſuæ temeritatis & mendacij, qui non eandem potentiam, quam pater habet, filio tribuunt; & penitus patri inæqualem filium eſſe, euincere conantur. Venient autem angeli electos congregaturi, qui rapti in nubibus occurant domino in aëra. Quo loco Beda V. Nullus, inquit, in illa die remanebit electus, qui non venienti domino in aëra occurrat, ſiue viuens adhuc in corpore repertus, ſeu de morte iam reſuſcitatus ad vitam. Veniunt ad iudicium reprobi, & ipſi alij in corpore viuentes, inuenti alij ad vitam à morte reſuſcitati. Sed ea nimirum diſtantia, quòd iuſti congregentur in gaudium domini ſui: inimici autem eius, peracto iudicio, diſsipentur & pereant à facie Dei.

30 NOtandum: cùm autem ea fuit Chriſti domini oratio, quæ cuiuſuis etiã fortiſsimi animum deterrere & deijcere poſsit; ideò Chriſtus dominus ſuos diſcipulos ſolatur, illiſque animum addit hac ratione: Aduentum ſecundum ſuum, quibuſdam quidem fore hyemis inſtar acerbiſsimæ & amariſsimæ, improbis ſcilicet & reprobatis: quibuſdam veris iucundiſsimi ſanctis & electis: ita & ſigna quibuſdam triſtia & horrenda, quibuſdam dulcia & expectata. Quod exemplo ficulneæ docet: cuius gemmæ primæ ſunt gratiſsimæ, dant enim ſpem æſtatis & fructuum. A ficu, inquit, diſcite parabolam: cùm iam ramus eius tener fuerit, & nata fuerint folia, cognoſcitis quòd in proximo ſit æſtas: ſic & vos cùm hęc videritis fieri, ſcitote, quòd in proximo ſit in oſtiis. Amplius autem D. Lucas: Incipientibus, inquit, his fieri, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra. Vnde Theophylactus: Æſtas adeo, inquit, appetiiſſe iuſtis videbitur, exacta hyeme: improbis autem & peccatoribus hyems aduenifſe, æſtate præterita.

31 NOtandum: Ne autem vel propter diuturniorem dilationem temporis, vel propter alias cauſas dubitarent diſcipuli de his, quæ prædicta ſunt, néue fidem deſituram exiſtimarent; oſtendit, neque iſta adeò ſerò affutura. Nam & Hieroſolymæ expugnationem, adhuc illis ſuperſtitibus, futuram: & conſumationem mundi, Chriſtianis Chriſtianaque fide ſalua & ſuperſtite; ea fide & certitudine, vt priùs cælum & terra tranſeant, quàm verba domini prætereãt.

Amen,

Amen, inquit, dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia fiant: cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

32 NOtandum: Si cælum & terra transibunt, mouere potest, quomodo dicit Ecclesiastes: Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Sed aperta ratione cælum & terra, per eam, quam nunc habent imaginem, transeunt: attamen per essentiam sine fine subsistunt. Præterit enim figura huius mundi. Et ad Ioannem angelus: Et erit, inquit, cælum nouum, & terra noua: quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renouanda. Cælum ergo & terra, & transit, & erit: quia & ab ea, quam nunc habet, specie, per ignem perditur: & tamen in sua semper natura seruatur. vnde & per Psalmistam dicitur: Mutabis ea & mutabuntur.

33 NOtandum, Posteaquàm hæc dicta sunt, nihil aliud defuisse, nihilque aliud discipulos interrogaturos fuisse, quàm quo tempore & die hæc futura fuissent. Quorum cogitationem Christus videns, satis periculosam & curiosam, eos ab illa abducit: idque duobus argumentis, partim quòd ne ipsi quidem id scire datum sit: partim quòd illis expediat hæc ignorare, vt semper vigilent cautique sint.

34 NOtandum: Et de ea quidem ignoratione, qua Christus ignorat diem illam, multa in Matthæum à nobis dicta sunt: nunc ergo hæc pauca contra Agnoitas, qui aliquid Christum nescire putabant, & inde inæqualitatem eius ad patrem inferebant, ex D. Gregorio apponemus. De eo, inquit, quod scriptũ est, quia diem & horam neque filius, neque angeli sciunt, omnino rectè sanctitas vestra sensit: quoniam non ad eundem filium, iuxta hoc quod caput est, sed iuxta corpus eius, nos quod sumus, est certissimè referendum. Qua de re multis locis idem beatus Augustinus eo sensu vtitur. Dicit quoq; aliud, quod de eodem possit intelligi filio, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraam dicit: Nunc cognoui, quia times Deum. Non quia se Deus tunc timeri cognouerit; sed quia tunc eundem Abraam fecit cognoscere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, nõ quòd ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit: sic dictum est, non quòd ipse nesciat diem, sed quia hunc sciri minimè permittat. Vnde & pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei filius, eius natura qua est super angelos, habet vt hoc sciat, quod angeli ignorant. Vnde & hoc intelligi subtilius potest, quia incarnatus vnigenitus, factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidẽ humanitatis nouit diem & horam iudicij, sed tamen hunc non ex natura humanitatis nouit. Quod ergo in ipsa nouit, non ex ipsa nouit, quia Deus & homo factus, diem & horam iudicij, non nisi per deitatis suæ potentiam nouit: sicut cùm ei in nuptiis mater virgo diceret, vinum deesse, respondit: Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea. Neque enim Iesus angelorum dominus horę subiectus erat, qui inter cuncta quæ creauerat, horas & tempora fecerat: sed quia mater virgo cùm vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, statim ei responsum est: Quid mihi & tibi mulier? Ac si apertè diceret: Vnde miraculum facere possum, hoc mihi ex patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. vnde & in cruce positus, eandem matrem moriens recognouit, quam discipulo commendauit dicens: Ecce mater tua. Ait ergo: Quid mihi & tibi est mulier? nõdum

Lib. Ep. 7. 42.

dum venit hora mea. Quod eſt dicere: In miraculo, quod ex tua natura non habeo, te minimè recognoſco: ſed cùm hora mortis venerit, cognoſco te matrem; quia vnde mori poſſum, hoc ex te habeo. Itaque ſcientiam, quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis creatura fuit, hanc ſe cum angelis, qui creaturæ ſunt, habere denegauit. Diem ergo & horam iudicij ſcit Deus & homo. Res autem manifeſta eſt valde: quia quisquis Neſtorianus non eſt, Agnoita eſſe nullatenus poteſt. Nam qui ipſam Dei ſapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere, eſſe aliquid quod Dei ſapientia ignoret? Scriptum eſt: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipſum facta ſunt. Si omnia, proculdubio etiam dies iudicij & hora. Quis ergo deſipiat, vt dicere præſumat, quia verbum patris fecit, quod ignorat? Scriptum quippe eſt: Sciens Ieſus, quia omnia dedit ei pater in manus. Si omnia, profectò diem iudicij & horam. Quis ergo ita ſtultus eſt, vt dicat, quia accepit filius in manibus quod neſcit?

35 NOtandum: Cauſę exponuntur, cur omninò diſcipulis non expediat, de die illa & hora cognoſcere: ſimulque arma illis dantur, quibus contra futura aduerſa ſe communire poſsint; vt videant, quod prudentiæ eſt; vt vigilent, quod ſobrietatis; vt orent, quod perſeuerantiæ & fortitudinis. Quod pulchra parabola demonſtratur hominis peregre profecti, & relinquentis domum ſuam, & dantis ſeruis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & ianitori præcipientis vt vigilet.

36 NOtandum, Tempora veteres, non per horas, vt nunc, ſed per interſtitia quædam diuiſiſſe: quod nunc Chriſtus facit: Vigilate, inquit: neſcitis enim quando dominus domus venerit; ſerò, an media nocte, an galli cantu, an mane. Et quod Theophylactus cum Euthymio ſic myſticè interpretantur: Serum dicitur, ætas ſenum: medium noctis, eorum qui in media ſunt ætate conſtituti: gallicinium verò, eorum qui iam ſapere incipiunt, cum prudentia in modum galli gallinacei excitat eos ab inſenſibilitate. Mane autem, ætas eſt puerorum, de quibus illud ſemper præcauendum eſt, ne ſine baptiſmo hac vita excedant.

37 NOtandum, Finem Euangelij eſſe, & vltimam clauſulam, vt vigilemus; non Apoſtoli tantum, aut Apoſtolici viri, ſed omnes communiter docent: quod ipſe Chriſtus dominus clariſsimis verbis, ne quis vllam excuſationis occaſionem habeat, interpretatur. Quod, inquit, vobis dico, omnibus dico, vigilate. Quod ad ipſam ſolam vigiliam hoc loco referri, manifeſtus contextus docet. Nam multa Chriſtus Apoſtolis dixit, quæ ad omnes nullo modo referri poſſunt: vt, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Et illud: Hoc facite in meam commemorationem. Vigilat autem, inquit Beda V. qui ad aſpectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui ſeruat operando quod credit: vigilat, qui à ſe corporis & negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iuſti, & nolite peccare. Hinc rurſus ait: Hora eſt, iam nos de ſomno ſurgere. Ergo vigilemus omnes.

Caput XIIII.

1 OTANDVM: Posteaquàm Euangelista Christi res gestas atq; doctrinam ea ex parte, quâ pastor fuit, quâ doctor, quâ medicus, quâ Rex explicasset; nunc ea officia explicaturus est, quâ mediator, quâ redemtor, quâ aduocatus, quâ pontifex, quâ sacerdos, quâ victima. Huius autem tractationis tres sunt partes: prima apparatus ad tractationem exponitur, secunda ipsum sacrificium, in tertia recessus.

2 NOtandum igitur tempus inprimis futuræ mediationis, ac reconciliationis nostræ cum æterno patre, holocausti, item & sacrificij, explicari: illud scilicet, quod lege præscriptũ fuit, vt illud doceatur, pascha verum fieri debuisse, quod cum Christo agendum erat: nec supplicium, sed altare crucem futurã: & pascha nostrum immolatum esse Christum. Erat, inquit, pascha, & azima post biduum.

3 NOtandum Sacerdotum consilium, de mactatione & oblatione hostiæ, & sacrificij; non quidem secundùm illorum virtutem aut intentionem, secundùm tamen Dei voluntatem. Quærebant, inquit, summi sacerdotes & scribæ, quomodo eum dolo tenerent, & occiderent.

4 NOtat Theophylactus, ipsummet Christum Dominum tempus sibi passionis definiuisse: quippè cui placuisset, in solennitate paschali, qui verum pascha erat, crucifigi. Quo loco virtus & potestas eius diuina, eaque admirabilis ea ex parte se ostendit; quòd cum scribarum & seniorum illum concilium eũ tenere voluisset, eius capiendi non erat illi potestas: cùm autem mutasset voluntatem, ne die festo prehenderetur Christus Dominus, illo ipso tempore vltro se capiendum obtulit.

5 NOtandum, Nullum esse tam bonum factum, quod in sermones & obtrectationes hominum non incidat, ac iustorum etiam nonnunquam. Difficilè enim est vitium obtrectationis effugere: quod nunc in ista muliere videmus. Vt autem difficilè effugitur: ita minimè ab his, contra quos instituitur, curandum est. Cum illis, qui fixerunt corda in cælo, verba hominum nihil agitabunt in terra. Beatus enim Iob, cum amici eius, qui ad consolandum eum venerant, in increpationem prosiliissent, ait: Ecce enim in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis. Qui enim in cælo vitæ suæ testem habet, iudicia hominum in terra pertimescere non debet. Dux quoque bonorum Paulus dicit: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Qui iterum dicit: Opus suum probet vnusquisque, & sic in semetipso gloriam habebit, & non in altero. Si enim laudibus lætamur, & vituperationibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. *Greg. lib. 9. Ep. 39.*

6 NOtandum, quæ fuerit ista mulier, & quomodo ab aliis distinguatur, quę idem officium Christo præstiterint, pulchrè notasse Theophilactum: Omnes, inquit, Euangelistæ meminerunt vnguenti. Ex quibus colligunt quidam, vnam eandemque mulierem pium hoc Christo officium præstitisse, cùm plurimum fallantur. Duæ autem, eæque diuersæ fuerunt: Vna quidem à Ioanne, quæ & soror Lazari fuisse perhibetur: altera autem quæ à tribus reliquis. Cę-

terùm,

terùm, si attentiùs consideres, tres easque differentes fuisse reperies: apud Ioannem quidem vnam, apud Lucam alteram, tertiam, cuius meminit Matthæus, & hanc eandem esse cum ea, quam hoc loco D. Marcus celebrat. Nam illa, quam Lucas commemorat, & peccatrix erat, & in medio cursu prædicationis Euangelicæ pœnitens, Christum perfudit vnguento. Ea verò cuius mẽtio apud Matthęum est, tempore iam passionis instante officium hoc pietatis exhibuit: neque meretricem eam fuisse in confesso est. Pertinebat autem hoc factum, quæcunque illa fuerat, mulieris, ad præparationem hostiæ.

NOtandum: Quamùis detractio hæc, siue Iudę, siue aliorum, à malo animo profecta fuerit, multa tamen nobis bona attulit. Nam & mysterium huius facti nobis interpretata est: infert enim Christus, Quod habuit hæc, fecit; præuenit, inquit, corpus meum vngere in sepulturam: & prophetiam quandam grauem nobis manifestauit, Euangelium scilicet Christi per vniuersum mundum prædicandum fore. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hęc, narrabitur in memoriam eius. Et ideo Ecclesiam Catholicam, id est per totum orbem terrarum fusam confitemur. 7

NOtandum, Neminem vnquam pro honore Dei aliquid fecisse, aut dixisse, vel aliquam iniuriam accepisse, qui mercedem à Christo domino non receperit, quemque suo testimonio non remunerauerit, sua authoritate non defenderit. Sinite, inquit, eam: quid ei molestiam exhibetis? Ac si dicat: Tu quidem pretio illectus, cùm me Iudæis interficiendum tradas, te ipsum, qui tanti sceleris tibi conscius es, minimè coarguis: hanc autem, quæ instinctu quodam diuino in sepulturam me vnguentis inunxit, reprehensione tua dignam iudicas? 8

NOtandum: Quòd sicut Maria gloriam adepta est toto orbe, quocunq; ecclesia sancta diffusa est, de obsequio quod domino piæ deuotionis exhibuit: ita è contrario ille, qui obsequio eius detrahere temeraria lingua non timuit, perfidiæ nota longè latéque diffamatus, & Deo simul atque hominibus meritò factus est exosus: sed dominus bona digna laude remunerans, futuras impij contumelias tacendo præteriit. 9

NOtandus profectus in malo Iudæ; ex fure factus est detractor & calumniator: ex detractore & calumniatore proditor, proprijque magistri venditor. Quo loco Beda V. Infelix, inquit, Iudas, damnum quod ex effusione se vnguenti fecisse credebat, vult magistri pretio compensare: nec certam postulat summam, vt saltem lucrosa videretur proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent dare. Quod autem dicit, Abiit ad summos sacerdotes, vt proderet eum illis; ostendit eum non à principibus inuitatum, non vlla necessitate constrictum, sed sponte propria sceleratę mentis inisse consilium; vt significationem daret, quando solus in loco solo esset. Nam impium illud concilium metuebat turbam, ne ministri ad prehendendum eum missi, importunè eum docentem opprimerent. Hic itaque isto illos metu liberauit, & recepit se tempore & loco solitudinis captato, ducem eis ad capiendum magistrum fore. 10

NOtandum: Apparatũ futuri Paschatis Euangelista descripturus, à tempore 11

pore orditur: Primo, inquit, die azymorum, quando Pascha immolabant; primùm vt verum celebrasse Pascha Christum dominum doceat, deinde vt in futurum fermentariorum ora obstruantur, qui hoc nomine mundum turbaturi erant. Si enim fuit prima dies azymorum, Christus certè azymis vsus est: vel si non, ergo neque dies azymorum fuit, neque Paschæ. Itaque contortè eum locum interpretatur Theophylactus, vincendi & contentionis studio. Primum, inquit, diem azymorum Euangelista quintum vocat, qui azymorum diem antecedebat. Nam in parasceue azymis vesci Iudæi solebant. Verùm hęc aliâs prolixius tractauimus.

12 NOtandum, Acerbum & infame fuisse genus suplicij crucem: maledictusque dicebatur, qui penderet in ligno: quod Christus nostra causa sustinuit. Quod ne aliquis putaret vel vitio, vel fortuito, vel inscium & nolentem Christum subijsse; ideo Christus dominus vt ostenderet ordinationem patris, & suam voluntatem, ita omnia hæc futura ad vnguem iam à primo ingressu Hierosolymam enarrat, tanquam non futura essent, sed iam facta. Ite, inquit, in ciuitatem, & occuret vobis homo lagenam aquę baiulans, sequimini eum: & quocunque introierit dicite domino domus, quia magister dicit: Vbi est refectio mea, vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum: & illic parate nobis.

13 NOtandum, neque Christum dominum, neque discipulos eius domum Hierosolymis habuisse, vt haberent locum vbi comederent Pascha. In propria ergo venit, & sui eum non receperunt: etsi tamen illi seruirent omnia.

14 NOtandum: etsi Christus dominus in omni vita sua parcitatem & frugalitatem dilexerit, omniaq; humilia secutus fuerit; hanc tamen vltimam cœnā in illustri cœnaculo ac pretiosè strato conficere voluit, ea causa, quòd in ea illud sacrificium inchoaturus erat, quod per se mundissimum esset, & ab omnibus cruoris sordibus alienissimum: & quod in posterum vniuersus orbis christianus magna pompa, magno apparatu & splendore paraturus, & honoraturus erat: quod moderna hæresis non videt, an potius ridet.

15 NOtandum, eam differentiam esse inter Christi promissa, & inter mundi pollicita. Quæ Christus promittit, de his semper hæc verba Euangelij dici possunt, Venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis. Quæ autem mundus, contraria omnia. Quem enim aliquando non decepit? cui non imposuit? cui ad finem vsque amicus fuit?

16 NOtandum, Christum dominum sero facto Pascha comedisse, quemadmodum à lege pręscriptum fuit. Errant igitur, qui anteuertisse tempus paschatis Christum dicunt. Nam quod scribit D. Ioannes, Ante diem festum paschę, id ad matutinum tempus eiusdem diei rectè referri poterit.

17 NOtandum, Quærere Theophylactum, quomodo recumberent, cùm lex stantes iuberet comedere Pascha. Credibile est, eos illa primùm, quæ lege diuina præscribebantur, impleuisse: tum demum ad verum & desiderio desideratum Pascha manducandum accubuisse. Hinc ille ex Doctore angelico cantus: Noctis recolitur cœna nouissima, Qua Christus creditur agnum & azyma Dedisse fratribus, iuxta legittima, Priscis indulta patribus. Post agnum

typicum expletis epulis, Corpus dominicum datum discipulis: Sic totum omnibus, quod totum singulis, Eius fatemur manibus.

NOtandum, modum dicendi, Filius quidem hominis vadit, sicut de eo scriptum est; notare spontaneam & voluntariam mortem domini futuram. 18

NOtandum, Melius esse non nasci, quàm male viuere, & ita damnari. 19

NOtandum cum Beda V. Finitis Paschæ veteris solennijs, quæ in commemorationē antiquę de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transiit ad nouum, quod in suę redemptionis memoriam ecclesiam frequentare volebat: vt videlicet pro carne ac sanguine, sui corporis sanguinisque sacramentum substitueret; ipsumque se esse monstraret, cui iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in ęternum, secundùm ordinem Melchisedech. Frangit autem ipse panem, quem discipulis porrigit, vt ostendat corporis sui fractionem, non absque sua sponte & procuratione venturam: sed sicut alibi dicit, potestatem se habere ponendi animam suam, & potestatem se habere iterum sumendi eam. 20

NOtandum, Mirum esse de veritate corporis & sanguinis domini consensum Euangelistarum, eadem penitus verba: quę res magnum est argumentum, nihil figuratiuè, nihil secundùm typum aut tropum hoc loco dici, sed ipsam esse veritatem corporis & sanguinis domini. Quemadmodum autem ipsorum Euangelistarum mirus est hoc loco consensus; ita & eorum interpretum veterum patrum: & ex aduerso hæreticorum mira dissensio, mira pugna, dissensiones infinitę; ex quibus patet, nihil verè, nihil solidè eos de tanto mysterio sentire. Duos non inuenies, qui idem sentiant. 21

NOtandum, Christum dominum verum peregisse Pascha: & quoniam Paschatis duę partes sunt, esus ipse & oblatio; & ideo & in mystico paschate veram manducationem & oblationem, contrà quàm mentiuntur hæretici, fuisse & esse debere. Immolabitque eum, inquit dominus ad Moysen, vniuersa multitudo filiorum Israël ad vesperam. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis aggrestibus. 22

NOtandum cum Theophylacto, sanguinem noui testamenti ad distinctionem veteris vocari: nam & in veteri testamento sanguinem fuisse legimus, quo populus, & liber legis conspergebantur. Negat autem se bibiturum de genimine vitis, vsque post resurrectionem, quam regni Dei nomine intelligit: quia tunc de morte, tamquā potentissimus Rex, magnificum & illustrem egit triumphum: solusque principe mundi huius foras eiecto, eius regna prehendit, imperioque totius vniuersi potitus est. Manducauit igitur & bibit, vt acta Apostolorum docent, cum discipulis suis, postquàm resurrexit à mortuis, vt eo faciliùs eis persuaderet, seipsum illum esse, qui paulò antè tot & tam indigna pertulisset. Nouum autem bibit illud, id est nouo quodam & inusitato modo. nec enim ampliùs corpus, quod pati poßet, ciboq; indigeret, habuit: sed incorruptibile, idemque immortale. 23

NOtandum: Finita typica oblatione, inchoataq; & constituta Melchisedechica victima, nunc ad cruentum ipsum, per Aaronicas oblationes designatum, se confert sacrificium: quod ab hymno incipit, vt omnis eius actio & oratio 24

ratio à patre incipiat, & per patrem finiatur. Carent hæreses hymnis & psalmodiis: sua pro diuinis obtrudunt. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliuarum.

25 NOtandum: solent Imperatores, instante pugna, cõmissuri prelium, suos cohortari, ac quid illis vel aduersum vel secundum euenturum sit proponere, vulnera, clades, fugas, sed & coronas & victorias: vt & constantes sint, & viriliter agant, & vt aduersis non cedant. Facit hoc diuinus Imperator amplissimè, cum satana, morte, eiusque ministris congressurus. Omnes, inquit, scandalizabimini in me in nocte ista: hoc est, aliũ, & minorem me putabitis, quàm nunc putatis, & fugietis omnes. Scriptum enim est: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis: sed postquã resurrexero, præcedam vos in Gallilęã.

26 NOtandum: Elatus Petrus magnifica de se, ac nescio quid ἐκχειρίδου pollicetur: sed qui se nimium effert, faciliùs cadit: & quantò altiùs, tanto periculosiùs. cadit autem ille, qui cęterorum ruinas subleuaturus erat.

27 NOtanda est Apostolorum in Christo amando contentio, & æmulatio: ô sacram & optandam ęmulationem, quam postea tot millia sanctorum & martyrum secuta sunt: & vtinam nos sequamur. Similiter, inquit, & omnes dicebant.

28 NOtandum: Post gratiarum actionem sequitur oratio: sic enim fere ordo postulat, vt primò pro pręteritis beneficiis gratias agamus, deinde futura bona & auxilia petamus. Immittit ergo in se communis redemtor noster, primùm totius mundi contritionem, & męrorem, & tędium, deinde cum tali onere ante conspectum patris procidit, orat, & deprecatur: simul nos docens, vt in omni tempore nostro difficili & acerbo, in omni ægritudine & mœrore, ad Deum patrem recurramus,

29 NOtandum, Magna diuina dispensatione & mysterio factum esse, vt dum Christus tædet, pauet, contristatur, discipuli dormiant: vt soli Christo totum hunc laborem debeamus, illi adscribamus; hic solus redemtor & reconciliator habeatur, vt qui solus ad eam rem missus, & æterni patris consilio ordinatus, & qui solus tanto oneri ferendo par esset.

30 NOtandum, Incerta & inconstantia mundi esse promissa, sed & amicorum & discipulorum. Promittebant isti, Christi causa se ad mortem ituros, & alia omnia passuros: at ne somno quidem resistere possunt. Simon, inquit, dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum?

31 NOtandum, oratione sua nos Christum dominum docere, non tam longas & prolixas, quàm frequentes orationes debere esse.

32 NOtandum: Timet Christus, cùm Petrus non timeat, Christus timet. Petrus dicit, animam meam pro te ponam: Christus dicit, anima mea turbatur. Vtrumque verum est, & plenum vtrumque ratione: quia & ille, qui est inferior, non timet; & ille, qui est superior, gerit timentis affectum. Ille enim, quasi homo, vim mortis ignorat; iste autem, quasi Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit: vt eorum, qui Sacramentum incarnationis abiurant, excluderetur impietas. Denique & hoc dixit, & Manichæus non

 credidit,

credidit, Valentinus negauit, Marcion phantaſma iudicauit. Eo autem vſq; hominem, quem veritate corporis demonſtrabat, æquabat affectu, vt diceret: Sed tamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Suſcepit ergo voluntatem meam, ſuſcepit triſtitiam meam: confidenter triſtitiam nomino, quia crucem prædico. Mea eſt voluntas, quam ſuam dixit: quia vt homo, ſuſcepit triſtitiam meam: vt homo locutus eſt, et ideo ait: Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Mea eſt triſtitia, quam meo ſuſcepit affectu. Ergo pro me docuit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret: & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Triſtis eſt, inquit, anima mea vſque ad mortem. Non propter mortem triſtis eſt Dominus, quia eum corporalis conditio affectus, non formido mortis offendit. Nam qui corpus ſuſcepit, omnia debuit ſubire, quæ corporis ſunt, vt eſuriret, ſitiret, angeretur, contriſtaretur. Diuinitatis autem per hoc commutari neſcit affectus.

NOtandum: Si quis fortè ignarus contextus Euangelij, verba hæc Euangeliſtę legeret, Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iſcariotes, vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladiis & lignis; putaret aliquis eam manum vel à Tiberio Auguſto, vel à Pilato, vel ab Herode, contra Regem Meſsiam miſſam: verùm neſcio, quid aliud dicit Euangelium, à ſummis ſacerdotibus & ſcribis, & ſenioribus. Atqui iſtos oportuit effuſos in complexum redemtoris ſui ruere, eum tueri, pro illo mortem oppetere: ſed obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Iudas autem Iſcariotes vnus de duodecim. Vnus quidem, inquit, numero, non vnus merito: vnus nomine, non vnus numine: vnus corpore, non vnus animo. 33

NOtandum, ſignum per quod Chriſtus indicatur & cognoſcitur, charitatis eſſe, oſculi eſſe. Vbi enim amor & charitas, ibi Deus, ibi Chriſtus eſt: Non quidem Iuda hoc cogitante, ſed Deo ita ordinante atque diſponente. 34

NOtandum, Chriſtum dominum prius quàm capiatur, illud omnibus teſtari, ſe nullo vitio ſuo aut delicto capi; ſed æterni patris voluntate, & ſua erga genus humanum charitate. Tamquam, inquit, ad latronem exiſtis, cum gladiis & lignis, comprehendere me: quotidie eram apud vos in templo docens, & non me tenuiſtis: ſed vt impleantur ſcripturæ. 35

NOtandum, non ſemper Petrum dormire, ſed aliquando etiam pugnare, & cædere, prout ſpiritus ſanctus cor & mentem eius dirigebat. 36

Notandum, cum Theophylacto, quòd auricula ſerui ſummi Sacerdotis abſciſſa à Petro ſit, inſinuatur eos nec audire, nec intelligere voluiſſe ſcripturas, quorum id maximè intereſſe videbatur. Si enim aures, quæ cæleſtia vera facerent, admitterent & habuiſſent, ſi ſcripturę obediuiſſent, dominum gloriæ nunquam crucifixiſſent. Quòd autem principis ſacerdotum ſeruus infortunium hoc tulerit, docetur, ſummos plerumque ſacerdotes contemtus & negligentiæ ſcripturæ ſanctæ, duces & anteſignanos eſſe ſolere: vt qui ſerui inuidiæ facti, ſemetipſos plus æquo ament; ſuaque commoda pluris, quàm Dei voluntatem faciant. 37

Notandum,

38 NOtandum, Interponere hoc loco nescio quid Euangelistam, de adolescente. Adolescens quidam, inquit, sequebatur eum, amictus sindone super nudo: & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis. Quod etsi primo aspectu subfrigidius quid & leuius esse videtur, tamen si penitiùs inspiciatur, habet aliquid valde serium: hoc est, nudos & pauperes faciliùs & constantiùs Christum sequi, quàm diuites & vestitos, iuxta illud Hieronymi: Nudi nudam Christi crucem sequamur. Fugit autem adolescens, inquit Beda V. ab hostibus, quorum & præsentiam detestabatur, & facta: non fugit à domino saluatore ac magistro suo, cuius amorem, etiam corpore absens, fixum in corde seruauit.

39 NOtandum, Diuum Petrum, felicibus Christi temporibus, vnà cum Christo ambulare solitum: nunc autem, versis & mutatis rebus, à longè sequi: vt declaretur, mundum ad præsentem quidem fortunam præsentem adesse, absentem autem à longè sequi. Petrus, inquit, à longè secutus est eum, vsque intro in atrium summi sacerdotis.

40 NOtandum, Sisti præsentem hostiam collegio sacerdotum, vt cognoscatur idonea ad mactandum pro genere humano esse. In quo si spectes sacerdotum institutum, finis eius erat, ne illum sine causa morti tradidisse videantur: si autem æternam ordinationem Dei, tum ille finis erat, vt ostendatur, hunc esse agnum sine macula, dignum holocausto; qui peccatum non fecit, & dolus inuentus non est in ore eius. Quod ipsum tota series, cùm testimoniorum, tùm iudicij sacerdotalis demonstrat. Et adduxerunt, inquit, Iesum ad summum sacerdotem: & conuenerunt omnes sacerdotes & scribæ & seniores, & quærebant aduersus eum testimonium, vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim falsum testimonium dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant.

41 NOtandum, lege diuina præceptum fuisse, vt sacerdos magnus, qui oleo sancto vngebatur, quantum vitę eius spatium esset, tantum & muneris eius functiones extenderentur, nec alij cuipiam, eo superstite, hoc munus suscipere liceret: nunc autem in hoc concilio plures eiusdem ordinis summi sacerdotes fuisse videntur. Hanc rem ita explicat Theophylactus: Venalem iam tum summum Pontificatum eum, non vt olim perpetuum, sed vt plerosque Romanorum magistratus annuum fuisse. Largitionibus autem Iudęorum Romanos corruptos, sacrosancta hæc quondam, prophanè & nefariè tum in annos singulos conferre fuisse solitos. Eos itaque, qui completo officio suo, annum exegerant, seque principatu sacerdotij abdicauerant, Principes sacerdotum vocari solitos hoc loco ab Euangelista.

42 NOtandum: Quoniam autem imprimis necessarium fuit, vt mediator ac reconciliator, Deus & homo esset, idque primò inter omnes constaret: de homine quidem nihil dubij fuit: stabat enim in iudicio tum vir dolorum, opprobrium hominum & abiectio plebis, nouissimus hominum. Diuinitatis autem non ita clara erat ratio. Hoc igitur nunc exactissimè probatur, & demonstratur. Surgit summus Sacerdos: nomen Dei super illum inuocat: num filius Dei benedicti sit, interrogat. Respondet ille clarissimis verbis: Ego sum. Et ne de aliquo adoptiuo filio id accipiatur, rem totam explicat: se non quem-

ùis Dei filium vocari, ſed illum qui ad dexteram Dei patris ſeſſurus eſt, qui viuos & mortuos iudicaturus. Videbitis, inquit, filium hominis ſedentem à dextris virtutis, & venientem cum nubibus cæli. Comprobat hoc ſacerdos: blaſphemiam inclamat: veſtem ſcindit. Facit hoc idem totum concilium: faciunt miniſtri: tanquam blaſphemum cædunt, ac conſpuunt: digna hoſtia iudicatur. Summus, inquit Euangeliſta, ſacerdos ſcindens veſtimenta ſua, ait: Quid adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum, reum eſſe mortis. Et cæperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza: & miniſtri eum alapis cædebant. Colligat igitur Ariana hæreſis, ac iterum Chriſtum conſpuere & colaphizare deſinat.

NOtandum, eſſe quod D. Marco gratias agamus, qui nobis rem maximè neceſſariam clariſsimè expreſsit. Cùm enim cæteri Euangeliſtę reſponſionem per illa verba, Tu dixiſti, ſuſpenſam quodammodo proferant, hic ſolus planam & euidentem appoſuit: Ego, inquit, ſum. Vbi & omnem ambiguitatem ſuſtulit: & in poſterum, quomodo verba aliorum Euangeliſtarum intelligenda eſſent, docuit. 43

NOtandum: nomen Dei non ſine præfatione magna compellandum eſt: quod nunc Caiphas facit: Tu es, inquit, Chriſtus filius Dei benedicti? 44

NOtandum: quamdiu Petrus fuit proximus Chriſto in horto, audax fuit, cohortem non metuit, pugnat, vulnerat: vbi autem cæpit à longè ſequi Chriſtum, mox labaſcit, vnius mulierculę voce terretur, Chriſtum negat. Pone igitur me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me. 45

NOtandum, Quæ cauſa ſit, cur galli cantum tempus & metam, ſignum item negationis Chriſtus ponit? an quòd tempora, vt dixi, hoc modo diſtinguebantur: an quòd galli ea eſt natura, vt excitet & admoneat. Hoc igitur Chriſtus & tunc voluit, vt Petrus commoneatur, vt excitetur, vt ad ſe redeat: ſed & in perpetuum voluit, vt dum gallum canentem audimus, caſus Petri recordemur, ſed & noſtrorũ caſuum ac delictorum. Rectè igitur canit Eccleſia: Surgamus ergo ſtrenuè, gallus iacentes excitat, & ſomnolentos increpat, gallus negantes arguit: gallo canente ſpes redit, ægris ſalus refunditur, mucro latronis conditur, lapſis fides reuertitur. 46

Cap. 19. NOtandum, Potens & validum eſſe animal mulierem, ad ſubuertendos etiam perfectos: quod in Petro nunc videmus. Rectè igitur Sirachus: Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos. 47

NOtandum. In hac negatione Petri diſcimus, non ſolum abnegari Chriſtum ab eo, qui dicit eum non eſſe Chriſtum; ſed ab illo etiam, qui cùm ſit, negat ſe eſſe chriſtianum. Dominus autem non ait Petro, Diſcipulum meum te negabis, ſed me negabis. Negauit ergo ipſum, cùm ſe negauit eius eſſe diſcipulum. 48

Caput

Caput XV.

1 OTANDVM. Sistitur deinde victima: apud prȩsidem Romanum examinatur: sine macula esse inuenitur. Ego, inquit, nullam inuenio causam in homine isto: Quid enim mali fecit? Et quemadmodum nunc Iudæi Christum tradunt Romanis, ita pòst ab eodem Christo æternȩ Romanorum seruituti adiiciuntur: vt impleantur scripturæ. Væ, inquit Isaias, impio in malum: retributio enim manuum eius, fiet ei. Et illud Dauidis: secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis. Tum & illud Abdiæ: Sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum.

2 NOtare videtur D. Marcus, turbam Hebræorum permotam Pilati æquitate, eò animum inclinasse, vt Iesum dimitteret. Itaque more solito ab eo petunt, vt illis vinctum aliquem dimittat. Proponit Pilatus duos, Christum & Barrabam. Inclamaturi fortasse fuissent Iesum: sed non permittit auarus & ambitiosus sacerdos: turbat turbam, ac veluti mare commouet. Hoc enim Græcum verbum sonat, ἀνέσεισαν τον ὄχλον: vt impleatur illud Danielis: A principibus egressa est iniquitas in Babylone.

3 NOtandum: Mirum autem Christus testimonium innocentiæ suȩ refert vndique. Primùm à Pilato, qui illud fatetur, Eum sibi ob inuidiam traditum esse, non ob scelus. Graue malum inuidiæ. Deinde ab Euangelista, contra Pilatum: Pilatus, inquit, volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabam, & tradidit illis Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Nobis autem constat, illum peccatum non fecisse, nec dolum inuentum esse in ore eius: & peccata illum nostra portasse in corpore suo.

4 NOtanda est differentia apertæ improbitatis, & simulatæ pietatis. Aperta improbitas ridet & insultat, subsannat, cædit, illudit: simulata autem pietas inuidet, calumniatur, turbat, scandalizat, vitam cum sanguine poscit, non contenta vltimo qualicunque supplicio, sed vltra crucem, crucem inclamat. Non intret igitur anima nostra in concilium illorum. Simulata pietas, duplex est iniquitas.

5 NOtandum: Tumebat vana sapientia vrbis, per tot annorum millia: tumebat honorum ac regnorum elatione: suscipit eius elationis in se pœnam. Vera sapientia, excelsus Rex præ cunctis regibus terræ, patitur sibi illudi, se irrideri, sibi subsannari, se traduci, inter scurras reputari. Milites, inquit, duxerunt Iesum in atrium prætorij: & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam: & cæperunt salutare eum: Aue rex Iudæorum. Et percutiebant caput eius arundine, & conspuebant eum: & ponentes genua, adorabant eum. Et postquàm illuserunt ei, exuerunt illum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum, vt crucifigerent eum. Quid igitur retribuemus domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? Calicem salutaris accipiemus, & nomen domini inuocabimus.

6 NOtandum, Beatum illum esse virum, qui non abiit in consilio impiorum,

& in via peccatorum non stetit, & in cathedra irrisorum non sedit. Liberet nos igitur dominus à scurris & irrisoribus. Illi autem, qui aut sacerdotibus, aut religiosis viris, & aliis piis & simplicibus illudunt, iidem denuo Christo domino in membris eius illudunt.

NOtandum, solum D. Marcum, non tantum ipsum Simonem Cyrenęum, Christi crucis socium nobilitasse, sed etiam in posterum filios eius Alexandrum & Rufum. Magna enim nobilitas est Christi crucem ferre: de qua nobilitate illud scriptum legimus: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et D. Paulus: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi. 7

NOtandum: Deducitur victima extra castra, igne amoris & dilectionis concremanda: adducitur in montem Caluariæ, montem mortis, mortem deletura: conditur myrrha, aceto, felle amaritudinis. Nam & hostia hyssopo, quæ & ipsa amara herba est, aspergebatur. Super pelles eius mittitur iactura, non tam lucri & vtilitatis causa, quàm subsannationis, ac paupertatis illius traductionis. Exeamus igitur & nos cum illo, portantes improperia eius. Simon autem qui portat crucem in angaria, ipse est qui laborat pro laude humana. Cogunt enim homines hi labores, quos non cogit timor & dilectio Dei. 8

NOtandum: Dum Christus dominus educitur vt crucifigatur, educi Abel in agrum, vt perimatur; adesse Isaac cum lignis, & Abraam cum ariete in Sabech hærente; adesse Ioseph cum falce gremij somniato, & tunica talari sanguine lota; adesse Moysen cum virga, & serpente suspenso in ligno; adesse botrum in ligno portatum; adesse Elisęum cum ligno ad quęrendam securim, quæ in ima demersa est, & natauit ad lignum, id est genus humanum, quod à ligno vetito in infernum cecidit; per lignum crucis Christi, & per baptismum aquæ ad paradisum natauit: adesse Ionam de ligno nauis in mare, in ventremque Cœti triduo missum. 9

NOtandum: Pulchrè notat Theophylactus seriem horarũ passionis Christi, his verbis: Marcus, inquit, narrat, hora tertia dominum esse crucifixum: Matthæus autem, hora sexta tenebras esse factas. Potest ergo dici, hora quidem tertia crucifixum esse, solem tamen subductum, & tenebras fieri cœptas, ab hora sexta, vsque in horam nonam. Vel sicut Beda V. veracissimè inquit, demonstratur tunc eos crucifixisse, quando clamauerunt maximè, quia nolebant videri se hoc fecisse, & propterea eum Pilato tradiderant: quod eorum verba satis indicant secundùm Ioannem. Quod ergo maximè videri fecisse nolebant, hoc eos hora tertia fecisse Marcus ostendit, verissime indicans, magis fuisse domini necatricem linguam Iudæorum, quàm militum manus. 10

NOtandum, In ligno crucifixi saluatoris salutem fixam esse, vt ligno primo infixa erat mors. Lignum primum, lignum scientiæ boni & mali erat. Et secundum lignum, boni tantum nobis & vitæ lignum est. Extensio manus primæ ad lignum, mortem apprehendit: extensio autem secundæ, vitam quæ perierat inuenit. Ligno hoc vehimur per mare vndosum, ad terram viuentiũ. 11

NOtandum: Mysterium latronum cum Christo pendentium, scitè & piè idem interpretatur Theophylactus: cum latronibus crucifixus est, vt & ipse à præter- 12

prætereuntibus latro & maleficus, qui easdem cum consceleratis pœnas lueret, crederetur. Quod quidem secundùm æconomiam cælestem factum esse duplici nomine potest: primùm vt prophetia, quæ longè antè ab Isaia prædicta est, eum cum impiis & sceleratis reputatum iri, impleretur. Deinde quòd duo isti latrones, duorum populorum symbolum quoddam erat futurum, Iudaici & gentilis, vtriusque impij. Gentilis, qui legis naturalis transgressor erat: Iudaici, qui & naturæ legem, & eam quam per Moysen dederat ei Dominus, contempserat. Quanquam latro, qui gentilem populum repręsentat, cordatior, & mente saniore: qui autem Hebræam, obstinatior, & ad extremum vsque spiritum blasphemus fuisse narretur. Medius autem inter hunc vtrumque populum dominus crucifixus est, vt qui lapis angularis erat, compage parietum nos connectens, atque coniungens.

13 NOtandum: Latrones qui cum Domino sunt hinc inde crucifixi, significant eos qui sub fide & confessione Christi, vel agonem martyrij, vel quælibet continentię arctioris instituta subeunt. Sed quicunque hæc pro æterna solùm cælestique gloria gerunt, hi profectò dextri latronis merito ac fide designantur. At, qui siue humanæ laudis interitu, seu qualibet minus digna intentione mundo abrenunciant, non immeritò blasphematoris ac sinistri latronis mentem imitantur & actus. De quibus dicit Apostolus: Si tradidero corpus meum vt ardeam, si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, si alia plura aut pietatis opera facere, aut dona spiritalis gratiæ accepisse videar, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Beati autem, qui sua propter Dominum, & propter Euangelium relinquunt. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.

14 NOtandum: Leuatur demum in aram sanctæ crucis noui & æterni sacrificij hostia, anteque oculos cælestis patris in odorem suauitatis ponitur. Respiciat igitur benignus pater in faciem Christi sui, tam dirè pro nobis lacerati, & reconcilietur nobis. Ceciderunt deinde super hostiam opprobria exprobrantium. Vah qui destruis templum Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac temetipsum, descendens de cruce.

15 NOtandum: Etsi prætereuntes Scribæ & Pharisæi ad eam rem acuerunt linguas suas, vt Christum dominum clamoribus suis infamarent, omnibusque exosum facerent, nomenque eius de terra eraderent: nolentes tamen & volentes quatuor ei attributa & testimonia dederunt pulcherrima ac verissima: eum scilicet filium Dei esse: Si, inquiunt, filius Dei es, descende de cruce. Deinde regem Israëlis: Christus, inquiunt, Rex Israël descendat nunc de cruce, vt videamus & credamus. Postea saluatorem: Alios, inquiunt, saluos fecit. Ad extremum vitę & resurrectionis Domini: Destruis, inquiunt, templum Dei, & in tribus diebus reædificas illud. Sic omnia Domino loquuntur, Dominum tuentur, Domino seruiunt: Dominum illustrant & inimici. Non plura de illo Prophetæ, nec illustriora prædixerunt.

16 NOtanda, Diaboli, qui nunc per istos clamat, vesania. Dicit: Si filius Dei es, descende de cruce: atqui non ascendisset potius crucem, cùm Dei filius est, si de ea descendere deberet.

17 NOtandum: Si quis tunc pendente Christo domino crucem amplexus, veniam

veniam peccatorum suorum postulasset, hic certè denuo Christum dominum non crucifixisset, obtulisset tamen: neque nos denuo nunc crucifigimus in oblatione altaris, sed mortem & passionem eius repręsentamus.

18 NOtandum, Reddiderat Christo domino eius innocentiæ testimonium Iudas, Caiphas, Pilatus, Diabolus: reddit nunc vniuersa natura, sol, & luna. Et facta, inquit, hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, vsque in horam nonam. Summoque sacerdote obeunte, tenebræ fiunt per vniuersam terram: vbi enim non est sacerdos, ibi tenebræ. Vos, inquit Christus, estis lux mundi. Qualem defectum semel tantum factum esse legimus, vero sacerdote mortuo.

19 NOtandum: Putabant Manichæi, Marcionistæ, Nestoriani, omnia hæc quæ in cruce fiebant, non tam re ipsa, quàm phantasia quadam fieri; nec tam esse, quàm videri: nullumque dolorem Christum pertulisse. Refutat hanc sententiam saluator, graui & commiseratione plena dolorum suorum testificatione ad Patrem emissa: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Vt simul item nobis omnibus testificaretur, quæ & qualia nostra causa passus, & quo dolore intus conficeretur. Clamabat filius ad patrem, inquit autor operis imperfecti, vt se ex infirmitate corporis pati probaret hominibus; non vt corpus à diuinitate derelictum ostenderet. Quo autem modo eum pater dereliquisse dicatur, abundè aliâs diximus.

20 NOtandum: Reponitur tandem vltimò magni debiti pretium, magnum pretium mundi, à redemptore nostro, dilecta anima eius: vt morte summi pontificis intercedente carceres inferni soluantur, extorres domo in patriam redeant, obærati à debitis soluantur. Nemo igitur maiorem charitatem exhibere potest, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Emissa, inquit, voce magna, expirauit. Quid autem hac voce magna dixerit dominus, Lucas apertè designat dicens: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc, inquit, dicens expirauit. Quòd verò scribit Ioannes, quia cùm accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est; & illud: Et inclinato capite, emisit spiritum: emissa est illa vox magna, quam tacuit Ioannes, cæteri autem tres commemorauerunt.

21 NOtandum: Mortuo summo Pontifice ac sacerdote, nihil deinde sacrum, nihil mysticum, nihil arcanum in templo dei remansit: & proinde velum templi scissum est à summo vsque deorsum: quòd ampliùs non haberet, quod in templo velaret; sed omnia profana, ac vulgaria essent.

22 NOtandum, Christum factum esse obedientem vsque ad mortem, mortem autem crucis: & propterea Deum exaltasse nomen eius, & dedisse illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine eius omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium, & infernorum: cuius rei iam statim post expirationem suam possessionem accepit, Centurione nomen eius celebrante: Videns, inquit, Centurio, qui ex aduerso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo filius Dei erat.

23 NOtandum, Pias & deuotas fœminas sequi solitas magistrum suum, vt illi inseruirent; præsertim ad maiora festa Paschæ & Pentecostes: quomodo nunc

nunc mulieres quædam à Galilæa vsque in Ierusalem sequuntur. Erant mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salomæ: & cùm esset in Galilęa sequebatur eum, & ministrabāt ei: & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymā.

24 NOtandum: Conseruare solet dominus in omni gente etiam perditissima viros, qui timeant nomen eius, & qui non curuent genua sua coram Baal. Quomodo in terra Hus Iobum, in terra Chanaan Abraam, in Sodoma Loth, & alios alibi: quomodo & Hierosolymæ inter improbam gentem conseruauit sibi Iosephum & Nicodemū, futuræ sepulturæ suæ ministros. Quamquidē sepulturam gloriosam esse voluit, partim propter exaltationē nominis sui; quę statim mortē Christi consequi debebat; partim propter exemplum sepulturarum Christianarum, quas gratis & ex charitate esse debere, pulchrè docet Gregorius Magnus. Graue, inquit, nimis est, & procul à sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Vnde dum Abraam à filiis Emor, hoc est Ephron filio Seor, sepulcri terram pretio ad humandum corpus coniugis postularet; præmium accipere renuit, ne commodum videretur de cadauere consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Vnde ne hoc auaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quando aliquem in ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximiúe hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus; peti autem aut aliquid exigi, omnino prohibemus. Quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaueribus studeatis quærere quolibet modo compendium.

25 NOtandum: Multos apud Hebræos, qui simul & legem obseruarent, & Euangelium, vsque post tempora Apostolorum fuisse legimus. Ex quo genere Iosephum antiquitatum Iudaicarum scriptorem, Philonem item, & istos duos

26 NOtandum, Maius quid iudicasse Pilatum de Christo domino, quàm vt tantum homo esset, quod Ebionitæ & Cerinthij docent: & ideo dubitat de morte illius, & ideo honorificè donat corpus eius Iosepho.

27 NOtandum, Quo cultu munditia ac reuerētia corpus & sanguis domini nostri IesuChristi asseruari & suscipi debeat, ministerium nunc Iosephi docere.

28 NOtandum: Summa autem totius præsentis doctrinæ de morte & passione domini nostri Iesu Christi hæc est: Quatenus patientiæ virtutem in tribulationibus seruemus incessanter: quanta redemptor noster ab his, quos creauerat, pertulit mala considerãda: quòd tot obiecta conuitiorum probra sustinuit: quòd de manu antiqui hostis, captiuorum animas quotidie rapiens, insultantium alapas accepit: quòd aqua salutis nos diluens, à perfidorum sputis faciem non abscondit: quòd vocatione sua nos ab æternis supliciis liberãs, tacitus flagella tolerauit: quòd inter angelorum choros perennes nobis honores tribuens, colaphos pertulit: quòd à peccatorum nos punctionibus saluans, spinis caput supponere non recusauit: quòd æterna nos dulcedine inebrians

brians, in siti sua fellis amaritudinem accepit: quòd pro nobis patrem, quamuis diuinitate esset æqualis adorauit; cum irrisione adoratus tacuit: quòd vitam mortuis præparans, vsque ad mortem, cùm ipse vita esset, peruenit. Cur itaque asperum creditur, vt homo à Deo toleret flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sana intelligentia, de percussione sua ingratus existit; si ipse hinc non sine flagello exiit, qui hìc sine peccato vixit?

Caput. XVI.



VÆ circa mortem & passionem Domini nostri IESV Christi notare potuimus, adhuc fecimus: nunc priusquàm ad ea quę circa resurrectionem ascensionemque eius notanda sunt accedimus, paucis ea notanda putauimus, quæ inter mortem & resurrectionem eius acciderunt: primùm circa personam ipsius Christi, deinde circa Apostolos, demum circa Iudæos, tum circa mulieres, quæ eum à Galilęa secutæ sunt.

PAsso & mortuo Christo, corpus quidem eius in cruce relictum est, ac postea in sepulcrum illatum; comitante illud ac nunquam deserente, diuinitate, quæ illud assumpserat, custodiente, ac non dante videre corruptionem sanctum Dei. Anima autem eius sancta, eadem diuinitate comite, vi & virtute eiusdem diuinitatis descendit ad inferos: vbi confitemur eandē Christi personam eo tempore & apud inferos fuisse, & in sepulchro iacuisse. Quamuis enim anima à corpore discesserit, nunquam tamen diuinitas ab anima vel à corpore separata est: quanquam & hìc symbolo detrahere Caluinus non erubescit, ac virtute potiùs quadam, ne ipsi quidem cognita, quàm animâ Christum ad inferos descendisse, & dolores inferni sustinuisse docet; contra illud, Quatenus erat impossibile teneri illum ab inferno & doloribus eius. Confiteamur ergo cum Ecclesia, eum ad inferos descendisse, vt ereptis spoliis dæmonum, sanctos illos patres, cæterosque pios è carcere liberatos, secum adduceret in cælum. Et ideo statim illius aspectus clarissimam lucem captiuis attulit, eorumque animas immensa lætitia gaudioque impleuit: quibus etiam optatissimam beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, impertiuit. Quorum omnium, quæ dicta sunt, semina sparsit & adumbrauit D. Petrus: Christus, inquit, semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis: vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritu veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ saluæ factæ sunt per aquam. Neque tamen diutius hanc escam infernus perferre potuit: sed ingenti cruciatu & dolore pressus, statim euomuit: & quemadmodum quondam Ionam prophetam & ministrum Dei, neq; mare, neque vterus ceti detinere potuit, sed statim in littus eiecit; ita neque nunc tam acrem medicum & medicamentum diu infernus continere potuit, sed ne completis quidem totis tribus diebus exclusit. Vnde pulchrè D. Petrus: IESVM Nazarenum, inquit, Deus solutis doloribus inferni exuscitauit: quibus verbis ostendit, etiam mortem, quum illum detineret, quasi

[margin: 1] [margin: 1. Pet. 3.]

quasi parturiisse, & acerbos dolores sustinuisse. Partum enim seu dolorem mortis parturientis, vetus testamentum, periculum & calamitatem appellat. Qui parturit, non detinet id quod detinetur: neque agit, sed patitur, & eiicere festinat. Rectè autem solutionem mortis, parturientis dolorem, resurrectionem appellauit: vt dicat, rupit & erupit, ex grauido & tumido, atq; parturiente ventre mortis, tanquam ex vtero quodam parturiente. Intelligendum puto, nimirum ex vinculis mortis & Orci recessibus ac penetralibus, seruatore Christo emergente ac prodeunte, tanquam ex partu peregrino resurrectionis: idcirco nimirum etiam vocatus est primogenitus ex mortuis. Illa igitur ipsa diuinitas, quæ nuper in cruce animam à corpore separauit, eamq; in pretium nostrum largè & munificè posuit, ac veluti quendam arcum dissoluit; hæc eadem nunc eum ipsum arcum iterum intendit, animamq; suo statim tertio die restituit corpori: & completum est illud Dauidis, Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Et illud Christi Domini. Ego pono animam meam, vt iterum sumam eam: & potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam. Et illud Oseæ: Ecce mors tua, ô mors, & morsus tuus ero inferne: vbi est victoria tua? vbi est aculeus? capta est in victoria tua. Subtiliores autem hac de re disputationes, scholæ relinquimus: Notas enim scribimus.

2 NOtat autem hoc loco doctrina christiana ea receptacula, quibus animę extra beatitudinem constitutæ, post mortem detinentur, vnius & eiusdem generis non esse omnia. Est enim teterrimus & obscurissimus carcer, vbi perpetuo & inextinguibili igne damnatorum animę simul cum immundis spiritibus torquentur: qui etiam gehenna, abyssus, & propria significatione infernus vocatur. Præterea est purgatorius ignis, quo piorum animæ ad definitum tempus cruciatæ expiantur, vt eis in æternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingreditur. Tertium postremò receptaculi genus est, in quo animæ sanctorum ante Christi domini aduentum excipiebantur, ibique sine vllo doloris sensu, beata redemtionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur. Horum igitur piorum animas, qui in sinu Abrahę saluatorem expectabant, Christus dominus ad inferos descendens liberauit. Et hæc quidem cum domino & magistro fiebant: cum seruis autem & discipulis quid? Petrum quidem apud Caipham respexit dominus: at ille recordatus verbi illius, abiit & fleuit amarè, atque in quandam speluncam se abscondisse dicitur, vbi sine cibo potuq; flens tantisper mansit, dum illi dominus apparuit: cuius ieiunium vniuersa orientalis ecclesia magnificè repræsentat, sed & nostri aliquando repræsentare solebant. Reliquos autem discipulos tristes, timidos, ac trementes, desperantes quasi, item in illo ipso cœnaculo, vbi cum Christo cœnabant, collectos delituisse, testantur sancti patres: formam & typum repræsentantes futuræ ecclesiæ, qualis post ascensionem domini vsque ad secundum Christi aduentum esse debuit.

3 POrro Synagoga quid? Pharisæi, Scribæ quid? lætantur, gaudent, sibi congratulantur, illud vbique inculcant: Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potuit: victus est, iacet. Quos etiam nunc imitantur illi, qui die sancto passionis domini lætantur, aut minus se honestè gerunt, cùm scriptum sit: Anima quæ non fuerit contristata die hoc, pereat de populo meo. Paulopòst, quod in peccato accidere solet, timere incipiunt (semper enim timidum sce-

lus) ad Pilatum vadunt: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens, Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulcrum, vsque in diem tertium: ne fortè veniant discipuli eius,& furentur eum,& dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Abeuntes autem munierunt sepulcrum, signantes lapidem, cum custodibus. Pòst vbi consilia sua succedere non vident, rem palam cerni vident, seseq; prodi, veritati diffisi, ad mendacium se conferunt, milites corrumpunt. Congregati principes sacerdotum cum senioribus, & consilio accepto, pecuniam copiosam militibus dederunt, dicentes: Dicite, quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. At quo profectu? Eo scilicet, quo ille facere solet, qui accensa face solis coruscum lumen extinguere aut obscurare vellet. Non diu gaudet malitia in scelere. Omnia enim hæc, quæ illi ad obscurationem nominis Christi facere voluerunt, ad illustrationem & propagationem relata sunt. Nam & custodia, & sigilla sepulcri, resurrectionem illius magnificè illustrârunt & propagârunt: & hæc ipsa custodum corruptio aliquid resurrectioni illius lucis attulit. Qui habitat igitur in cælo, irrisit eos, & dominus subsannauit eos. Pascha autem per minutiores sacerdotes credo eos immolasse. Vulgus quidem more suo in cōtrarias sententias abiit: alij quidem factum maiorum, vt fieri assolet, accusantes, alij defendentes: alij Christum impugnantes, alij contrà laudantes.

4 DE sanctis quidem mulieribus D. ipsum Marcum & Lucam audiamus. Maria, inquit, Magdalene, & Ioseph Maria, aspiciebant, vbi & quemadmodum positum erat corpus Iesu. Et reuertentes, parauerunt aromata & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum. Marcus autem, cùm transisset sabbatum, Maria, inquit, Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerūt aromata, vt venientes vngerent Iesum. In quarum pio & deuoto studio notandum est, abundasse in multis præ omnibus eas ipsas sanctas mulieres, & ideo dignas tanto resurrectionis nuncio fuisse: in multis tamen defecisse. Abundabant in eo, quòd eum à Galilæa vsque Hierosolymam secutæ fuerint: quòd crucem portantem sequerentur, & solarentur (quod rarum in mundo est) quòd crucifixo astiterint, matremque eius solatæ sint: quòd à mortuo non recesserint, quod item rarum est, quòd velut curatrices quædam eum sepelirint: quòd non verbis tantùm, sed re & opibus etiam eum iuuerint: quòd iacentem in sepulcro toties inuiserint. Deficiebant tamen in quibusdam: quòd illum corruptionem visurum, præter scripturam, nisi illum vnxissent putauerint: quòd de reuolutione lapidis dubitauerint: quòd timuerint, nec statim discipulis nunciauerint. Dicebant, inquit, ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et paulò pòst: Exeuntes, inquit, fugerunt de monumento: inuaserat enim eas tremor & pauor, & nemini quidquam dixerunt: timebant enim.

5 NOtandum, Christum mysteriaque fidei eius magno lapide inuoluta esse: quem quidem multi hæretici reuoluere voluerunt, nec potuerunt tamen: nec vnquam reuolui potest vi humana vlla, nisi à solo Deo, eiusque vnica sponsa sancta ecclesia. Respicientes viderunt reuolutum lapidem: erat quippe magnus valde.

Notandum,

6 NOtandum, Principes articulos symboli fidei nostræ nobis, non tam per homines, quàm per angelos traditos esse. Sic incarnationis dominicæ primũ: Concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: Hic erit magnus, & filius altißimi vocabitur, à Gabriele. Sic natiuitatis: Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est nobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid. Sic mortis & resurrectionis domini hoc loco: Iesum Nazarenum quæritis crucifixum? surrexit non est hic: ecce locus vbi posuerunt eum. Sic ascensionis domini, & futuri iudicij: Hic Iesus, qui assumtus est à vobis in cęlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Falsò igitur mentiuntur Iudæi, nos leues autores resurrectionis habuisse, mulierculas inquam aliquot: cùm idipsum angelis nunciis acceperimus. Factum est autem id, vt fides nostra, non in humanum aliquod testimonium, sed in Deum ipsum testem & autorem referatur.

7 NOtandum studium, & prompta voluntas erga nos angelorum, qui sic studiosè & alacriter partes salutis nostræ nobis nuncient: sed & illud simul, quid & nos illis debeamus, quem & qualem honorem, qui illud à nobis maximè requirunt, vt patris cælestis voluntatem faciamus, casta item & pura vita eos honoremus.

8 NOtandum cum Beda V. Quia meritò mouet, quomodo Marcus scribat, Et nemini quidquam dixerunt: quum dicat Lucas, Et regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus. Similiter Matthæus: Et exierunt, inquit, citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Nisi intelligamus, ipsorum angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, id est, respondere ad ea, quæ ab illis audierant: aut certè custodibus, quos iacentes viderunt. Nam illud gaudium, quod Matthæus commemorat, non repugnat timori, de quo Marcus dicit. Debemus enim vtrumque in illarum animo factum intelligere, etiamsi ipse Matthæus de timore non diceret: prius enim re non planè cognita timuerũt; deinde gauisæ sunt.

9 NOtandum, Christum Dominum primùm Mariæ Magdalenæ post resurrectionem se ostendisse, vt cui dimissa erant peccata multa, & quæ dilexit multum: deinde duobus in via, de illo profectò loquentibus: pòst vndecim. Sed quæ causa est, cur Christus Dominus non statim se omnibus palàm post resurrectionem ostendit, tàm suis quàm alienis, Iúdæis ac ethnicis? An quòd miraculum tantùm statim non potuissent capere, phantasmaq; esse putarent: an vt augeretur fides credentium, quæ non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum: an quod non omnes tanto dono digni erant: an propter œconomiam diuinam, quæ talis est, vt non simul se tota effundat, sed lentè & successu quodam rem explicet ac proponat. Quod in incarnationis mysterio vidimus, in prædicationis item, & nunc in resurrectionis videmus, Apostolorum item prædicatione.

10 NOtandum: Idem est à peccatis mortalibus obsideri, quod à dæmoniis: quod nunc docet Euangelium. Apparuit, inquit, Mariæ Magdalenæ, de qua eiecerat septem dæmonia: quæ quidem dæmonia scitè Theophylactus cum Beda V. explicat. Mulier hæc à septem dæmonibus curata esse memoratur, vt

vniuersis vitijs plena fuisse, sed ab his omnibus diuino munere mundata esse significetur: & vbi abundauit peccatum, superabundasse gratia monstretur. Septenarius namque numerus, pro vniuersitate, vel saltem multitudine poni mysticè solet. Quæ ergo à septem dæmonibus curata est, ab vniuersis vel plurimis liberata intelligitur sceleribus. Aut septem dæmonia, hoc est, vitia, quę repugnant & aduersantur spiritus sancti donis, spiritum insipientiæ, spiritum ignorantiæ, spiritum impietatis, inopiæ consilij, pusillanimitatis, spiritum extremæ confidentiæ & præsumptionis, & spiritum mendacij.

11 NOtandum: Qui verè amat, hic non tantum laudat & solatur, sed etiam arguit & exprobrat: quod nunc dominum in vltimo quasi à suis discessu, & profectione facere videmus. Nouissimè, inquit, recumbentibus vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

12 NOtandum, Ascensurum Christum dominum in cælum, familiæ suæ disponere, & futuræ ecclesiæ typum adumbrare: præpositos primùm constituere, Apostolos inquam & Apostolicos viros: subiectos deinde, omnem creaturam, hoc est omne humanum genus. Antea etenim dictum fuerat, In viam gentium ne abieritis: nunc autem, Prædicate omni creaturæ: vt scilicet prius à Iudæa Apostolorum repulsa prædicatio, tunc gentibus in adiutorium fieret, cùm hanc illa ad damnationis suæ testimonium, superba repulisset. Limites futuri regni & ecclesiæ, Ite in orbem vniuersum. Munera & functiones præpositorum, doctrinam cælestem docere, & sacramenta administrare. Prædicate, inquit, Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Addit alius: Docentes eos seruare omnia, quæcunque præcepi vobis. Arma & præsidia, quibus omnia vincant, non syllogismi, non eloquentia, non tela, aut argutiæ. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dęmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Vbi igitur hic talis cœtus erit, qui & tales præpositos habeat, & tantos subditos, & eos limites, & hæc munera, & talia præsidia; ibi erit vera ecclesia. Vbi non, contrà. Habebitque hoc loco concionator campum, de notis ecclesiæ eiusq; præpositis differendi, miraculis item.

13 NOtandum, Dominum Iesum verum Deum & hominem, in vna persona & duabus naturis in cælum ascendisse: quanquam propriè ex parte humanitatis ascenderit. Nam diuinitas eius nunquam à patre seiuncta fuit, iuxta illud: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.

14 NOtandum, Christum dominum sua virtute, non aliena vi sublatum ascendisse, quemadmodum Elias, qui igneo curru cælum inuectus est; vel Abacuc Propheta, vel Philippus diaconus; qui diuina virtute per aërem delati, lõginqua terrarum spatia permearunt: neque verò solum vt Deus, præpotenti diuinitatis virtute in cælos ascendit; sed etiam vt homo est. Quamùis enim naturali vi id fieri non potuerit; tamen virtus illa, qua beata Christi anima prędita erat, corpus vt libuit mouere potuit: corpus verò quod iam gloriam adeptum erat, mouentis animę imperio facile parebat. Notan-

15 NOtandum, Dexteram patris, non localem situm tantopere, quàm summam & extremam gloriam patris significare. Nam Deus pater, dextera corporea caret, cùm spiritus sit. Male igitur disputant ex hoc loco Zuingliani, sedet ad dexteram patris, ergo in Sacramento non est: cùm & in sacramento ipsa dextera patris esse posit. Hacq; ratione, ne in cælo quidem erit, cùm ibi naturalis locus non sit. Sedere autem hoc loco, non situm & figuram corporis significat, sed regię summęq; potestatis ac glorię, firmam & stabilem possesionem, quam à patre accepit, declarat: de quo ait Apostolus: Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cęlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed & in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius.

16 NOtandum, Ascensio Christi, triumphus eius est. Triumphans, inquit Paulus, illos in semetipso. Fuerunt autem magnorum imperatorum triumphi istę partes: currus triumphalis, præda, & captiuorum ante currus deductio, lictores & milites laureati, canticum epinicium, dona sparsa hominibus, amicorum comitatus. Omnes istę partes conspiciuntur in Christi triumpho. Currus triumphalis: Nubes, inquit, clara suscepit eum ab oculis eorum. Præda, natura nostra, illa inquam cui aliquando dictum fuit: Cinis es & in cinerem reuerteris. Et illud: Donec redeas in terram, de qua sumtus es. Et paulò pòst auditura: Sede à dextris meis: & quæ quodam mysterio, dum filium Dei sustulit ad cælum, ipsa portata est, & portauit. Captiuorum deductio, animarum sanctarum multa millia, ex limbo sedibusq; Diaboli rapta: quę non tam ad cælos Dominum euntem pręcesserunt, quàm comitata sunt gloriosè: non tam ante vehiculum ducta, quàm vexerunt saluatorem. Christus, inquit, ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem. Pro lictoribus laureatis, chori angelorum, canentium carmen triumphale illud: Attollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, & introibit rex glorię. Quis est iste rex glorię? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prelio. Attollite portas principes vestras, & eleuamini portę æternales, & introibit rex glorię. Quis est iste rex glorię? Dominus virtutum, ipse est rex glorię: vt annotat Areopagita. Dona triumphalia, dona spiritus sancti: Ascendens enim in altum, dedit dona hominibus. Et apparet nunc gloriosus vultui Dei: pro nobis & apud patrem aduocati officio fungitur. Comites, Discipuli & Apostoli sancti: Viri Galilęi, quid aspicitis in cęlum? Omnes igitur gentes plaudite manibus; iubilate Deo in voce exultationis. Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubę. Sed hactenus noster Leo S. Marcus.

Laus Christo Domino.



STANISLAI SOCOLOVII,

IN D. LVCÆ EVANGELIVM NOTÆ.



STANISLAI SOCOLOVI, NOTARVM IN D. LVCAM LIBER PRIMVS.

1 NOTANDVM: DVPLICEM ESSE DE D. LVCA EVANgelista veterum sententiam. Alij quidem putant, eum vnum ex septuaginta fuisse, à Christoque ipso edoctum & institutum; atque ex illis fuisse alterum, quibus Christus euntibus in Emaus apparuit, illisque scripturas interpretatus est. Alij arbitrantur, Lucam quidem ipsum Dominum non audiuisse, sed ex Petri atque Pauli doctrina, aliorumq; Discipulorum, adeoque matris ipsius Dei relatione, earum præsertim rerum, quę ad Conceptionem & Natiuitatem Iesu Christi pertinebant, conscripsisse. Posteriori sententię ipse subscribere videtur, vbi dicit: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ sunt rerum: Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Medicum hunc fuisse testatur scriptura: pictorem etiam posteriores tradunt, qui ad consulendum in posterum populo Christiano, imagines Christi, Matris Dei, principumq; Apostolorum pinxerit. Vocat illum D. Paulus comitem peregrinationis suæ, medicumque charissimum: cuius Euangelium, suum Euangelium, vt doctis placet, appellare solet: & cuius item laudem in Euangelio per omnes ecclesias esse testatur.

2 NOtandum: Duplici ex causa se Euangelium conscripsisse, testari Lucam. primùm, hæreticorum reprehendendorum ac conuincendorum causa, qui ipsi falsa ac mendacia Euangelia iam confingere cœperant: quod indicat his verbis: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, &c. Cerinthum atq; Ebionem intelligens. Vbi notandum est, iam statim à principio hæreses hæreticosq; multarum excellentium scriptionum causam fuisse, atque adeò in primis ipsorum Euangeliorum. Deinde vt ea quæ prædicabat, absentibus etiam æquè ac præsentibus traderet, atq; literis itidem ad perpetuitatem memoriæ consignaret: vtque rem certiùs & exactiùs confirmaret. Notat autem hanc posteriorem causam ipse Lucas, Vt cognoscas, inquit, eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Scripsit autem Euangelium suum, anno tertiodecimo post Ascensionem in cælos Christi.

3 NOtandum: Argumentum Euangelij sui, ipsum D. Lucam, primo capite actuum explicare: Primum quidem, inquit, sermonem feci de omnibus o Theophile, quæ cæpit Iesus facere & docere, vsque in diem, quæ præcipiens Apostolis, per Spiritum sanctum, quos elegit, assumtus est. Quod argumentum historia actuum Apostolicorum excepit.

4 NOtandum: Non solos quatuor Euangelistas, quibus nunc vtitur res christiana, Euangelium scripsisse; sed etiam alios multos partim Catholicos, partim Hęreticos: quod D. innuit Lucas his verbis: Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, &c. Tale Thomæ, Matthiæ, tale item Bartholomęi fuit Euangelium, tale Nicodemi, tale illud quod Nazarænorum dici-

tur: Ægyptiorum item, & illud quod duodecim Apostolorum inscribebatur. Ausus est etiam Basilides Euangelium scribere, quod dicitur secundùm Basilidem. Inter quæ, & ea quæ à quatuor Euangelistis sunt profecta, tanquàm boni numularij, inquit Ambrosius, Ecclesiæ Censura & iudicium intercesit: vt hęc quidem legantur, & pro Canonicis & Apostolicis libris habeantur, pro ipsoq; puro & puto verbo Dei; alia reiiciantur, ac pro apocryphis habeātur. Quanquàm ex illis quidē Apostoli, ac illi qui Christum viderunt & audierunt, aliqui habebantur oculati, vt dicitur, testes, qui viderunt, audierunt ipsi, & manibus suis contrectârunt. Ex his autem pars vna illorum fuit, qui neq; illum viderūt, neque audierunt; qualem Marcum & Lucam fuisse legimus: vt omnino in posterū tempus dogma detur, censuram & iudicium de scriptis authenticis & apocryphis penes Ecclesiam esse: iuxta illud Augustini in exempla fundamenti, Euangelio non crederē, nisi me autoritas Ecclesię permoueret. Pulchrè autem notat D. Ambrosius, Ecclesiam cùm quatuor Euangelij libros habeat, per vniuersum mundum Euangeliis redundare: hæreses cùm multa habeant, vnum non habere: Multi enim conati, sed Dei gratia destituti sunt.

5 NOtandum, Non traditionem ex scriptura, sed scripturam ex traditione profluxisse, illamque pro fonte & origine haberi. Quod clarè hoc loco docet ipse D. Lucas: Sicut inquit tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.

6 NOtandum, Autores traditionum & dogmatum non qualescunque esse debere, sed eos tantùm, qui ipsi viderunt, qui negotiis interfuerunt, qui manibus palpauerunt suis: quales se Euangelij autores habuisse testatur D. Lucas: Qui inquit ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Erubescat igitur hæresis, quæ nunc orta, heri & nudius tertius de portis inferi prodiens, his talibus autoribus ac vniuersæ venerandæ antiquitati præiudicare non erubescit.

7 NOtandum: Non inutiliter nonnunquam ea, quæ viua voce docentur, literis posteà ad posteritatem transmittuntur. Quod nunc se fecisse testatur D. Lucas: Visum est & mihi, assecuto omnia à principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theophile; vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.

8 NOtandum, D. Lucam in præsenti opere, multa cū aliis euangelistis communia, multa item propria habere. Propria illa sunt, de ortu & natiuitate Ioannis Baptistæ, de incarnatione filij Dei, de visitatione Elisabethæ, de natiuitate Christi, de Samaritano item, de filio prodigo, de Lazaro, de discipulis euntibus in Emaus, & alia multa: communia item non pauca. Placuit igitur nobis sequi D. Chrysostomum: ac in his quidem quæ propria sunt, paulò diutius immorari, eaq; diligentius explicare: ea autem quæ communia erunt, ne eadem sępius repetantur, & ne acta, vt aiunt, agantur, vel prætermittere, vel modicè attingere.

Caput

Caput I.

1 OTANDVM, Veri solis ac luminis ortum explicaturum Euangelistã, ab auroræ ac Luciferi ortu, Ioannis inquam prosapia ac natiuitate, id ordiri: vt dignitas & excellentia præcursoris, testis & magistra sit maiestatis ipsius aduentantis Regis & principis. Præclarè enim Chrysostomus: Multæ inquit, stellæ ante lucem præcedunt, nunciantes lucis aduentum: nulla tamen earum Luciferi nomen habere meruit, nisi vna, quæ cum ipsa luce procedit: sic omnes prophetę ante faciem Christi præcedunt, nunciantes aduentum eius: solus autem Ioannes præcursor appellandus: quia non solùm aduentum eius annunciauit, sed ipsum illum digito suo ostendit. Orditur autem dignitatem ortus & prosapiæ præcursoris, ab ipsorum parentum dignitate; quos plena laudatione ornat; quæ genus, mores, officium, factum, iudicium comprehendit. Genus in maioribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in iustificatione iudicium.

2 NOtandum: Principium nobilis sobolis primò ponit: Fuit, inquit, in diebus Herodis Regis Iudęæ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elisabet. Gens magnifica, Aaronico sanguine orta, per multam successionem ac continuationem ab Eleasar vsq; ad Abiam perducta, ac ipsius Mesiæ generi coniuncta. Vbi illud obseruandum est, in lege veteri genus & propaginem non in mediocri laude fuisse, propter futuras successiones prophetarum, sacerdotum, atq; adeò ipsius Regis Mesiæ: quod in lege noua iam non item fit; in qua successio est, non carnis, sed spiritus; & in qua homines non terræ, sed cælo nascuntur. Et illud decretum Dei stat & manet: Absit hoc, inquit dominus ad Eli, à me, vt domus tua & domus patris tui ministret in conspectu meo in sempiternum: sed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Vanum est igitur eorum concionatorum studium, qui pro concionibus funebribus libros generationum ac stemmatum texunt, res in Christiano populo planè vanas.

3 NOtandum, Nobilitatem esse veram & vnicam virtutem. Quod videns Euangelista, statim post tribum & originem Ioannis, parentum mores & virtutem eorum recenset: Erant, inquit, ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini, sine querela. Nec qualécunq; vulgarem aut fictam illorum virtutem & iustitiam commendat, quæ vanis & fallacibus iudiciis, ac oculis hominum imponere posit; sed ipsius Dei iudicio & oculis, quos nihil fictum, nihil simulatum decipere potest, subiectam. Erant, inquit, ambo iusti ante Deum, cuius oculi iudicant æquitatem: & ita iusti coram Deo; vt iidem tamen essent sine querela coram hominibus. Ita vt illud D. Pauli complerent: Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.

4 NOtandum, Conuinci ex hoc loco Caluinum, & eos omnes, quos ille secutus est, & quos decepit, dicens iustitiam nostram nullam esse, iustum neminem coram Deo reperiri posse, omnia opera nostra esse pannũ menstruatę.

Cui

Cui nunc planè contrarium docet D. Lucas: Erant, inquit, ambo iusti ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. Et si enim id verum est, iustitiã nostrã, quâ cælitus à patre luminũ profecta non sit, quæ fide non nitatur, quam mors & meritum Christi non commendet, nullam esse: qui tamen hæc, tanquàm fundamenta iustitiæ suæ iecerit, de hoc meritò dicas: Erat iustus ante Deum, quod nunc de Zacharia & Elisabeta verissimè dici audimus, quod iam olim de Noë, primo quasi generis humani ab aquis seruatore, ab ipso Deo dictum est: Ingredere in arcam, quia te vidi iustum coram me in generatione hac.

5 NOtandum, Veræ iustitiæ, secundùm D. Lucam, has esse partes: incedere in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini, sine querela: contrà quàm mentiuntur Caluinus & Lutherus, qui ab omni mandatorum ac iustificationum Domini obseruatione iustitiam remouent. Nam de politica & ciuili iustitia aliqua hæc dici, vt nugari solent, falsum est, cùm hæc particula adiuncta sit, Coram Domino. Similibus partibus veræ iustitiæ ornatur primus credentium pater Abraham: Dabo, inquit Dominus ad Isaac, posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obediuerit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta mea, & mandata mea, & ceræmonias legesque meas seruauerit. Vbi itidem merita sanctorum mortuorum viuis prodesse, clarè perspicitur.

6 NOtandum, Solenne esse magnis viris, & his quos ad præcipuum quoddam opus Deus designat, ex sterilibus nasci, atque his qui procedunt in diebus suis: vt quibus sterilitas filios denegat, pietas diuina concedat. Sic Isaac prima patris credentium soboles ex Sara sene & sterili, ac planè emortua natus est: Sic Samuel Maximus propheta ac Regum vnctor & coronator: sic fortissimus Samson, ex sterilibus ac ætate confectis parentibus nascuntur: sic nunc Ioannem, quo non maior inter natos mulierum natus est, nasci videmus. Et non erat inquit eis filius, eò quòd esset Elisabet sterilis, & ambo processissent in diebus suis. Sic postea in Populo Christiano alij multi nati sunt: quod vel propter miraculum fit, vel vt agnoscatur, tales viros non à natura, sed à gratia dari; vt & eo magis honorentur, & maior illis fides habeatur; tum & ipsi & parentes eorum sciant, maiores Deo gratias agere, gratique esse: Conuenientissimè autem ille ex decrepita & sterili anu nascitur, qui illum prædicturus erat, ac quasi digito monstraturus, qui præter omnes naturæ leges ex virgine nasci debuit.

3 7 NOtandum, Prosapiam & dignitatem parentum Ioannis, officium illorũ sequi, ab illoque amplitudinem Zachariæ demonstrari. Factum est, inquit, cùm sacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine vicis suæ, ante Deum, secundùm consuetudinem sacerdotij. Clarè apparet, magnam semper tam in lege naturæ, quàm in lege scripta, amplitudinem & dignitatem sacerdotij, & in magno cultu & honore fuisse: eosque ad offerenda pro se & pro hominibus dona & sacrificia, designari solitos, præter nouos Gigantes hæreticos, qui omnia diuina & humana confuderunt, nec ampliùs confundere desinunt.

8 NOtandum, per Moysen quidem à Domino vnum constitutum fuisse summum sacerdotem; cui mortuo vnus per ordinem vt succederet, iustum est:

eſt: & hoc ad Dauid vſque tempora ſeruatum, à quo plures fieri, Domino nihilominus agente decretum eſt, qui viciſsim miniſtrantes, tempore vicis ſuæ ſinguli caſtimoniæ ſtudeant, domumque ſuam omnino non tangerent. Vnde nūc Zacharias in ordine vicis ſuæ ſacerdotio functus aſſeueratur: Factum eſt, inquit, cùm ſacerdotio fungeretur Zacharias, in ordine vicis ſuæ, ante Deum, ſecundùm conſuetudinem ſacerdotij. Vnde illud colligitur, ſacrificia & cultum Dei, ita cum caſtitate eſſe coniuncta; vt ab ea nullo modo poſsint ſeparari; ſi non perpetua & perenni, tamen ad tempus certum. Sic Dauid ad panes propoſitionis non ante admittitur, quàm & ſe & pueros ſuos à mulieribus mundos eſſe profeſſus fuerit. Sic D. Paulus reddere vxori debitum iubet, prȩterquàm orationis & ieiunij tempore: ac eodem modo virginem, quæ nupta ſit, perfectè deuotam eſſe non poſſe, quia diuiſa ſit, illudque cogitat, quomodo placeat viro, & non tantopere Deo. Eamque ob cauſam Eccleſia Catholica ſacerdotes ſuos ſemper caſtos eſſe vult, vt quibus ſemper orandum & offerendum ſit. Ridet & calcat hæc omnia ſtulta & fœda hæreſis.

9 NOtandum, pro tempore & loco, incrementis item & copia rerum, vſu item ac neceſsitate, externos ritus ac cerȩmonias ſine crimine mutari, quorum tamen finis ac vſus idem permanet. Per Moyſen quidem Deus, ritus, ſacerdotum cerȩmonias, ac leuitarum ordines conſtituerat. At hæc poſtea duplo auxerat Dauid, auxerat & Ioſias rex, laudante & approbante eorum inſtituta Deo. At nunc nihil creſcere, nihil excoli, nihil illuſtrius vult fieri hȩreſis.

10 NOtandum, Nomen templi, in ſacra ſcriptura, dupliciter vſurpari: aliquando pro toto circuitu, quo ipſum templum & atria continebantur, quæ partim clauſa, partim aperta erant: aliquando propriè, pro ipſo clauſo templo, quod ſanctis, & ſanctis ſanctorum continebatur. Priore modo accipitur Matth. 21. Mar. 11. Luc. 19. Ioan. 2. vbi Chriſtus omnes ementes & vendentes eiicit, quod non niſi de atrio exteriori intelligi poteſt. De poſteriore, hic locus intelligendus eſt, Et Pauli ad Hebræos quàm plurima.

11 NOtandum, Fuiſſe partes domus domini, operis perfecti, vniuerſo orbi admirabilis, in quo poſuerat Deus nomen ſuum in ſempiternum: ſancta ſanctorum primùm, quæ gentiles ipſi grande gentis arcanum, appellare ſolebant, in quæ ſolus ſummus Pontifex ſemel in anno ingrediebatur, idque non ſine ſanguine. Deinde ſancta, in quȩ item non niſi ſacerdotes ſoli, idque per vices ſuas ingrediebantur. Habebant hæc in medio altare æneum aureis laminis contectum, in quo thymiama, cuius modus & ratio ab ipſo Deo præſcripta fuit, adolebant: vocabatur hoc altare Thymiamatis: & hæ ipſæ partes templi tectæ erant, & propriè templum vocabantur. Tertiò, ſequebatur veſtibulum templi, iam non tectum. Quartum erat atrium prius Leuitarum, in quo erant luteres decem, in quibus lauabantur & præparabantur hoſtiæ. Erat mare æneum in quo ſe ſacerdotes ad altare acceſſuri lauabant. Altare item maius, in quo hoſtiæ offerebantur. Vltimò fuit atrium maius, in quo Rex, Senatus, & vniuerſus populus orare, votaq; ſua cum Leuitis & Sacerdotibus à longè coniungere ſolebat. Zacharias igitur ab Aaron ortus, ſacerdotio fungens in ordine vicis ſuæ, ante Deum, in ſanctis adolebat incenſum, iuxta pactum æternū: Aaron vret thymiama ſempiternum coram domino, in generationes veſtras:

Populus

Exod. 30. Populus autem erat orans foris, hoc est, in ſecundo vſque atrio, hora incenſi, quod bis in die fiebat, mane & veſperi. Vnde colligimus, quanto cultu, & reuerentia ſacra ſua obiri, domum ſuam haberi, pater ipſe cæleſtis voluerit. Vbi reges ac vniuerſus populus, ex vltimo vſque atrio ſacra proſpectare, votaq; & ſupplicationes ſuas,cum votis ſacerdotum,à longè coniungere ſolebant. Nos, Deum immortalem, in aras ipſas & altaria ruimus, equis & accipitribus nonnunquam ac canibus comitati. Aſt in illo templo, quod ſic à longè reges ac duces aſpiciebant, nihil præter arcam, in qua Manna tantùm, & virga Aaron tabulæque legis continebantur, fuerat; in hoc autem altari, in hacque huius noui templi arca, ipſum viuum corpus & ſanguis Ieſu Chriſti, veri Dei & hominis, ante ora vultusq; noſtros propoſita iacent. Potéſtne maior ſacrorum vulgatio, aut magis quid profanum, maiorque abominatio deſolationis apparere? Et ideo nullum lætum aut deſideratum votorum noſtrorum conſequimur effectum: vtpote qui ſemper vno peccato, irreuerentiæ ac ſacrarum profanationis aucti, de templo diſcedamus. At non eadem dona, non eędem gratiæ ex veteri illo templo referebantur. Præſens ibi aderat virtus Spiritus ſancti quæ Prophetas afflare ſolebat: præſens gloria domini, quæ de omnibus ſecūdis, & aduerſis rebus eos commonebat: præſens reſponſum & conſilium domini, quid agendum aut quid declinandum, tam priuatim, quàm publicè foret: Præſentia angelorum, monita & oracula, ex quibus hoc vnum eſt: Apparuit autem illi angelus domini, ſtans à dextris altaris incenſi.

12 NOtandum, Quartum caput dignitatis parentum Baptiſtæ, quòd digni fuerint aſpectu & nuncio angelico.

13 NOtandum eſt, vſitatum eſſe, magnorum virorum, & illorum qui facere debebant domino plebem perfectam, ab angelis parentibus natiuitates denuntiari. Hoc modo Abrahę & Saræ coniugi eius, Iſaaci natiuitas prædicitur: Gen. 17 Sara vxor tua, ait Deus ad Abraham, pariet tibi filium, vocabisq; nomen eius Iſaac: & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius Iudic. 13. poſt eum. Hoc modo matri Samſonis,vxori Manuę: Sterilis,inquit,es, & abſque liberis: Caue ergo ne bibas vinum & ſiceram,nec immundum quidquam comedas: quia concipies & paries filium, cuius non tanget caput nouacula: erit enim Nazaręus Dei ab infantia ſua, & ex matris vtero: & ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſtinorum. Luc. 1 Quod idem nunc in natiuitate Ioannis fieri videmus, & poſtea in aliis multis ſanctis legimus: vt illud doceatur, angelos ſpiritus adminiſtratorios eſſe, præſertim earum rerum, quæ ad ſalutem noſtram pertinent; atq; inde, quantum Deus humanum genus dilexerit, perſpiciamus: eamque natiuitatis ſanctorum hilaritatem eſſe,vt angelos etiam ipſos exhilaret: quam hæretici contemnere & deridere ſolent. Notat autem hoc loco Origenes, ſiue Deum ſiue angelum Abrahę vel Zachariæ, cùm voluerit vel noluerit aut non apparere aut apparere: et hoc non tantùm in præſenti ſeculo dicimus, ſed etiam in futuro, cùm migrauerimus de mundo: quod non omnibus vel Deus vel angeli appareant, quòd ſcilicet & angelos & Spiritum ſanctum, & dominum ſaluatorem, & ipſum Deum patrem, is qui de corpore exierit, ſtatim mereatur videre: ſed ille tantùm videbit, qui mundum habuerit cor; & talem ſe præbuerit, vt dignus Dei ſit aſpectu, &c.

14 NOtat Theophylactus differentiam eius oraculi, quod à vero & bono angelo

gelo prouenit, à dæmonum apparitionibus & imposturis. Si enim à principio statim turbatur intellectus, ac à perturbatione incipit visio, & ad extremum consistit ac se colligit, soluto pedetentim metu, tum reuera diuina est apparitio. Si autem magis ac magis intenditur metus ac perturbatio, tum visio illa à dæmone proficiscitur. Qua de re plura in sermone 3. Nuntij nostri ipsi scripsimus.

15 NOtandum, quærere hoc loco solere sanctos patres, quomodo exaudita sit oratio Zachariæ, cùm ille non sibi prolem, sed populo salutem & redemtionem petiuit? Cui respondit quæstioni primùm V. Beda: Deprecationem, inquit, exauditam, partum continuò promittit vxoris, non quòd ille, qui pro populo oblaturus intrauerat, relictis publicis votis, pro accipiendis filiis orare potuerit; præsertim quia nemo orat, quod se accepturum desperat. Adeò autem ille iam, suæ ætatis, & infœcundę coniugis memor, nasci sibi filios desperabat, vt nec angelo hoc promittenti crederet. Sed quod dicit, Exaudita est deprecatio tua, pro populi redemtione significat. Quòd verò adiungit, Vxor tua pariet tibi filium, eiusdem redemtionis ordinem pandit, quòd videlicet natus Zachariæ filius redemtori illius populi pręcurrendo, sit iter facturus. Deinde Theophylactus: Oratione sua, inquit, non prolem sibi, sed populo remissionem peccatorum precabatur Zacharias, & proinde talem erat procreaturus filium, qui proclamaret: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Conueniunt autem & verba angeli ad Zachariam: Exaudita est, inquit, deprecatio tua, pro remissione peccatorum populi: eum namque progenerabis filium, per quem futura est peccatorum remissio. Nos quasi coronidis causa illud adiicimus, quòd qui publicam salutem seriò & ex animo curat, eamq; à Deo Optimo Max. implorat, hunc eundem sua priuata, etiamsi illa non exprimat, facile consequi.

16 NOtandum, Singularis meriti iudicium dari, quoties hominibus à Deo imponitur nomen, vel mutatur. Sic Abram, quia pater multarum gentium erat futurus, Abraham est vocatus: sic Iacob, quia Deum vidit, Israël appellari meruit: sic Iosias Rex, ob eximię virtutis culmen, nominatus à Deo est, multò antè quàm natus. Ioannes ergo interpretatur, in quo est gratia, vel domini gratia. Quo nomine declaratur, primò parentibus eius gratiam, quibus decrepitis filius nasceretur, esse donatam: deinde ipsi Ioanni, qui magnus coram domino futurus, & adhuc ex vtero matris, Spiritus sancti sit munere ditandus: postremò etiam filiis Israël, quos ad dominum Deum ipsorum erat conuersurus,

17 NOtandum, cùm amplius angelus vidisset Zachariam submœstiorem, ac perturbatum, amplius eum solatur, non esse causam, cur mœreat, cur perturbetur: hunc enim ipsum filium, futurum illi gaudio: nec qualicunq; gaudio, sed exultationi, quæ ab exiliendo dicitur, vbi aliquis præ gaudio saltat & salit. Si enim filius sapiens lætificat patrem, quanto magis hic parentes lætificare debuit, qui repletus erat Spiritu sancto, ex vtero matris suæ; & qui ipse in ventre materno, præ gaudio exultauit & saliit? Ecce, inquit, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans præ gaudio in vtero meo. Illo inquam gaudio, quod mundus neque dare, neq; auferre potuerit: quo gaudio aliquando perfusus ac plenus venerandus hic senex, in illum omnibus seculis

celebrandum hymnum eruperat: Benedictus dominus Deus Israël, &c. Neq; tamen hoc gaudium & exultationem talem futuram esse dicit, quæ illis tantum propria sit, & quæ intra illos contineri debuerit, sed longè latius fusiusq; hoc ipsum gaudium extendendum esse. Et multi, inquit, in natiuitate eius gaudebunt: non alia causa, quàm quòd visitauerit Dominus, & fecerit redemtionem plebis suæ, & erexerit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Et in istius quidem natiuitate, multi gaudere debebant: venturus autem erat paulò pòst, cuius natiuitas debebat esse gaudium vniuerso orbi. Annuncio vobis, ait itidem Angelus, gaudium magnum, quod erit omni populo.

18 NOtandum, Promissa Dei firma, valida, & efficacia esse, nec vnquam vlla re perturbari & interrumpi. Dicit nunc Angelus: Et multi in natiuitate eius gaudebunt: à quo dicto intercesserunt iam mille quingenti & amplius anni, & non extitit vnus, in quo natiuitatis tanti Prophetæ dies incurrerit, & incurrat adhuc, quo non gaudeant multi, nec apud populum christianum tantùm, sed apud Iudæos etiam, & Mahumetanos: apud istos enim omnes, magnum nomen Ioannis est, magnum ex natiuitate gaudium. Multi igitur in natiuitate eius gaudebunt: ea est verbi Dei efficacia & veritas. Prædixit eadem scriptura: Qui bona egerunt, ituros in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum: non fallet profectò.

19 NOtandum: Vbi Euangelista præcursorem domini, à natalitiis eius satis præclaris, laudasset; vbi item à nouo, & inusitato genere natiuitatis, eaq; lætitia, quæ eam natiuitatem consecutura erat: nunc iam angeli ore, ex ipsius personæ adiunctis & functionibus, illum laudare incipere. Ex quibus adiunctis hoc primum est: Hic, inquit, erit magnus. Magnus, vt parentes: quia coram domino, vt & illi. Maior tamen quàm parentes, quia Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero. Magnus genere, quia ex magnis coram domino. Magnus modo natiuitatis, quia priusquam natus esset, sanctificatus est. Magnus prædictione Prophetarum Isaię & Malachię: Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam. Et Isaias: Vox, inquit, clamantis in deserto, parate viam domini, rectas facite semitas eius. Magnus vita: Vinum & siceram, inquit, non bibet. Et Matthæus: Ioannes, inquit, habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos. Esca autem eius erant locustę, & mel siluestre. Magnus functionibus: erat siquidem angelus: Ecce ego mitto angelum meum. Erat Propheta: sed plus, teste saluatore, quàm propheta. Erat virgo, nesciens labem niuei pudoris. Erat Confessor & Eremita: Puer, inquit, crescebat, & erat in desertis, vsque in diem ostensionis ad Israël. Et Matthęus: Venit, inquit, Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudæę. Martyr denique: Misso enim Herodes spiculatore, præcepit adferri caput Ioannis in disco, & decollauit eum in carcere. Magnus munere & officio: Vox clamantis in deserto, parate viam domini: Præcursor magni regis, testis luminis: Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine: Aurora veri solis: Amicus sponsi: Baptista sancti sanctorum. Magnus ad extremum exitu & morte, quam pro veritate & iustitia magnificè sustulit. Verè igitur Magnus; & ita magnus, vt non maior quisquam illo inter natos mulierum sit inuentus.

20 NOtandum: Dabitur quidem paulò pòst idem Magni titulus futuro Messiæ,

siæ, sed non eodem modo. Illic enim dicit Angelus: Et erit magnus simpliciter, quod soli Deo est proprium: Magnus inquit Dominus, & magna virtus eius, & magnitudinis eius non est numerus. De hoc autem dicit, Hic erit magnus, sed coram domino. Est autem coram domino, inquit Ambrosius, magnitudo animę, magnitudo virtutis: Paruulus in seculo, magnus in spiritu: qui nec vitę captus illecebris, sententię constantiam viuendi desiderio mutauit. Magnus igitur coram domino, qualis solet esse primus Reipub. princeps coram Rege suo, princeps familiæ coram hospite suo. De quali magnitudine scribitur in libro Ester: Homo, quem rex honorare voluerit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet & dicat: Sic honorabitur, quemcunq; voluerit Rex honorare. Magnus igitur, sed vt vox coram verbo, præcursor coram principe, seruus coram domino. Hic quasi homo magnus, inquit Ambrosius: hic quasi Deus magnus. Huius magnitudo habet principium & finem: Dominus Iesus ipse principium & finis. Dictus est etiam Samson ab angelo magnus, sed fortitudine: magnus Absolon, sed pulchritudine: magnus Salomon, sed sapientia.

21 NOtandum, Primum adiunctum hoc D. Ioannis posuisse angelum, futurum magnum coram domino. Quid autem sit, esse magnum coram domino, quoniam non ita clarum fuit, sequentibus aliis adiunctis & laudibus explicare. Ex quibus hoc primum est: Vinum, inquit, & siceram non bibet: quod item quondam prædictum fuit de Samsone similiter in ortu & conceptione eius. Dum autem dicit, siceram & vinum eum non bibiturum, id significare vult, eum in omni parte vitę suæ continentissimum futurum, duram quandam & rigidam vitam ducturum; nulli se voluptati dediturum, sed sanctè, piè, ac sobriè vniuersam vitam traducturum. Oportuit enim, inquit D. Ambrosius, prædicantem in deserto cælestia gaudia, terrenas ex integro spreuisse delicias. Vnde primum notandum est, turpiter Magdeburgenses, Caluinum, & cæteros eiusdem farinę viros errare, an potius mentiri, dum dicunt Ioannem Baptistam vulgarem quandam & communem vitam, delicatam etiam, si placet, vixisse. At non idem pollicetur nunc Angelus, rarum & nouum quid prædicens: Vinum, inquit, & siceram non bibet. Siceram autem exponit V. Beda: Sicera, inquit exponitur ebrietas: quo vocabulo Hebræi omne quod inebriare potest poculum, siue de pomis, siue de frugibus, seu de qualibet alia materia confectũ, significant. Deinde & illud hoc loco obseruandum est, falsò docere hęreticos, ieiunia, corporis macerationes, ac omnem vitę continentiam, omnia deniq; bona opera, coram oculis Dei nullam dignitatem aut meritum habere, nullam partem iustitię constituere, pannum menstruatę mulieris esse: cùm hoc loco clarè contrarium angelus doceat: Erit, inquit, magnus coram domino: Cur ita? aut quo merito? quia, inquit, vinum & siceram non bibet, &c. Obseruandum est & illud vltimò. Quanta sit dignitas & pretium sobrietatis, omnisq; vitę continentię, si quidem sit præcipua pars eius ipsius rei, vt magnus quis sit coram domino: qualis item Samson, Elias, Ieremias & Rechabitę fuerunt. Quod si ea est maiestas & dignitas sobrietatis & continentię, incontinentes profectò ebriosq; & temulentos, non tantùm paruos esse coram Deo, sed nullos etiam. Non mirum igitur est, Germanicam hæresin non pro-

ficere, sed in deterius semper prolabi, quia semper ebria & temulenta est.

NOtandum: Tertiam excellentiam & laudem D. Ioannis prædici, quod ex vtero de Spiritu sancto replendus sit. Simile quid de Ieremia Propheta legimus: priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua sanctificaui te. Ad quod rectè intelligendum, illud obseruandum est, eam esse legem post peccatum primi Adami, vt quicunque ex eo propagati fuerint, omnes in peccato concipiantur, & in peccatis, iuxta Psalmistam, concipiat eos mater eorum. Quemadmodum autem omnes in iniquitatibus concipimur; ita similiter & nascimur filij iræ, filij gehennæ, donec in lauacro aquæ regeneremur, ac ex filiis vindictæ, filij Dei efficiamur. Retulit contra eam legem primum & summum ac plenum priuilegium Christus dominus, qui nec in peccato conceptus est, nec in peccato natus: vtpote qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed opera Spiritus sancti natus est, & conceptus est: qui ad delendum peccatum Adami in mundum venit: & in quo princeps mundi nil suum reperire debuit. Retulit & beatissima virgo Maria, non iam vi & natura sua, vt Christus dominus, quæ similiter via naturæ concepta fuit, sed dono & gratia, præseruatione & custodia Spiritus sancti. Tulit item & præcursor Ioannes, Ieremias etiam, sed non iam eodem modo; verùm cùm similiter vt cæteri in iniquitatibus & peccatis concepti essent, in vtero tamen priusquam nati essent, priusquam lucem hanc aspexissent, sanctificati, atque Spiritu sancto repleti sunt, magno dono & priuilegio. Ex quo loco illud primum notandum est, eum qui Christum prædicaturus est: sanctificari debere, Spiritu sancto repleri: & ideo vita quadam sancta & angelica, quæ tantis donis & priuilegiis digna sit, opus habere. Deinde illud obseruandum, vehementer Anabaptistas atque adeò Caluinum errare, qui putant ex parentibus christianis liberos iustos nasci, & ideo non statim baptismo opus habere: & si aliquando non baptizentur, saluari: contra claram scripturam sanctam: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intraturum in regnum cælorum: & quod ex carne nascitur, carnem esse: Et contra hunc præsentem locum, qui hoc dono & priuilegio, non communi lege, & Ioanni & Ieremiæ tributum esse docet. 21

NOtandum, Quartam excellentiam & dignitatem referre angelum eiusdem ipsius præcursoris: Et multos, inquit, filiorum Israël conuertet ad dominum Deum ipsorum. Quod iam tunc impletum esse docent Euangelistæ, cùm egrederetur ad eum omnis Iudæa, & circa Iordanem regio, & Hierosolymitę vniuersi, & baptizarentur ab eo in Iordane flumine, cofitentes peccata sua. Vbi primum animaduertendum est, iam tum multos filiorum Israël auersos fuisse à domino Deo ipsorum: indeq; mirum non esse, quòd neque ipsum Ioannem ita multi, vt par fuit, neq; item Regem ipsum Messiam susceperunt, aut coluerunt. prauę enim & corruptę erant vię ipsorum: ipsiq; multi auersi à domino Deo suo. Ita malam vitam mala fides, maliq; de corrupta religione sensus consequuntur. Secundò obseruandum & illud, magnam & eximiam dignitatem esse coram domino, conuertere peccatores, & eos qui auersi sunt à domino Deo suo: quod nunc in magna laude D. Ioanni adscribitur, Et multos, inquit, filiorum Israël conuertet ad dominum Deum ipsorum. Et apud Danielem 22

Daniel. 12.

elem eorundem laus mirè prædicatur: Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splẽdor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Vnde singularem concionatores consolationem referre vult. Nam sicut colonus, quamuis de suo munera obtulerit domino, non sic eum placat, quomodo si de vinea ipsius domini reditus ei obtulerit: sic & sacerdos, non tantum propter iustitiam suam placet domino, quantum si populum Dei in sanctitate docuerit: quoniam ipsius iustitia vna est, populi autem multiplex. Quemadmodum autem tale & tantum est meritum eorum, qui conuertunt aliquos ad dominum Deum ipsorum; ita ex altera parte cogitare debent homines scandalosi, hæretici, errantes & alios in errorem inducentes, quali se scelere obligent, dum vel exemplo, vel doctrina praua alios seducunt, & à domino Deo ipsorum auertunt. Vltimò & illud animaduertendum, Ioannem fuisse præcursorem Iesu Christi, eique viam præparasse, ad eumq; multos filiorum Israël conuertisse: atqui hunc eundem nunc angelus Deum & dominum Israëlis vocat, illum ipsum τετραγράμματον. Ergo hic ipse Iesus Christus est verus Deus, verus dominus: quod paulò fusius pater huius ipsius præcursoris demonstrabit: Benedictus dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ.

23 NOtandum, Quintam excellentiam & dignitatem Baptistæ, quòd præcessurus sit Regem Mesiam, in spiritu & virtute Eliæ: non cuiusuis prophetæ, sed eius qui viuus in cælum raptus est, & qui duplicem spiritum Elisæo successori suo reliquerat. Obseruandum autem est hoc loco illud singulare, eum honorem sacræ scripturę & verbis prophetarum habere angelos, vt quoties aliquid generi horum diuinitus annunciare volunt, id potius sacrę scripturæ aut prophetarum vocibus repetere, quàm suis: idq; pro reuerentia diuinæ maiestatis. Sic Gabriel angelus conceptionem filij Dei virgini sanctæ denuntiaturus, Isaiæ verbis ad eam rem vsus est: Ecce virgo concipies & paries filiũ, & vocabis nomen eius Iesum. Et hoc loco idem Gabriel, Ioannis excellentiam Zacharię prędicens, vtitur Malachię verbis: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies domini magnus & horribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum. Qua autem ratione Ioannes in spiritu & virtute Elię Christum antecesserit, explicat D. Ambrosius: Ideo, inquit, fortasse in spiritu & virtute Elię, quia sanctus Elias & virtutem magnam habuit, & gratiam, vt ad fidem animos populorum à perfidia retorqueret, virtute abstinentię atq; patientię, & spiritu prophetandi. In deserto Elias: in deserto Ioannes: ille coruis pascebatur, hic dumis: & calcata omni voluptatis illecebra, parsimoniam prætulit, luxumque contemsit. Ille Achab regis gratiam non quæsiuit, hic spreuit Herodis. Ille Iordanem diuisit: hic ad lauacrum salutare conuertit. Hic cum domino versatur in literis, ille cum domino apparet in gloria. Hic prioris, ille sequentis dominici præcursor aduentus. Ille post triennium pluuiis terram rigauit: & hic post triennium arescentem nostri corporis humum fidei imbre perfudit.

24 NOtandum: Posteaquàm prædixit angelus Ioannem præcessurum ante Christum verum Mesiam, in spiritu & virtute Elię, statim id latius explicat, ac quo fine hic ipse præcursor præiturus sit ante dominum in spiritu Elię; & quę item functiones tam Elię quàm Ioannis futurę sint, demonstrat: vt conuettat

uertat scilicet corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum; & sic paret domino plebem perfectam. Quorum verborum hunc sensum esse putamus: hunc ipsum pręcursorem primum conuersurum corda patrum ad filios, hoc est, verorum ac primæuorum Israëlitarum, vel ad degeneres, vel ad recens insitos Israëlitas: id est eorum patrum corda, qui veteres patriarchas, reges ac prophetas eorumq; doctrinam secuti ac professi sunt: Qualis fuit iustus Simeon, qualis Zacharias, qualis Iosephus & Nicodemus, quales cęteri multi, qui expectabant redemtionem Israël, qui nondum auersi erant à viis domini, qui veterem doctrinam nondum adulterauerant, qui doctrinam sinceram conseruauerunt. Horum corda conuertere debebat hic ipse præcursor, partim ad eos filios, qui iam recesserunt à viis domini, & quos hic Ioannes cõuersurus erat ad dominum Deum Israël, & quos hi ipsi sancti patres ad veterẽ doctrinam reuocaturi erant: partim ad recens insitos filios, Apostolos primum, deinde omnes illos, qui opera Apostolorum ex gentilitate conuertendi erant. Vt ita illud Dauidicum compleretur: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Ideo constitues eos principes super omnem terram. Quod tum Ioannes fecit, cùm pœnitentiam, quam omnes Prophetæ, Patriarchæ prædicarunt, facere iussit: cùm verbis Isaię, qui & ipse magnus pater erat, parare viam domini, rectas facere semitas eius, statim in exordio pręedicationis suę pręcipiebat: & cùm omnem vallem impletum iri, & omnem montem & collem humiliandum, & fore praua in directa, & aspera in vias planas, & visuram omnem carnem salutare Dei pręedicabat. Atque hoc primum officium, & hęc functio debebat esse pręcursoris: secundum autem illud, iuxta prophetiam Malachię, eorundem filiorum, qui ex infidelitate conuertendi erant, corda ad patres suos, eos inquam, qui Prophetarum, Patriarcharumque doctrinam secuti sunt, conuertere, eosque in iucundum complexum reuocare. Recessit autem à verbis prophetę Euangelista, vel potius ea interpretatus est. Nam cùm Propheta dicit, & cor filiorum ad patres eorum: Euangelista mutat & interpretatur, incredulos ad prudentiam iustorum. Vt enim in priori sententia conseruauit nomen filiorum, vt conuertat, inquiens, corda patrum in filios; ita in secundo non est ausus conseruare, sed incredulos vocauit, & incredulos ad prudentiam iustorum. Eam ob causam, quòd in priore quidem Iudęos ipsos magis intellexit, qui qualescunq; fuerunt, filij tamen fuerunt: Filios, inquit, enutriui, & ipsi spreuerunt me: posteriorem autem sententiam cum maxima ex parte ad eos refert, qui ex gentilitate vocandi erant, qui penitus increduli erant: ideò non est ausus illos appellare filios, sed incredulos, iuxta illud: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Et quoniam patrum nomen difficultates in se habebat, magisq; ad carnem quàm ad fidem referri poterat: ideò rem de spiritu interpretatur, ad prudentiam, inquit, iustorum. Tertiam functionem futuram pręedicit angelus D. Ioannis, vt paret domino plebem perfectam: quę illas duas priores naturę ordine consequi videtur. Conuersis enim cordibus patrum in filios, & incredulis ad prudentiam iustorum, hocq; pulcherrimo complexu & nexu confecto, quid aliud sequebatur, nisi vt pręparetur domino plebs perfecta? Exprimit autem rem ipse textus Græcus clariùs, quàm Latina versio: neq; enim Græcum verbum κατεσκευασμένον sonat perfectam, sed potius instructam & adornatam, siue pręparatam. Ioannis enim id solum muneris & officij fuit, pręparare ac adornare: Venturus autẽ erat alius, longè maior & perfectior

Ioanne,

Ioanne, qui omnia perfecturus erat, ipse nimirum Messias, Christus dominus, qui omnem perfectionem & consummationem docuit. Vnde illud: Non erat, inquit, ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine: erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, &c.

25 NOtandum, Primam & maximam functionem esse veri concionatoris, patres cum filiis, & filios cum patribus coniungere: quod perpetuum in ecclesia catholica fuit, quę semper prima cum postremis, noua cum veteribus coniunxit, patrum doctrinam filiis tradidit, filios patribus parere docuit. At contra facit fecitq; semper hęresis, quę corda parentũ, hoc est, sensus & mentes veterum patrum à filiis separat, filiorum item à patribus. Quàm enim remotum est cor Athanasii, Basilii, Hilarii ab Ario? quàm distinctum item est cor Chrysostomi, Cypriani, Ambrosij, Cyrilli, à Caluino eiusq; filiis? quàm item Caluinus, à superioribus patribus? quàm discordi corde Hieronymus, Augustinus, ab Iouiniano, Lutero? quàm item isti dispares ab Hieronymo, Augustino, Epiphanio? & tamen præcursoris ac verorum doctorum munera sibi vsurpare non erubescunt.

26 NOtandum, ea quæ diuinitus traduntur, non simul effundi, sed lentè ac per interualla infundi ac instillari. Quod nunc in Ioanne videmus: non enim statim omnia docuit, sed elementa quædam & principia tradidit: non omnia simul perfecit, sed pręparauit tantùm. Sed nec ipse Christus Dominus omnia simul docuit ac ordinauit: sed fundamenta quædam maiora futuri ædificij iecit, quæ postea Spiritus sanctus per Apostolos Apostolicosque viros perfecit, ac distinctius ordinauit: Hæresis simul omnia effundit, ac prophanat potius.

27 NOtandum: Quemadmodum ad visibilem Christi aduentum oportebat præparare corda hominum, ita & ad eum aduentum, qui spiritualis est, & illum qui Sacramentalis in sanctissimo Eucharistiæ viatico, præparatione magna opus est. Ad quam diligenter nos D. Paulus cohortatur: probet, inquit, seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Quicunque enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Dñi.

28 NOtandum, vsitatum fuisse in populo Dei, vt si quid cuipiam diuinitus, quod ad credendum non ita facile esset, vel per angelum, vel aliquo alio modo nunciaretur, ad ipsum confirmandum, signum aliquod in quo miraculi quid inesset, vel sponte diuinitus daretur, vel peteretur. Sic Moysi, non petenti vltrò offertur: sic Gedeoni; dum illustris victoria promittitur, petenti signum datur: sic efflagitauit, ac veluti liberius repetit signum Ezechias Rex: sic Achabus signum petere iubetur: Pete, inquit Isaias, tibi signum à Domino Deo tuo. Quem consuetum morem nunc similiter sequi videtur Zacharias, promissus est seni, sterili vxore, filius: petit ille signum: Vnde, inquit, hoc cognoscam? Quę quidem petitio signi aliquando sine peccato, & sine vlla offensione fiebat, nonnunquã cum exigua, aliquando cum maxima Dei offensione, prout affectus fuit, & prout intentionẽ habebat is, qui signũ petebat. Nunc quidẽ non sine aliqua offensione diuina Zacharias signũ petere videtur: & ideò surdus & mutus ad tempus efficitur, hocque ipsum signum incredulitatis suæ refert. Idque credo eam ob causam, vel quòd Angelo Dei, nec cuilibet Angelo, sed ex principibus, & qui semper astant ante faciem Dei, credere noluerit. Deinde Sacer-

dos,idque ex maioribu, slux & lucerna populi: deinde in loco sancto: demum ea de re, quæ iam olim à prophetis fuerat prædicta, & quæ Zachariæ obscura esse non poterat. Fuit autem hæc commotio pedum Zachariæ, non ad confusionem & ad ruinam, sed potius ad cautionem, ne ad tantum nuncium, tantumque Dei donum efferretur, néue superbiret: ad rei tantæ deinde maiorem illustrationē: postremò aliis ad exemplum. Neq; tamen nunc primo Zachariæ id euenit: euenerat hoc quondam matri credentium Saræ. Erant, inquit scriptura, ambo senes, prouectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria, risitq; occultè dicens: postquàm consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo. Videtur autem hæc incredulitas Zachariæ signum fuisse & figura incredulitatis Synagogæ, præcipuè principum ac ducū populi Dei. Quemadmodum illius surditas, surditas Israëlis eiusque seniorum: silentium Zachariæ, silentium prophetarum esse in populo Israël, dicit Origenes. Signis ad populum loquitur, quod proprium Hebræorum fuit.

29 NOtandum: Comparare hoc loco virginem sanctam non erubescit prophanus Caluinus cum Zacharia, iniqua comparatione. Nam quemadmodum Zacharias nunc inquit, Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis: ita virgo sancta paulo pòst ad eundem Angelum dictura est, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Verùm in hac similitudine, multa sunt dissimilia, imò quasi simile nihil. Zacharias siquidem signum quærit, vnde, inquiens, hoc sciam? Virgo modum. Quomodo fiet istud? Zacharias rei raræ quidem, vsitatæ tamen non credit: multæ enim steriles pepererant. Virgo rei impossibilis, & quæ antea nunquam facta est, rationem quærit. Zacharias postulata sua non acceptat: Sic enim dixit Angelus, Exaudita est oratio tua. Virgo rem subitaneam miratur, de qua nihil vnquam cogitauit. Zacharias in securo portu trepidat: virgo rei pulcherrimæ ac sibi charissimæ cauet, Virginitati inquam: quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Deinde sacerdotum est, pauorem horum reprimere, omnesq; consolari: virginum autem ad omnes viri affatus trepidare. De qua re, qui plura discere velit, ac veterum patrum sententias cognoscere, legat quintum sermonem Nuntij salutis, à nobis separatim conscriptum.

30 NOtandū duplici argumento incredulitatem Zachariæ Angelum confutare. Primùm à persona eius, à quo missus est, cui sine omni dubitatione & controuersia credi debet, Dei inquam omnipotentis, fontis & originis fidei ac vniuersæ veritatis: cui se semper adstare, cuius fidelem nuntium, & ab eodem missum se esse dicit. Deinde à persona sua, se non esse serpentem, illum paradisi, qui primos parentes nostros in horto deliciarum decepit: non Spiritum mendacem, qui in ore prophetarum Achab locutus est: sed se esse Angelum: neq; quemùis ex infimis, sed ex principibus Angelorum, virtutis ac omnipotentiæ Dei, cui omnia cedunt: nuntium, neque remotum aliquem à Deo; sed intimū ac coniunctissimum, qui inquit, asto ante Deum: Obseruandum autem est, quòd quantumuis Angeli sint administratorij Spiritus, quantumùis sint ministri Dei, quantumuis cum hominibus conuersentur; nunquam tamē à visione & fruitione Dei discedere, vbiq; præsentem Deum habere: quod & hic Gabriel clarè demonstrat, & postea Christus Dominus docet: Angeli, inquiens, eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Quod latius explicat V. Beda:

Notan-

Notandum, inquit, est, quòd Angelus se & ante Deum adstare, & ad Euangelizandum Zachariæ missum esse testatur. Quia & cùm ad nos veniunt Angeli, sic exterius implent ministerium, vt tamen nunquam desint interiùs per contemplationem. Et mittuntur igitur, & adsistunt: quia etsi circumscriptus est angelicus spiritus; summus tamen Spiritus ipse qui Deus est, circumscriptus nō est. Angeli itaque & missi ante ipsum sunt, quia quòlibet missi veniunt, intra ipsum currunt. Nihil autem tale audit ab Angelo Virgo sancta, vtpotè cuius interrogatio non ex aliqua incredulitate, sed ex optimo & candidissimo animo profecta fuerit: sed simpliciter illi modum & rationem, quam ipsa nosse poterat, explicat: Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te: vt vel hac ratione impudentia Caluini, qui hæc dissimilia comparare non erubuit, confundatur.

31 NOtandum: Postquàm reprehendisset Angelus orationem ac incredulitatem Zachariæ, suamque adstruxisset fidem, nunc signum pollicetur simul & pœnam. Ecce, inquit, eris tacens, & non poteris loqui, vsque in diem quo hęc fiant: pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo. Vbi illud obseruandum est, per quæ quis peccat, per eadem eum puniri. Peccauit auribus Zacharias, dum Angelum audire, eiq; obtemperare recusat: ideò surdus efficitur. Peccauit lingua, dum Angelo contradicit: ideo mutus efficitur, typusque fit vniuersæ Iudęæ, ipse incredulus ac sterilis: qui tamen generat filium, quo non maior fuit inter natos mulierum. Sic Iudæa perfida & incredula, ab omni fructu bonorum operum sterilis, parit redemtorem mundi, ac dominum prophetarum.

32 NOtanda est hoc loco perseuerantia, & assiduitas cultus diuini, tam in sacerdote, quàm in populo. Nam neque sacerdos functionem suam deseruit, priusquàm completo vniuerso tempore officij vicis suæ: neque item populus priùs de templo discedit, quàm sacerdos suum confecit officium. Et erat plebs expectans Zachariam: & mirabantur, quòd tardaret ipse in templo. Hæc de plebe & de sacerdote. Paulò pòst factum est, inquit, vt impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Nos vix pedem in limine templi ponimus, & iam à tergo respicimus, fugamque cogitamus: nec solùm vniuerso non intersumus sacrificio, quod ipsum breue satis & compendiosum est; sed plerumque tum fugimus, cùm res ipsa incipit, cùm maximè deuotos & attentos esse oportuit, cùm ea quæ sanctissima sunt, peraguntur. Quod illis euenit, qui audito Euangelio, & offertorio, ac Venerabili Sacramento adorato, fugiunt, ac tanquam re optimè gesta exiliunt: Non idem facit hic populus: Erat inquit plebs expectans Zachariam. Quam quidem prophanam negligentiam non mediocriter Deum immortalem offendere, ipse Dominus apud Haggæum testatur: Domus, inquit, mea deserta est: & vos festinatis vnusquisque in domum suam. Quod quoniā auaritiæ causa, lucrandiq; cupiditate plerumq; fit; ideo iusto & verò suo iudicio, fame & sterilitate, paupertate item id se puniturum pollicetur Dominus: Respexistis, inquit, ad ampliùs, & ecce factū est minus; & intulistis in domum, & exufflaui illud. Et mox: Propter hoc, inquit, super vos prohibiti sunt cæli, ne darent rorem, & terra prohibita est, ne daret germen suum, & vocaui siccitatem super terram & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum. Quod item huius seculi tam frequentes fames & sterilitates abundè testantur.

Notan-

NOtandum, Eum qui non credit, non posse loqui. Quod pulchrè demonstrat Dauid: Credidi inquit, propter quod locutus sum: ac si diceret, nisi credidissem, locutus non fuissem: sed postquàm credidi, loqui cœpi. Et Zacharias igitur quando credebat, loquebatur: at postquàm credere desiit, conticuit. Fides enim substantia est rerũ sperandarũ, argumentũ non apparentium. Fides principium omnis cognitionis & doctrinæ. Ideo Isaias: Nisi credideritis, inquit, non intelligetis. Cùm igitur hæretici non credant, loqui profectò se putant, non tamen loquuntur, etsi clament, etsi garriant, etsi cælum & terram vociferatione compleant. Annotandum & illud est, magnam vim esse angelicæ visionis, ita vt aliquando & sanctos viros perturbet, ac sensibiliter alteret: quod in Zacharia nunc fieri videmus. Egressus, inquit, non poterat loqui ad illos; & cognouerunt, quòd visionem vidisset in templo: quod antea idem Danieli euenisse legitur. Danielis 10. Ego, inquit, relictus solus, vidi visionem grandem hanc, & non remansit in me fortitudo: sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium.

33 NOtandum, Colligere ex hoc loco sanctos patres cælibatum sacerdotum hac ratione. Si illos, quibus ad tempus sacris & sacrificiis vacandum erat, per idẽ tempus castos esse oportuit: ergo multò magis hos, quibus semper deuotioni, ac orationi, sacris item oblationibus & sacrificiis vacandũ est, semper certè castos & cælibes esse oportet. Quod pulchrè latius explicat V. Beda: Vicis suæ, inquit, tempore, pontifices templi, tantùm officiis mancipati, non solùm à complexu vxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinebant ingressu. Vbi nostri temporis sacerdotibus, quibus semper altari seruire iubetur, perpetuò castitatis seruandæ exemplum datur. Quia enim tunc sacerdotalis ex stirpe Aaron succesio quærebatur, necessariò tempus substituendæ soboli procurabatur: At quia nunc non carnalis succesio, sed perfectio spiritalis inquiritur, consequenter sacerdotibus, vt semper altari queant adsistere, semper ab vxoribus continendum, semper castitas obseruanda præcipitur.

34 NOtandum, obseruare hoc loco D. Ambrosium, esse metas & fines etiam in connubio nuptialium voluptatum. Est enim quod tempore decet, & tempore dedecet. Erubuit Elisabet, dum se anum prægnantem esse cognoscit. Postquam concipit, occultat se mensibus quinque, conspectus hominum auersatur. Quam rem totam latius interpretatur D. Ambrosius. Magna, inquit, sanctis cura est verecundiæ, vt plerumque in ipsis pudor voti sit: Sicut hoc loco aduertimus sanctam Elisabet, quæ vtique filios habere cupiebat, occultantem se mensibus quinque. Quæ causa occultationis, nisi pudor? Est enim vnicuiq; officio præscripta ætas: & quod tempore decet, tempore dedecet: æuique mutatio, facti vniuscuiusque, mutat sæpè naturam. Sunt etiam ipsi quædam tempora præscripta coniugio, quando dare operam liberis sit decorum, dum anni vigent, dum suscipiendorum liberũm spes est. Dum generandi vsus est in exemplo, copulæ quoq; vsus in studio est: at verò vbi matura æui senectus accesserit, & ætas regendis liberis aptior, quàm creandis; pudor est legitimi licet coitus indicia gestare, & grauari alienæ ætatis onere, & tumescere aluum non sui temporis fructu. Senes omni ab ipsa concluduntur ætate, & iusto intemperantiæ pudore reuocantur ab opere nuptiarum. Adolescentes ipsi plerunque filiorum vota prætendunt, & excusandum arbitrantur ætatis calore,

gene-

generationis affectum. Quantò magis ſenibus agere turpe eſt, quod adoleſcentibus pudor eſt? Quin etiam ipſi iuuenes, ſobria timore diuino corda qui temperant, ſuſcepta plerumque ſobole, renunciant operibus iuuentutis. Et quid mirum de hominibus, ſi pecudes quoque muto quodam opere loquuntur, ſtudium generandi ſibi, non deſiderium eſſe coëundi? Siquidem vbi ſemel ſenſerint genitali aluo ſemen receptum, iam nec concubitu indulgent, nec laſciuiam amantis, ſed curam parentis aſſumunt. At verò homines, nec conceptis ipſis, nec Deo parcunt: illos contaminant, hunc exaſperant. Priuſquam te, inquit, formarem in vtero, noui te, & in vulua matris ſanctificaui te. Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quaſdam tui autoris in vtero hominem formantis aduertis. Ille operatur: & tu ſacri vteri ſecretum incœſtas? vel pecudes imitare; vel Deum reuerere. Et quid de pecudibus loquor? terra ipſa à generandi opere ſæpe requieſcit: etſi impatienti hominum ſtudio iactis frequenter ſeminibus occupetur, impudentiam multat agricolæ, & fœcunditatem ſterilitate commutat. Ita quidem in ipſis elementis ac pecudibus, ab vſu non ceſſare generandi, naturæ pudor eſt. Meritò ergo etiam ſancta Eliſabet erubeſcebat gratiam, etſi non agnoſceret culpam. Hæc Ambroſius: Et auctor operis imperfecti ſic: Abſtine à menſtruata, abſtine à prægnante: erubeſce facere, quod animalia non faciunt. Omne animal conceptionis ſuæ ſeruat honorem & tempus: homo autem ſolus contemnit.

35 NOtandum: Vt modos & menſuras cuiuſque rei à Deo definitas eſſe legimus; ita & certa & ſtatuta tempora, quibus quidque euenire debeat, diuinitus conſtituta eſſe, ac certa Dei prouidentia longè ante præuiſa, quæ nemo tranſilire, nemo violare poteſt. Quod nunc magnificè Eliſabet docet; dum nō eo tempore, quo Zacharias vellet, aut ipſa optaret, aut maximè decorum & conueniens eſſet, ſe filium concepiſſe confitetur; ſed tum, cùm ordinatum & definitum tempus à Deo adueniſſet. Sic fecit mihi Dominus, in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. Abſit igitur in omnibus rebus nimia cura & ſolicitudo: abſit deſperatio & deiectio animi: abſint magorum & ariolorum reſponſa: abſit aſtrologorum curioſitas & vanitas: adſit conſtantia & perſeuerantia, adſit plena ſpes & fiducia in eo qui dixit, Non te deſeram. Tarda ſunt diuina promiſſa, ſed non fallentia: nemo poteſt ad ſtaturam ſuam vnum cubitum addere.

36 NOtandum, Quæ ad annunciationem incarnationis filij Dei pertinent, nos abundè in quinque ſermonibus Nuntij ſalutis, ſeparato libro explicaſſe: indeque huc ab illis, qui volent, transferenda, nobis autem, ne eadem repetantur, ad eam viſitationem, quâ Maria plena Deo Eliſabetam inuiſit, & ipſis, eſt tranſeundum.

37 NOtandum: Angelo cæleſtia, vnde venerat, repetente, petit virgo montana. Anima enim quæ verbum Dei mente conceperit, virtutum ſtatim celſa cacumina greſſu conſcendere debeat amoris. Turpiter enim in terra hæret, qui ſe ignem amoris & charitatis concepiſſe gloriatur. Abit autem Maria, non phalerato equo portata; fallax enim equus ad ſalutem: non bigis aut quadrigis vehitur; nam hoc illorum eſt, qui in domibus Regum ſunt: non ſubtili velo aut tecto; ſed ſola virtute Dei protecta, à qua fuerat obumbrata, ſine

magno

magno comitatu : neque tamen sola, sed multis præstantissimis charitatis, humilitatis, castitatis virtutibus comitata; & ideo terribilis vt castrorum acies ordinata.

38 NOtandum, eam esse naturam perfectæ virtutis, vt quanto magis crescit & honoratur, tanto magis se deijciat & humiliet: Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis: & quanto magis deijcitur, & humilior fit, tanto magis exaltetur & illustretur. Nuntium cæli accipit virgo, spiritu sancto fit plena, virtute altissimi obumbratur, verbum concipit Dei, benedicta inter omnes mulieres efficitur, fit Regina mundi: & ecce exurgit sola sine comitatu, sine vllo vestium, equorum, & curruum apparatu; nullus illi muliebris mundus, nulla pompa ex iis, quibus mulieres plerumque exsaturari nequeunt: pedes, aspera & satis longa via confecta, & quæ non ad imperiũ sed ad obsequium se præparauerat, ministrat simplici fœminę. Et dum hæc facit, ecce vteros alienos commouet; infantes, & eos qui nondum nati sunt, gestire facit: titulum refert, qualem nunquam antea vlla fœmina retulit: Et vnde, inquit, mihi hoc, vt mater Domini mei veniat ad me? Vnde hoc? inde, quòd qui se exaltat, humiliatur: & qui se humiliat, exaltatur. Respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quæ autem & qualis hæc fuerit humilitas, & quæ eius partes, pulchrè expendit Ambrosius: Didicistis, inquit, virgines pudorem Mariæ: discite humilitatẽ. Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem: nec solùm venit, sed etiã prior salutauit. Decet enim, vt quantò castior virgo, tantò humilior sit. Nouerit deferre senioribus, sit magistra humilitatis: in qua est professio castitatis; est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur: Maria ad Elisabet, Christus ad Ioannem.

39 NOtandum, Priusquàm virgo genuisset cælestem legislatorem, iam eius leges, formam & exemplum dari. Quam legem hic ipse legislator laturus erat. Infirmus, inquit, eram & visitastis me: in carcere, & venistis ad me. Ecce hæc ipsa ad prægnantem senem, illi ministratura, pergit cum festinatione: nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Signum concepti verbi est, fructus boni operis. Discamus ergo & nos languores & necessitates proximorum promptè & diligenter iuuare: Maledictus enim, qui facit opus Domini fraudulenter. *Ierem. 48.*

40 NOtandum, Magnificam & salutarem eam fuisse salutationem, quâ Maria Elisabet salutauit: vtpotè quæ tam vberes & salutares fructus protulerit. Vt enim facta est vox salutationis tuæ in auribus meis. Dicerent igitur huius seculi Euangelici, an potiùs hæretici, qui omnia, quæ aliquo modo ad salutem pertinent, ab Euangelistis conscripta esse falsò iactant: in quo Euangelista, aut iu quo Euangelio hanc ipsam salutationem, tam grauem, tam vtilem reperient? aut si reperire non possunt, dicant causam, cur cùm alia longè minora Euangelistæ persecuti sint, eam ipsam salutationem omiserint? cùm neque curiosam, neque superstitiosam, neque aulicã fuisse, ex fructibus eius abundè cognoscatur. Vel si neutrum præstare possunt, hoc est, neque salutationem ostendere, neque eius rei causam afferre; illud fateantur, quod omnes fatemur, oportet,

summa

summa & prima tantũ capita rerum ab Euangelistis explicata esse: cætera per Spiritum sanctum reuelari, ac per traditionem à sanctis patribus esse tradita.

41 NOtandum, Magnam vim & efficaciam vocis ac benedictionis sanctorũ esse, tantò maiorem contactus & amplexus. Quòd si sanctorum vocis vis tanta est, quantò magis corporis & sanguinis Domini, qui est Sanctus sanctorum, Deus verus & homo. Impiè igitur hæretici agunt, qui orationes & benedictiones sanctorum aspernantur, qui reliquias illorum spernunt, quos pulcherrimè separato libro refutauit Hieronymus contra Vigilantium. Sed & illi se magno fructu spoliant, qui corpore & sanguine Domini nostri IESV Christi, vel raro, vel nunquàm vtuntur. Nam, si vox matris eius tam vberes fontes gratiarum, tàm in Elisabeta quàm in Ioanne, quem illa vtero gestabat, peperit; quanto pluribus se bonis & donis spoliant illi, qui ad ipsum fontem gratiarum accedere contemnunt, vel saltem erubescunt?

42 NOtandum, Tres præcipuos fructus salutationem matris Dei in Ioanne & Elisabeta matre eius peperisse: Exultationem infantis in vtero, matris repletionem Elisabetæ Spiritu sancto, confeßionem Elisabetæ, & matris, & filij magnificam: quæ omnia distinctis verbis explicat Euangelista. Factum est, inquit, vt audiuit Salutationem Mariæ Elisabet, exultauit infans in vtero eius, & repleta est Spiritu sancto Elisabet, & exclamauit voce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.

43 NOtandum, Primum fructum salutationis gloriosißimæ virginis esse, exultationem infantis in vtero. Circa quem illa sunt obseruanda. Primùm, nullum verbum apud Deum impoßibile esse: quod etsi vniuersa scriptura personet, tamen nescio qua congerie id D. Lucas hoc capite illustrat, vbi sterilis cõcipit, virgo parit, surdus & mutus loquitur, infans in vtero exultat. Discamus igitur credere Deo magis, quàm sensibus nostris, cuius velle, posse, & perficere est: quod Sacramentaria labes non cernit, & ideo errat, & alios in errorem inducit. Deinde eodem loco obseruandum est, quòd quemadmodum virgo virtute partus sui eam vocem salutationis edit, quæ tantos fructus prodit, & per quã infans exultat in vtero matris: ita gaudio & exultatione infantis gestit mater, ac futura prædicit. Vt quemadmodum per solem illustrata luna ac cætera sydera, noctis obscuritatem illustrare solent; ita virtute natorum illustrentur matres. Vide distinctionem, inquit D. Ambrosius, singulorumque verborum proprietatem. Vocem prior Elisabeth audiuit, sed Ioannes prior gratiam sensit. Illa naturæ ordine audiuit: iste exultauit ratione mysterij. Illa Mariæ, iste Domini sensit aduentum: Fœmina mulieris, & pignus pignoris. Istæ gratiam loquuntur, illi intus operantur, pietatisq; mysterium maternis adoriuntur profectibus. Duplicique miraculo prophetant matres spiritu paruulorum. Tertio, illud obseruandum, quæ causa infanti fuit tantæ exultationis, tanti gaudij. Non alia certè, quàm quòd sentiret salutem hominum, ac de ea gauderet: videretque venisse Dominum, vt sanctificaret seruum suum, antequàm de matris vtero procederet. Gaudet igitur aurora, orto suo sole: exultat Lucifer in aduentu fontis luminis. Salutat prodromus ac præcursor Dominum suum: amicus sponsi ruit in amplexum noui sponsi: præparat viam primus minister saluatori suo: indicat digito, plusquàm propheta desideratum gentibus: tradit lampada, quo non maior inter natos mulierum, natura sua magno, summoq;

Regi ac victori gestit: ac exilire cupit ad soluenda calceamenta herois sui minimus seruus: tuba canit ante aduentum iudicis Elias: adorat creatura Dominum & Deum suum. Et quemadmodum aliquando summus & Rex & propheta Dauid, percutiens in organis armigatis, saltabat totis viribus ante Dominum, & ante arcam eius: ita nunc exultat Ioannes ante Saluatorem suum, & ante Matrem sanctam eius.

NOtandum, Vbique & semper Christum præsentem adorandum esse. 44
Recusant sacramentarij, aliæque sectæ, Christum Dominum, tanquàm sub velo quodam, sub speciebus panis & vini adorari, ne simul eum honorem speciebus facere videantur. Atqui Ioannes intra viscera matris suæ eundem Christũ in visceribus itidem Matris adorat, ac ad illius aduentum exhilaratur & prosilit, nihil tale metuens. Quod idem posteà magi in cunis iacenti, pastores item fecerunt: Apostoli in nauem intranti: & hactenus facit vniuersus Christianus orbis: quod obiicere similiter solent huius seculi hæretici. Quo, inquiunt, pacto sancti absentes vota nostra vident, & exaudiunt? Respondeant ipsi similiter nobis, quo pacto Ioannes infans sex mensium Christum Dominum in vtero existentem ipse similiter in ventre matris existens agnouerit? an eadem gratia virtusque Spiritus sancti, hæc eadem & longè maiora efficit?

NOtandum, Secundum fructum salutationis Matris Dei esse, quòd Elisabet repleta sit Spiritu sancto. Quomodo, & qua ratione, id pulchrè explicat D. Ambrosius: Exultauit infans, inquit: repleta est mater. Non priùs Mater repleta, quàm filius: sed cùm filius esset repletus Spiritu sancto, repleuit & matrem. Exultauit Ioannes, exultauit & Mariæ spiritus. Exultante Ioanne, repletur Elisabet. Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum eius exultare cognouimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in matre: Et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum. Quòd si vox Mariæ impleuit Elisabetam Spiritu sancto, quantis fontibus spiritus ipsa scaturiat, facilè existimari potest. Verè igitur plena gratia. 45

NOtandum, Tertium fructum visitationis & salutationis in Elisabeta, Mariæ confessionem, & plenas Spiritus sancti acclamationes Elisabetæ. Quarum sex sunt articuli: Primus, matrem Dei benedictam esse in mulieribus: secundus, Benedictum fructum ventris eius: tertius, Beatissimam virginem esse veram θεοτόκον: hoc autem est matrem Dei: quartus, Christum Dominum esse verum Deum: & Dominum vniuersæ creaturæ: quintus, vocem Mariæ fuisse causam & instrumentum exultationis Ioannis in vtero: sextus, ideo beatam fuisse virginem, quòd Deo crediderit, illique ac eius verbo se totam subiecerit. 46

NOtandum, primam vocem & acclamationem esse Elisabetæ, vocem portantis: Benedicta tu inter mulieres. Neque tamen existimandum est, primam Elisabetam potiùs acclamasse, quàm filium; sed filium primùm, posteà matrem. Et filij quidem vox illa, magnæ meditationis apud Chrysostomum est: Video inquit Dominum, qui naturæ imposuit terminos, & non expecto tempus nascendi: nouem enim mensium tempus in vtero non est mihi necessariũ: in me est enim, qui æternus est: egrediar ex hoc tenebroso tabernaculo, rerum admirabilium compendiosam prædicabo cognitionem. Sum signaculum, significabo Christi aduentum: sum tuba, proferam filij Dei in carne œconomiam: 47

miam: tuba canam: eo ipso paternæ linguæ benedicam, & eam traham vt loquatur: tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Accesſit qui ſoluit vincula: & quid ego ſedeo vinctus, & retineor vt maneam? Venit verbum, vt omnia conſtituat: & ego adhuc maneo detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Porro Eliſabetę vox prima hæc eſt: Benedicta tu inter mulieres. Vox Sanctorum Angelorum quidem illa, paulò antè à Gabriële vſurpata, Benedicta tu inter mulieres: neque enim obliuiſcitur ſuorum verborum Spiritus ſanctus. Vox item iuſtorum: Beatus, inquit, venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. Vox igitur eſt iſta Angelorum, eſt iuſtorum: vox verè Eccleſiæ ſponſæ Chriſti. Qui igitur eam vocem aut negat, aut profiteri erubeſcit, angelus Satanę eſt, hæreticus eſt, quiſquis ille eſt. Neque verò fruſtra benedicta dicitur: in illa ſiquidem implentur omnes benedictiones illæ, quæ factæ ſunt ad Abraam, Iſaac & Iacob, & ſemen eius in ſeculum: illa omnem maledictionem ſuſtulit, iram & indignationem mitigauit: illa benedictionem reſtituit.

48 NOtandum, Secundam acclamationem eam eſſe Eliſabetæ: Benedictus fructus ventris tui. Quæ acclamatio prioris cauſam reddit, eiuſque rationem explicat. Cùm enim Eliſabet dixiſſet, benedicta tu in mulieribus, mox illud docet, qua benedictione benedicta: nempè benedictione vteri, benedictione partus: quia, inquit, benedictus fructus ventris tui: fructus ſalutis, fructus pacis, fructus gaudij, fructus amoris & charitatis, fructus omnis benedictionis, fructus ſuauis, fructus aſpectu delectabilis, fructus dulcis, fructus vitæ & immortalitatis. Radix fuit, inquit Ambroſius, familia Iudæorum; Virga, Maria: flos Mariæ, Chriſtus: qui veluti bonæ arboris fructus, pro noſtræ virtutis proceſſu, nunc floret, nunc fructificat, in nobis nunc rediuiua corporis reſurrectione reparatur.

49 NOtandum, Tertium articulum confeſsionis Eliſabetæ hunc eſſe: IESVM Chriſtum fructum ventris eſſe Mariæ, hoc eſt vnicum & germanum filiũ: Vt qui ab æterno ex patre ſine matre, ſecundùm ſuam diuinitatem, natus eſt; idem in tempore ex matre Maria, ſecundùm ſuam humanitatem, naſceretur: vt ita & Dei patris, & Mariæ matris ſit verus & vnicus filius, iuxta illud: Hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris. Vbi fructum ventris, filios Pſaltes interpretatur. Ex quo inprimis refutatur error Manichæorũ, qui Chriſtum Dominum non verum hominem eſſe, nec veram carnem habuiſſe, ſed ſpectrũ quoddam & phantaſma fuiſſe opinabantur. Refutat hoc magnificè Eliſabet: Benedictus, inquit, fructus ventris tui. Refutatur deinde ex eodem loco error Neſtorij, qui Chriſtum Dominum de cælo carnem attuliſſe fabulabatur; atque ita in virginis vterum illapſum, per eandem tanquã canalem tranſiuiſſe, ac poſteà demum in baptiſmate diuinitate repletum fuiſſe, ac quodammodo Deum factum, cùm nihil ex vtero ac puriſsimis virginis ſanguinibus aſſumpſiſſet. Refutat hoc Eliſabetæ confeſsio, cùm dicit: Benedictus fructus ventris tui. Ex quo eodem loco & illi refutantur, qui Chriſtum Dominum ex progenie Dauid eſſe negârunt: nam ad Dauidem dictum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Quod etſi ad literam de Salomone filio & ſucceſſore Dauidis dictum eſt: tamen per myſterium, vt cętera multa, de Chriſto dicta eſſe, cùm Paulus, tum cæteri ſancti teſtantur. Atqui virginem ſanctam futuram fuiſſe ex pro-

genie Dauidis, prædixit Isaias: Orietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Atqui huius ipsius virginis ventris & vteri, hic ipse fructus est, vt magnificè confitetur Elisabet. Ergo Christus Dominus est vera Iessęa proles, verus filius Dauid.

NOtandum: Quarta acclamatio, qua Elisabet suos excipit ac honorat hospites, Vnde, inquit, mihi hoc, vt veniat mater Domini mei ad me? In quibus verbis Spiritu sancto plena, primùm longè pòst futurum refutat Nestorium. Cùm enim ille dixisset, solam carnem Christi Domini cælitus delapsam per vterum Virginis, tanquam canalem quandam in mundum prodiisse, ac postea in baptismo diuinitati iunctam esse; consequens erat, vt negaret Mariam θεοτόκον siue matrem Dei esse, vt pote quę Deum non genuerit, neque in vtero suo portârit. Atqui magnifice id refutat Elisabet: Vnde mihi, inquit, hoc, vt mater Domini mei, vera θεοτόκος veniat ad me? Et Nestorium quidem hunc in modum refutat: Arium autem longè clariùs, dum eum, qui ad se venit pauper & humilis, Dominum suum vocat, hoc est Deum suum. Vtitur hoc eodem titulo Dauid: Dixit, inquit, Dominus Domino meo, sede à dextris meis: hoc est Deus pater, cæli & terræ Dominus, Domino meo, hoc est filio ab æterno progenito, qui vnus est cum patre Dominus. Vt ita Dominus sit pater, Dominus filius; non tamen duo Domini, sed vnus sit Dominus. Vtitur eodem dicendi modo Sapientia Dei: Inuocaui, inquit, Dominum, patrem Domini mei: hoc est inuocaui æternum parentem, qui est pater æterni filij Domini mei. Sed & Plato in quadam epistola eundem filium dominum disertis verbis appellat. Vtitur eodem dicendi modo post resurrectionem Christi D. Thomas Apostolus: Dominus, inquit, meus, & Deus meus. Recognoscit hunc titulum amplissimè ipse filius: Vos, inquit, vocatis me Dominum, & magistrum: & bene dicitis; sum etenim. Si ergo ego Dominus & magister vester laui pedes vestros, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Erubescat igitur & confundatur primo hoc elogio in mundum aduenientis Christi, Ariana impietas & impudentia, quæ hunc ipsum cælestem hæredem, Dominum suum appellare erubescit: sed & obmutescat. Vtitur autem Elisabet modo dicendi Hebræis vsitato, in re grata & insperata: Vnde, inquit, mihi hoc? Quid boni feci? quæ opera mea tanta sunt? per quam iustitiam, ex quibus bonis, de qua fidelitate mentis hoc merui; vt mater Domini mei veniat ad me? Vnde hoc mihi? Hoc est, inquit Ambrosius, quo tantum bonum mihi accidit; vt mater Domini mei veniat ad me? non cognosco meum. Vnde hoc mihi? qua iustitia, quibus factis, pro quibus meritis? Non vsitata hæc officia fœminarum sunt; vt veniat mater Domini mei ad me. Miraculum sentio: agnosco mysterium: mater Domini verbo fœta, Deo plena est. Vsa est aliquando simili dicendi formula Ruth Moabitis, ad Booz affinem suum: Vnde, inquit, hoc mihi, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & nosse me dignareris peregrinam mulierem? Hoc idem postea suo tempore accidit & ipsi Ioanni: ad quem, cùm Dominus accessisset, vt ab eo baptizaretur, dixit: Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? Ita sibi consentiunt sanctorum facta: quia ab eodem Spiritu sancto gubernantur. Vtamur & nos omnes: Vnde nobis hoc, cælestis pater, vt filium tuum vnigenitũ dares pro nobis, vt qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam? Vnde verbum, verbum patris, vt qui cælum & terram imples, in hoc humili & angusto virginis matris vtero concludaris, ac vagias, lacteq; paruo pascaris?

Notan-

51 NOtandum, quintam hanc acclamationem siue gratulationem Elisabetę esse: Ex quo, inquit, facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo. Cuius orationis sensus est iste: Ad tuam, inquit, salutantis vocem hoc miraculum accidit. Qui quidem articulus ad confirmandam superioris articuli fidem, orationisque expositionem, pertinere videtur. Cùm enim dixisset: Vnde mihi hoc, quòd mater Domini mei venit ad me? cùmque virginem sanctam veram Dei matrem confessa fuisset, confirmare hoc, ne temerè quid dixisse videatur, tali ratione voluit: Vt, inquit, primùm facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio, infans in vtero meo. Ergo tu es vera Dei mater: ergo Dominus tecum: ergo gratia plena: ergo is, quē tu in vtero geris, Dominus meus est, Deus meus est; cui etiam ea, quæ nondum nata sunt, parent, & obediunt: neque enim quisquam alius hoc tale tam grande miraculum facere potuisset. Quemadmodum autem Christus per os suæ matris, inquit Euthymius, loquutus est: ita & Ioannes per aures suæ matris audiuit. Vt tanta sint instrumenta tantorum operum: Mater, inquam Dei, & mater præcursoris.

52 NOtandum, Per sextam acclamationem, quasi per epilogum quendam, beatam Virginem dici, quia crediderit, omniaque in illa perficienda esse, quæ dicta sunt illi à Domino. Et beata, inquit, quæ credidisti: quoniam perficientur in te, quæ dicta tibi sunt à Domino. Et verè beata quæ credidit, quæ sacerdote præstantior; cùm sacerdos negauerit, virgo correxerit errorē. Habet autem hæc acclamatio connexionem aliquam cum superiori. Cùm enim dixisset, vt facta sit vox salutationis eius in auribus suis, infantem exultasse in vtero; idq; totum non humanis, sed diuinis viribus adscripsisse: quia, inquit, mater es Domini mei: ne quis in posterum ex hæreticis inferat, nihil Matrem Dei, nihil virginem sanctam etiam ex suo ad eam rem attulisse: ideò refutat id Elisabet, ac ostendit, virginem etiam ipsam aliquid suum ad eam rem apportasse, fidem nempè ipsam: Beata, inquit, quæ credidisti. Videtur autem hoc loco nomen fidei, quod frequens est in sacris scripturis, pro obedientia acceptum esse: quale est illud, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam: hoc est paruit & obediuit, quando exiuit de domo sua, & de cognatione sua, & quando obtulit Isaac primogenitum suum. Nam & virgo, non credidit tantùm, sed paruit etiam & obediuit Angelo. Vnde illa verba: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Obseruandum autem est, credentibus & obedientibus omnia, vt dicitur, euenire; quod nunc docet Elisabet: Quia perficientur in te ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Est autem huius loci duplex lectio: alij enim legunt: Beata quæ credidit, alij, quæ credidisti. Posterior hæc vulgatior est, & quam Ecclesia in officio suo sequitur.

53 NOtandum, Vbi amor & charitas, ibi Deum esse, ibi Dominum mandare benedictiones vsque in seculum. Vbi minores maiores suos inuisunt, illis inseruiunt, ac se totos subiiciunt; vbi item maiores minoribus omnem humanitatem & beneuolentiam ostendunt, illos instruunt, eorum necessitates adiuuant, ac illis benedicunt. Sed in illa etiam domo Christus manet, vbi non tantùm minores maioribus, sed etiam maiores minoribus Dei ac officij causa, ætatis item subiiciuntur. Ibi pax, ibi gaudium, illic omnis boni vbertas, ibi cælum, ibi Deus, ibi benedictio: Sicut vnguentū in capite, quod descendit in barbā barbā

Aaron,& in oram vestimenti eius: Sicut ros Hermon, qui descendit in montē Sion. Quæ omnia abundè videmus in domo Zachariæ. Vt contrà, vbi odia, rixæ, contumeliæ, detractiones: vbi οὐδεὶς οὐδενὸς, veteri prouerbio, ὑπακούει, hoc est, nemo alteri paret, nemo alteri subiicitur; ibi contraria omnia. Vox igitur exultationis & salutis in tabernaculis iustorum; quemadmodum vox eiulatus & lamenti, vox miseriæ & calamitatis in tabernaculis impiorum: quæ omnia in domibus videmus hæreticorum. At Ecclesia sancta, sicut vitis abundans, filij eius sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ eius. O quàm igitur bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

54 Postquàm virgo accepit cæli nuntium, postquàm Deo impleta est, postquàm ad Elisabet venit, ad eiusq; vocem exultauit in vtero ille, quo non maior inter natos mulierum, ipsaque Elisabet Spiritu sancto impleta est; postquàm eas laudes & hæc elogia, quæ nullus vnquam antea audiuit, nec pòst vnquam auditurus est, retulit ab Elisabeta; magno in posterū exemplo, quomodo laudes & commendationes nostras accipere debeamus, nullum verbum respondit; sed veluti extra se posita, ac tanquam alis quibusdam, magnitudine beneficiorum Dei Spiritu exultata, ad Deum fontem omnium bonorū se conuertit, illum laudat, illum prædicat, illi gratias agit, cum illo solo sibi transigendum putat: vt quemadmodum flumina ex mari profluunt, ac iterum in idem mare reuertuntur, ac in illud desinunt; sic illa tot flumina gratiarum, quibus tam abunde fuit dotata, & quæ ex isto vastissimo diuinę benignitatis mari hausit, iterum non in se, neque in aliquod meritum suum, sed in idem ipsum diuinæ benignitatis mare, ex quo profluxerant, remittit. Ac si diceret: Vera quidem sunt illa, quæ tu Spiritu sancto repleta dicis: non tamen aut mea, aut excellentis alicuius meæ virtutis hæc sunt; sed eius qui fecit mihi Magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Et ideò magnificat illum anima mea; & exultauit Spiritus meus in Deo salutari meo. Non nouum autem est, neque inusitatum sanctis Dei, nouis à Deo beneficiis acceptis, in hymnum aliquem celebrem gratitudinis & lætitiæ plenum erumpere, ac coronas gloriæ suæ ante pedes coronatoris sui ponere: pluribus scripturæ sacræ locis hoc reperias: sed inter omnes Dauid omnium gratissimus Regum, & erga Deum maximè pius, compluribus psalmis, nunc ob partam ex hostibus victoriam, nunc ob restitutam sanitatem, nunc quòd periculum aliquod euasisset, confectis, præstitit. Hoc fecit & Ezechias pius Rex, quo tempore Deus sanitatem illi restituit, & quindecim adhuc annis vitam prorogauit. Neque viri solùm hac vsi pietate fuerunt, verùmetiam fœminæ: Sic cecinit Debora canticum post separatum Sissaram: Sic Anna Samuelis mater, quæ priùs sterilis fuerat, vbi exaudita à Deo fuit, & quem postulauerat Samuelem genuit, egregio cantico gratitudinem suam erga Deum declarauit. Sic paulò pòst videbimus fecisse Zachariam, Ioannis Baptistæ patrem, vbi primùm restituta vox illi fuit. Hoc idem nunc fecit, & facit virgo sancta, tantò melius & sublimius, quantò maiore gratia aucta fuit, & quantò maiora beneficia accepit.

55 Notandum, Celebrare virginem sanctam, misericordiam, potentiam, iustitiam, & veritatem eius, qui fecit illi magna, & cuius sanctum nomen esse dicit. Celebrat autem primum in se, deinde in omnium locorum & temporum homines, posteà specialiter in ipsum Israëlem, quod eadem planè via, & eodē ordine magnificè Dauid facit in illo psalmo, in quo similiter prouocat animam

& spiritum

& ſpiritum ſuum ad eas laudes cantandas & prædicandas: Benedic anima mea Dominum,& omnia,quæ intra me ſunt,nomini ſancto eius &c. Et illo ſimiliter: Benedicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum: Et item: Exaltabo te,Deus meus Rex,& benedicam nomini tuo in ſeculum,& in ſeculũ ſeculi. Qua via inſiſtentes, eadem duce, atque adiutrice virgine ſancta, & nos aliquid proloquemur.

56 NOtandum, Eandem rationem & modum virginem ſanctam in ordiendo cantico ſuo ſeruare, quem alij ſancti itidem maioreſque eius in laudando & celebrando Deo ſeruauerunt: vt primum ſcopum & intentionem ſuam totam effundant, moxq; eius rationem adiungant, ac poſteà fuſius rem totam explicent, in laudeſque Dei atque adeò grates egrediantur. Quod paulò pòſt faciet Zacharias: Benedictus Dominus Deus Iſraël. Deinde confirmat hoc propoſitum ratione: Quia viſitauit, & fecit redemtionem plebis ſuæ. Quod quomodo & qua ratione factum ſit,deinceps per egreſsionẽ explicat. Et antè virginem, non vno loco, ſed pluribus facit Dauid. Hoc igitur facit ſimiliter virgo ſancta: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Scopus hic eſt & intentio, cuius ſenſus hic eſt. Laudat,celebrat, benedicit, & glorificat, magnumque vbique prædicat anima mea Dominum: & gaudio & exultatione, qua maior eſſe non poteſt, effertur ſpiritus meus. Non inde, quòd ad me cælitus maximus Angelorum miſſus eſt, non quòd ad vocem meam exultauit infans in vtero, neque in eo, quòd mater Dei dicor, quòd benedicta inter omnes mulieres; ſed in Deo ſalutari meo: qui earum rerum omnium mihi dux & autor eſt. Similia illa ſunt: Anima mea,inquit Dauid, exultabit in Domino,& delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Et illud: Magnificate Dominum mecum. Et illud Annæ matris Samuelis: Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cornu meum in Deo meo: quia lætata ſum in ſalutari tuo. Variè autem hoc loco diſtinguunt animam à ſpiritu docti. Theophylactus quidem in hunc modum animam interpretatur, naturales animæ operationes, ipſamque animantis naturalem vitam, quæ humana ratione gubernatur, nihilque ſupra naturam agentem: vt cùm ſitiens potum deſiderat, eſuriens eſcam; vt cùm amicum diligit, illique benè vult,inimicum autem odio perſequitur. Per ſpiritum autem intelligit ſpirituale donum & gratiam, quæ cælitus homini infunditur: iuxta quam, relictis terræ ſordibus, carniſque cura, tota ad Deum ſe refert, illum amat,illo ſe oblectat, ad cæleſtia fertur: cui omnia vileſcunt in terra,qui omnia gaudia ſua ad Deum refert,in eoq; collocat.

57 ALij ex illo loco D. Pauli ad Theſſalonicenſes, Vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela in Aduentum Domini noſtri IESV Chriſti conſeruetur, alio modo hæc diſtinguunt; vt per ſpiritum intelligant præcipuam in homine partem,qua diuina percipiamus: per animam verò illam vim, quæ naturales exercet ratiocinationes: per corpus autem affectus, qui craſsius neſcio quid ac quaſi corporeum habent, qui niſi regantur, carnalem efficiunt hominem. Nobis quidẽ ſimplicior ille ſenſus videtur,vt primo nomine animę communiter pro omnibus illius viribus vtatur, deinde nomine ſpiritus partem illius diuiniorem, & perfectiorem,Deoque viciniorem, qualis eſt mens & intel-

lectus, quem oculum animi philosophi vocant: vt illud virgo exprimere velit, magnificare dūm animam suam, & posteà omnes vires & facultates suas,& magnificare & exultare in Deo salutari suo. Quod Dauid ipse clariùs dixit: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Quemadmodum & illud similiter in sacra scriptura dicitur: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Non quòd ista tantoperè distinguantur, sed vt planè totus homo omnibus suis partibus Deum diligat. Hoc igitur facit virgo: ac si diceret, (V.Beda inquit) Totas animæ vires in agendis gratiarum laudibus offero: quidquid viuo, sentio, discerno, totum in contemplandam magnitudinē eius, cuius non est finis, gratulanter impendo. Et ordinem autem laudis huius cum Theophylacto inspicias: quia primùm magnificat anima Dominum, deinde Spiritus exultat. Magnificat Deum, qui ita cum Deo, vt æquum est, ambulat. Christianus vocatus es: agnosce dignitatem Christi, & nomen: neque indignum quid tanto nomine cogitare & aggredi, maiestatemque illius tuis malefactis commaculare audeas: sed magnifica illud præstantiū & cælestium virtutum operatione, & tum demum spiritus tuus exultabit: id est spiritalis gratia, qua beneficio virtutum auctus es, saliet quodammodo, & in dies proficiet atque augebitur.

58 PHilosophantur autē hoc loco duo vetustissimi patres, Ambrosius & Origenes, quomodo ille magnificari possit, cuius magnitudini nihil addi, neq; de ea detrahi potest, & cuius magnitudinis non est finis. Quem quidē ipsum magnificari non posse, nec ad eius magnitudinem quidquam adiici, iidem Sancti patres docent: in imagine tamen sua, quæ est homo, eum quotidie magnificari. Quod tum fit, cùm in omni genere virtutis nos exercemus, atque exercendo proficimus, quod quidem quotidie à Deo immortali nobis precamur, traditis in eam rem nobis diuinitus conceptis verbis, cùm dicimus, Sanctificetur nomen tuum: hoc est, in nobis moribusq; nostris sanctum fiat & elucescat. Quod totum vt melius intelligatur, iuuat ipsorummet Sanctorum patrum verba apponere. Quæritur, inquit, Origenes, quomodo magnificet Dominum. Si enim Dominus nec augmentum nec decrementum recipere potest, & quod est, est; qua ratione nunc Maria loquitur, Magnificat anima mea Dominum. Si considerem, Dominum saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginem conditoris, vt imago esset imaginis: neque enim anima mea specialiter imago est Dei, sed ad similitudinem imaginis prioris effecta est: tunc videbo, quoniam in exemplum eorum, qui solent imagines pingere, & vno (verbi gratiæ) vultu Regis accepto, ad principalem similitudinem exprimendam artis industriam commendare, vnusquisq; nostrū ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem ei aut minorem ponit imaginē, vel obsoletam, vel sordidam, aut clarā atq; lucentem & splendentem, ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginē imaginis, id est animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est in nostra anima, magnificatur. Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine; sic, si peccatores fuerimus, minuitur atque decrescit. Et Origenes quidē hunc in modum. D.Ambrosius autem sic: Magnificatur Dominus, sicut & alibi legisti, Magnificate Dominum mecum, non quod domino aliquid humana voce

possit

posſit adiungi, ſed quia magnificatur in nobis: imago enim Dei Chriſtus eſt. Et ideo ſi quid iuſtum religioſumq; fecerit anima illa, imaginem Dei, ad cuius eſt ſimilitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis eius quadã participatione ſublimior fit; vt illam imaginem ſplendido bonorum colore factorum, & quadam æmulatione uirtutis in ſe videatur exprimere. Mihi quidem ſimpliciſsima illa expoſitio huius loci videtur, vt verbum magnificare, pro laudare, prædicare, honorare accipiatur: quod tamen non fit melius, quàm per vitam & mores.

59 NOtandum, Cauſam reddere virginem ſanctam, cur magnificet Dominum, & cur exultet ſpiritus eius in Deo ſalutari eius: eam nempe, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Habent autem miram emphaſim ſingula verba. Reſpexit, illis oculis de quibus Salomon: Sint oculi tui intenti ſuper domũ iſtã die ac nocte: & quos vbi ille auertit, turbantur omnia, auſertur ſpiritus eorũ & deficiunt, & in puluerem ſuum reuertuntur. Quibus oculis ut aſpiciatur, ſepius rogat primus proauus huius virginis Dauid: Reſpice, inquit, in me & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Quibus item vt nos reſpiciat omnes, orandum eſt. Tum autem reſpicere Dominus dicitur, vbi noſtri recordatur, noſtri miſeretur, noſtras preces audit, nos nouis afficit beneficiis. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Et illud Eccleſiaſtici: Poſt hæc Deus in terram reſpexit & impleuit illam bonis ſuis. Sic reſpexiſſe legitur Petrum, Matthæum, Magdalenam, Zachæum, & alios multos. In quo eodem ſignificato etiam ij qui foris ſunt, vſi eſſe eadem dictione videntur. Quale illud: Libertas ſera reſpexit, & longo poſt tempore venit. Hoc igitur dicit virgo ſancta: Reſpexit, inquit, hoc eſt, recordatus eſt noſtri benignè, & miſericorditer nobiſcũ fecit: Ille, inquit, me prior reſpexit, non ego prima illum aſpexi: ille mei miſertus eſt, non ego illum quæſiui: ille me præuenit in benedictionibus dulcedinis, ille me ſibi prior ſponſam deſpondit, cuius ego ne ancilla quidem eſſe merebar. Sed quid tandem eſt, ô virgo ſacra, quod in te reſpexit hic ipſe magnus, potens, & cuius nomen ſanctum eſt? Numquid inclytã Dauidis progeniem? numquid gentis ac generis nobilitatem? numquid opes & diuitias? numquid honorum & dignitatum amplitudinem, quæ mundus miratur? numquid præſtantem hanc tuam & admirabilem ſapientiam, qua cunctos mortales ſuperaſti? numquid vernantem hanc virginitatem, quam tantum adamaſti; vt ne mater quidem Dei eſſe volueris, niſi illa tibi ſalua & integra conſeruaretur? numquid humilem hunc fabrum coniugem tuum? Nihil, inquit, horum. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Reſpexit, inquit, humilitatem ancillæ ſuæ. Quo loco illud notandum eſt, quod Latini vnico verbo humilitatis complexi ſunt, illud Græcos duobus verbis efferre ταπεινώσεως καὶ ταπεινοφροσύνης. Et primum quidem illud ad uilitatẽ & abiectionem quandam referunt, quomodo vilem & abiectum animum vocant: deinde ad paruitatem quandam, quale illud poëtæ, Humiles habitare caſas, & figere ceruos. Per ſecundum ſignificant mitem animum, pauperem ſpiritum, & trementem ſermones Dei, qui ſibi nihil tribuit, qui alteri nihil detrahit, qui de omnibus optimè ſentit, qui nulli ſe anteponit, qui contemnit neminem, & ſe ab omnibus facilè contemni patitur, qui humilem ſuum locum agnoſcit; omnia hæc vno verbo humilitatis complexi ſunt Latini. Quæri hîc ſolet à doctis, in quo ſignificato beata virgo hoc nomen vſurpauit? Et alij quidem

dem ad primam illam vilitatis significationem referunt, quod mihi simpliciter non placet. Nam etsi beata virgo pauper & inops fuit, vile tamen & abiectum in ea nihil apparere potuit, vt quæ per omnes partes honestatis & grauitatis transierit, honestissimosque cognatos & notos habuerit, vel hanc ipsam Elisabetam sacerdotis Zachariæ vxorem. Alij in secundo significatu dictum esse putant, pro paruitate & egestate quadam, quod nihil in se absurdi continet. Communiter ad tertium genus humilitatis virginis respexisse arbitrantur: ταπεινώσιν hanc siue μετριότητα ab his etiam, qui foris sunt, appellari docet Origenes. Mihi quidem & ad secundum & ad tertium significatū rem totam virgo sancta retulisse videtur: vt & paruitatem & paupertatem suam facilè agnoscat; indignitatem item, qua se hoc tali & tanto partu, quem gerebat, semper indignam iudicauit. At omnes item illas partes tertij generis, quæ vel in ipso finali ad Angelum responso clarissimè reluxerunt: Ecce, inquit, esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes: quod paruitatis & paupertatis est. Et item, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles: quod ad tertiam significationem humilitatis referri dictum est. Neque illud obstat, quòd maior commendatio appareret virginis, si abiectam se appellasset, quàm si dixisset, Deum aspexisse virtutem humilitatem illius: hæc enim fuisset quædam iactatio, contraria ei virtuti, de qua loquimur. Ita enim voluit Spiritus sanctus virginem sese humiliare, vt veritati & exemplo suus relinqueretur locus; nec ea dona & gratiæ Dei, quæ in ipsa erant, dissimularentur: cùm præsertim in tertio illius tali loco ab aliqua iactatione fuerit remotissima. Prodit autem se hoc loco dignitas ipsius humilitatis, eam scilicet principem quandam virtutum esse, vtpotè quàm sapientissima virgo omnibus virtutibus suis amplissimis (quid enim in matre Dei mediocre esse potuit) libenter antetulerit, sed & paulò pòst ipse eius filius Christus Dominus; Discite, inquit, à me, quia mitis sum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus vestris. Solam humilitatem ponit, quasi nullæ aliæ virtutes essent. Rectè igitur Chrysostomus, meliorem esse humilitatem sine alijs virtutibus, quàm alias virtutes cum fastu & superbia coniunctas. Humiliemur igitur & nos sub potenti manu eius, & ipse exaltabit nos, & faciet nobis magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Respexit ergo in humilitatem tuam, ô virgo sancta. Sed cuius tandem humilitatem? numquid reginæ mundi? numquid Imperatricis gloriosæ? numquid stellæ maris? numquid & aduocatæ omnium gentium? numquid principis virginum? numquid matris futuræ Dei? Nequaquam profectò, sed humilis ancillæ respexit humilitatem, ancillæ suæ, seruæ suæ, creaturæ suæ. Ancilla etiam apud eos, qui foris sunt, ad dominam suam refertur. Respexit & hoc fortassè ad eam, quæ mater futura erat Domini sui.

60 NOtandum, Humilitatem sequi veram laudem, & Confessionem sequi prophetiam. Prophetat virgo sancta ac futura prædicit primò sibi, deinde Ecclesiæ vniuersæ, ac omnibus in posterum eius. Sibi quidem, benedictam se prædicaturas omnes gentes. Ex hoc, inquit, beatam me dicent omnes generationes. Eam prædicaturæ erant, inquit V. Beda, cuius humilitas respicitur. Sicut è contrario cuius superbia despectu condemnatur, Euæ, id est, væ siue calamitatis nomine multata tabescit. Decebat enim, vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis mors in mundum intrauit; ita denuo per humilitatem Mariæ, vitæ introitus panderetur. Prædicit & Ecclesiæ, eam scilicet Catholicam

licam futuram, vt pote ex omnibus gentibus congregandam: sub nomen IESV Christi filij eius omnes gentes & nationes ituras, quæ eam benedicturæ erant. Ex hoc, inquit, beatam me dicent omnes generationes. Non aliæ certè, quàm illæ, quæ fidem Christianam recepturæ erant: ex quibus Ecclesia sancta per orbem terrarum fusa congregari debuit. Ex hoc, inquit, beatã me dicent omnes generationes. Neque falsa est virgo sancta: quis enim eam benedictam non prædicat? quis non laudat? quis in cælum non fert? præter perfidos Iudæos, eosque non omnes. Nam & Machometana ipsa secta eam in magno honore & reuerentia habet, eam prædicat ac dilaudat: grauissimeque in eos animaduertit, qui aliquid acerbius contra eandem virginem sanctam dixerint. Verè autem benedicta, quæ & sibi, & vniuerso orbi benedictionem restituit, maledictionem primæ Euæ abstulit, ac cæli porta & ianua facta est.

61 NOtandum autem est hoc loco, in vera Ecclesia perennem venerationem Matris Dei permanere debuisse. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Cùm igitur in hæreticorum Synagogis mater Dei non modo non prædicetur, sed blasphemetur, proscindatur, ac traducatur nonnunquã, graueque nefas putetur, si Angelica salutatione honoretur; profectò non erũt de illis generationibus, quas illa prædixit beatam se prædicaturas in perpetuũ; sed ex illius principis cohorte potiùs, de quo dictum est, Inimicitias ponam inter te & inter mulierem, inter semen tuum, & inter semen illius: & ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius: proculq; ab illa domo erunt, in qua beati habitantes omnes, quia in æternum laudabunt Dominum; remotissimi ab Ecclesia sanctorum, remotissimi à populo graui, in quo laudatur Deus. Quemadmodum autem isti veræ Ecclesiæ sibi nomen vsurpare non possunt, qui matrem Dei benedictam non prædicant: ita illa congregatio & Ecclesia Dei vera sit oportet, & omni laude commendationeque dignissima, quæ in omni tempore, siue illud matutinum, siue meridianum, siue vespertinum, atque nocturnum sit, eam virginem benedictam prædicat; quæ nullam partem orationis instituit, cui salutationem Angelicam non adiungat. Sed & illi homines non mediocriter laudandi, qui eam virginem honorare laudibusque prosequi ac commendare non desinunt, ad eamque rem societates & Collegia congregant, coronas benedictas ac indices varios conficiunt: vt impleatur hæc magnæ Virginis prophetia; Beatam me dicent omnes generationes. Sis igitur beata & benedicta in æternum, ô sanctissima virgo, oraque pro nobis, nunc & in hora mortis nostræ, Amen.

62 NOtandum, Prædixisse beatam Virginem, beatam se appellandam ab omnibus generationibus: in qua re, ne quid sibi tribuere videretur, eius rei rationem adfert. Ac vt cætera omnia, ita & hoc ipsum in Deum omnium bonorum autorem & largitorem refert: Quia, inquit, fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius. Non ego, inquit, tantorum bonorum causam dedi, non aliquo merito meo eam benedictionem comerui, nihil in hac parte meum recognosco: sed dicar benedicta eius dono, non meo merito: quia fecit mihi magna, qui potens est. Auget autem & dona, & donorum autorẽ. Dona, cùm dicit, Fecit mihi magna: Bonorum autorem, Qui potens est, & sanctum nomen eius. Obseruandum autem est, cùm dicit virgo sancta, fecisse Dominum sibi magna, ea non enumerare, sed simpliciter magna dicere: partim

tim quòd nec ratione concipi, nec vlla oratione explicari poſsint. Quis enim hoc rectè explicare poteſt, Deum hominem factum eſſe, ac in mortali vtero latere poſſe? partim ne enumerando ſuperbire ac ſe ipſam commendare videretur: illa enim ei neceſſariò dicenda eſſent, ſe cæleſti nuntio dignam exiſtimatam, ſe matrem Dei eſſe factam, ſe ſalutem & benedictionem reſtituiſſe, ad eius vocem exultaſſe infantem in vtero: quæ quidem ſine aliqua verecundia virgo recenſere non potuiſſet. Sed ſimpliciter & in ſumma dicit, facta ſibi eſſe Magna: partim vt oſtenderet, ea quæ Deus largitur, verè magna dici poſſe. Nam ea quæ mundus largitur, tempore quidem & primo aſpectu magna eſſe videntur, re tamen ipſa vltimò ad nihilum reuocantur. Dicit ergo ſibi non talia magna facta & tributa eſſe, qualia fallax mundus ferre aut dare ſolet: ſed verè magna, qualia ſolus Deus largiri ſolet. Et quamùis primò & præcipuè virgo ſancta, & planè verè iſta verba vſurpare poſſet: ſecundariò tamen vnuſquiſque noſtrum ad hæc eadem confitenda, ſed & omni gratitudine repetenda obligatur; feciſſe ſcilicet nobis Deum magna, qui potens eſt. Vt enim omittam beneficium creationis miræ ſtructuræ & fabricæ, prouidentiæ item & gubernationis, ſubiectionisque vniuerſæ creaturæ: Omnia, inquit, ſubiecisti ſub pedibus eius; Oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, Volucres cæli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Vt item omittam ſpecialia cuiuſque dona virtutis, ſapientiæ, generis, nobilitatis, gloriæ, bonæ valetudinis, quæ certè omnia magna ſunt: tamen & ex parte eorum bonorum, quibus beata virgo præcipuè & antè omnes ornata fuit, fecit mihi magna qui potens eſt. Accepit beata virgo cæleſte incarnationis diuinæ nuntium: accepimus, ſi modo agnoſcere velimus, & nos generatim. Primò, Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis ſaluator. In parte autē quiuis, cùm audit à ſacerdote, qui eſt Angelus Dei: Ego te baptizo: ego te abſoluo. Concepit verbum Dei virgo ſancto vtero: concipimus & nos idem verbum, ac vtinam concipiamus mente. Semen, inquit, quod cecidit in terram bonam, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum Dei retinent, & fructum afferunt in patientia. Beata hæc ab Eliſabeta dicta eſt virgo, & in poſterum ab omnibus generationibus dicenda: beati & nos: Beati, inquit, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Mater & cognata Dei facta eſt: & nos ſi volumus ſimiliter. Hæc eſt, inquit, mater mea: hi ſunt fratres mei. Et dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Verè igitur fecit mihi magna, qui potens eſt, & ſanctum nomen eius. Quod vtinam agnoſcamus, vtinam confiteamur; vtinam nos tantorum beneficiorum gratos exhibeamus vel fruamur ſaltem. Aucto beneficio virgo, ad autorem & largitorem beneficij ſe confert. Ac ne cui res impoſsibilis videatur, hæc tanta & talia in vnam virginem collata eſſe, oſtendit id nulli mirum videri debere, Fecit, inquit mihi magna quia potens eſt: quia nullum impoſsibile eſt verbum apud eum: quia illius velle, eſt poſſe. Et non tantùm potuit, ſed etiam voluit, quia bonus eſt, quia Sanctum Nomen eius. Sanctum in cælis apud Cherubim & Seraphim, qui hoc ipſum vna voce confitentur: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus proclamantes. Sanctum & in terra: Quis non timebit & glorificabit nomen tuum Domine, qui ſolus ſanctus es? Sanctus & in inferno: Si deſcendero ad infernum, ades. Quia hæc eſt voluntas eius, vt cognoſcant eum omnes, & quem ille miſit IESVM Chriſtum: quia omnes ad ſe vocat, & neminem perire vult: Sanctum & terribile

terribile nomen eius. Secundum nomen eius, est honor eius: Sit igitur nomen eius benedictum in secula. Sanctum autem nomē eius, vt exponit V. Beda, vocatur: quia singularis culmine potentię transcendit omnem creaturam: atque ab vniuersis quæ fecit, longè segregatur. Cuius etiam nos imitatione, pro modulo nostro, segregari præcipimur ab omnibus, qui non sunt sancti, nec Deo dedicati, dicente domino: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Quicunque enim se consecrauerit, meritò intra & extra mundum videbitur. Potest enim & ipse dicere, super terrā ambulans: Conuersationem in cælis habemus.

63 DIgreditur liberiùs & fusiùs beata virgo in laudem eius, qui magna illi fecit, & cuius sanctum nomen est: illudque ostendit, non intra se tantum eam eius magnificentiæ vbertatem constitisse, neque illi soli magna facta esse: sed longè vlterius eum benignitatis fontem se efudisse: nec vllum aut genus hominum, aut temporum rationem, aut locorum interuallum esse, in quæ se hęc benignitas non effuderit. Non mihi, inquit, soli hæc magna præstita sunt: sed misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quo loco laudat tanti Regis primùm misericordiam, potentiam deinde, iustitiam demum ac veritatem. Multa autem hoc loco videt vno quasi intuitu virgo: multa prædicit: quidquid scriptum vnquam est, quidquid scribitur, quidquid scribetur in posterum, hoc totum breui hoc cantico ac elogio suo complectitur. Quid enim vnquam in toto seculorum decursu, aut factum est, aut fit, aut futurum est, in quo aut misericordia Dei, aut potestas eius, aut iustitia & veritas non eluxerit? aut quid totus decursus seculorum continet, quàm illud: Depositos esse potentes de sede, & exaltatos humiles: Esurientes impletos esse bonis, & diuites dimissos inanes? Hoc sacra scriptura docet: hoc omnes historici: hoc omnium monarchiarum, regnorum, familiarum ortus & decursus. Legantur 24. D. Augustini de ciuitate Dei libri, in quibus omnis progressus temporum continetur: & tamen hypothesis dramatis hæc est, depositos esse siue in cælo, siue in terra, potentes de sede, & exaltatos humiles: Esurientes impletos esse bonis, & diuites dimissos inanes. Similia quondam Anna Samuelis mater cecinit: Arcus fortium superatus est: & infirmi accincti sunt robore. Repleti prius, pro panibus se locauerunt: & famelici saturati sunt, donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & subleuat: suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Et Dauid similiter: Quis sicut dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra? Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem: Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.

64 NOtandum, primum attributum dei immortalis virginem ponere & laudare, misericordiam nempe ipsam: Et misericordia eius à progenie in progenies, timentibus eum. Nec frustra & temerè: misericordia enim eius super omnia opera eius. Et cùm duo sint, quæ se perpetuò cecinisse domino suo, profitetur Dauid, misericordia & iustitia: Misericordiam, inquit, & iudiciū cantabo tibi domine: in hisque misericordia primum locū obtinet; meritò hoc primum decus ponit diuinæ laudis beata virgo. Quamùis enim ex æquo in Deo omnes virtutes sint pares; magis tamen & magis aliæ loco & tempore suo se

exerunt. Misericordiæ quidem eius proprius locus, præsens vita est, in præsentique hoc seculo maximè elucet & dominatur: quemadmodum iustitiæ illius futurum seculum proprius locus erit, vbi cuique reddet iuxta opera sua,& vbi misericordiæ ianua claudetur. At hìc vnicum solatium clementię ac misericordiæ viget regnatque super omnia opera eius. Ideo beata virgo primum hoc decus & ornamentum laudis diuinæ ponit: Et misericordia, inquit, eius à progenie in progenies timentibus eum. Non mihi, inquit, soli fecit magna, nec mihi soli ostendit misericordiam suam, sed neque vni alicui genti aut tempori; sed omnibus, sed semper omni tempore, omnique seculo: vtpote cuius bonitas & benignitas, tanquam successione quadam à progenie in progenies propagatur vsque in seculum. Quemadmodum enim arborum anni & tempora foliis distinguuntur, vt alia quidem cadant, alia succrescant & exoriantur: ita totius seculi decursus generationibus & progeniebus distinguuntur, vt alij quidem homines occidant, alij oriantur. Misericordia igitur eius à progenie in progenies timentibus eum: hoc est, vbique, & per omne seculum. Et si autem in omnes extendatur misericordia eius, maximè tamen in eos (ne sibi frustra blandiatur hæresis) qui timent eum, & qui tremunt ad sermones eius, qui pro peccatis admissis dolent, qui à futuris abstinent sibique cauent. Quod similiter Dauid docuit: Misericordia domini, inquit, ab æterno & vsque in æternum, super timentes eum; & iustitia eius in filios filiorum, his qui seruant testamentum eius, & memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

Psalm. 102.

NOtandum, Secundum attributum diuinæ maiestatis, laudare matrem Dei, potentiam inquam. Postquam enim dixit misericordiam eius à progenie in progenies timentibus eum, ne quis fortasse spe misericordiæ eius fretus peccet, thesaurosque bonitatis & longanimitatis eius contemnat, ac inde thesaurizet sibi iram in die iræ; statim infert, ita misericordem esse, vt simul & potens sit: vt si quis fortè misericordiam eius negligat, vim & potentiam eius metuat. Nam quemadmodum misericors est erga illos, qui timent eum: ita potens & seuerus in eos, qui superbi sunt mente cordis sui, qui præcepta eius negligunt, qui pœnitentiam agere nolunt. Ne, inquit, errent, nec seipsos seducant. Fecit enim potentiam in brachio suo. Non dicant: Fecit, sed non facturus est: non hoc fortasse possit esse, vel nunc esse: sed sciant certo iam illud fecisse: & quemadmodum fecit; ita & pòst facturum. Fecit autem potentiam in brachio suo, contra superbos mente cordis sui: hoc est Luciferum primum, cæterosque apostatas angelos, viros item famosos gigantes, qui virtuti ac robori suo parem esse nullum putabant, deiecit hos de sede, ac diluuij aquis penitus deleuit. Fecit contra molles & luxuriosos sodomitas, quos igne sulphureo & spiritu procellarum aboleuit. Fecit contra Pharaonem, quem viuum in mari demersit. Fecit contra Datan Core & Abiron, cæterosq; superbos apostatas, quos in puncto ad inferos descendere fecit. Fecit contra tot millia sapientum huius mundi & philosophorũ, quorum stultam fecit sapientiam. Fecit contra tot sæuissimos tyrannos ac persecutores, qui eius ecclesiam persecuti sunt. Faciet contra tot millia hæreticorum, qui eius doctrinam inficiunt. Faciet contra ipsum Antichristum, quem percutiet spiritu oris sui. Faciet autem in brachio suo, hoc est, vt quidam volunt, in filio suo, per quem fecit & secula, & cuius virtute portat omnia, quæcunque in toto conspiciuntur

tur vniuerso. Sicut enim nostrum brachium, per quod operamur, sic dei brachium, dictum est eius verbum, quia per verbum operatus est mundum. Incarnato item Dei filio, & cùm virgo peperisset, præterea cùm Deus homo factus esset, & homo esset; natura superata est, & facta est potentia in brachio Dei. Vel, vt alij volunt, in virtute & robore suo, quod per brachium, in quo summa & prima est vis hominis, designatur. De quo Isaias: Consurge, consurge, inquit, induere fortitudine brachium domini: consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus seculorum. Numquid nō tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Fecit autem, & facit, & facturus est, non contra mites & humiles, eosq́; qui tremunt ad sermones eius; sed contra superbos: non eos tantùm, qui in equis & curribus suis superbiunt, qui epulantur quotidie splendidè, qui bysso & purpura induuntur; sed eos quoque, qui sunt superbi mente cordis sui: hoc est, qui beneficia eius non recognoscunt, qui sua omnia ad seipsos referunt, qui alios præ se cōtemnunt, & qui illud occinunt: Labia nostra à nobis sunt, quis noster dominus est? Vt enim eos, qui pauperes sunt spiritu, beatos dicit & facit; ita contra eos, qui superbi mente cordis sui sunt, acer & potens vindex est.

65 NOtandum, Tertium adiunctum diuinæ maiestatis virginem sanctam laudare, iustitiam inquam: cùm enim potentiam eius laudasset, quæ plerumque, vbi à iustitia remota est, crudelitas quædã & tyrannis appellari solet. Hanc virgo sancta talē esse ostendit, quæ inprimis cum iustitia sit coniuncta. Nam cùm iustitiæ munus sit, res ad medium reuocare, siue illud arithmeticum, siue geometricum sit, hanc potentiam efficere hoc docet, dum nimium potentes de sede iustum iudicem deponere dicit; humiles autem & abiectos subleuare, ac in eorum sede reponere: esurientes item, & ad summam paupertatem redactos satiare ac replere bonis; diuites autem & nimis satiatos, vacuos & inanes dimittere: ac ita omnia extrema ad modum & mensuram suam reuocare, vt cognoscant potestatem esse cæli. Quod siue de dæmonibus animas fidelium obsidentibus, siue de Pharisæis cathedram Moysi occupantibus, ac populum dei superbè & arroganter deuorantibus, siue de philosophis, sapientiaque huius mundi arroganter populum Dei contemnente, ac in se confidente, siue de monarchis ac aliis principibus seculi, siue de omnibus his simul intellexeris, nihil aberrabis. Celebrauit hanc eandem iustitiam Dei longè antè Ecclesiasticus: Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superborum arefecit Deus, & plantauit humiles ex ipsis gentibus. Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu. Cuius totius prophetiæ matris Dei, quasi viuam imaginem expressit Daniel: Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento; porro venter & fæmora ex ære, tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscisus est lapis de monte, sine manibus, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus

Eccles. 10.

Dan. 2.

inuentus est eis: Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mōs magnus, & impleuit vniuersam terram. Statua seriem & profectum monarchiarum designat, cuius partes sunt, aurum, per quod monarchia Assyriorum designatur: argentum, quod Medorum imperium significat: æs, quod Persarum regnum ostendit: ferrum, quod Macedonibus atque vniuersa Græcia inseruit: ferrum terræ ingestum, Rempub. Romanam designat. Sedes hæ fuerant potentum, sedes superbæ, sedes iniuriæ: quæ pòst à modico & humili lapide Christo Iesu, à petra sine manibus exciso, hoc est, ex incorrupta virgine nato, fractæ, disiectæ ac in puluerem redactæ sunt. Lapis ipse mitis & humilis creuit in montem magnum, & impleuit vniuersam terram. Atque ita completum est hoc, quod dicit sancta virgo: Depositos esse potentes de sede, & de solio regni sui: gloriam eorum ablatam esse, & exaltatos humiles. Cuius eiusdem rei dogma & exemplum euidens sunt similiter hæ veteris Romæ, quæ nunc conspiciuntur, reliquiæ. Iacet Capitolium, iacet mons Palatinus, capita quondam imperij: quo vniuersa gaza Asiæ & Africæ illata, quo ex tot regnis & prouinciis, regibusque, superatis, triumphi inuecti sunt. Iacent, inquam, colles isti ac in fædas ruinas pulueremque ipsum planè redacti sunt. Stat Vaticanus & Ianiculus, sub quibus quondā in subterraneis cuniculis, vulpium instar, humilis & abiecta gens christiana, in fame, in siti, in frigore & nuditate delitescebat: illi, inquā, quibus dignus non erat mundus, hinc ad furcas & cruces, hinc ad tormēta & cruciatus, hinc ad varios & multiplices labores, tanquā feræ extrahebantur. Hic, inquam, Vaticanus, hic Soractes & Ianiculus stant, iura & religiones dant gentibus, peccata ligant & soluunt, portas cæli aperiunt: ad horū pedes reges & imperatores obedientias suas deferunt, eorū puluerē lingunt. Cur ita? Quia deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Verùm nos metas notarum excedimus: huc igitur pedem referamus. Quod si quis per diuites & satiatos, Iudæos ipsos, quorū lex, quorum Prophetæ, quorum promissiones, ex quibus Christus; per esurientes autē alias gentes & nationes, omnes, quæ his omnibus caruerunt, intelligendos putauerit; hic nō multū à Christi ipsius domini doctrina aberrauerit, qui ad Canaanitidem inquit: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Per filios sine dubio Iudæos, per canes autem famelicos gentiles intelligendo. Quæ tamen fames postea in eosdem diuites & inflatos Iudæos conuersa est, iuxta illam Dauidis prophetiam: Famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem.

67 NOtandum vltimò, beatissimam virginem veritatem heri sui laudare, attributum sanctum, attributum magnum, attributum soli Deo proprium. Omnis siquidem homo mendax, solus Deus verax: indeque Deus veritatis appellatur. Redemisti me, inquit, Domine Deus veritatis. Indeque ipsa veritas esse dicitur: Ego sum, inquit, via, veritas & vita. Cùm autem Deus immortalis cum aliis gentibus nulla pacta fecerit, nulla promissa illis dederit, ideò ad designandam eius veritatem, quæ in dictorum & conuentorum expletione consistit, gentem assumit Hebræam, vtpote ad quam solam promissiones sunt factæ, cum qua pacta & fœdera multa icta sunt. Ac ita à communitate omniū gentium & nationum, ad ipsum Israëlem orationem refert virgo sancta: Suscepit, inquit, Israël puerum suum. Suscepit, hoc est, ex multis millibus in populum

lum acceptabilem sibi accepit: carnem eius ex sanguinibus meis assumsit, puerum electum sibi fecit. Suscepit, inquit, Israël: siue secundùm carnem, vtpote ex cuius genere profectus est: cui sententię hoc patrocinatur, quòd ad Abraham & reliquum Israël secundùm carnem locutus est, ac cum eodem in carne conuersatus, ex eo in carne natus est. siue secundùm fidem & spiritum, iuxta Paulum, Non enim omnes, qui ex Israël, ij sunt Israëlitæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: Sed in Isaac vocabitur tibi semen, id est: non, qui filij carnis, hi filij Dei; sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Et ad Galatas: Nos, inquit, fratres secundùm Isaac promissionis filij sumus. Quod cõsequentia declarare videntur, cùm dicitur, Puerum suum, quod de ipso secundùm carnem Israële intelligi nõ potest, qui tandem aliquando reprobatus est, excidit, & excisus est: nisi fortasse secundùm partem, in his qui quotidie conuertuntur. Suscepit, inquit, Israël puerum suum, recordatus misericordię suę. Similia iam olim cecinit Dauid: Recordatus est, inquit, misericordiæ suæ & veritatis domui Israël. Puerum autem Israëlem vocat, iuxta Bedam, qui ab eo sit ad saluandum susceptus, obedientem videlicet & humilem, iuxta quod Oseę dicit: Quia puer est Israël, & dilexi eum. Nam qui contemnit humiliari, non potest vtique saluari, nec dicere cum Propheta: Ecce enim Deus adiuuat me, & dominus susceptor est animę meę. Quicunque autem humiliauerit se sicut paruulus, hic maior est in regno cælorum. Recordatus misericordię suę: atque in eo ipso veritatem suam omnibus gentibus abunde probauit. Sicut, inquit, locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula: iuxta illud D. Pauli: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dixit & seminibus, quasi in multis; sed quasi in vno, Et semini tuo, qui est Christus. Promissiones autem ad Abraham factas inuenies, Genesis 17. Dixit ei Deus: Ego sum, & ponam pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Et aliæ Gen. 12. 13. 15. 21. Neq; tamen hic dicit beata virgo, ita susceptum Israëlem esse, vt ab ea gratia, & misericordia cæterę gentes exclusę sint, cùm nil Deus earum rerum oderit, quas fecit; & cùm omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire cupiat: sed hoc potius dicit, Israëlem præcipuo quodam & singulari amore electum & amatum esse. Quod pulcherrima quadam similitudine virgo prudentissima declarat: Suscepit Israël puerum suum. Quemadmodum enim multorum liberorum pater, omnes quidem amat, omnibus bene vult, vnum tamen ex omnibus eligere solet, quem præcipuè amare, ac ante alios amare solet. Et quemadmodum in magna familia pater familias, omnes quidem seruos & pueros suos amat, vestit, & alit: vnum tamen aliquando ex omnibus magis charum & dilectum habere solet, quem diligit, cum quo sæpius est, cui consilia sua libentius communicare consueuit. Sic æternus paterfamilias, omnes quidem gentes ille diligit, omnibus salutem parat, omnibus res vtiles & necessarias prouidet; vnam tamen ex omnibus potissimum delegerat Iudæam, quam magis dilexerat, cui consilia sua manifestauerat. Qua eius gratia, & misericordia magnificè se effert Dauid: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua nõ

Gal. 3.

manifestauit eis. Et ante Dauidem Moyses: Quæ est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut dominus Deus noster adest nobis? Et apud Ieremiam prophetam: Perpetua charitate, inquit Dominus, dilexi te: ideo attraxi te miserans.

QVa gratia & priuilegio, ne efferatur ingratus Israël, ne superbiat, neue id meritis aut dignitati suæ tribuat, aufert hoc totum humilis virgo. Suscepit ille quidem ante alias omnes gentes Israëlem puerum suum, neq; tamen aut propter dignitatem eius, aut propter aliquam excellentem virtutem, vt pote qui semper erat duro corde, qui non cognouit vias eius, qui semper illi restitit, deos alienos quæsiuit, ac eos amauit: sed recordatus misericordiæ suæ, bonitatis ac clementiæ suæ: cùm illum à cura & memoria sui multis peccatis, multa ingratitudine repelleret: quos postea, eo iustiùs & tristiùs, ob ingratitudinem proiecit. Quod in humanis quoq; amoribus & dilectionibus videre licet: quẽ enim quis aliquando maximopere ob aliquas singulares dotes dilexerat, eũ ob ingratitudinem magis & remotius abijcere solet. Neq; verò hæc loca scripturæ pugnant cum illo D. Pauli decreto: Dico enim Christum IESVM ministrũ fuisse circumcisionis, propter veritatem DEI, ad confirmandas promissiones patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum. Neq; enim hoc docet D. Paulus, circumcisionem ipsam non eguisse misericordia Dei: clarè enim paulò antè concluserat, omnes peccasse, & omnes egere gratia & misericordia Dei, Iudæum primùm & Græcum; neq; esse causam, cur vnus erga alterum infletur pro alio, aut illum contemnat: sed illud potius docet, gentes quidem saluari & saluatas esse ex misericordia Dei mera; Iudæos autem non tantũ ex misericordia, sed etiam ex promisso. Et quemadmodum in saluatione gentium sola efulsit misericordia: ita in saluatione Israëlis, non misericordiam tantũ Dei laudari & elucere, sed veritatem etiam & iustitiam. Quamuis enim Deus immortalis nulli quicquam debeat, neq; cuiquã obligatus sit, vt qui prior à nullo acceperit. Quis enim prior dedit illi, & retribuetur ei? Nam si filio ad patrem, vti docet Aristoteles, nulla propria potest esse iuris ratio, nisi quantum pater se demiserit; quantò magis creaturæ ad creaturam? Solet tamen cælestis pater, ex sua clementia & bonitate se obligare, ac quodammodo debitor effici, cùm scilicet ille aliquid promittit. Decet enim veracem, imò ipsam veritatẽ pactis & conuentis stare, promissa seruare. Quomodo promisit omnibus bona facientibus vitam æternam, omnibus autem delinquentibus ignem æternũ: & dabit, quia ita promisit, quia se obligauit. Hoc tale debitum iactat D. Paulus: cursum consumaui, fidẽ seruaui: de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Laudant igitur gentes Dominum ex misericordia, laudat & Israël, sed vltra etiam ex veritate. Hoc igitur cantat & celebrat beata Virgo: Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini eius in secula. Et Luna testis erit in cælo fidelis.

NOtandum, instante partu Elisabethæ, rediisse virginem, propter multitudinem eorum, qui natiuitati interfuturi erant, cùm minus conueniens sit virginibus in turba versari, præsertim in hoc genere officii. Et cùm nihil magis fœminas honestet, quàm verecundia, & solitudo, & conspiciendorum virorum fuga. Vnde Rebecca, viso futuro sponso suo, operuit se, tantamq; seruauit

uit verecundiam, vt iam desponsata designatum maritum, aperto capite, non putauerit videndum. Iam iam autem impendisse tempus partus illius, inde apparet, quòd sexto Mense conceptionis Ioannis inuiserit Angelus Mariam: Maria autem manserit apud Elisabetham, quasi tribus mensibus: ita colligentur nouem menses, tempus ordinarii partus. Quemadmodum ergo virgo beata ociosa in domo Elisabethæ non mansit, sed illi inseruiuit, eamq; solabatur: Christus ita similiter in vtero eius otiosus nõ fuit, sed Prophetam suum ac præcursorem docebat ac instruebat. Qua de re pulchrè Origenes cum Ambrosio: Exercebatur, inquit, & quodammodo in athletico sancta matre per tres menses vngebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero; vt mirabiliter natus, mirabilius nutriretur. Addit Ambrosius. Aptissimo enim virtus eius certamini parabatur.

70 NOtandum, Cùm dicit Euangelista, Elisabethæ impletum est tempus pariendi, tempora iustorum impleri & prosperari, iniquos autem non dimidiare dies suos, vt quibus melius erat non nasci, quàm natos perire. Hinc illud Ambrosii: Plenitudinẽ iusti vita habet: inanes autem dies sunt impiorũ.

71 NOtandum, Non mediocre officium esse, quemadmodum tristari cum tristibus, ita lætari cum gaudentibus. Quod Paulus clarè docet: Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. Quod præceptum Pauli, etsi per se quidem facile esse videtur, vt notat D. Chrysostomus: si tamen penitius expendatur, non ita facile est. Et flere quidem cum flentibus pleriq; sine difficultate possunt: gaudere autem cum gaudentibus non ita facile est, etsi primo aspectu valde facile & expeditum esse videatur. Obstat enim plerumq; & nõ permittit innata malitia hominum, quæ nõ facile succeßibus alienis gaudeat, & quæ profectos humanos non amet: obstat inuidia, quam nihil delectat, nisi visi alieni dolores, quæ casibus & erroribus humanis gaudet, quam mœstitia aliena delectat, quæ infortuniis pascitur. Gaudent autem cognati & vicini, non tam filium Elisabethæ natum esse, quàm seni & sterili fœmina, & quæ omnem spem partus amiserat. Et quòd persuadebant sibi, hunc antiquæ mulieris partum non potuisse sine mysterio esse: & à quo magni aliquid expectabant, recordati Saræ, Samsonis matris, Annæ, & similium. Dabat & huius gaudii ac gratulationis non mediocrem causam, Elisabethæ & Zachariæ probitas & innocentia, quæ proderat omnibus, oberat nemini. Quantum igitur ex eorum sterilitate omnes mœrebant, tantum ex insperato & inopinato partu gaudebant ac ei gratulabantur. Magnus quæstus probitatis. Et ideo dicit Euangelista, Et audierũt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Magnificauit autem misericordiã, hoc est, miraculum cum sene & desperata matre fecit, suamq; virtutem in ea ostendit. Vbi & illud discendum est, non pro iis tantum, quæ nobis Deus contulit, beneficiis nos gratias Deo referre debere, sed etiam pro alienis: cum dona sanctorum, sint ornamenta omnium: & cum magnum sit, omnia omnium bona, sua facere, atq; eorum esse participem. At nos detrahimus potius, & inuidemus. Incipiunt autem angelica vaticinia compleri, vsq; ad finem mundi duratura: Et multi in natiuitate eius gaudebunt.

72 NOtandum, Multa Christum Dominum cum suo præcursore communia

habere voluisse. Natus est ille ex virgine; nascitur hic ex sterili & sene. Factum est gaudium magnum in Christi natiuitate: fit item in eius præcursoris natali: gaudent vicini, gaudent cognati. Imposuit nomen filio suo ex prædictione Gabrielis primò Maria, deinde Iosephus: imponit primò & nunc Elisabeth, deinde imponit Zacharias. Mirantur autē omnes, nō nouitatem nominis, sed quia diuinitas planè & per miraculum illud imponi videbant: nam neq; vllus in cognatione eius vocabatur nomine hoc, quod matrē mouere poterat: & ille qui surdus erat & mutus, neq; aliquo modo cū Elisabetha hac de re potuerit conferre, statim in eandem abierit sententiam, Ioannemq; nomen eius esse voluerit. Non dicit Zacharias, se velle vt nomen eius vocetur Ioannes; sed simpliciter dicit, Ioannem esse nomen eius: vt ostendat, non ab ipso, sed à Deo hoc ipsum nomen proficisci. Tabula autem Sacerdoti datur, vel quòd esse videbant mutum, vel propter mysterium, quod designabat synagogam, & eius Antistites, scripto extremo maximè niti solitos, quemadmodum Ecclesiam Dei spiritu & sermone. Ideòq; Spiritum sanctū in igne potius & linguis apparuisse, quàm in calamis. Et Paulus docet, literam occidere, spiritū autē viuificare.

NOtandum, Primùm Ioannem circumcidi, deinde illi nomen imponi. 73 Nisi enim quis ea quæ carnis sunt circumciderit primùm & reiecerit, dignus non habebitur, qui militiæ Dei adscribatur, & cuius nomen in librum vitæ æternæ referatur.

NOtat Theophylactus, Elisabeth prophetico spiritu nomine Ioannis præ- 74 dixisse, quem traxit & hausit ab illo ipso plusquam propheta, quem in vtero gerebat, vt ipse sibi Ioannes imponeret nomen. Et Ambrosius: Mirè sanctus Euangelista præmittendum putauit, quòd plurimi infantem patris nomine Zachariam appellandum putârunt, vt aduertas matri non nomen alicuius displicuisse degeneris, sed id ei sancto infusum spiritu, quod ab Angelo antè Zachariæ fuerat prænunciatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filij nequiuit vxori, sed per prophetiā didicit Elisabeth, quòd non didicerat à marito.

NOtandum, Ioannem designare gratiam: & ideo vbi primum Zacharias 75 scripsit, manu & literis loquens nomen Ioannis, eum nouam consecutum esse gratiam, loquelæ scilicet & prophetiæ. Vnde Ambrosius: Qui loquitur Ioannē, Christum prophetat. loquamur Ioannem, loquamur & Christum, vt nostrum quoq; os possit aperiri, quod in sacerdote tanto, irrationabilis modo pecudis, frena nutantis fidei coërcebant. Bonum autem Dominum habemus, & facilem indulgere peccatis, qui non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Ille dudum mutus prophetat. Hæc enim gratia Dei maxima, quòd eum quē negauerat confitetur. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius dilictorum, præmia diuina desperet. Nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum. Statimq; vt stylus impressus est ceræ, lingua quæ prius fuerat vincta, laxata est. Recepit eloquium non humanum, quoniā lingua eius fuit ligata; vinxerat enim eam incredulitas.

NOtandum, quæri solere à doctis, cur Euangelista scribat, prolocuto Za- 76 haria, natuq; Ioanne, timorem inuasisse omnes, cùm potius gaudij & exultationis causam habuerint, quàm metus. An quod proprium hominis sit, diuinam

nam potentiam reuereri, ad eiusq; vim exhorrescere? Cùm igitur tria simul miracula in ortu Ioannis animaduertisset, partum præter naturalem, nominis impositionem miraculosam, & restitutam loquelam Zachariæ, meritò timor inuasit omnes. An quòd tempus illud totum erat suspensum expectatione magna, siue rerum bonarum, siue aduersarum: in idem enim tempus inciderant prophetię de aduentu Messię, de futura immutatione Reip. de expugnatione vrbis, quali tempore quiuis motus suspecti esse solent, ac maximos metus parere. Non mirum est igitur & tunc in triplici miraculo Israëlem exhorruisse. Fit autem plerumque, vt quod maximè optare & expectare deberemus, id perhorrescamus.

77 NOtandum, conuenire iustis Dei mysteria, & magnifica facta reponere & condere in cordibus suis: quod vicinia Zacharię facit: Et posuerunt omnes audientes in cordibus suis. Nos, Deum immortalem, quot mysteria dei, quot admonitiones, quot portenta, quot miracula, quot dei beneficia & munera nobis excidere patimur, ac ne ea quidem animaduertimus, ideoque iam & miraculis & Dei beneficiis indigni efficimur.

78 NOtandum, Præsagia bona iustorũ multum plerumq; de aliquo in vtrãq; partem valere: quale hoc erat, Quis putas puer iste erit? Colligebant autem omnia magna de puero, ex his miraculis, quæ circa illum eueniebant. Et ideo addit Euangelista: Quia manus Domini, quæ tanta miracula operabatur, erat cum illo. Beatus autem ille est, quî cum manus domini, & potens est auxiliũ. Quod similiter de Dauide scriptum legimus: Percussit Dauid decem millia, quia manus domini erat cum illo.

79 NOtandum, omnia hæc quæ in Ioannis partu euenerunt, siue miracula, siue præsagia, siue famæ diuulgatio, diuina ordinatione facta fuisse: vt ille qui de futuro Messia debebat testimonium ferre, dignus fide inueniretur & omnes confirmarentur, ex ipsa Ioannis natiuitate, quod supra alios homines hic talis testis esset. Decet enim prophetam & concionatorem iam à prima sua natiuitate, iuuenta, ac omni decursu ætatis fidem & autoritatem sibi parare, siue vita siue miraculis, siue bona fama, conuenitq; celebres & laudatos esse. Quod in Moyse, Samuele, Ieremia, hoc loco in Ioanne, atque aliis multis factum esse videmus. Quibus rebus quoniam plerique, tam ex nostris: quàm ex hæreticis carent; mirum non est, si parum sua prædicatione proficiant.

80 NOtandum, Zachariam post lætitiam multorum, repletum spiritu sancto prophetasse, hoc est non presente successu elatum esse, non suas fortunas prędicasse, non de opibus & facultatibus filio nouo nato prouidendis solicitum fuisse, ne sibi quidem quidquam priuatim gratulatum esse, aut aliquam significationem priuati gaudij dedisse, sed in laudes Dei, quod quidem omnes sanctos facere solitos antea diximus, prorupisse, magnificaque eius beneficia celebrasse, simulq; de futuris bonis multa præclara prædixisse. Quia enim vox clamantis in deserto, inquit V. Beda, est nata, meritò est lingua parentis soluta. Neque enim patrem à laudibus silere decebat, qui verbi pręcone sibi nato gaudebat. Ecce loquela, quę sola est ablata diffidenti, cum spiritu prophetiæ est restituta credenti.

81 DVo igitur simul facit, paulò antè surdus & mutus sacerdos, primùm Deum

um benedicit, beneficiaque eius magnificè celebrat, prophetat vna & eadem opera deinde. Est autem mos hic prophetarum, vt ea quæ futura sunt, ita narrent, tanquam præsentia aspiciant: idque propter certitudinem & euidentiam earum rerum, quas prædicant, & fidem reuelantis, quod idem nunc facere videmus Zachariam.

NOtandum secundò, duas partes esse cantici Zachariæ: & in prima quidem eum beneficia & munera, quæ in genus humanum contulit diuina, misso cælitus Mesia, prædicare: in secunda autem parte munera & functiones filij sui futuri præcursoris recensere. 82

NOtandum: Et si vtræque prophetię tam virginis sanctę quam Zacharię sublimes & excelsæ sunt, continent enim vtræque res graues & magnificas, ac summam salutis complectuntur: habet tamen nescio quid maius & magnificentius matris Dei canticum. Nam etsi easdem planè res, eandemq; salutem, vtrumque canticum contineat ac celebret; non tamen eodem modo, nec in eadem, vt loquuntur, fili latitudine. Nam Zacharias omnia ea beneficia, quæ laudat, ad solam quasi domum Dauid, solamque Iudæam refert: etsi omnibus gentibus communia esse debebant. Sic enim loquitur: Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. At non idem facit, mater sancta, sed altiore & profundiore spiritu omnibus gentibus & nationibus eam gratiam & salutem pollicetur: Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Neque enim adhuc planè manifesta fuit gentium vocatio, etiam perfectis, donec illud auditum est: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. 83

NOtandum: Tam Iudæam quàm reliquas gentes caruisse vero rege, vero pastore, vero medico; donec Christus Dominus constitutus super montem sanctum Dei, eius prædicauit præceptum: donec bonus pastor, qui ponit animam suam pro ouibus suis, mundo affulsit: donec verus medicus cælitus apparuit, magno iacente ægroto. Totus siquidē mundus, inquit D. Augustinus, verus ægrotus fuit. Ægrotabat siquidem genus humanum, atque saucium fuit, tam in voluntate, quàm in ipsa mente grauiter vulneratum. Hoc igitur nūc inprimis Deum celebrat Zacharias: Benedictus, inquit, Dominus Deus Israël, quia suus rex visitauit subditos suos, pastor inuisit oues suas, quæ erant errantes, tanquam oues sine pastore. Medicus reuisit ægrum suum, verus & cælestis Samaritanus, illiusque vulneribus vinum & oleum infudit, iumento carnis suę imposuit, ac in diuersorium cęlestis glorię intulit. εὐλογητὸς igitur, hoc est laudandus & benedicendus dominus Deus Israël: non quòd anum ac planè sterilem senem fecit pulchra prole parentem, non quòd futurę hęreditatis pręclarum se dedit hęredem, nō quòd surdo & muto aures & os aperuit; sed quia visitauit plebem suam, Iudęam quidem inprimis, pòst omnes generationes. 84

NOtandum, Vniuersum genus humanum in duram seruitutem, cuius Ægyptiaca seruitus typus & vmbra fuit, venundatum fuisse, an potius pro lethali fructu se venundasse sub tristiq; & iniusto domino Diabolo iniquissimam seruitutem, per tota quinque annorum millia, seruiuisse. De qua seruitute Isaias: Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian: De qua eadem seruitute ipse saluator: Dum fortis armatus 85 *Esa. 9.*

tus custodit atrium suum, in pace sunt ea quę posśidet. Duram ergo seruitutem seruierunt omnes gentes, seruitutem in ferro & mendicitate: donec tandē aliquando misertus est Deus plasmatis sui, misertus afflictæ seruitutis, inuisit ægrum suum, & mendicum suum. Sed non frustra, neq; ore & præsidio, quod plerumq; in visitatione ægrotorum & captiuorum facere solemus: Sed curauit simul, in forti brachio eduxit, se ipsum dedit in redemtionem nostram, nósque de diabolica potestate liberauit, indeq; redemtor & pretium nostrum dictus est. Neq; vtcumq;, aut vili aliquo me redemit, sed prætioso sanguine filij sui. Vnde D. Paulus: Empti estis prætio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. De qua redemtione Isaias: Gratis venundati estis, & sine argento redimemini: quia pro vili & misero fructu venditi, & sine argento pretioso sanguine, quasi agni immaculati, redemti sumus. De qua eadem redemtione D. Paulus: Qui, inquit, dedit redemtionem semetipsum pro omnibus. Pro hoc igitur tali & tanto munere, agit nunc gratias, ac benedicit Dominum Zacharias. Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemtionem plebis suæ. Visitauit, inquit Beda, plebem suam, quasi in longa infirmitate subsistentem, & quasi venditam sub peccato, vnici filij sui sanguine redemit ipso. Iam igitur totum in nos ius inimicus homo amisit: neminem igitur aut tenere, aut capere potest, nisi volentem. Alligatus enim est, tanquā annexus canis catenis: & neminem mordere potest, nisi illum, qui se illi mortifera securitate adiunxerit stultus homo. Equidem canis ligatus latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Ex nobis igitur perditio: salus ex Domino. Quod autem spiritus Dei per Prophetam plebem Dei appellat, id ea ratione facit; non quòd Deus huc veniens suam inuenerit, sed quia visitando suam fecerit.

1. Cor. 6.

1. Timit. 2.

86 NOtandum, Naturam humanā valde imbecillam ac inermem siue ad propulsandos inimicos, morborumq; vim & impetum, siue ad eleuationem siue in lapsu, ac ad surgendū vbi ceciderit vires restaurādas. Designat hoc saluator noster apud D. Lucā in homine, qui inciderat in latrones, qui neq; impetū latronum sustinere potuit, neq; se eleuare; sed saucius & semiuiuus iacuit ita, vt nisi à Samaritano subleuatus fuisset, ad extremum penitus interijsset. Vt autē natura nostra ad se tuendam inermis est ac imbellis, ita hostes & aduersarios habet potentisśimos: illum, inquam, Behemoth, cui nulla vis resistere poterit. Cùm apprehenderit eum, gladius subsistere non poterit, neq; hasta, neq; torax, neq; super terram potestas, quæ comparetur ei: qui factus est, vt nullū timeat. Ille fortis armatus, qui custodit atriū suum in pace. Non est nobis colluctatio, inquit Paulus, aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Quæ cùm ita sint, misertus cælestis pater ægre ac infirmæ naturæ nostræ, erexit signū & vexillum omnis adiutorij & præsidij nostri, Christū Dominū. Qui fortis in prælio, venit destruere omnes inimicos nostros, vt nos de insidiis eorum liberaret. Hoc igitur nunc canit, hoc celebrat venerabilis senex, illud ostendens, hunc ipsum liberatorem non solùm pro præsenti tempore nos liberauisse, sed etiam in futurum omne tempus profugium & munitionem nobis, & turrim fortitudinis à facie inimicorum excitasse. Quod idem iam antequam reges essent in Israël, agnouit mater Samuelis Anna, & cōfessa est: Dominus, inquit, iudicabit fines terræ, & dabit imperium Regi suo,

Iob. 40. 41.

& sublimabit cornu Christi sui. Et Dauid: Deus fortis meus, sperabo in eum: Scutum meum, & cornu salutis meæ. Hoc idem & Ezechiel prædixit: In illo die, inquit, pullulabit cornu domus Israël. Nunc deniq; prædicit noster Zacharias: Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Est autem cornu quasi propria quadam metaphora sacræ scripturæ, vim imprimis, robur, profugium, & munitionem, regnum deinde significans. Vim quidem, quòd solidior sit pars amantis, pugnæ comparata, iuxta illud, cornu petit ille, caueto: Vnde & apud quasdam gentes cornibus aratra boues trahunt. Significat item & regnum, quòd vnguentum illud quo Sacerdotes, Reges ac Principes inungi solebant, cornu continebatur, iuxta illud: Sumsit Sadoc Sacerdos cornu olei, de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: viuat Rex Salomon. Hoc loco pro ipso Mesśia, eiusq; preciosissima morte, vnico confugio contra omnes tribulantes nos, sumtum esse videtur, qui est lapis angularis, robur & fundamentum, primùmq; & summum caput Ecclesiæ. Nam hic ipse Christus, virtus est æterni patris, brachium insuperabile, mons confugij, iuxta illud: portans omnia verbo virtutis suæ. Et hic idem Mesśias est regnum illud, quod conterere debuit regna omnia, & ipsũ conteri non debuit: quod cũ magna lætitia aliquando Domus Dauid suscepit, cùm cecinit: Benedictum regnum patris nostri Dauid, osanna in excelsis. Idem ipse est lapis angularis, primum & summum fundamentum. Nemo, inquit Paulus potest aliud fundamentum ponere, nisi quod positum est, Christus Iesus. Hoc cornu debebant ventilari inimici nostri. Erectus serpens æneus, vt quicunq; aspiceret eum, non periret, sed haberet vitam æternam: Huc igitur curramus, huc ruamus omnes, sub brachiis eius & viuere velimus & mori. Similiter etiam cornu pro tuba, qua milites ad pugnam conuocantur & animantur: quod item Christo Domino conuenire potest. Vnde V. Beda: Cornu salutis regnũ saluatoris Christi vocatur: quo mundo spiritalis, & quæ carnis gaudia superet altitudo nunciatur. Benedictus igitur Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemtionem plebis suæ. Et erexit, hoc est siue subleuauit (quomodo Moyses serpentem æneum in deserto, quomodo item Imperatores vexilla atq; trophæa eleuare solent) siue, vt alij, excitauit interpretantur, quod propiùs est Græco: Græci enim ἤγειρε dicitur. Erexit autem in domo Dauid, hoc est in Betleem Iudæ, iuxta Malachiæ prædictionem. In domo Dauid, sed non pro sola domo Dauid; sed misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum: ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes.

87 NOtandum, vbi Zacharias summa celebrasset Dei beneficia, quòd visitauerit ægros & vinctos suos, quòd pretioso suo sanguine nos redemerit, quòd erexerit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui: nunc illud docet: quòd etsi tunc immediatè, propriè, & reipsa quasi facturus erat, tamen ne antea quidem id præteriisse, aut curam creaturæ suæ abiecisse, sed longè antè hoc inchoasse per ora sanctorum suorum, qui à seculo sunt prophetarum eius: per hos oues, ægros, & captiuos suos inuisisse, per ora istorum certam redemtionẽ & salutem prædixisse, regnumq; ac præsidium nouum excitaturum fuisse, cõtra omnes insultus inimicorum nostrorum. Neq; id semel aut iterum fecisse, sed perpetuò omnibus sæculis continuasse, nunquam intermisisse, in eoq; iustitiam & veritatẽ suam magnificè probasse. Quam ipsam veritatem cælos ipsos 88

Domino

Domino confiteri ac deferre testatur Dauid: Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum. Sicut, inquit, locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius. Addit autem à seculo, ne per solos illos prophetas locutus esse videatur, qui in ordine nunc leguntur prophetarum. Neq; enim soli Ieremias, Daniel, & Isaias, cæterique tales, qui & prophetæ specialiter appellati, & de eius aduentu manifestè sunt locuti: Verùm ipse pater Adam, Abel, & Enoch, & cæteri patrum, factis quiq; suis eius dispensationi testimonium reddunt. Vnus Dominus ipse Iudęorum duritiã redarguens ait: Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Cùm enim opus redemtionis nostræ tale fuerit, quod omnẽ humanum excederet captum (quid enim admirabilius esse potest, quàm in redemtionem serui dari ipsum hæredem, Deum hominem fieri, ac indigna pati?) Multis igitur seculis hæc tanta dona & arcana explicari debuerunt, multis imaginibus adumbrari, instillari item, ne sua magnitudine angustas hominum mentes opprimerent. Quod autem nunc prædicit Zacharias, hoc multis pòst temporibus explicat D. Paulus: Multifariã multisq; modis, olim Deus loquens patribus in prophetis, nouisimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum. Notandum ast autem hoc loco, omnia illa, quæ prophetæ sanctiq; Dei prædixerunt, per os ipsorum locutũ esse Dominum: quod ex hoc Pauli loco apparet, & ex Zacharia, & Petri Apostoli Canonica, qui non humana voluntate docet allatam esse prophetiã, sed Spiritu sancto inspiratos locutos esse sanctos Dei homines: Vt nõ tam ipsi loqui viderẽtur, quã Spiritus sanctus qui in eis habitabat. Cùm autẽ prophetica grauitate Zacharias vsus, paulò obscurius superiora explicasset, ac subobscuriore methaphora cornu salutis vsus fuisset, ideò clariorem & illustriorem eius rei expositionem adiungit, hoc cornu nihil aliud esse, quàm salutẽ per futurum Mesiam partam, nos liberantem & saluantem ab inimicis nostris, ab his redemisse, ab his defendere ac tueri. Salutem, inquit, ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos. Neq; enim est aliud nomen sub sole, in quo oporteat nos saluos fieri, præter Christum Dominum Iesum. Vnde confutatur Ariana impietas: qui enim est salus & redemtio nostra, ille est verus Deus. Atqui Christus est salus & redemtio nostra; ergo Christus est verus Deus. Confutatur item impudentia aliorum hæreticorum, qui arbitrantur, nos ad alias quasuis causas originem salutis nostræ referre, quàm ad Christum Dominum. Atqui nos quotidie cum Zacharia confitemur, erexisse Deum cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui. Salutem ex inimicis nostris. Sed quibus inimicis? Visibilibus, inquam, & inuisibilibus. Inuisibiles enumerat Paulus: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Visibiles autem sunt, mundus, caro, idola, potentia & sapientia huius mundi. Sed cur, & quam ob causam inimici? Quia ipsorum erant opera praua: quia tenebræ inimicæ sunt luci: quia Dei, quem illi oderunt, creatura sumus: quia imaginem eius gerimus, quem reformidant: quia in eorum loca sumus successuri, quod nobis inuident.

2. Pet. 1.

88 NOtandum: Laudatis & celebratis Dei erga genus humanum beneficiis misericordis & miseratoris Domini; nunc ad causas tantorum beneficiorum

explicandas, tàm ex parte Dei ipsius, quàm ex parte nostra accedit: ac denuò nouas Dei immortalis laudes, misericordiæ, inquã, & veritatis celebrat & occinit. Possunt autem hæc omnia, quæ sequuntur, cum illa parte continuari, ex eaq; pendere, Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum eius; hoc est, salutem dedit ex inimicis nostris, fecit misericordiam, recordatus est testamenti & iurisiurandi, dedit deniq; ,vt sine timore illi seruiamus, sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt prophetarum suorũ. Quamùis idem videretur repeti, memorari testamenti, quod non aliud fuit, quàm quod locutus est per os sanctorum. In quo notandus est admirabilis consensus beatissimæ virginis Mariæ cum Zacharia. Quemadmodum enim in suo cantico, nihil aut suis aut alienis meritis adscribit, sed soli misericordiæ & veritati Dei omnipotentis: ita & Zacharias nihil sibi, nihil Elisabethæ, nihil domui Dauid adscribit, sed misericordiæ, testamento, & iuriiurando Dei: nõ quòd merita excludat, quæ imprimis laudat & commendat, vt seruiamus, inquit, illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris: Sed quòd hæc misericordiæ Dei & veritati subijciat, quòdq; hæc ex illis pendeant: vt erubescat hæresis, dum calumniatur, tanquam hæc aut scriptura, aut Ecclesia Dei à se mutuò distinguat. Primo igitur loco id ponit, quod caput est in omni opere Dei, misericordiam, inquam, eius: Visitauit, inquit, plebem suam, fecit redemtionem, erexit cornu salutis. Cur ita? quæ causa? Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Similis est autem hic dicendi modus illi: Ad faciendam vindictam in nationibus, id est, vt faciat vindictam. Sed cur cum patribus tantum? an non cum filiis etiam? Atqui misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. An quòd ad patres promissiones factæ sunt, illisq; imprimis misericordia hac in parte ostensa? An quod filiis & posteritati datur, id ita accipitur, ac si ipsis parentibus detur? An quòd spes illorum compleuit: quæ enim expectabant, in Christo completa viderunt? An quòd improba posteritas his tantis beneficiis indigna fuit, nisi propter patres, quibus hoc promissum est? An quòd hæc eadem posteritas, eam misericordiam receptura non erat, repudiatura potiùs, ac contumelia affectura? Fecit ergo misericordiam cum patribus nostris.

89 NOtandum, Misericordiam Dei ipsam consequi veritatem. Nam & hoc ipsum, quòd nobis pollicetur Deus, quòd se nobis obligat, immensæ est eius misericordiæ, vt ille qui nulli vnquam debet, vltrò se cineri ac pulueri modò obliget. Veritas & misericordia obuiauerunt sibi, vt iustitia & pax inter se oscularentur. Laudata igitur Zacharias misericordia Dei, nunc fidem & veritatem eius laudat: visitauit, inquit, plebem suam, fecit redemtionem, cornu salutis erexit: quæ causa? nulla profectò alia, quàm quòd recordatus fuerit pacti & promissi sui, & memoraretur, id est in mentem sibi reuocaret testamẽtum suum sanctum.

90 NOtandum autem est hoc loco, nomen testamenti duobus modis in scriptura accipi, primùm pro pacto & fœdere, quo alicui testamur mentem nostram, quomodo hoc loco accipitur, & quomodo item vetus lex testamentum appellari solet. Sumitur item testamentum pro vltima cuiusq; voluntate, quod non nisi intercedente morte testatoris ratum fieri docet Paulus. Cùm igitur dicit

dicit Zacharias, Memorari testamenti sui sancti, tùm vel in primo significato accipiendum erit pro pacto & fœdere. Quod si etiam in secundo significato id acceptum velimus, tum id commodissimè ac ratione fiet, quòd omnia pacta ac fœdera, quæ faciebat Deus cum patribus nostris, intercedente morte & sanguine immaculati agni, ab origine mundi, in prædestinatione ac promissione Dei occisi fiebãt, intercedente tamẽ aliquo visibili sanguine, atque morte: quale & hoc ad Abraham fuit, intercedente sanguine circumcisionis, & cæde vaccæ triennis, capræ trimæ, arietis annorum trium, turturis quoq; & columbæ, quod planiùs & copiosiùs narrat liber Geneseos Cap. 15 & 17.

91 NOtandum, Deũ immortalem non simpliciter pactum fecisse cum Abraham patre nostro, atq; adeò toto genere humano; sed idem sæpius repetiuisse, ac postremò iureiurando id confirmasse. Cuius vtriusq; rei hoc loco mentionem facit Zacharias. Memorari, inquit, testamẽti sui sancti: sed non solius testamenti, sed vltra iurisiurandi etiam, quod iurauit ad Abraham patrẽ nostrũ: vt sit ea structuræ ratio. Ideò, inquit, fecit hæc & illa, vt memoraretur testamenti sui sancti, memoraretur item & iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrũ. Clariùs enim latina phrasi exponeretur sub vno & eodem casu. Interpres tamen fideliter verbum verbo reddens, Græci sermonis phrasim expressit, in quo aliquando antecedens relatiui casum imitari solet: ideo pro genitiuo casu accusatiuum posuit. Etiamsi quædam exemplaria Græca hîc quoq; genitiuũ casum habeant, tàm in relatiuo, quàm in antecedente. Primò autẽ mentionem facit testamenti, secundò iurisiurandi, ordinem facti & historiæ secutus. Primùm enim simplex pactum & fœdus cum Abrahamo ictum est, Genes. cap. 17. Statuam pactum meũ inter me & te, & inter semen tuũ post te, in generationibus suis fœdere sempiterno, vt sim Deus tuus, Et seminis tui post te. Deinde iusiurandũ tùm adiectum, cùm noua fide & merito Abrahæ, offerẽtis Deo filium suum, erat prouocatus, iterum atq; iterum amorem & beneuolentiam suam Dominus Abrahæ probare volens, idem pactum repetit, non simpliciter iam, sed iuramento adiecto. Gen. 22. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi & multiplicabo semen tuum sicut stellas, & velut arenam quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum; & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ; quia obedisti voci meæ. Dei autem iuramentũ, dicitur (teste Basilio) immutabilis eius sententia: an potiùs ipso Paulo, cuius verba sunt: Deus, inquit, abundantiùs volens ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit Abrahæ iusiurandum, ad Hebr. 6. Quærit autem D. Thomas, quomodo is ipse iurat, qui alios iurare prohibuit? Ego autem, inquit, dico vobis, ne iuretis omninò. An eam ob causam nos prohibemur iurare, ne peieremus, vtpotè mendaces & fallaces. Omnis siquidem homo mendax. Qui enim sæpè iurat, eum difficile est aliquando non peierare. Deus autem qui natura sua solus est verax, imò veritas sola, cùm vt errare, falli ac decipi non possit; ita nec peierare: ideo nulla causa est, cur iurare non debeat. An potiùs recognoscenda, admiranda, & exosculanda est hac in parte Dei ingens misericordia, & humanitas, qui in tantum se iustorum causa demittere solet, vt non modò illos cognoscat, non modò illis benefaciat, nõ modò pacta cum eis & conuenta ingrediatur, sed quod

amplius illorum causa iurare soleat. Et cùm cæteri omnes per superiorem aliquem iurent; Deus promittens Abrahæ, vt inquit Paulus, quoniam neminẽ habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum. Quemadmodum autem in veteri lege, ea quæ promittebat Deus, homines tanquam debitum quoddã repetebant: ita longè magis in noua lege, ea, quæ ex pacto nobis debentur, iure quasi nostro repetere videmur. Pactum est, qui dederit vas frigidæ aquæ, mercedem non amittet. Certum igitur est, non amissurum, non ex opere, sed ex pacto. Sic & illud: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata Dei. Cuius pacti fiducia permotus Paulus sic dicit: Cursum consummaui, fidem seruaui; in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt aduentũ eius. Et ex parte quidem, Dei beneficiorũ erga nos, istæ causæ sunt. Cantemus igitur cũ Dauide super misericordia & veritate eius, ne quando dicant gentes, vbi est Deus eorum? Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Clausula autem hæc, Daturum se nobis, etsi rectè ad superiora Dei beneficia referri posit, tamẽ & ad id quod proximè sequitur, nõ malè refertur. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, hoc nempè, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. Quam distinctionem Græcus textus habet.

NOtandum, morem esse sacræ scripturæ, vt primo ea explicet, quæ ex parte Dei sunt: deinde hæc piè ex parte nostra sumuntur: quod idem nunc facit Zacharias. Explicauit magnificè causas eorũ beneficiorum, quæ pater omnipotens humano generi per filium suum præstitit: nunc ad eas explicandas se confert, quæ ex parte nostra sumuntur: an potiùs finem ipsum explicat, ad quẽ ea omnia beneficia ab æterno parente directa sunt, & à nobis dirigi debent; nempè ad illum, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi. Videtur autem Zacharias Spiritu sancto plenus, in omne posterum tempus, ad multorum obiectiones respondere, tàm hæreticorum, qui libertatem Christi in licentiam conuersuri erant, quàm malorum Christianorum, qui dicturi erant: Quandoquidem hic tantus medicus cælitùs nos inuisit, quandoquidem nos redemit, cornu salutis nobis erexit, salutem ipsam dedit; quid igitur nobis restat, quàm vt liberè & lautè viuamus; quàm vt carni, mundo, ac reliquis cupiditatibus nostris seruiamus, bibamus, & comedamus, tanquam cras securi, manibus Angelorum, clauis, & cruci Christi inferendi? Refutat hoc Zacharias, longéq; aliam mentem, & alium sensum Dei omnis sanctitatis & probitatis amatoris, dum hæc tanta confert beneficia, fuisse testatur. Nos quidem liberatos esse; sed non à seruitute Dei, non à mandatis & præceptis eius, non ab imperio ordinariæ potestatis, non à sacris ritibus & ceræmoniis, nõ ab Ecclesiastica obedientia; sed de potestate inimicorum nostrorum, de potestate principum tenebrarum, de potestate peccati, de potestate mortis. Neque ideo liberatos, vt flagitiosè & licentiosè viuamus, sed vt seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Quod pulchrè D. Paulus explicat: Cũ enim serui, inquit, essetis peccati; liberi fuistis iustitiæ. Ad Rom. 6. & ad Gal. 5. Vos in libertatem vocati estis fratres, tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem serui inuicem. Neq; verò qualemcunq; liberationẽ Dei nostri celebrat, sed eam, quæ sine timore facta sit. Quod in duplici sensu vsurpari solet: Primùm in eo, quòd ita liberati sumus, vt iam

92

amplius, timere nos, neq; liberari oporteat; vtpotè fracto & ligato inimico nostro; vtpote cornu salutis erecto, ad quod confugientes tuti & securi esse possimus. Tu ergo nõ timeas, ait Dominus per Ieremiã, serue meus Iacob, neq; paueas Israël: quia ecce ego saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captiuitatis eorum: & reuertetur Iacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet. Quoniam tecum ego sum, ait Dominus, vt saluem te, Ieremiæ 30. Sumitur & alio modo, nos sine timore liberatos: hoc est sine nostro metu, sine periculo, sine bello, sine vllo labore nostro, ipso solo duce & liberatore nostro Christo Iesu pro nobis in curru Crucis sanctæ pugnãte ac dimicante. Cùm enim nondum nati essemus, iam liberati, iam saluati sumus: tumq; mortua mors est, in ligno quando mortua vita fuit: & cùm in eadem cruce idem ipse triumphator mortis, deleuit & conscidit, quod aduersum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates, traduxit confidenter palâm, triumphans illos in semetipso, Ad Colos. 2. Duo siquidem genera victoriæ esse solent: alterum quidem sine multo metu, multoque labore: de quo illud, Salmacidæ spolia, sine sanguine & sudore: alterum genus victoriæ, quod etsi clarum & illustre sit, non tamen sine metu aut periculo parari solet. Insigni victoria Alexander Magnus de Dario potitus est, non sine tamẽ & suorũ & suo incredibili metu & agonia. Vicerat aliquando Pyrrhus populum Romanum; sed ita, vt si illi pari pugna iterum esset vincendum; nullus in exercitu superstes remansisset. Vtroq; igitur sensu sine timore liberati sumus: & eo, quòd iam nullus metus amplius nobis restat, nulla formido: & ita, quòd id sine vllo labore & periculo nostro consecuti sumus. Eòque longè illustriùs & magnificentiùs hoc ipsum erga nos Dei beneficium conspicitur, vt, inquit, sine timore liberati, non hîc tamẽ consistamus: sed in sanctitate & iustitia seruiamus illi: non vno aliquo & altero tempore, sed omnibus diebus vitæ nostræ: non ad oculum tantùm, & coram hominibus: sed coram ipso, cuius oculi cernunt & coronant omnem iustitiam, & quem nihil latet, & quem nihil effugit fictum: quomodo hic ipse Zacharias cum Elisabetha vxore sua, cum filio item recens nato, seruiuisse dicitur. Seruiamus autẽ illi, non vtcũq;, neq; corpore externoq; cultu solo; sed tanto magis tota mente & animo, in sanctitate & iustitia, omnibus diebus vitæ nostræ. Est autẽ sanctitas erga Deũ & parentes cultu & obseruantia, quando scilicet id illis offerimus, quod eis propriè debetur: mentem, inquam, & animam: corpus item, substantiam deniq; nostram: eàq; pura & immaculatè, iuxta illud Ciceronis, Cultum Deorũ immortalium esse optimum, eundemq; castissimum atq; sanctissimum, plenissimumq; pietatis, vt eos semper pura, integra, incorrupta & mente & voce veneremur. Nempe vt sit laus veri Dei secundùm nomen eius, hoc est, ab omni vitiorum labe & inquinatione aliena. Iustitia autem est propriè erga proximos nostros, tùm cùm suũ cuiq; reddimus ac restituimus. Apertè itaque & breuiter, quomodo sit Domino seruiendum, designat: videlicet in sanctitate ac iustitia, & coram ipso, & omnibus diebus. Nam qui vel ante mortẽ ab eius seruitio discedit, vel immunditia qualibet siue iniustitia fidei suæ sinceritatẽ commaculat, vel coram hominibus tantùm, & non etiam coram Domino sanctus perdurare contendit & iustus; necdum perfectè de manu spiritalium inimicorum liberatus, Domino seruit; sed exemplo veterum Samaritanorum diis gen-

De nat. 2.

tium pariter,& Domino seruire conatur. Hic igitur finis,hic scopus vniuersorum Dei erga nos beneficiorum, omnium Chrsti laborum & contentionum, vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati,seruiamus illi, in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

NOtandum, iustitiam Christianam in atomo non consistere; sed habere suum πλάτος, hoc autem est latitudinem, partes, & species suas, inchoationes, progressus,& perfectiones: vt sit quædam prima, quæ designatur apud D. Lucam per stolam primam: apud D. Ioannem, per resurrectionem primam: Beatus, inquit, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, Apocal. 20. Quædam secunda iustitia, de qua Paulus Ephes. 4. Qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Habet item gradus & profectus suos: Qui, inquit Apostolus, Apocal. 22. iustus est, iustificetur adhuc:& sanctus,sanctificetur adhuc. Habet & perfectionem,Matthæi 19. Si vis,inquit, perfectus esse, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Quod quidē cùm aliâs sæpè clarè,tùm ex hac Zahariæ oratione euidentissimè demonstratur: Vt sine timore, inquit, de manu inimicorum nostrorum liberati. Prima hæc est iustitiæ pars & inchoatio, gratuita, sine merito, sine iure: Cum qua tamē quis,si amplius progredi non possit,saluus efficitur: iuxta illud Marci 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. De hac iustitia Paulus, cùm dicit,Gratia Dei nos saluatos esse,per fidem, & hoc non ex nobis,Dei enim donum est,non ex operibus: vt ne quis glorietur. Si enim ex gratia, quomodo ex merito? De hac eadem illud intelligit, Abraam patrem nostrum ex fide iustificatum, non ex operibus. De hac eadem illud de Iacob & Esau, qui cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secundū electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei,quia maior seruiet minori. Sicut scriptum est: Iacob dilexi,Esau autem odio habui. Atq; hæc est prima iustitia seu potiùs prima iustitiæ pars: illa secunda, vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. De qua illud psalmo 14. Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, &c. Et 1. Ioan.3. Qui facit iustitiam, iustus est. Et Matth. 25. Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala,in ignem æternum. De hac eadem D Iacobus: Abraham pater noster,inquit,nonnè ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filiū suū super altare? Cuius vtriusq; iustitiæ, quasi exemplum quoddam proponit ipse Zacharias,eos,qui ab hostibus liberantur & profugiunt:qui cùm primò hostes sunt, atq; inimici, vbi primùm ad castra nostra profugiunt, Imperatori sistuntur, fidem dant, sacramento militari solidantur: tùm iam iusti efficiuntur, ciues, milites appellantur, & sunt: hæcq; est illorum quasi prima iustitia, vtpotè qui iam gaudeant omnibus priuilegiis, omnibus commoditatibus, & emolumentis illius,in quā adscripti sunt, militiæ. Neque tamē ad reliquā militiā hoc satis est,sed opus est vt arma sibi comparent,vt eos ipsos hostes à quibus sint liberati oderint caueant, cum eis congrediantur, vt sudent & laborent,vt vulnera & cicatrices referant, vt pugnent & vincant: hæcq; eorum secunda erit iustitia. Idem nobis euenisse testatur Paulus: Qui cùm, inquit, inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, ad Rom. 5. Et ad Titum 2. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos,

ens nos, vt abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei. Quod idem in ipſo Paulo apparuit: Inimicus erat, ruebat, Chriſtũ perſequebatur, inimicus de cælo vocabatur: Saule, Saule, quid me perſequeris? fit ſubitò amicus: Domine, inquit, quid me vis facere? Mittitur in caſtra, ibi ſciturus quid illum oporteat facere: Cuius efficitur amicus, fit vas electum. Conſiſtit nè hîc? Nequaquam: Sed quid dicat audiamus: Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui. Non ego autem, ſed gratia Dei mecum 1. Cor. 15. Atq; hæc eſt vera & perfecta totius iuſtitiæ Chriſtianæ imago, vt ſcilicet ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus, illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Atq; hîc ruunt & liqueſcunt tàm veterum hæreticorum errores, quàm huius ſeculi turbatorum figmenta & opiniones. Arbitrabatur Cerinthus, ſola fide hominem iuſtificari, ex ipſa ſola gratia Dei omnem iuſtitiam noſtram dependere. Vera oratio, ſi primam iuſtitiam ſumas, vbi ſcilicet de manu inimicorum noſtrorum liberamur: hoc ſolius gratiæ eſt, hoc fides ſola apprehendit. Turbabat hoc eodem modo Germaniam Lutherus, Caluinus, & cætera improborum manus: Sed eodẽ lapſu ex hoc loco cadit, & cæditur. Putabant Nouatiani, Pelagiani, putant etiam nunc Anabaptiſtæ, virtute liberi arbitrij noſtri, ſolis item bonis operibus nos iuſtos effici: atqui & hoc ad eam tantum partem iuſtitiæ refertur, vt ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia: coram ipſo tamen, vt gratia Dei nobiſcum la-
94 boret, & ad maiora perfectioráq; nos prouehat.

EXtremam igitur hæreſes ſequũtur partem, vnam amputant, reliquã negligunt. Iuſtitia plena eſt, quam Zacharias nunc confitetur, vna, ſancta, catholica Eccleſia ſequitur: Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum libera-
95 ti, ſeruiamus illi, in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, omnibus diebus noſtris.

NOtandi autẽ ſunt hoc loco fructus gratiæ, ac meriti mortis ſacræ: quorum primus eſt, libertas. Fructus, inquit Paulus, ſpiritus, eſt libertas. Et hoc loco: vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi. Secundus fructus, ſeruitus Dei, quæ non modò cum libertate non pugnat, ſed eò magìs Regem facit. Vnde Eccleſia ſupplex Deum affatur: Deus, cui ſeruire, regnare eſt. Et hoc loco, vt ſine timore liberati, ſeruiamus illi. Tertius fructus eſt, excluſio timoris: Vera, inquit ſcriptura, charitas, foras mittit timorẽ. Neq; cuiuſuis timoris: initium enim ſapientiæ, timor domini eſt: ſed eius tantũ, qui mundi timor eſt, qui ſeruilis timor eſt, qui timet vbi timendum non eſt, qui fugit nullo perſequente. Nam timor Domini ſanctus eſt, permanens in ſeculum ſeculi, vt inquit Dauid. Et hoc loco, vt ſine timore de manu inimicorum liberati. Quartus gratiæ fructus, vita munda & ſancta; iuſta item & honeſta, cùm, inquit: Placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt Euangeliſem illum in gentibus, continuo non acquieui carni & ſanguini, ad Galatas 1. Et hoc loco ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Quintus gratiæ fructus, excluſio omnis fictionis ac hypocriſeos: Spiritus enim ſanctus diſciplinæ, effugiet fictum. Vnde illis qui Spiritu ſancto repleti ſunt, dictũ eſt: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Et hoc loco: In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo, quem omnis ſimulatio & fictio fugit.

Nam homines vt fallere ac decipere, ita itidem falli ac decipi possunt. Cùm autem dicit Zacharias, coram ipso; non id agit, quòd excludere velit, vt non etiam coram aliis hominibus elucescat sanctitas & iustitia nostra: cùm alio loco dicat: Sic luceat lux verstra corã hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Sed hoc vult, vt nõ tantùm coram hominibus, quibus facilè imponi potest, boni apparere velimus; sed longè magis coram Deo: & vt sic opus sit in publico, quatenus intentio maneat in oculto. Sextus & vltimus fructus est gratiæ Dei, donum perseuerantiæ: nõ enim qui inceperit, sed qui vsq; in finem perseuerauerit, hic saluus erit. Vt non in pueritia tantùm, aut in iuuentute boni simus; sed vt per omnes actus vitæ nostræ innocentiam & sanctitatem conseruemus: vt non ad senectutis vltimos dies correctionem nostram reseruemus, quæ incepta est; sed iam ab adolescentia id iugum domini ferre discamus. Bonum enim est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Vt nõ quadragesimam solam expectemus, aut hebdomadam sanctam, sed omnibus diebus nostris: vt liberè cum Zacharia dicere possimus, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. Qui igitur hos tales fructus in se sentit, hic de gratia Dei præsenti sibi polliceri potest. Qui autem aliquid contrarium sentit, hic petat à Domino, vt spiritu gratiæ eius repleatur.

96 NOtandum autem & illud, Plurimùm distingui, longèq; perfectiorem esse gratiam nouę legis ab ea, quæ fuit veteris legis. Illic enim cùm de manu inimicorum nostrorum nondum essemus liberati, ideo sine timore illi seruire nõ potuimus. Eramus enim serui, non filij. Sed neq; tantoperè in iustitia & sanctitate, sed in multitudine victimarum & holocaustorum potiùs: & ideo non tàm coram Deo, quàm coram hominibus. Sed nec omnibus diebus nostris, sed diebus tantum à lege præscriptis. Benedictus igitur Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemtionem plebi suæ.

97 NOtandum: Celebratis Zacharias erga nos beneficiis Dei, ad filium se confert, ad eumq; sermonem suum conuertit, eumq; alloquitur: non tam filij causa, quàm eorũ, qui tantùm circũcirca astabant: an potiùs nostri omniũ causa. Quamùis enim ipse filius vocẽ patris poterat audire, inquit Ambrosius, qui Mariæ salutationẽ antequã nasceretur audiuit, & qui ad eius vocẽ in vtero exultauit: verisimiliùs est tamen hæc omniũ causa dici, quàm ipsius modò nati infantis Cùm igitur multa & mirabilia Dei in genus humanum beneficia recẽsuisset venerabilis senex; ne id quispiã in eam partem interpretetur, quasi hæc natiuitatem filij sui consequi debeat, aut quasi tantorum bonorum filius suus causa sit: ideo ostendit, quis & qualis sit filius eius, qua functione fungatur, cui seruiat. Non illum esse Dominum, sed prophetam Domini: non ipsum esse Regem, sed præcursorem magni Regis: non ipsum esse lucem, sed qui testimonium ferat de lumine. Concipit autem animo, Christum Dominum verum regem esse: Ioannem autem præcursorem eius, magistrum curiæ eius. Cuius duplex sit functio, Regẽ, vbi sit, demonstrare: ac deinde omnia illa impedimẽta, quæ Regis aut aspectum, aut progressum impedire possint, remouere. Hũc igitur talem virum filium esse, ostendit Zacharias. Non tamen, inquit, fili mi, altissimus eris: sed propheta altissimi, sed præcursor & magister curiæ eius, vtpotè qui præparabis vias eius. Neq; tu eris salus populi tui, sed tantũmodo instrues

instrues populum, ad scientiam salutis huius : neq; tu peccata dimittes, sed eã doctrinam dabis, quæ pertinebit ad remissionem peccatorum. Summa igitur totius apostrophes Zachariæ ad filium hæc est, eius differentiam ad eum qui venturus erat constitui: ac deinde locũ eius proprium ac officiũ demonstrari.

98 NOtandum, Totam προσφώνησιν, siue allocutionem, qua Zacharias filium suum alloquitur, de illóq; ventura prædicit, quatuor quasi contineri membris, ita vti & in sacris scripturis legitur, & ab Ecclesia catholica decantatur. Primum membrum dignitatem & functionem pueri explicat, eum scilicet esse prophetam altissimi, & quod nondum videre poterat, plusquam prophetam. Secundò, non qualemcunq; prophetam, sed illum qui proximè præiturus erat ante faciem Domini. Nam cæteri prophetæ, longè quasi à tergo salutabant & prædicabant hæc talia bona. Tertium autẽ est, quod addit, eum ad eam rem præiturum, ad parandas vias ante faciem eius: qua ratione illi parare solent, qui Reges & Principes antecedere, illisq; locum, & cætera necessaria præparare solent. Ita autem huius primi membri particulæ inter se cohærent, vt ex prima secunda, ex secunda tertia dependeat. Nam prophetæ est præire & prædicere: prædicentis est & præeuntis, parare vias. Secundũ membrũ est, quod ea, quæ subobscurius & per metaphorã superiùs dicta sunt, clariùs & euidentiùs interpretatur. Nam cùm dubitari poterat, quid hoc sit, parare vias Domini, ideo id clarius explicatur, Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum: In quo quatuor explicat. Primùm scientiam docet daturum fuisse: Deinde quam & qualem scientiam, quòd non astrorum, non Medicinæ, non Philosophiæ; sed scientiam salutis venturæ, nempe Christum Iesum: Tertiò, cui daturus erat eam scientiam, quòd scilicet plebi eius: Vltimò ad quem finem, in remissionem, inquam, peccatorum eorum. Tertium membrum illud explicat, qua tandem præcipua causa impulsus Deus omnipotens tantam salutem generi mortalium missurus erat, non aliam nempe ob causam, nisi per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Quarta & vltima propositio est, ad quem tandem vltimum finem hæc ipsa viscera se effuderint, aut hic ipse oriens sol mundo apparuerit: illuminare nempe his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, eo fine, vt dirigantur pedes nostri in viam pacis.

99 NOtandum autem est circa primũ membrorũ, à Zacharia futurũ Messiam, contra omnem Iudaicam & Arianam perfidiam, Deum altissimum vocari. Et tu puer propheta altissimi vocaberis. Qui non solius Zachariæ tantũ sensus fuit, sed & aliorum multorum. Quod similiter canticum Simeonis, & aliorum posteriora scripta declarant. Quemadmodum autem de futuro Messia sublimiùs quàm cæteri omnes locutus est, ita de filio humillimè. Cùm enim illum, alij quidem Angelum, alij Eliam dixissent, cùm plusquàm prophetam, cùm maximum inter natos mulierum Saluator dixerit, ipse simpliciter prophetam appellat: vt illud doceat, de nobis rebusq; nostris humiliter esse sentiendum, & humiliùs prædicandum. Obseruandum & illud, præiuisse Ioannem ante faciem Domini, primùm tempore, vtpotè, ante quẽ sex totis mensibus sit natus. deinde exemplo, vtpotè qui similiter, vt Christus Dominus, erat in desertis, vsq; ad diem ostensionis suæ in Israël: vltimò voce, dum eum digito demonstrat, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quod autem dicit, viam illum Domino

mino præparaturum, id illustriùs infra idem Lucas ex Isaia interpretatur: Et venit, inquit, in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonũ Isaiæ prophetæ. Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in vias planas: & videbit omnis caro salutare Dei.

100 NOtandum, circa secundũ membrum, nomen scientiæ aliquando communiter pro omni doctrina, & instructione sumi: quomodo hoc loco, Ad dandam scientiam salutis. Neq; enim alio modo debebat parare vias Domino hic ipse puer, quàm per doctrinam & instructionem: cùm reliquas vias miraculorum, curationum, eiectionis dæmonum, sibi, Apostolisq; suis Dominus reseruauerit. Et ideo Ioannes præco, tuba, vox appellatur: quæ omnia ad cohortationem & doctrinam referuntur. Quæ omnia vtinam imitentur illi, quibus per prophetam dicitur: Labia sacerdotis custodiunt scientiam: & per ipsum Dominum: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium. Obseruandum etiam & hoc, quòd Ioannes non venerat ad dandam scientiã, aut earum rerum quæ ante creationem mundi fiebant, aut quæ in paradiso priusquam homo peccasset acta sunt, aut de modo intelligentiarum & orbium cælestium, aliarumq; rerum quæ supra nos sunt, & quas Deus in scripturis suis reuelare voluit, sed ne ipsius quidẽ legis, tantò minùs aut Aristotelicæ aut Platonicæ Philosophiæ: Sed, ad dandam scientiam salutis, hoc est, viæ ducentis ad salutem, hoc autem est Christi Iesu, qui est via, veritas & vita: & quem solum se scire profitetur Paulus. Quod item imitari debent & alij Christi præcones, quibus parum docta & salutaris concio videtur, nisi quid de speciebus & formis separatis, aut ex Platone, aut ex duodecim Metaphysices protulerint. Obseruandum tertiò, eam scientiam D. Ioannis propriè ad Iudæos relatam fuisse, ex quibus, & quibus quasi solus esse natus videbatur Ioannes. Nam ea reuelatio & scientia, quæ gentibus promulgari debuit; Christo Domino, & eius Apostolis, eorumq; successoribus seruabatur, qui primi illam vocem audiuerunt. Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Et proinde dicit Zacharias, Ad dandam scientiam salutis plebi eius. Vltimò autem circa eundem locum notandum est, eam scientiam, neq; ad splendorem aliquem, neq; ad curiositatem referri debuisse, sed ad solam peccatorum remissionem, qui verus & proprius est apparatus ad suscipiendum Christum, siue in carne, siue in eucharistia. Huius autem basis & summum fundamentũ est pœnitentia: quæ prima vox fuit Ioannis in mundo: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Et, facite dignos fructus pœnitentiæ. Et hoc est quod dicit Zacharias, Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.

101 NOtandum, In tertio membro medium & causam efficientem, tàm eius remissionis peccatorum, quam annunciabat, & ad quam viam præparabat Ioannes, vt & reliquorum omnium donorum, hoc loco poni, Viscera, inquam, misericordiæ: non superficiem aliquam misericordiæ, non carnem solam, sed ipsa intima viscera misericordiæ Dei nostri. Nam reliquæ misericodiæ partes, apparuerunt in alijs beneficijs Dei, in productione, inquã, mundi, in creatione hominis,

hominis,in deductis diluuij aquis,in promissis datis,in lege lata: at viscera ipsa in ortu ipsius vnigeniti, in eructato verbo bono,germine cordis paterni apparuerunt. Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam. Per viscera misericordiæ Dei ista omnia euentura erant, quæ prædixit Zacharias: in quibus visitauit nos oriens ex alto. Vbi circa nomen Orientis notandum est, Latinè quidem participialiter poni, pro dum oritur ex alto, non alius quàm verus Messias, quàm verus sol mundi & iustitiæ; Græcè tamen oriens nomen est ἀνατολὴ,sensumq; constituit: Per viscera misericordiæ Dei nostri,in quibus visitauit nos oriens ex alto. de quo Oriente prophetæ,Zacharias inprimis: Ecce ego, inquit, adducam seruum meum Orientem. Et paulò pòst: Ecce vir Oriens nomen eius. Et Malachias: Et orietur vobis timentibus, nomen meum, sol iustitiæ. Vnde Manichæi falsò colligebant, Christum Dominum esse solem huius mundi, hunc, inquam, visibilem. Quos copiosiùs eo nomine refutat D. Augustinus. Huius Orientis motus pulchrè in figura huius visibilis solis,explicat Dauid: A summo, inquit, cælo egressio eius, & occursus eius vsq; ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius. De huius Orientis aduentu multa præclarè prædixerunt prophetæ: Post hæc in terris, inquit Baruch, visus est,& cum hominibus conuersatus est. Et Ieremias: Quare tu quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator declinans ad manendum? Vnde primũ Ariana impietas refutatur, qui verum hunc Deum per omnia patri æqualem negant: cùm Zacharias in hoc Ortu viscera Dei nostri compellat & vsurpet. Sed eò magis Ebion, qui Christum Dominum nõ de cælo venisse, sed tum demum cœpisse,vbi ex Maria conceptus est,impudenter contra Zachariæ canticum mentitur. Hic enim clarè testatur, nos hunc Orientem visitasse ex alto. Per viscera igitur misericordiæ Dei nostri hæc tanta consecuti sumus beneficia,in quibus nos visitauit Oriens ex alto.

Zach.3. & 6.

102 NOtandum circa vltimum membrum cantici, Primos homines parentes nostros, in vero & perfecto lumine gratiæ Dei constitutos fuisse tantisper,dum præuaricarentur: at vbi ab astutissimo serpente sunt decepti, vbi in potestatem eius venerunt,statim in cœcitatem quandam mentis & animi incidisse, ac in tenebrosum quendam carcerẽ fœdumq; à potenti hoste coniectos,ac in illo inclusos: Neq; tamen sic penitùs sine vllo lumine à misericorde patre relictos fuisse: ac in solem quidem illos statim eductos non fuisse; sed, quod vinctis & incarceratis fieri solet, lucernas quasdam atq; modicas faculas accensas, primùm luminis naturalis,philosophiæ item,legis denique. In quibus luminibus etsi ipsum carcerem, & ea quæ in ipso erant, aliquo modo videre potuerunt; ea tamen quæ aut extra aut supra carcerem erant, nequaquam prospicere potuerunt. Et de natura quidem ac de moribus aliquid pronuntiare poterant; de cælo tamen futuraq; vita nihil distinctè, nihil certò affirmare potuerunt. Et quamuis in aliquo lumine essent,in tenebris tamen erant, diem non videbant. Vt enim etsi omnes luceant stellæ (vt scribit Clemens Alexandrinus) dies tamen non est, nisi sol oriatur: ita etsi tum lucebant, patriarchæ,prophetæ,philosophi multi, dies tamen nõ fuit, priùs quàm cælitùs oriretur hic ipse Oriens, quem nunc celebrat Zacharias. Qui eo fine ortus est, vt illuminaret his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedebant, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

pacis. De qua illuminatione futura multa multi prædixerunt prophetæ. Inprimis autem Isaias: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Isaiæ 9, Et, Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui, Isaiæ 60. Debebat autem hæc ipsa lux nos illuminare, non ad vanas & curiosas quæstiones, non ad multiplices & varias opiniones, non ad perscrutationem maiestatis, non ad astutias & calliditates; sed ad dirigendos pedes nostros, hoc est in recta via constituendos, in viam pacis. Pacis, inquam, æternæ, pacis cum Deo, pacis cum angelis Dei, pacis conscientiæ & cogitationum nostrarũ, pacis inter nos mutuæ. Quod pulchrè intepretatur Psaltes, Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum Domine, & lumen semitis meis: nimirum vt dirigantur in viam pacis. Et alio loco: vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas. Distinguit autem hoc loco Zacharias tenebras ab vmbra mortis, vt tenebræ quidem ad eam ignorantiam, in quam post peccatum parentis nostri inciderunt, referantur: Vmbra autem mortis ad ipsum peccatum, quod tanquam vmbra quædam antecedens mortis est. Stipendium, inquit Paulus, peccati mors. Quarum tenebrarum an non euidens etiam documentum fuit, tanta multitudo Deorum, & eorum imbecillitas, qui vni calamo frumenti tot Deos præficiebant, vt alius quidem aristis, alius ipsi spicæ, alius culmo, alius radici præesset: acsi vnus totum calamum tenere & gubernare non posset. Fæditas item: quid enim aut tam turpe, aut tam vitiosum, aut tam flagitiosum erat, quod illi inter Deos non retulissent? Quid vita & mores quales? monstra hominũ potius quàm homines eos ipsos, qui duces cæterorum esse debebant, diceres. Quæ omnia D. Paulus in Epistola ad Romanos latè persequitur: & liber Sapientiæ cap 13. 14. 15. 16. Obseruandũ autem est, quàm stultè illi agant, qui de Deo rebusq; diuinis, de Christo eiusq; mysteriis, aut ex lumine rationis, aut ex philosophia, aut ad extremum ex lege decernere, aut iudicium ferre volunt: cùm hæc candelæ quædam & faculæ potius obscuræ, carcerem tantùm huius mundi aliquantum illuminantes fuerunt, quàm vera lux. Ex quo genere omnes ferè hæretici sunt, & fuerunt semper. Quas turbas nunc sacramentarij dederint, quantum incendium orbis ex his faculis excitârint, sentimus. Sed & Petrus aliquando his faculis clarus esse voluit, cùm Christo dixit: Absit hoc à te Domine: & ideo ad tempus reiectus fuit. Illi item Capharnaitæ, qui dixerunt, quomodo hic potest nobis carnem suam dare ad manducandum? In naturæ inuestigatione, in moribus, rebusq; publicis constituendis; valent aliquantulum hæ faculæ, non in mysterijs diuinis explicandis: Sed Diabolus ibi luminibus his vtitur, vbi non opus est. Vbi autem opus est, ea penitus negligit. Benedictus igitur Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemtionem plebi suæ: & illuminauit his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

103 NOtandum, vsitatum esse sacræ scripturæ, pueritiam, & alias partes vitæ sanctorum, quæ ad functionem & officium eorum non pertinerent, scripturã vel prætermittere, vel admodum paucis explicare, non aliam ob causam, nisi vt ostendat, hæc scribi neq; curiositatis causa, neq; tantopere historiæ, quàm necessitatis & salutis: ad quam, quæ non pertinent, ea facilè prætermittere solet.

ſolet. Quod & antea in vitis prophetarum, & nunc in tota iuuentute Ioannis, & pòſt in Chriſti Domini vita facit. Puer autem creſcebat, & confortabatur Spiritu, & erat in deſertis, vſq; in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

104 NOtandum, Domum Ioannis fuiſſe honeſtiſsimam, parentes ambos iuſtos, non tantùm coram hominibus, ſed ante Deum etiam, diſciplinam domeſticam pudoris & verecundiæ officinam: nihilominus Ioannem iam puerum illam deſerere, in illa verſari nolle: eremum, vbi & cælum apertius, & familiarior Deus eſſet, perſequi: vt illud doceat, eos qui Deo perfectè ſeruire volunt, inprimis omnia ſua deſerere debere, iuxta illud: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, & domum, & agros, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et ne leui ſaltem (vt canit Eccleſia,) maculare vitam famine poſsit: & vt oſtendat præconis ac concionatoris vitam, non modò ab omni vitæ labe, ſed etiam ab omnibus occaſionibus peccati ac ſuſpitione ipſa liberum eſſe debere. Nos in medijs gregibus mulierum ſancti, innocentes, Prophetæ, Doctores, & quid non eſſe volumus. Sed & ad libertatem futuri concionatoris pertinebat, nullis amicitiis, nullis hominũ gratiis & beneficiis obligari: nec priùs operam ſuam alicui præſtare, quàm Chriſto. Erat, inquit, in deſertis, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.

105 NOtandum, Præcurſorem illius, qui non habiturus erat, vbi Caput reclinaret ſuum, ſine domo item & loco eſſe oportuit, deſerta perſequi. Contraria omnia docet & fabulatur de Ioanne hæreſis.

106 NOtandum generoſum animum, & filij, & parentum. Filij quidem, quem affectus parentum detinere non potuit, quominus ducem Spiritum ſequeretur, qui eum ad ſolitariam vitam inuitabat. Parentum verò, qui vnici filij, eiusq; in ſenectute geniti, priuari ſe conſuetudine paſsi ſunt, cùm cernerent Dei nutu fieri, vt ad ſolitaria, & horum conſuetudine deſtituta loca pergeret. Quo magis reprehendendi illi ſunt, qui tum demum ſe amittere putant filios, cum eos cernunt duce ſpiritu, vitæ huius illecebras, ſpes, honores, gloriam ſpernere, & ſe Deo dicare velle.

Caput II.

1 OTANDVM, Chriſti Domini in carnem noſtram aduentus, inter cæteras cauſas, hanc vnam non poſtremam fuiſſe, vt nos à faſtu & ſuperbia mundi penitus auelleret, ac ad cæleſtia gaudia vniuerſa deſideria noſtra, ſtudia item transferret, ac reuocaret: vt ibi noſtra fixa ſint corda, vbi theſaurus noſter, vbi deliciæ noſtræ, vbi vera ſunt gaudia. Neque enim alio modo poſsibile fuit, in hominibus cæleſtia deſideria accendere, niſi quis primò mundi faſtum, ſuperbiam, arrogantiam conculcaret. Hoc igitur Chriſtus Dominus faciendum ſibi noſtra cauſa, vniuerſa primùm vita ſua, deinde tota doctrina, putauit: in forma Dei exiſtens, humiliauit ſemetipſum, formam ſerui accepit, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, vt infans, vt vagiens. Huius autem humiliationis ſuæ initium & fundamentum in ſua natiuitate iacere voluit; vt qui

ab æterno fuerit magnus in maiestate sua,idē sub tempore esset admirabilis in humilitate sua:non minusque Deum admiremur in humilitate sua,quam eundem admirabatur mundus in eius magnitudine,illudq́; exclamemus: Non minor es, Domine, in isto præsepio tuo, quàm semper fuisti in throno maiestatis tuæ: nec minor inter bouem & asinum,halitu illorū fotus & calefactus, quàm super Cherubim alis illorum vndiq; tectus. Huius humilis natiuitatis historiam nunc D. Lucas proponit & texit, quam ex omni parte auget & miratur. Tempore primùm, quod hybernum: quod census & subiectionis est, parentū, fabri & eius coniugis: conditionis,viatorum,& peregrinantium: loci, vilis oppidi, & illud præsepij: modi generationis, in via & hospitio: solitudinis, vbi iumenta sola fuerunt, & pòst aliquot pastores accurrerunt. Circa quæ singula, Dei adiutorio, aliqua annotemus. Satis nos diuites fore credentes, si præsepe Domini vtcunq; cum eodem Euangelista prædicauerimus.

2 NOtandum, primùm in tempore ipso natalis tanti Regis, illud quod naturæ est,considerari. Hoc quidem tale fuit,quo nihil est humiliùs, nihil molestiùs, nihil ignauiùs, bruma ipsa, & glacialis hyems canos hirsuta capillos: & qua tunc omnia in orbe terrarum frigebant. Nox item, in cuius medio nasci voluit,iuxta illud: Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter ageret, omnipotens sermo tuus Domine, à regalibus sedibus venit. Deinde quod fortunæ: sed & hoc ipsum vile & abiectum,subiectionis & tributi. Primo suo ortu,capite censetur: Deus fit tributarius,Dominus omnium:atq; ob nostri liberationem seruitio subditur. Etsi autem vel ea causa,eius, inquam,humilitatis declarandæ gratia, tàm exactè tanti Regis natale tempus describit Euangelista; tamen eiusdem rei multæ & aliæ sunt causæ. Primæ autem illæ & præcipuæ, quòd Euangelista verisimilem facere volens narrationem suam, Christiq; in carnem aduentum, ostendit hoc tale tempus fuisse, quo, & qualis,futurus Mesias aduenturus erat. Nam cum moriturus Iacob prædixisset, non auferendum esse sceptrū de Iuda, nec ducem de femore eius, donec veniret Silo, siue sanctus sanctorum, siue qui mittendus erat. hoc tale tempus fuisse describit Euangelista, vbi iam ablatum erat sceptrum de Iuda, & dux de femore eius. Romanus Imperator iura dabat, populum conscribebat, tributū iubebat,præfectum Romanum præficiebat: vt inde clarè demonstraretur, hoc tempus aduenisse, in quo Mesias aduenire debuerat;& in quod idem natiuitas eius inciderat. Prædictū deinde fuit, Regem Mesiam magna orbis pace & tranquillitate nasciturum. sic enim Dauid: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna: & dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Et Isaias: Conflabunt, inquit, gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium,nec exercebuntur vltra ad prælium. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. Quod tale tempus tum fuisse, ostendit Euangelista,dum Augustus Cæsar pacato foris & intus orbe terrarum, Iano clauso,eundem orbem,eiusq́; ciues conscribi,ac tributum pendere iussit: vt quemadmodum vrbs ipsa singulis quinq; annis censebatur, eodem modo orbis terrarum,tamquam vna vrbs,per prouincias tamquam familias censeretur. Quem postea quadraginta totis legionibus per vniuersas prouincias distributis, in quiete & pace tenuit: vt inde euidenter Euangelista ostenderet,

iam tum verum Salomonem, verum Regem pacis nasci debuisse, atq; adeò natum esse. Et præsentis quidem negotij causæ Euangelistæ fuerunt, tàm diligentis descriptionis huius census, & huius Augusti facti. In futurum autem voluit ostendere, hanc totius mundi sub Augusti potestate subiectionem, nihil aliud significare, quàm illud regnum futuri Mesiæ, de quo prædixit Daniel, quod item debebat occupare orbem: & quòd iste temporalis Augustus, vir ethnicus, & harum rerum ignarus, dum aliud cogitaret, huic nostro Augusto, à quo omnes prosperi & secundi successus profluunt, præparabat, eiusq; ad eam rem quasi minister fuerat. Multa enim ab hominibus, atq; à principibus præsertim fiunt, quæ non ante, duce Dei Spiritu, facta fuisse intelliguntur, quàm rerũ exitus illa demonstret. Quod disertisimè explicat Diuus Ambrosius. Deniq; vt scias, inquit, censum non Augusti esse, sed Christi, totus orbis profiteri iubetur. Quando nascitur Christus, omnes profitētur: quando mũdus concluditur, omnes periclitantur. Quis ergo poterat professionem totius orbis exigere, nisi qui totius orbis habebat imperium? Non enim Augusti, sed Domini est terra, & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Gotthis non imperabat Augustus, non imperabat Armeniis, imperat Christus. Acceperunt vtiq; Christi censores, qui Christi Martyres ediderunt. Et ideo, inquit, fortassè nos vincunt, vt præsentia docent, quoniam quem illi oblatione sanguinis fatebantur, huic Ariani quæstionem generis inferebant. Quod idem ipse Augustus præsagio quodam, non sine cælesti inspiratione demonstrabat, qui eodem ferè tempore edictum dederat, ne quis se ampliùs Dominum appellarat, quòd scilicet aliquis verus & solus Dominus iam præ foribus erat. Designare item idem Euangelista voluit futuræ Ecclesiæ Dei statum, per vniuersum orbem terrarum fusæ: quem pulchrè exemplo vitis Dauid adumbrauit: Extendit, inquit, palmites suos vsq; ad mare, & vsq; ad flumen propagines eius. Quod latiùs D. Ambrosius explicat: Professio ista, inquit, census est animorũ. Abolita enim Synagoga censu vetusto, nouus census Ecclesiæ parabatur, qui tributa non exigeret, sed auferret: & spiritualiter in typo plebs sua iam Christo nomina conferebat. Non hìc spatia terrarũ, sed mentium animorumq; censentur: nec describuntur limites, sed proferũtur: nec ætas vlla distinguitur, sed omnis adscribitur. Voluit autem Deus omnipotens, hunc suum super Sion constituendum regem sub censum venire Cæsaris, eas ob causas, quas pulchrè explicat Origenes: Diligentiùs, inquit, intuenti, Sacramentum quoddam videtur significare, quòd in totius orbis professione describi oportuerit & Christum, vt cũ omnibus scriptus sanctificaret omnes, & cum orbe relatus in censum, communionem sui præberet orbi, vt post hanc descriptionem describeret quoq; ex orbe secum in libro viuentium, vt quicunq; credidissent in eo, postea cum sanctis illius scriberentur in cælis. Et vt exemplo illud doceat, quod postea viua doctrina per Apostolos suos docuit. Petrus quidē sic: Subditi estote, inquit, omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti: siue Ducibus, tamquam ab eo misis. Sed & coapostolus eius Paulus: Reddite, inquit, omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicē diligatis. Factum est etiam aliquid œconomiæ causa, vt hac occasione parentes Christi in Bethleem venire opus haberent, ibiq; iuxta vaticinia prophetarum Christus Dominus nasceretur. Et vt ille, qui occupaturus

erat ſedem Dauid patris ſui, in eadẽ vrbe naſceretur, in qua aliquando Dauid natus, & in regem vnctus erat. Addit V. Beda, vt Dominus alibi conceptus, alibi natus, inſidiantis ſibi Herodis furorem faciliùs euaderet. Idem autem illi euenit in Bethleem, quod in toto mundo euenerat. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Apparet præterea eam non virorum tantùm, ſed mulierum etiam deſcriptionem fuiſſe: neq; enim tanto itinere quadraginta ferè millium virginem iuuenem, prægnantem, tàm horrido & aſpero tempore Ioſeph traxiſſet: neq; Cæſaris aut Imperatoris tantùm mentionem facit, ſed maioris euidentiæ cauſa, eorumq; documentorum, de quibus diximus, præfecti etiam Syriæ Cyreni mentionem facit, eamq; deſcriptionem ſub illo præfecto factam docet. Cuius quidem Cyreni eiuſq; præfecturæ locupletem mentionem facit Iudæus ipſe Ioſephus 18. lib Antiquitat. Cyrenus vir vnus, inquit, ex conſenſu curiæ Romanæ, per ſingulos magiſtratus vſq; ad gradũ conſulatus aſcendens, per cætera quoq; honorabilis, cum paucis in Syriam venit, à Cæſare ius dare gentibus miſſus, & Cenſor ſimul patrimoniorum futurus. Et deſcriptionis quidem tum temporis diligentis hæ fuerunt, quas diximus Eccleſiæ cauſæ.

NOtanda ſecunda pars, & circumſtantia humilis natiuitatis, parentes inquam ipſi, Ioſephus Faber, qui verbum ſeruaret, & Maria fabro deſponſata virgo, quæ pareret: ambo ſine curru, ſine equis atq; iumentis, ſine ſarcinis & lectis, ſine comitibus, cum exiguo credo viatico. Spectabant hæc Angeli, & mirabantur, virginem Deo plenam, partui vicinam, ſic defatigari, talem apparatũ futuri natalis ipſius Dei fieri. Verè tu Domine mirabilis es in factis tuis, verè humilitatis Doctor & Magiſter. Proſpectabat aliquando & Rex Dauid ſobolem ſuam ſic humiliter ferri, illam inquam, ſobolem, quæ dominatura erat à mari vſq; ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum, coram qua procidere Æthyopes, & cuius inimici terram lingere debebant, quã adoraturi erant omnes reges terræ, & cui omnes gentes erant ſeruituræ. Adiungamus nos igitur huic comitatui, ſequamur ſi non pedibus, at animo, at corde; vt dignè tanti Regis natalitiis intereſſe poſsimus. Obſeruatur autem ex hoc loco, clariùs quàm ex cæteris, contra Neſtorium atq; alios, qui negabant Chriſtum Dominum ex generatione Dauid ortum eſſe: niſi enim Chriſti parentes ad genus Dauid pertinerent, quæ tandem illis cauſa fuiſſet, in Bethleem tanti itineris ſuſcipiendi? quam ſolam Euangeliſta adſcribit: Eò quòd eſſet, inquit, de domo & familia Dauid. 3

NOtandum tertium humilis Chriſti natiuitatis adiunctum, cùm ipſius filij Dei, tùm eius parentum conditio: peregrinorum, inquam, viatorum, & eorum, qui in via non in patria ſunt: Chriſtumq; Dominũ, priuſquam in hanc lucem editus fuiſſet, peregrinum & viatorem fuiſſe: vt illud doceret, regnum ſuũ non eſſe de hoc mundo: genus item primum ſuũ, contra omnẽ Ebionis & Samoſateni impietatem, non eſſe de hoc mundo, iuxta illud Ieremiæ 14. Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum? Quare futurus es velut vir vagus, vt fortis qui non poteſt ſaluare? Pulchrè igitur S. Gregorius: Non in parentum domo, ſed in via naſcitur, vt profectò oſtẽderet, quia per humanitatem ſuam, quam aſſumſerat, quaſi in alieno naſcebatur. Alienum videlicet non ſecundùm poteſtatem dico, ſed ſecundùm naturam: 4

turam. Nam de poteſtate eius ſcriptum eſt: In propria venit. In natura etenim ſua, ante tempora natus eſt; in noſtra, venit ex tempore. Qui ergo æternus permanens temporalis apparuit, alienum eſt vbi deſcendit. Deinde vt oſtenderet, & nos item, ſi membra eius eſſe volumus, peregrinos & aduenas in terra iſta eſſe debere. Quemadmodum autem peregrinus & viator, dum eſt in via, non eſt quòd ſuperbiat, quòd ſe efferat, quòd aliquem præ ſe contemnat, peregrinus enim & viator eſt: ſic ſimiliter & nos in hoc mundo, non eſt quòd nimis ſuperbiamus, non eſt quòd criſtas erigamus, vt qui in hac via, in hoc diuerſorio, nihil proprium habeamus: ſed nunc quidem in hoc diuerſorio ſumus, cras in alio erimus. Et quemadmodum in via & peregrinatione, nemo diutiùs libenter moratur, nemò ſe rebus loci illius, in quo diuerſatur, occupat, nemo in illis nimis curioſus eſt, vtpotè cui poſt vnam & alteram horam recedendũ eſt, ad terminum & finem itineris, quiſq; ſanus properat: ita & nos, non eſt quòd mundo hoc delectemur, cur in eo diutiùs morari velimus, quòd res eius curioſè tractare, aut expendere debeamus: cælum cælum nobis eſt ſuſpiciendum; vt ibi ſint noſtræ fixæ mentes, vbi vera ſunt gaudia. Præterea quemadmodũ omnis peregrinatio eſt ſordida, periculoſa, laborioſa: ita quid eſt in hoc mundo, quod non ſit inquinatum, quod purum & mundũ, quod ſcandalo & periculo careat, quod laboribus & moleſtiis non ſit plenũ? ita vt meritò princeps iſte viator, & peregrinus de mundo nos euocans, ac poſt ſe ire iubens exclamet: Venite poſt me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quanquam vt Beda V. docet, hoc idem quod in via naſcitur, per ſignificationem altiùs intelligi poteſt. Ipſe namq; ait: Ego ſum via, veritas, & vita. Qui ergo per diuinitatis eſſentiam veritas & vita permanet, per incarnationis myſteriũ, via factus eſt, qua nos ad patriã, vbi veritate & vita frueremur, adduceret.

5 NOtandum, quartam partem humilis natiuitatis Chriſti Domini declarare ſanctum Euangeliſtam, per ipſam rationem natiuitatis, qua breuiter, & quomodo, & quo tẽpore, & quo loco ſecundũ carnẽ Chriſtus natus ſit, explicauit. Quam ſic deſcribit: Factum eſt autem cùm eſſent ibi, impletum eſt tempus primùm æternæ ordinationis voluntatis diuinæ, qua à ſeculo & præuiderat, & præordinauerat filium ſuum dilectum ſe in redemtionem noſtram, & ſalutem daturum, iuxta illud D. Pauli: Vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege; vt eos, qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. Impletum eſt item & tempus ipſius ad pariendũ naturæ, nouem ſcilicet menſium, vt repellantur & reiiciantur omnia figmenta Manichæorum, Neſtorij item, qui eam natiuitatem non veram, ſed fictam & imaginariam quandam eſſe putauerunt. Quamùis enim Chriſtus Dominus ſupra naturam virtute Spiritus ſancti eſt conceptus, naturaliter tamẽ in vtero virginis ſanctæ portatus & auctus, natus etiam, ſine dolore tamen & læſione ſigilli virginalis. Iam enim præciſum fuit in ea illud Euæ infælicitatis elogium, quo dicitur: in dolore paries filios tuos: quia iſta in lætitia Dominum peperit. Poſtquam igitur impletum eſt tempus, vt pareret, peperit filium ſuum: quem & qualem filium, explicat, non ſecundùm humanitatem tantùm, ſed diuinitatem etiam, decem totis capitibus S. Ioannes. Primo capite Euangelij ſui, vt pulchrè annotat D. Ambroſius. Quando ſcilicet erat, & quomodo erat, & quid erat, quid egerat, quid agebat, & vbi erat, & quò venerit, & quo-

modo veniret,quo tempore veniret,& qua causa veniret. In principio,inquit, erat verbum: habes quando erat. Et verbum erat apud Deum: habes quomodo erat; habes etiam quid erat: Et Deus, inquit, erat verbum. Quid egerat: Omnia pèr ipsum facta sunt. Quid agebat: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et vbi erat: In mundo erat. Quò venerit: In sua propria venit. Quomodo venerit: Verbum caro factum est. Quando venerit: Ioannes testimonium perhibet de ipso dicens: Hic est de quo dixi,qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat.Qua causa venerit: Ioannes ipse testatur: Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mūdi. Parit ergo filium suum primogenitum; non quòd pòst genuerit alios, vt falsò mentiebatur Heluidius; sed quòd ante hunc alium genuerit nunquam: quod pulchrè explicat contra eundem Heluidium D. Hieronymus, quem eundem sequitur V. Beda. Verba Hieronymi sunt: Factum est autem,cùm ibi essent, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum primogenitum. nititur approbare Heluidius primogenitum non posse dici, nisi eum qui habeat & fratres,sicut vnigenitus ille vocatur, qui parentibus solus sit filius. Nos autem ita definimus: Omnis vnigenitus est & primogenitus, non omnis primogenitus est vnigenitus. Primogenitus est non tantùm,post quem & alij; sed ante quem nullus: Omne, inquit Deus ad Aaron, quod aperit vuluam, ab omni carne, quæ affertur Domino, ab homine vsq; ad pecus, tibi erunt: tantum modo pretiis redimant primogenita hominum, & primogenita pecorum immundorum. Definiuit sermo Dei, quid sit primogenitum: Omne, inquit, quod aperit vuluam. Alioquin, si non est primogenitus, nisi is tantùm, quem sequuntur fratres: tamdiù primogenita sacerdotibus non debentur, quàmdiu & alia fuerint procreata; ne fortè partu postea non sequente, vnigenitus sit, & non primogenitus. His ea,quæ sequuntur addit V. Beda: Verùm altiori, inquit, ratione Dei filius in carne apparens, & iuxta diuinitatis excellentiam vnigenitus à patre, & iuxta fraternam societatem, primogenitus est omnis creaturæ. De hac dicitur: Nam quos præsciuit & prædestinauit, conformes fieri imaginis filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. De illa autem: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre. Est ergo vnigenitus in substantia Deitatis; primogenitus in susceptione humanitatis: primogenitus in gratia; vnigenitus in natura. Inde est, quòd frater nuncupatur, & Dominus: frater; quia primogenitus: Dominus; quia vnigenitus est. Hæc V. Beda.

NVdus igitur egreditur de vtero matris suæ, nudus post expansis manibus pro nobis moriturus: qui totum mundum vario vestit ornatu,pannis vilibus inuoluitur, vt nos stolam primam accipere valeamus. Per quem omnia facta sunt: eius manus pedesq; cunis astringuntur; vt nostræ manus ad opus bonum exortæ,nostri sint pedes in viam pacis directi. Excipit virgo vegeta infantem, illum magnum, illum altissimi filium: miratur hominem Deum, explicat fascias, & pauperes, qui tùm pro tempore aderant, pannos; vt solentur pauperes paupertatem suam, exules extorrem conditionem suam. Infantem inuoluit, ac in præsepio, fœno vili subiecto,inter bouem & asinum reponit; vt inter mundum & immundum animal iaceret ille,qui & mundos & immundos sanare venerat. Et impletum est illud: Vt iumentum factus sum apud te, &

6

ego semper

ego ſemper tecum. Credo equidem Euangeliſtam, dum hæc perſcriberet, admiratione extra ſe poſitum, tàm breuiter tantum myſterium explicaſſe. Dum eſſent ibi, impletum eſt tempus, vt pareret: & peperit filium ſuũ primogenitũ, & pannis eum inuoluit, & poſuit in præſepio. Peperit antequàm parturiit. Quis vnquam audiuit tale? quis vidit ſimile? Verè tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus. Abſunt cunæ, abſunt lectuli, abſunt partus & lotionis inſtrumenta: amici, ſeruuli nulli, obſtetrices nullæ mulierum, ſedulitas nulla interceſsit. Ioſeph ipſe, & dominus & famulus: virgo ipſa, pannis inuoluit infantem; ipſa & mater & obſtetrix ſimul, & nutrix eſt: alit puerum vbere de cælo pleno. Ioſeph autem, inquit Chryſoſtomus, non audebat eum attingere, quẽ ſciebat de ſe non eſſe generatum: mirabatur, gaudebat natum, & natum non audebat attingere. Conferat hoc loco pium pectus vltima cum primis, crucem cum præſepio, abiecta veraq; Deo indigna vtraq;: & tamen alterum cubile Dei, alterũ trophæum magni victoris, verumq; humilitatis documentum. Te verò ſolum Bethleemiticum, multarum rerum conſcium compello, num aliquando quid ſimile portâris? Te, chariſsime ſol atq; luna, & reliqua ſidera, num aliquid vnquam ſimile videritis, aut illuſtraueritis? Vos beatiſsimæ mentes, quæ cælos ipſos ſuperaſtis, interrogo; num quid aliquando ſimile orbis hic ediderit? Reſpondebitis, certò ſcio, vno ore omnes: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Tibi verò parue puer, quod tandem natalitium carmen occinemus? aut quibus Muſicis & cantibus vagitum hunc tuũ releuabimus? quid tribuemus Domino, pro omnibus quæ retribuit nobis? An illud vt renaſcamur cum eo ex aqua & Spiritu ſancto, & iterum moriamur cum illo, vt illi viuamus? Ille igitur paruulus, inquit Ambroſius, ille infantulus fuit; vt tu vir poſsis eſſe perfectus: ille inuolutus pannis; vt tu malis laqueis ſis abſolutus: ille in præſepibus; vt tu in altaribus: ille in terris; vt tu in cælis: ille locum in diuerſorio non habebat; vt tu plures haberes in cæleſtibus manſiones. Qui cùm diues eſſet, propter vos pauper factus eſt; vt illius inopia vos ditaremini. Mea ergo paupertas, illius patrimoniũ eſt; & infirmitas Domini, mea eſt virtus. Maluit ſibi egere, vt omnibus abundaret. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus. Mea lachrymæ illæ delicta lauerant. Plus igitur, Domine Ieſu, iniuriis tuis debeo, quòd redemtus ſum; quàm operibus, quòd creatus ſum. Non prodeſſet naſci, niſi redimi profuiſſet.

7 NOtandum circa humilẽ natiuitatem Saluatoris noſtri, Chriſtum Dominum in Bethleem, in præſepio natum eſſe: villulamq; eius & matris diuerſorium, teſte Hieronymo, fuiſſe. Vbi obſeruandum eſt, Bethleem & paruum oppidum fuiſſe, & magnum: paruum quidem magnitudine, magnum autem dignitate. Quæ quidem dignitas in eo fuit ſita, quòd princeps tribus inter duodecim, tribus inquam Iudæ, & quaſi caput fuerit: tùm ex illo, quòd princeps populi Dei, hoc eſt rex ipſe Meſsias, inde prodire debuerit. Itaq; in ſcripturis iam minima, iam nequaquam minima dicitur. Michææ verba ſunt: Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël. Euangeliſta autem: Et tu Bethleem, inquit, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Atq; ita conſtat, Bethleem paruũ, & anguſtum oppidũ fuiſſe. Vbi illud notandum deinde eſt, tribum Iuda vt dignitate, ita vt frequentia populi alias quaſi tribus ſuperaſſe: atq; inde mirum videri

 non debere,

non debere, Iosephum & virginẽ matrem locum nõ habuisse in diuersorio, cùm propter paupertatem & humilitatem; paupertas enim timida semper est, neq; libenter se immiscet diuitibus: tùm propter nimiam frequentiam populi, qui tum census causa, ex tota tribu eò conuenerat. Deoq; permittente, atq; ita, vt nobis sempiternum humilitatis exemplum locum natiuitatis filij sui relinqueret, volente, necessariò ad caulam quandam annexam oppido diuertisse, ibiq; in præsepio filium deposuisse. Nam alibi nullus locus vacabat ad natiuitatem Saluatoris, nisi præsepe, ad quod iumenta & asini ligabantur. Solebant enim, pro more & cælo illius gentis, oues & alia pecora sub dio noctu etiam pasci: atq; si aliqua calamitas cæli impenderet, aut iam præsens adesset, caulas & specus vel excisas, vel effossas, vel etiam natura factas habere, ad quas & pastores ipsi imminente tempestate confugerent, & pecora ipsa cogerent. In quam Iosephum itidem cum Maria, nocte ingruente, diuertisse verisimile est: vt miretur mundus Deum in præsepio. Atq; hoc fuit palatium natiuitatis Regis magni: hæc structura magnifica. Vbi, inquit Hieronymus, sunt latę porticus? vbi aurata laquearia? vbi domus miserorum pœnis & damnatorum labore vestitæ? Sic mundus excepit factorem suum. In propria venit, & sui eum non receperunt. Hoc præsepe mensa est, quam parauit Deus in conspectu nostro, aduersus omnes qui tribulant nos: in qua verus panis, qui de cælo descendit, in vrbe panis positus est. Si igitur, inquit Chrysostomus, homo es, panem comede; si animal es, cum boue & asino ad præsepe accede. Ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus est, hîc inuolutus pannis, hîc visus à pastoribus. In stercore nascitur Sanctus sanctorum; vt eos qui sunt de stercore eleuet. In stercore nascitur, vbi & Iob sedebat; & postea coronatus est: cui cælum sedes est, duri præsepis angustia continetur, vt nos per cælestis regni gaudia dilatet. Qui panis est angelorum, in præsepio reclinatur; vt nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat. Qui ad dexteram patris sedet, qui loca omnia implet, & sine quo nullus est locus: in diuersorio loco eget, vt nobis in domo patris sui mansiones multas præparet. Nascitur in vili præsepio: conuersatur in mundo sine ædificio: moritur in cruce: sepelitur in alieno sepulcro; vt sic diuina attributa humanis tegat infirmitatibus: omnipotentiam infirmitate: immensitatẽ paruitate: sapientiam infantia: opes & diuitias nuditate: æternitatem nostræ carnis mortalitate. Si mihi, exclamat penes hunc locum D. Chrysostomus, liceret videre illud præsepe, in quo Dominus iacuit. Nunc nos Christiani, quasi pro honore, tulimus luteum, & posuimus argenteum: sed mihi pretiosius illud est, quod ablatum est. Argentum & aurum, meretur gentilitas: Christiana fides, meretur luteum illud præsepe. Qui in isto præsepe natus est, aurum condemnat & argentũ. Non condemno eos, qui honoris causa fecerunt: neq; enim illos condemno, qui in templo fecerunt vasa aurea: Sed admiror Dominum, qui creator est mundi, non inter aurum & argentum, sed in luto nasci. In hac tamen humilitate, summa est maiestas. Nam hoc ipsum, quod foris ornamenta non quærit, supra omnia est, nulla re mundi se opus habere declarat: cùm id, quòd extra quærit ornamenta, aliquid defectus & deformitatis in se habeat oportet. At hic hoc demonstrare vult pro sua pulchritudine, omnia huius seculi decora cœnum & fœnum esse. Tùm demum illud voluit docere, frustra mundũ, eiusq; Reges & principes suis ornamentis efferri, quæ Deus natus despexit. Deinde superbiã

primorum

primorum parentum, quam Diabolus inuexerat, sua humilitate curare voluit; vt qui per alienam superbiam cecideramus, per eius humilitatem eleuemur. Postremò spontaneæ paupertatis, obedientiæ, humilitatis, idem natus Deus voluit nobis exempla proponere, vt quas nunc cum eo in eodem præsepio iacentes adoramus; eas ipsas in vita & moribus nostris exprimamus: has solas gemmas, hæc ornamenta Christiani esse iudicantes. Summam igitur miremur in humilitate maiestatem, in paupertate opes, in stultitia sapientiam. Audiant hæc omnes gentes, auribus percipiant omnes qui habitant orbem, quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues & pauper. Ipsi autem puero gratias immensas agamus, quia in humilitate sua memor fuit nostri, & redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in æternum misericordia eius.

8 NOtandum, Duo esse in Christo Domino æquè admiranda, æquè colenda, alterum etiam imitandum, humilitatem & maiestatem eius simul. Quæ ita secum iuncta sunt, vt alterum sine altero esse nullo modo posit: & qui alterũ neget, aliud autem confiteatur, huius sine altero confesio nihil cuiquam prosit. Quæ cùm ita sint, ita de his scriptura agere solet, vt vbi vnius vim & dignitatem exposuerit, statim ad aliud celebrandum se referat, ne quis illius obliuiscatur, neúe ad illud offendat. Celebrauit D. Lucas, miram & inauditam Iesu Christi humilitatis in natiuitate eius rationem: qua ne quis offendatur, ne cum Iudæis aut hæreticis maiestatem ac diuinitatem eius neget, ecce pòst cunas, pannos, præsepia, angelorum, hymnorum, cultus, & adorationis mentionem facit: Erant, inquit, pastores in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum: & ecce angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Apparet primùm vnus angelus, tamquam præcursor quidam aliorum, salutis nuncium pastoribus affert: Sequuntur deinde angelorum exercitus canentiũ & laudantium Deum: vt si quem fortè humilitas infantis vagientis deiecit, eos militia cælestis exercitus subleuet. Quod quidem iam antea prædictum fuisse à propheta, docet D. Paulus 1. Cap. ad Hebræos: Et cùm iterum, inquit, introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Quod non de alio tempore, nisi natiuitatis, intelligendum esse docet ipsa litera. Qua eadem scripturæ imitatione facit hoc idem Ecclesia in ipso die natiuitatis Iesu Christi. Nam cum in primo & secundo sacro de humili eiusdẽ natiuitate Euangelia populo recitauerit; in tertio & summo sacro de æterna eius generatione & diuinitate recitat. Quod etiam in Pauli scriptis facit: Nam cùm in primo & altero sacro ea recitet, quæ communiter & ad diuinitatem & ad humanitatem eius pertinent; in reliquo, quæ tertia Missa dicitur, de sola Christi diuinitate epistolam pronunciat.

9 NOtandum, quæri solere à patribus: Quandoquidem Herodes Hierosolymis erat, Pontifices erant, Pharisæi erant; in Bethleem item Sacerdotes & scribas, Romæ Augustum ipsum eiusq; Senatum fuisse non dubium est: cur Christus Dominus istis dormientibus, in eremo inuenitur, ac pastoribus potissimùm vigilantibus eius natiuitatem denunciat angelus, iisq; apparet? An quia principem pastorum nunciaturus venerat, qui de semetipso inquit: Ego sum bonus pastor: bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis? Et apud Ezechielem: Sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio

ouium

ouium ſuarum diſsipatarum: ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis. Et paulò pòſt: Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum, qui paſcat eas, ſeruum meum Dauid, ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Vel quòd paſtorum hominum genus ſimplex & candidum eſt, quibus Spiritus ſanctus myſteria ſua reuelare ſolet: itaq; prophetas omnes, Apoſtolos item, ſimplices quosdam & priuatos homines fuiſſe legimus. Ita & Moſes primus legiſlator paſtor fuit: Dauid quoque cui maxima reuelata ſunt ſecreta: Amos item in paſtoralibus Thecue prophetam fuiſſe ſcriptura docet. An quòd propter iuſtitiam & honeſtatem genus vitæ hoc Deo gratiſsimum ſemper fuit, hominibus autem minùs ſuſpectum. Itaq; Patriarchę omnes paſtores fuerunt, multique alij ſancti homines. An ad illud myſticè deſignandum, quòd in futura Eccleſia Dei primùm omnia myſteria ſacerdotibus reuelari debuiſſent, ac per hos poſtea reliquo populo communicari. Sic nos, inquit Paulus, exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Non quibuſuis autem paſtoribus angelus apparet, ſed vigilantibus, ſed in cuſtodia poſitis, ſed lætis ac neſcio quid ruſticũ & agreſte cogitantibus: quòd quidem Græcum verbum ἀγραυλοῦντες, Theophylacto & Euthymio teſte, declarat. Eſt enim propria paſtorum vigilia, ac propter bonam conſcientiam hilaritas quædam. Vnde illa de ſua vigilantia & ſolicitudine refert Iacob: Die noctuq; æſtu vrebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.

NOtandum eſt, angelos apparere paſtoribus, non aut piſcantibus, aut per ſiluas feras conſectantibus, aut mercaturas exercentibus, aut per fora & curias diuagantibus, aut militiam & caſtra ſequentibus; ſed ſuper greges ſuos vigilantibus: quod idem de paſtoribus ſpiritualibus intelligendum eſt, qui niſi ad ouilia ſua, hoc eſt, ad eccleſias ſuas præſentes adſint, parum aut nihil proficere poſſunt: fruſtraq; auxilium ſupernum expectant, niſi ipſi præſentes operi ſuo incumbant. Quomodo enim paſtor abſens oues ſuas aut paſcet, aut à lupis defendet, aut ad extremùm ipſe oberrans, errantes & deuias reducet? Præſentia igitur & reſidentia paſtorum opus eſt. Atq; item ne multos quidem greges vnus paſtor paſcere poteſt, cùm vnus homo pluribus locis nequaquam præſens adeſſe poſsit. Miſera autem eſt conditio paſtoris abſentis. 10

NOtandum, Magnam eſſe coniunctionem angelorum cum rectoribus atq; paſtoribus Eccleſiarum. Quod pulchrè docet Origenes: Non ſolùm, inquit, eo tempore loquebãtur angeli ad paſtores, ſed vſq; hodie, niſi locuti fuerint ad paſtores, & ſua eis opera copulârint, dicitur, ad eos: Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanũ laborauerunt qui ædificant eam: niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Si audacter expedit loqui, ſcripturarũ ſenſum ſequenti, per ſingulas Eccleſias bini ſunt Epiſcopi, alius viſibilis, alius inuiſibilis: ille viſui carnis, hic ſenſui patens. Notat idem Origenes: Paſtores Eccleſiarum, niſi ſummus paſtor venerit, per ſe benè gregem ſeruare non poſſe: infirmam eſſe eorum cuſtodiam, niſi Chriſtus cum eis pauerit atq; ſeruauerit. Legimus apud Paulum: Dei cooperatores ſumus. Paſtor bonus, qui imitatur paſtorem bonum, cooperator eſt Dei & Chriſti. Et propterea paſtor bonus eſt, qui habet ſecum paſtorem optimum compaſcentem ſecum. 31

Notandum,

NOtandum, Magnum mysterium & arcanum conceptionis & natiuitatis Christi Domini esse. Quæ vt ab omnibus prophetis futura prædicta est, ita pòst præsens à tribus angelis denũciatur, ac deinde ab vniuersa militia cælestis exercitus cantibus & hymnis celebratur. Denunciata est primùm Mariæ à Gabriele angelo: denunciata deinde Iosepho viro Mariæ: denunciatur nunc pastoribus; vt sic in ore trium consistat omne verbum. Angelus Mariã, inquit Ambrosius, angelus Iosephum, angelus pastores edocet. Non satis est semel missum: duobus enim & tribus testibus stat omne verbum. Anunciatur autem pastoribus excellentiori modo: nam claritas Dei circumfulget illos, quod de supra dictis angelis non legimus. Quæ quidem claritas designabat, iamiam adesse & affulsisse illum ipsum orientem, de quo nuper prædixit Zacharias: Visitauit nos Oirens ex alto: illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Et Ioannes: Erat, inquit, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

12 NOtandum autem est, ad aspectum & præsentiam angeli extimuisse pastores, ea causa, quòd natura humana ad cælestes illas mentes pauida est, & erectione quadam opus habet. Quòd si ad amicorum angelorum aspectum expauescimus; quantò magis terribilis illa hora erit, cùm morituris nobis, inimicissimi spiritus comparebunt? Et si angelos conseruos nostros non ferimus; quantò magis iudicem ipsum & Dominum, vbi ad iudicandum venerit, minùs feremus? Arescentibus, inquit Lucas, hominibus præ timore. Sic igitur viuamus, sic degamus, vt impauidi in conspectu eius apparere possimus.

13 NOtandum, Accepisse genus hominum multos nuncios mortis, vtpotè Adamum: eos item qui diluuio absorpti sunt: Niniuitas quoque, nisi pœnitentiam egissent. Nunc vice versa nuncios salutis, per viscera misericordiæ Dei nostri, cælitùs per angelos accipere. Primùm illud: Ecce virgo concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, &c. Deinde hunc præsentem: Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. In quo ostendit primùm, quid nunciet, quoniam gaudium. Nuncius Euæ, fuit nuncius mœroris: nuncius pastorum, nuncius gaudij. Deinde ostendit, quantum istud sit quod nunciat, magnum quid scilicet esse, vtpotè, quòd salutem, neque hanc temporaneam, sed illam æternam ferat. Postea monstrat, cui tandem hoc gaudium futurum sit: nempè omni populo, non Hebraico tantùm, sed vsq; ad terminos terræ. Demum tempus: Hodie, inquit. Notat autem hoc loco V. Beda: Cur angelus, qui in noctis vtiq; vigiliis pastores affatur, non ait, hac nocte, sed hodie natus est vobis Saluator? Non aliam scilicet ob causam, nisi quia gaudium magnum euangelizare veniebat. Nam vbi tristia, quæ nocturnis temporibus gesta vel gerenda significantur; ibi sæpè nox vel adiungitur, vel etiam sola nominatur. Vt est illud: Omnes vos scandalũ patiemini in me in ista nocte. Et alibi: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. Neque enim frustra angelus tanto lumine cinctus apparuit, vt claritas Dei pastores circumfulsisse, hoc est, ex omni parte illorum luminis radios aspersisse dicatur; quod nunquam, in tota testamenti veteris serie, toties angelis apparentibus, adiungitur; Sed mysticè præmonuit, quod apertè postea monuit Apostolus dicens:

Nox

Nox præcesſit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſtè ambulemus.

14 POſt, quæ cauſa gaudij, docet: Quia natus eſt vobis Saluator. Non ex Ægyptiis aut Amorrhæis, non ex Phyliſtinis aut Madianitis tantùm, nõ à vi Romana, ſed à peccatis eorum: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Neq; tamen omnes, ſed eos tantùm, qui eum receperunt, & qui huic lumini feneſtras non obſtruxerunt. Locum demum, vbi cauſa eius gaudij producta eſt, annotat: In ciuitate, inquit, Dauid. Signum ad extremum, quod fidem faciat dictis, & rem ſimul demonſtret: Et hoc, inquit, vobis ſignũ. quod ſignum paulò pòſt nobis Simeon enarraturus eſt: nam res ipſa parum veriſimilis debebat videri paſtoribus. Obſeruandum autem eſt, Chriſti præſentiæ ſignum eſſe, pannos & præſepia: hoc autem eſt paupertatem & humilitatem: quæ vbi eſt, ibi facilè Chriſtus inuenitur: à faſtu & diuitiis eſt alienus. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. Quamùis autẽ hoc ſignum à pannis & præſepio, uile & abiectum eſſe videatur: longè tamen excedit illa, quæ aut de cælo, aut de aëre, aut aliunde ſumerentur. Maius enim miraculum eſt, Deum in pannis & præſepio iacere, quod antea nunquã factum eſt; quàm ſtellas & cætera portenta creare, quod iam tamen ante factum vidimus. Quod ſignum non agnoſcunt ij, qui inter Chriſtianos ſuis pompis ac vanitatibus, & factis contrariis Chriſtianæ profeſsioni illi contra dicunt. Sed cur dixit, faſciis inuolutum? nónne ſatis erat dixiſſe, poſitum in præſepio? Opinor hoc ab Angelo additum, quia præter faſcias nulla præterea re opertus eſſet: cùm alij, etiam non admodum diuites habeant aliqua alia, quibus infantes operiant. Nos verò, Ieſu Chriſte, quibus tandem veſtimentis te cooperiemus? niſi fortè peccatis noſtris: nam noſtrum nihil aliud habemus. Feras igitur hæc iam in primis cunis: pòſt in cruce perfectiùs laturus.

15 NOtandum, Apparitionem angeli eiuſq; nuncium nihil aliud fuiſſe, quã proëmium quoddam ac præitionem præparationemq; futuri cantus, quem multitudo militiæ cæleſtis cantare debebat. Angelũ autem ipſum, quaſi choragum & præcentorem quendam, qui futuro cantui attentos præparabat auditores. Et ſubitò igitur facta eſt multitudo militiæ cæleſtis, laudantium Deum & dicentium. Cantabat autem & lætitia efferebatur cæleſtis militia, partim ob illuſtrationem & propagationem nominis diuini, ad quod celebrandum & ſanctificandum facti ſunt: partim ob impletionem ruinarum ſuarum, quæ hac ratione futuræ ſalutis iam compleri ac illuſtrari debebant: partim vt demonſtrarent, ſe iam nobis amicos factos, maceriamq; irarum ac inimicitiarum, quæ inter nos & illos diuidebant, dirutam eſſe. Poſtquam enim Dominus venit ad terram, pacem fecit per ſanguinem crucis ſuæ, ſiue eorum, quæ in terra erant, ſiue eorum quæ in cælis. Et priuſquam redemtor noſter naſceretur per carnem, diſcordiam cum angelis habuimus: à quorum claritate atq; munditia, per primæ culpæ meritum, & per quotidiana delicta, longè diſtabamus. Quia enim peccando extranei eramus à Deo, extraneos nos à ſuo conſortio deputabant angeli ciues Dei. Sed quia nos cognouimus Regem noſtrum, recognouerunt nos angeli ciues ſuos. Quia enim cæli rex terram noſtræ carnis aſſumſit, infirmitatem noſtram illa iam angelica celſitudo non deſpicit: ad pacem noſtram angeli redeunt: intentionem prioris concordiæ proſequuntur.

quuntur. Et quos priùs infirmos abiectosque despexerant, iam socios venerantur. Hinc est enim, quòd Loth & Iosue angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur: Ioannes verò in Apocalipsi sua adorare angelum voluit, sed tamen idem hunc angelus, ne se adoraret, compescuit dicens: Vide ne feceris, conseruus enim tuus ego sum, & fratrũ tuorum. Quid est, quòd ante redemtoris aduentum angeli ab hominibus adorantur, & tacent: postmodum verò adorari refugiunt: nisi quòd naturam nostram, quàm priùs despexerant, postquàm hanc super se assumtam conspiciunt, prostratam sibi videre pertimescunt? Nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt: quam super se, videlicet in cælorum rege, venerantur. Nec dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum. Partim quòd iam longe faciliorem ac expeditiorem nos curandi rationem, tanto medico & saluatore adueniente, futuram esse videbant: de qua curatione sibi non succedente, apud Ieremiam conqueruntur: Curauimus Babylonem, & non est sanata. Veniat enim, inquit Origenes, aliquis archiater, qui habeat summam in arte notitiam: & illi qui priùs sanare nequiuerant, cernentes magistri manu putredines cessare vulnerum, non inuideant, non liuore crucientur; sed in laudes erumpant archiatri, & prædicent Deum, qui & sibi, & ægrotantibus tantæ scientiæ, hominem miserit.

16 NOtandum, Etsi angeli mentesque illæ æternæ, vt ipsæ puræ intelligentiæ sunt, ab omni corporea contagione remotæ, menteque sola & ratione Deum colant, & adorent: nostræ tamen instructionis causa suique erga creatorem suum cultus & obseruantiæ testandæ gratia, exempli item, visibilem & sensibilem cultum acceperunt. Quomodo hoc loco: Et subitò facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo. Quod neq; sine visibili lumine videri, neq; sine sensibile voce audiri poterat. Quod si igitur mentes cælestes, protestationis cultus, & amoris erga conditoren suum causa, externis & visibilibus rebus vtuntur; quantò magis homines, qui nihil sine sensu agunt, qui corporea mole constant, visibilibus quibusdam ac sensu mouentibus signis, cultuq; externo opus habent? Quod hæresis impudenter negare, ac etiam improbius impugnare solet. Sed & illud admirandum, an dolendum potiùs: exultant angeli & cælestes illæ virtutes, facto agmine & coacto exercitu, gloriam Deo ob eius erga nos beneficentiam canunt: homines autem quibus hæc allata sunt beneficia, non permouentur, & quantam possunt maximam præ se ingratitudinem ferunt, & hæc tanquam nihil ad se pertinentia non curant.

17 NOtandum, Genus humanum, post lapsum primorum parentum, duo summa & prima amisisse: primum verum cultum veri Dei, quem primò ad astra & sydera transtulerunt, pòst ad elementa, omniaque illa, quæ illis aliquam voluptatem & commoditatem adferre potuerunt: pòst ad homines primò, deinde & pecora, vltimò ad reptilia ipsa, ranas, serpentes, viperas, & alia quæq; abiectissima, quæque illorum seruituti condita erant. His ipsis rebus se subiecerunt, illisque seruierunt. Mutauerunt, inquit Paulus, gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs quàm creatori. Amiserant similiter

iidem homines veram pacem, primùm ad Deum, quẽ grauiſsima iniuria affecerunt,& cuius imaginem hoſti eius tradiderunt: deinde ad angelos,qui iniuria Creatoris ſui permoti, & ipſi pacem cum hominibus habere noluerunt: deinde ad conſcientiam propriam, quæ illos ſemper remordebat, ac nunquam quietos eſſe ſinebat.Et partes deinde,ex quibus conſtabant,pugnabant caro aduerſus Spiritum, Spiritus contra carnem, ſenſus aduerſus voluntatem, voluntas aduerſus intellectum: ita pax nuſquam tuta fuit. Amiſerant item pacem inter ſe ipſos, inter tot ſectas hæreſeſq; diſſecti. Hæc omnia aliquando futurus Meſsias debebat auferre, aut ſaltem remedia earum rerum dare. Hoc igitur nunc celebrat cæleſtis militia: hoc argumentum eſt cantus illius: hæ cauſæ gaudij: gloriam ſcilicet in altiſsimis Deo reſtitutam ac referendam eſſe: idola non tantum confringenda,ſed nomina etiam illorum delenda:Vnum ſolum & trinum Deum adorandum: pacem reſtitutam, dexteras datas: in amplexus omnia abiiſſe. Gloria igitur in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus.

NOtandum, Clauſulam vltimam chori angelici, bonæ voluntatis, non eodẽ modo exponi à variis:nec eodem modo textum diſtingui,eo quòd Gręcè aliud vocabulum poſitum ſit, εὐδοκία ſcilicet: quod aliud quid præter bonam voluntatẽ ſignificare videtur. Illi igitur, qui Græcum textum ſequuntur,hunc ſenſum totius huius loci faciunt,vt primùm gloria Deo tribuatur,terræ autem pax: priùs enim natura humana inimicitias habuit cum Deo, nunc autem in tantum reconciliata eſt,vt etiam coniuncta & vnita ſit illi per incarnationem. Vltra quam pacem, etiam quædam Deo in hominibus facta eſt complacentia, & quaſi conquieſcentia quædam Dei in homine. Quieſcit enim nunc Deus, & complacet ſibi in hominibus. In quo ſignificato conquieſcentiæ ſimiliter idem vocabulum vſurpatum eſt in baptiſmo & transfiguratione Chriſti: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacuit: Græcè habetur ηὐδόκησα Alij autem, in quibus Euthymius εὐδοκίαν beneplacitum interpretantur, vt nunc completum ſit, quod olim patris erat beneplacitum, ſiue quod definiuit aut voluit: hoc autem eſt, vt incarnaretur Dei filius, & ſaluaretur homo perditus. Alij per verbum εὐδοκίαν reconciliationem ſignificari docent, vt hoc modo pax exponatur, quam proximè angeli denunciauerunt, pacem nempe factam eſſe per reconciliationem: cùm enim Dei inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per ſanguinem filij eius, inquit Paulus. Ob hanc igitur reconciliationem angelos gloriam Deo ceciniſſe aiunt. Et ſanè ingens fuit diuinæ illius maieſtatis gloria, qui rem nihili, ſi Deo conferatur, tanti fecerit, vt ipſe auerſos ad reconciliationem inuitaret. Qui veterem verſionem exponunt, nempe Bonæ voluntatis, hi locum hunc ita ſimpliciſsimè interpretantur: Gloriam ſcilicet factam eſſe Deo in cælis, & hominibus pacem in terris: non tamen hominibus maleuolis, non rixoſis,non turbulentis,non duplici corde & labiis doloſis,in corde ac corde loquentibus: Sed hominibus bonæ voluntatis,ſimplicibus, veracibus, pacificis, pacem optantibus & quærentibus. Pax enim multa diligentibus legem Domini: quos vno verbo ſcriptura filios pacis vocat. In quamcunq; domum,ait Saluator, intraueritis, primùm dicite,pax huic domui: & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra. Quæ quidem expoſitio, etſi verbo Græco non reſpondeat, rei tamen ipſi & ſenſui accommoda-

18

commodatissima est, V. Beda dicit, factam pacem significari eis, qui suscipiunt natum Christum, non autem Herodi, non Pontificibus & Pharisæis, cæterisque Antichristis, qui eius natiuitate audita turbati sunt, eumque quantum valuere gladiis insecuti.

19 NOtandum, Vidisse aliquando Moysen rubum ardentem & virentem simul, & dixisse: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Simile quid nunc videntur, nuntio ab angelis cantuque multitudinis militiæ cælestis, excitati facere pastores: Transeamus, inquiunt, vsque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Verè autem & hîc rubus fuit, ardens quidem charitate, quæ eum ad præsepe vsque compulit: virens autem sanctitate & innocentia, vt qui ex virgine sancta, sine omni contaminatione, virtute Spiritus sancti & conceptus & genitus est. Vsurpant autem nomen verbi, vel simpliciter pro re ipsa, ac si dicant: Videamus hanc rem, quam Deus fecit, manifestauitque nobis. Sicut & in illo Gabrielis dicto intelligitur: Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum: hoc est nulla res erit Deo impossibilis. Vel pro persona Christi: quasi dicant: Videamus hoc verbum quod factum est, Deum & hominem: de illo verbo intelligentes, de quo D. Ioannes grauissimè intonuit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Verbum quod semper erat, videamus quomodo pro nobis factum est: quod fecit Dominus & ostendit nobis. Verbum hoc ipsum se fecit, siquidem ipsum hoc verbum Dominus est. Videamus igitur quomodo hoc ipsum verbum, hoc est Dominus ipse se fecerit, & ostenderit nobis carnem suam. Quod enim videre non poteramus, dum erat verbum, videamus factum, quia caro est. Quod igitur fuit ab initio, quod audimus, videamus oculis nostris, perspiceamus, manus nostræ contrectent de verbo vitæ: vita manifestata est, videamus & testemur, & annuntiemus aliis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.

20 NOtandum, semel tantùm Euangelizatum esse Pastoribus, idque valde paucis: illos tamen surgere, festinare rem totam de Christo quam primùm cognoscere velle. Nemo enim cum desidia, inquit Ambrosius, Christum requirit. Nobis autem alijs quidem per triginta annos, aliis per quinquaginta, per octoginta aliis euangelizari, & tamen nihilominus in eodem cœno peccatorum delitescere, non se capitaq; sua in cælum leuare, non pedes aut manus ad opus promouere. Multa de suauitate bonæ conscientiæ dicuntur, multa de fructu bonorum operum, multa de gaudiis futurorum præmiorum; nullos tamen, vel perpaucos esse, qui velint de verbo hoc cognoscere, videre, & gustare, quàm suauis est Dominus. Vides, inquit Ambrosius, pastores angelo credidisse: & tu Patri, Filio, Spirituiq; sancto credere non vis? Venerunt, inquit, festinantes; & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio: neq; offensi fuerunt illo spectaculo, aut cogitationibus suis disceptarunt, quî esset consentaneum aut credibile, Messiam illum, quem maximum ac potentissimum regem futurum expectabant, tàm humiliter fuisse natum: sed cùm scirent, ab angelo ac Dei nuntio hæc sibi fuisse dicta, nihil hæsitauerunt, & suæ fidei euidentem dedêre significationem, ex eo quod sequitur: Cùm vidissent autem, inquit, diuulgauerunt de verbo, quod dictum fuerat ipsis de puero hoc.

NOtandum, Magnam esse efficaciam & veritatem earum rerum, quæ cælitùs dicuntur. Dictum est ab angelo: Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie saluator: audiunt pastores & credunt, veniunt & ita esse experiuntur. Videntes, inquit, cognouerunt de verbo, quod dictum illis erat de puero hoc. Quod idem in cæteris diuinis oraculis euenit. Si non simul & semel, aliquando tamen multa prædicabantur à Christo de futura salute, de propagatione Euangelij, de Ecclesiæ incrementis, de ortu & occasu hæresium: experti sunt hoc multi: experimur nos nunc; experientur postea alij. Quod idem de cæli præmijs, de pœnis inferni, de futuro iudicio, de æternis gaudijs intelligendum est. 20

NOtandum: Hic nunc à principio natiuitatis suæ pastores facit Euangelistas & Apostolos; qui pòst piscatores cum illo nuncio in mundum missurus erat: Euntes in mundum vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ: vt sic perpetua series humilitatis conseruetur, vt sic Deus in paruis vinceret, & non glorietur omnis caro. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, inquit Ambrosius, quòd vilis sit persona pastorum: certè quò vilior ad prudentiam, eò preciosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisiuit, quæ phalerare audita & fucare nesciret. Simplicitas enim quæritur, non ambitio desideratur. Annunciabant autem omnia, quæcunque ipsis dicta erant ab angelo, & de multitudine cælestis militiæ, de puero item in præsepio reperto, splendoreque dignitatis illius: ita vt non frustrà mirarentur omnes, quibus hæc annunciauerunt. 21

NOtandum: Hic ipse qui in cunis iacet, non mediocribus signis Deus probatur: cui angeli ministrant, quem pastores prædicant, quem magi adorant, quem Martyres confitentur. Ex vtero funditur, sed corruscat è cælo: terreno in diuersorio iacet, sed cælesti lumine fulget: nupta peperit, sed virgo cõcepit: nupta concepit, sed virgo generauit. Venite igitur exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro, præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. 22

NOtandum, Arcana & miracula Dei non esse sicco pede transeunda: sed in penitioribus recessibus cordis, tanquam thesauros pretiosos condenda. Reponit nunc in corde omnia incarnationis & natiuitatis Beata virgo mysteria, quæ postea huic ipsi D. Lucæ reuelaret, ad omnem posteritatem seculorum prodenda. Quo loco pulchrè D. Ambrosius: Discamus, inquit, sanctæ virginis in omnibus castitatem: quæ non minus ore pudica, quàm corpore, argumenta fidei conferebat in corde. Si Maria à pastoribus discit, cur tu declinas discere à sacerdotibus? Si Maria ante præcepta Apostolica tacet, cur tu post Apostolica præcepta magis cupis docere, quàm discere? Disce filium esse personæ, non sexus: sexus enim sanctus. Deniq; Maria præceptum non accepit, exemplum edidit. Contulisse autem scribit V. Beda, non simpliciter considerasse & conseruasse beatam virginem omnia verba hęc in corde suo. Quia cùm sanctas scripturas legeret, & sciret prophetas, conferebat ea, quæ secum sunt acta de Domino; & collata ad inuicem, cognouit, instar cælestium Cherubim, socia sui nutus luce concordia. Dixerat enim Gabriel: Ecce concipies in vtero, & paries filium. Prædixerat Isaias: Ecce virgo concipiet, & pariet filium. Prædixerat Micheas, filiam Sion in Turrim gregis aduenturam, & potestatem 23

primam

primam tunc esse venturam. Dicebant pastores, supernæ sibi ciuitatis in Turre gregis apparuisse cohortes, quæ natum canerent Christum. Legerat Maria: Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: videbat in præsepi Dei filium vagientem, qui homines saluat ac iumenta. Et in his singulis atque huiusmodi conferebat, quæ legerat; & comparabat his, quæ audiebat, & videbat.

24 NOtandum: Quemadmodum modus & ratio natiuitatis Christi perfectum specimen & exemplar nobis humilitatis exhibuit, quod in omnibus partibus ipsius considerauimus: ita reliqua pars infantiæ ac pueritiæ eius perfectam formam & archetypum nobis obedientiæ proponit, Quæ etsi omni ætati est vtilis & necessaria, maximè tamen primæ pueritiæ & iuuentuti: cuius recta monentibus parêre proprium est: vt ita hic cælestis doctor, non tantùm Saluatorem & redemptorem nobis se præstet, neque doctorem tantùm, sed exemplum etiam omnibus vitæ suæ partibus. Vt igitur natiuitas eius forma fuit perfectæ humilitatis, ita infantia & pueritia eius exemplar erit perfectæ obedientiæ, quöad Deum, quöad legem, & quöad homines, cuius initium à sua dedit circumcisione. Cùm enim verus Deus sit, verus legislator & Dominus: legi tamen se subiecit. Cùm ab omni peccato, eo præsertim quod originis fuit, liber esset, vtpotè ex purissimis sanguinibus castissimæ virginis, virtute Spiritus sancti conceptus: circumcisionem tamen subire voluit, quæ in remedium originalis peccati populo illi data fuit: vt quemadmodum per inobedientiam primi Adam omnes periimus, ita per obedientiam secundi curemur & saluemur omnes.

25 NOtandum, quid circumcisio, quæ eius origo, & causæ fuerint. Circumcisionem igitur sic Deus ipse Genesis 17. definit: Pactum, inquit, meum in carne vestra in fœdus æternum. Eandem D. Paulus sic definit, eam esse signaculum iustitiæ fidei, quæ fuit in præputio patris nostræ Abrahæ. Cuius definitionis ratio & sensus, ex origine ipsius circumcisionis maximè patet. Fecerat Deus pactum iustitiæ & salutis cum Adamo primo parente nostro: Si mandatum abstinentiæ custodisset, eum perpetuò iustitiam suam originalem conseruaturum fuisse. Fregit pactum Adam, seque suamque posteritatem perdidit: recipit tum promisionem cuiusdam seminis, quod illum à labe peccati liberaturum erat, inimicique eius caput contriturum. Mansit tum postea duobus ferè millibus annorum suspensa, nec repetita promisio. Recordatur deinceps pater misericordiæ promissi sui: eligit virum magnum & eximium Abraham: educit eum de domo sua, & de cognatione sua: probat multis modis fidem illius: repetit cum eo factam ad Adam promisionem: facit nouum pactum, remque ad specialitatem magis contrahit: atq; hoc ipsum benedictum semen, in quo omnes gentes liberaturus erat, ex ipsius posteritatisq; eius semine proditurum pollicetur. Cuius signaculum illum, posteritatemque eius, in carnem generationi seruientem, recipere iubet: vt illud signum sit veluti sigillum quoddam, & obsignatio futuræ fidei, daturum Deum certam salutem omnibus illis, qui eam fidem habuerint, Deoque crediderint. Neque verò otiosum aliquod hoc signum in illis hominibus Deus esse voluit, sed quicunque illud reciperet, eamque fidem haberet, iam per futurum meritum benedicti seminis

iustus esset, qualis & ipse Abraham fuit, in ciues Dei reciperetur, in futuramq; spem salutis. Ex qua circumcisionis origine iam etiam sensus ipsarum definitionum patet, eam scilicet esse pactum, hoc est, vt D. Paulus interpretatur, signaculum pacti in carne ipsius primum Abrahæ, tum & omnis posteritatis eius, eiusdem diuinæ promissionis atque fidei. Et ideò sacramentum esse visibile inuisibilis rei, hoc est, gratiæ Dei: non quidem eam conferens, sed tamen significans & designans. Atque hinc etiam colliguntur causæ ipsius circumcisionis populo Hebræo datæ. Primum vt sit originalis peccati medicina: non quidem per se & vi sua, sed per designationem veræ medicinæ, quam is parare debebat, cuius illa ortum & generationem designabat. Fuit secundò in sigillum & obsignationem pacti, quod fecit Dominus cum Abraham & posteritate eius, vt quicunq; illam in corpore suo gestaret, fidemq; Abrahæ primi circumcisi haberet, certus esset, se promissionum Abraham & semini eius factarum fore participem. Fuit tertiò in signaculum fidei & characterem populi Dei, quo iusti & æternæ saluti designati, ciuesq; Dei distinguerentur à populis, qui ab iustitia & promissionibus Dei erant remoti, quique ad ciues sanctorum non pertinerent. Hinc præclarè D. Ambrosius: Nec ipsum, inquit, circumcisionis signaculum & species feriabatur; quo populus Dei, velut quodam sigillo signatus corporis, discernebatur à cæteris nationibus. Nunc autem Christi donatus nomine, signum corporis nequaquam requirit, qui prærogatiuam diuinæ meruit nuncupationis. Epistolarum lib. 9. Epist. 77. Fuit quartò in commonitionem populi illius valdè carnalis, & plurimum carnalibus affectibus seruientis, vt quò in ea parte carnis circumcidebantur, in qua maximè concupiscentia regnaret; ita longè magis mentes & animos suos, prauasque & superfluas suas cupiditates circumciderent, ac ad mediocritatem reuocarent. Quod pulchrè ibidem explicat D. Ambrosius: Si, inquit, oportuit circumcidi, in qua magis parte membrorum oportuit circumcisionem fieri, quàm in ea, quæ quibusdam videretur inhonestior: vt ijs quæ putarentur ignobiliora esse membra; corporis nostri, honestatem abundantiorem circumdarent; & quæ inhonesta sunt nostra, honestatem abundantiorem haberent? Vbi enim magis vir sanguinis sui admoneri debuit, quàm in ea parte, quæ ministerium errori exhibet, & in qua corruptela est frequentior? Fuit item data in figura eius iustitiæ & munditiæ ac regenerationis, quæ pòst populo christiano per baptismum conferenda erat: tùm eius ipsius effusionis sanguinis, quem pòst primum ipsum caput nostrum in redemtionem nostram largè & fusè effusurum erat; ac deinde membra illius præcipua & præstantiora, sancti, inquam, martyres. Quemadmodum enim nostrum verum, in quo omnium abluuntur peccata, baptismum, multa baptismata apud Hebræos, vnum illud designantia, antecesserunt: ita vnam illam effusionem sanguinis Iesu Christi eiusque membrorum pòst futuram, multæ istæ & quotidianæ effusiones designabant. Quæ omnia pulchrè explicat D. Ambrosius: Sicut autem plurima, inquit, baptismatum genera præmissa sunt, quia secuturum erat verum illud vnum in spiritu & aqua sacramentum baptismatis, quo totus redimitur homo: ita plurimorum circumcisio præmittenda fuit, quia secutura erat circumcisio dominicæ passionis, quam pertulit Iesus quasi agnus Dei, vt tolleret peccata mundi. Exercebatur itidem iam ab infantia populus Dei, ad fortiter pro religione legeque Dei agendum, sanguinemque pro illis, vbi opus esset,
animosè

animosè effundendum. Pulchrum enim eſt, inquit Ambroſius, vt ab ipſis vitæ incunabilis inſigne religionis adoleſceret, & puderet vnumquemque ætatis poruectioris vel labori vel dolori cedere, quorum vtrumque tenera infantia viciſſet. Fuit etiam ad exercitium obedientiæ, & obſeruationis legis eadem circumciſio inſtituta; vt quemadmodum primis parentibus noſtris præceptum non guſtandi fructus arboris vitæ propoſitum fuit, in quo ſe exercerent, ac obedientiam ſuam creatori & parenti ſuo probarent: ita etiam ſecundo accepto pacto, haberet populus ille viſibile obedientiæ ſuæ argumentum. Cur autem Moyſes, qui primus circumciſionis mandatum conſcripſit, illudque in poſterum omne tempus vniuerſo populo Hebræo tradidit, ipſo toto ducatus ſui tempore neminem circumcidi noluerit, præter vnum ſolummodò filium ſuum, quem mater, arrepta petra acutiſsima, ne à Domino feriretur, circumcidit: ſed omnes qui eremo nati ſunt, à Ioſue circumcidendos reliquit? An illa potiſsima cauſa eſt, quàm D. exponit Ioannes Apoſtolus: Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Quod enim neque patres noſtri, neque nos potuimus portare, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Vnde & Pſalmiſta exclamat: Dum anxiaretur cor meum, inquit, in petra exaltaſti me, deduxiſti me quia factus eſt ſpes mea, turris fortitudinis à facie inimici.

26 NOtandum, Quæri à S. Patribus, quæ cauſæ ſint, cùm Chriſtus Dominus lege ſuperior fuerit, vtpotè Dominus & legiſlator; qui item ab omni peccato tàm originis quàm actuali ſit remotiſsimus; cur tamen ipſe & circumcidi, & alijs legis præceptis & remediis ſubijci voluerit? Cuius rei non vna, ſed plures poſſunt adferri cauſæ. Primam illam adferunt ſancti Patres, vt oſtenderet contra futuros hæreticos carnis ſuæ veritatem. Primùm contra Manichæum, qui dicit eum corpus phantaſticum habuiſſe, quod neque ſcindi poteſt. Deinde contra Apollinarium, qui dixerat corpus illius diuinitati eſſe conſubſtantiale. Contra item Valentinum, qui docuit corpus eum de cælo detuliſſe: in quæ omninò circumciſio cadere non poſſet. Secunda cauſa illa eſt tàm circumciſionis, quàm reliquæ ſubiectionis rebus à lege præſcriptis, vt vetus noſtra Synagoga, quod D. docet Auguſtinus, priuſquam vera ſponſa oriretur, honorificè conſepeliretur: illudque doceatur, legem veterem non à malo Deo, vt Manichæi putabant, ſed à patre ſuo datam eſſe: ſeque non illius ſoluendæ cauſa, ſed in melius commutandæ veniſſe. Cui non tanquam debitor, ſed tanquam filius Regis vectigal petſolueret: & vt omni legitimè prolatæ legi obediendum nobis ſuo commendaret exemplo. Tertiam Chriſti circumciſionis cauſam D. Paulus aſsignare videtur, vt nos ad veram & ſpiritualem circumſionem prouocaret, ad quam iam ipſe Moyſes populum illum carnalem cohortatus eſt, Deut. 10. Circumcidite, inquit, præputium cordis veſtri, & ceruicem veſtram ne indueritis amplius: quia Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus deorum. Paulus autem in hunc modum ad Coloſs. 2. cauſam hanc innuit: In quo, inquit, circumciſi eſtis circumciſione non manu facta, in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti. Quarta cauſa cur Chriſtus Dominus circumcidi voluit, vt demonſtraret ſe ex illa familia eſſe, gente denique, ex qua illum ortum eſſe deſcribunt Euangeliſtæ, nempe filium Dauid, filium Abraham, Iudæum ex Iudæis ortum, Iudæis promiſſum, Iudæis datum: ideò

hunc ipsum characterem circumcisionis in corpore suo portare voluit. Alioqui gens incredula Hebræa iustam habuisset eum non recipiendi excusationem, vt qui ex his oriundus non esset, ex quibus illis promissus fuerat. Ponit & quintam eiusdem circumcisionis causam D. Paulus ad Galat. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus: & vt nos à maledicto legis vindicaret. Cùm enim scriptum esset, maledictum esse omnem, qui non seruaret verba legis huius: nemo autem erat qui ex omni parte legi satisfacere posset; venit de cælo filius Dei, homo factus, vt vniuersam compleret legem, atque ita naturam humanam à maledicto legis liberaret: vt ita iugo legis seuero per obedientiam sublato, iugum dulce & suaue, fidei & charitatis nobis imponeret. Addamus & nos contra modernos Anabaptistas illam, cur Christus Dominus, idque puer octauo post natiuitatem suam die, circumcidi voluit, vltimam causam: vt necessitatem baptismi omni ætati demonstraret: nec tantisper differendum esse, dum puer per se credere, integramque fidem habere possit. Nam & circumcisio signaculum fidei fuit; & tum pueris, qui non credere poterant, octauo die conferebatur. Non dubium est in fide Ecclesiæ collatam fuisse, quod idem nunc de baptismo confitemur, quem in locum circumcisionis successisse docet D. Paulus: Circumcisi estis circumcisione non manu facta, sed circumcisione Christi, consepulti illi in baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis. Vtraque enim purificatione, & circumcisionis in lege, & in Euangelio baptismatis. Addit & alias quasdam minus principales, quæ tamen ad has ipsas facilè referri possunt. Epiphanius lib. 1. Tom. 2. contra Ebionæos.

29 ET circumcisionis quidem dominicæ causæ potissimæ hæ sunt. Cur autem nos ipsos, qui longè magis ad circumcisionem obligabamur, ab ea D. Paulus & tota Ecclesia eximat, illæ causæ erunt. Primùm vt succedentibus nouis, cedant vetera. Deinde, vt vmbris & figuris, res succedant: hoc autem est; circumcisioni, baptismus. Tertiò, vt repudiata & abrogata carnali generatione & successione, de cælesti & spirituali generatione cogitemus. Si consurrexistis, inquit Paulus, cum Christo, quæ sursum sunt qnærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Quartò, vt iam à Synagoga, quæ nutrix tantùm fuit, suspendamur, & veræ matri alendi tradamur, à pædagogo ad magistrum traducamur, ac planè iam iudaizare desinamus. Postremò, vt à carnalibus ad spiritualia, hoc autem est à carnali circumcisione, ad cordis & aurium circumcisionem reuocemur. Et de cordis quidem circumcisione Ieremias: Circumcidimini, inquit, Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, viri Iuda & habitatores Ierusalem. Quem locum interpretatur Symmachus teste Hieronymo: Purificamini Domino, & auferte malitias cordium vestrorum, circumcisionem, emundationem: & malitiam, vitium intelligens. Hoc autem præcipitur viris Iuda & Ierusalem, qui veram sectantur fidem, & habitant in ecclesia. De circumcisione autem aurium, D. Stephanus in Actis: Dura ceruice, & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis. Incircumcisas aures intelligens, clausas & obduratas ad audiendum & parendum verbo Dei. Complexus autem esse

videtur

videtur D. Ambrosius harum aliquas causas desitæ circumcisionis, Epistolarum lib. 9 Epist. 72. Pleraque, inquit, præcepta sunt legis, quæ præsenti tempore cessare videantur: vt tunc circumcidi pietas crederetur, nunc impietas iudicetur. Quid ergo causæ sit consideremus. Non enim otiosè dixit Apostolus, quia lex pædagogus noster fuit in Christo, pædagogus cuius est? maturioris an adolescentis, aut pueri, hoc est, ætatis infirmæ? Pædagogus ergo, sicut etiam interpretatio habet latina, doctor est pueri: qui vtique imperfectæ ætati non potest perfecta adhibere præcepta, quæ iustinere nequeat. Denique per Prophetam, Deus legis ait: Dabo vobis præcepta non bona: hoc est non perfecta. Quod enim bonum, vtique perfectum. Idem autem Deus Euangelio perfectiora seruauit: Siquidem ait: Non veni legem soluere, sed implere. Quæ igitur istius, ait, causa distantiæ, nisi humana varietas? Sciebat duræ ceruicis populum Iudæorum, lapsum, humilem, perfidiæ promptiorem; qui aure audiret, & non audiret: oculis videret, & non videret; lubrico quodam infantiæ leuem, & immemorem præceptorum: & ideò legem tanquam pædagogum mobili plebis ingenio, & menti adhibuit infirmæ: ipsaque legis præcepta moderatus, aliud legi voluit, aliud intelligi: vt insipiens saltem quod legeret custodiret, & à præscripto literæ non recederet; sapiens intelligeret diuinæ mentis sententiam, quam litera non resonaret: imprudens seruaret legis imperium, prudens mysterium. Ideò lex seueritatem gladij habet, tanquam pædagogus baculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ saltem denuntiatione deterreat. Euangelium autem indulgentiam habet, quo peccata donantur. Iure ergo Paulus ait, quia litera occidit, Spiritus viuificat. Litera igitur occidit exiguam corporis portionem: Spiritus intelligens, circumcisionem totius animæ corporisque custodit, vt superfluis amputatis (quid enim tam superfluum, quàm auaritiæ vitia, libidinisque peccata, quæ natura non habuit, culpa quæsiuit?) castimonia teneatut, frugalitas diligatur. Signum igitur circumcisio corporalis, veritas autem circumcisio spiritualis est. Illa membrum amputat, ista peccatum. Nihil imperfectum in homine natura generauit, nec tanquam superfluum iubebatur auferri: sed vt aduerterent, qui partem sui corporis amputabant, multò magis amputanda peccata, reciden dos eos qui delicta suadent, etiamsi quadam vnitate corporis connecterentur, sicut habes scriptum: Si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam & proiice abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehennam. Ergo sicut pueris, ita Iudæis mandata sunt, non plena præcepta, sed ex parte: & velut vnam membri sui partem mundam seruare præcepti sunt, qui totum corpus suum mundum seruare non poterant.

28 NOtandum, Magnæ sanctitatis, non tantùm apud Hebræos, sed etiam apud omnes eos qui rerum Hebraicarum conscij erant, ad easque imitandas se contulerant, circumcisionem fuisse: nec tantùm ad externum signum, sed etiam ad ipsam munditiem & honestatem vitæ relatam fuisse. Scribit enim D. Ambrosius in hunc modum. Gentilium etiam sapientissimi quique, ita circumcisionem approbant, vt electos suos erga cognoscenda & celebranda mysteria circumcidendos putent. Denique Ægyptij, qui & geometriæ & colligendis syderum cursibus operam intendunt suam, impium iudicant sacerdotem,

dotem, qui nequaquam habeat circumcisionis insigne. Nam neq; magici carminis sapientiam, nec geometriam, nec astronomiam iudicant vim suam obtinere, sine circumcisionis signaculo. Et ideò vt impetrandi vim operationi adhibeant suæ, purgationem quandam vatum suorum circumcisionis arcano celebrandam existimant. Reperimus autem in historia veterum, non solos Ægyptios, sed etiam Æthiopum & Arabum & Phœnicum aliquos circumcisione erga suos vsos. Et hanc putant se adhuc probandæ viam seruare ration is, eò quòd sui corporis primitiis, & sanguinis initiati, insidias dæmonum, quas illi generi nostro moliuntur, exiguæ partis arbitrentur consecrationibus destruendas: vt qui totius hominis saluti nituntur nocere, infirmari operationem suam putent circumcisionis sacræ vel lege, vel specie. Arbitror enim quòd in præteritum ipse dæmonum princeps, cessare suas artes erga noxiæ operationis effectum existimauerit, si ei nocere conaretur, quem signaculo circumcisionis sacræ initiatum aduerteret; aut ei qui videretur in hoc saltem munere legi diuinæ obtemperare. Hæc ille in Epistola 77.

NOtandum, Considerata natura circumcisionis, quædam alia quæ circa modum & circumstantias illius considerantur, breuiter annotanda esse. Hoc autem est, locum, tempus, modum, ac rationem ipsam. Locus igitur erat, Synagogæ in quaque vrbe, ac in his speluncæ quædam ad eam rem comparatæ, vt notat Epiphanius. Tempus autem dies octauus à natiuitate. Sic enim Deus Abrahamo præceperat: Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tàm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & qui non fuerit de stirpe vestra. Cuius eam causam adfert D. Ambrosius, quòd cùm per omnem ætatem nostram delinquamus, ac omni tempore superfluis vitiis laboremus; ideò octaua demum die perfecta erit circumcisio, per quam futura denotatur resurrectio. Ambrosij verba sunt hæc: Quoniam, inquit, prona quadam cupiditate peccandi, humanæ carnis & mentis fragilitas inextricabilibus vitiis implicatur, eo per octauum circumcisionis diem culpæ totius futura purgatio, resurrectionis præfigurabatur ætate. Hoc idem V. Beda clariùs explicare videtur: Vtraque, inquit, hæc nostra, quam prædiximus, hoc est, & moderna & futura, & spiritus, & carnis innouatio, & in eius resurrectione præfigurata, & in nostra est quandoque perficienda. Siquidem de prima nostra resurrectione, quæ interim vita & fidei emendatione celebratur, Apostolus ait: Quicunque enim baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus: vt quomodo resurrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. De secunda autem, quæ in fine speratur, ita dicit: Si enim credimus, quòd Iesus mortuus est & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo. Octauum autem diem & numerum resurrectionis gloriæ conuenire, penè omnibus claret. Nam & Dominus octaua die, hoc est, post septimam sabbati resurrexit: & ipsi post sex huius seculi ætates & septimam sabbati animarum, quæ nunc interim in alia vita geritur, quasi octauo tempore surgemus, tunc verissimè circumcisi, hoc est, ab omnibus carnalis concupiscentiæ vitiis & corruptionibus, in quibus maximè luxuria regnat, expoliati, verissimè præputium incisi. Quia sicut Dominus ait, filij seculi huius nubunt, & traduntur ad nuptias. Illi autem qui habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neq; nubent, neq; ducent

29

ducent vxores, neq; vltra mori poterunt, æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cùm sint filij resurrectionis. Modus quidem circumcisionis hic etiam nunc apud Hebræos seruatur. Quando enim circumcidunt pueros in Synagoga, duas præparant sedes: alteram scilicet Eliæ, quem venire credunt, & ibi dum circumciditur puer adesse: alteram verò sedem præparant ei, qui actum circumcisionis exercet, sicque ab eis dicitur, antequam circumciditur infans: Benedictus tu Domine Deus noster, rex mundi, super circumcisionem. Mox circumciso puero, hæc dicuntur: Benedictus Dominus Deus noster, qui sanctificauit dilectum ex vtero, & præceptum in carne sua posuit, & posteritatem suam signauit signo fœderis sancti. Idcirco meritò Deus viuus, pars nostra & fortitudo nostra, mandauit erui dilectum semen sanctum, consanguinitatem nostram ab inferno, propter fœdus suum, quod in carne nostra posuit. Benedictus iniens pactum & fœdus. Circumcidebatur autem puer lapideo cultro, vt designaretur, eum in nomine illius lapidis circumcidi, quem reprobaturi erant ædificantes, & qui pòst futurus erat in caput anguli gentis vtriusque, tam eius quæ est in circumcisione, quàm quæ in præputio. Imponebatur item eodem tempore puero nomen ad imitationem Abrahę, qui tum item octauo die circumcidit filium suum Isaacum, illique nomen imposuit: & ipse cùm testamentum à Deo circumcisionis acciperet, eadem priùs die cum sua coniuge nominis augmentum promeruit; vt qui eatenus Abram, id est pater excelsus vocabatur, deinceps ob meritum fidei Abraam, hoc est pater multarum gentium nuncuparetur: Sarai quoq; Sara diceretur. Quod item & nunc Christo Domino, atq; adeò præcursori eius fieri videmus. Vocabulum autem Iesu gloriosum, omni adoratione cultuq; appellandum, non à quouis afferri in mundum, sed ab excellentiori quadam maiorique natura debuit, inquit Origenes. Vnde signanter Euangelista addidit dicens: Vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum erat ab angelo. De quo nos item prolixiùs in libro quarto Nuncij nostri perscripsimus.

30 NOtandum, Pulchram esse connexionem eius ipsius constitutionis Christi Domini, cum circumcisione: nemo enim coram Domino sisti rectè potest, nisi qui priùs prauos affectus suos circumciderit, eosque abiecerit. Circumcisus enim vitiis dominico dignus iudicatur obtutu: Oculi enim Domini super iustos. Et nisi mortalitatis nexibus absolutus, supernæ Ciuitatis gaudia perfectè potest subire: quia non habitabit iuxta te, inquit Dauid, malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. Sistitur autem & subijcitur legi ex iisdem illis causis, ex quibus etiam circumcidi voluit. Nam neque virgo sancta, neque eius natus ea ipsa lege purificationis obligabantur. Non virgo quidem, quia ex ipso Spiritu sancto concepit, atque sanctum peperit. Lex autem Moysis erat: Mulier si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ. Non filius, quia sine omni labe peccati fuit: solusq; per omnia ex natis de fœmina Sanctus, qui terrenæ contagia corruptelæ immaculati partus nouitate non senserit, & cælesti maiestate depulerit. Misit enim Deus, inquit Paulus, filium suum in similitudine carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum per carnem, vt iustificatio legis impleretur in nobis. & rursus: Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia per illum. Sicut ergo similitudinem

litudinem acceperat, carnis peccato obnoxiæ, ſic & tanquam vnus è filijs ſub peccato natis voluit hunc ſubire ritum purificationis. Et ideò pulchrè dicit Euangeliſta, eos in templum veniſſe, atque purificationi ſubiectos fuiſſe, non ex aliqua neceſsitate, ſed ſecundùm legem Moyſis, id eſt vt ſatisfaceret legi Moyſis: & ne hoc nomine, tanquam illi qui tranſgreſſores legis eſſent, vel punirentur, vel tanquam profani ab hominibus declinarentur. Quòd autem ipſe quoque Ioſeph adeſt, eius rei cauſam affert Euthymius, quòd etiam viris vxorum ſuarum purgationes appropriarentur: an potiùs vbique tanquam cuſtos & nutritius ipſe Ioſeph adeſt. Obſeruandum eſt autem hoc loco, opera pietatis & actus religionis non tantum ex obligatione nos exercere debere, ſed nonnunquam etiam exempli & imitationis dandæ aliis gratia, ac ad exercitium obedientiæ alios prouocandi: quod nunc matrem Dei atque adeò ipſum Dei filium facere videmus.

31 NOtandum, Legem Moyſis duo inſignia de futuro Meſsia prædixiſſe: primùm eum ex virgine naſciturum, deinde verè ſanctum futurum eſſe. Primùm quidem illud dum dicit: Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur. Quanquam enim hoc omni primogenito, ſiue in hominibus ſiue in animantibus conueniat; vt primò naſcendo vterum aperiant: id tamen propriè futuro Meſsiæ reſeruatum fuit, qui propriè vterum aperuiſſe dicitur, vtpotè qui ſine omni virili opera natus ſit. Nam in aliis maſculi primùm in actu generationis ſecreta vteri aperire ſolent. Neque tamen hoc dicimus, neq; id lex docet, quod aliquis Iouinianus aut Heluidius in occaſionem erroris ſui trahere poſsit, virginem quidem ſanctam primogenitum hunc integra virginitate ſua concepiſſe, & non item peperiſſe, vt qui poſt vterum eius natiuitate ſua aperuerit: & ita ante quidem partum virginem fuiſſe, poſt partum autem virginem non remanſiſſe: cùm partus hic ſanctus non modò vterum matris ſuæ non violauit, ſed ſanctificauit potiùs, ac in perpetua virginitate confirmauit: egreſſus tanquam ſponſus, inſtar ſolis tranſitus lucidos, & perſpicuos non violans, procedens de thalamo ſuo. Sed hoc ita intelligendum eſt, hunc ipſum Regem Meſsiam natum, vt ante eum per operationem generationis nemo vuluam matris ſuæ aperuerit, quod in omni partu fit; ſed ipſum ſolum ita aperuiſſe, vt tamen hæc ipſa porta ſemper clauſa & integra remaneret. Et vt præclarè dicit Euthymius, ſolum Chriſtum nondum apertam ſupernaturaliter aperuiſſe, & clauſam naturaliter ſeruauiſſe: vt ita mater eius & ante partum & in partu, & poſt partum virgo inuiolata permaneret, illudque Ezechielis de ea impleretur: Et conuerti me ad viam portæ ſanctuarij exterioris, quæ reſpiciebat ad Orientem & erat clauſa, & dixit Dominus ad me: Porta hæc clauſa erit, non aperietur, & vir non tranſiet per eam, quia Dominus Deus Iſräel ingreſſus eſt per eam: eritque clauſa Principi, Princeps in ea ſedebit, vt comedat panem coram Domino. Et hoc quidem primum inſigne Regis Meſsiæ legem & Moyſem adumbraſſe, eum ſcilicet ex intacta virgine naſciturum fuiſſe: ſolumque primum verè vterum matris ſuæ aperuiſſe. Secundum illud, eum ſanctum futurum, & ita nulla purgatione opus habiturum. Sed ob hoc magis eam ſuſcepturum; vt & legem, quæ hanc ipſam purgationem præſcripſerat, ſanctam, iuſtam, ac bonam eſſe probaret; & nos ab eius ſeruitute ac timore fidei gratia liberaret. Solus enim ſanctus eſt, cæteroſque omnes ſanctos facit

facit. Nam de cæteris illud Iob verè dicitur: Nemo mundus à sorde, nec infans cuius vnius diei vita sit super terram. Vtraq; autem hæc annexa Mesiiæ, quæ tàm longè antè lex prædixerat, & adumbratam longè pòst Gabriel Archangelus virgini exposuit. Primum quidem illud, quòd sine virili semine nasciturus erat, cùm dicit: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altisimi obumbrabit tibi. Secundum deinde, sanctitatem nempe ipsius, cùm addit: Et ideo quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei. Sanctum autem hoc primogenitu dicitur; & secundùm diuinitatem, quia filius Dei; & secundùm humanitatem, vtpotè vnitus filio eius.

32 NOtandum, Quòd quemadmodum in natiuitate Christus Dominus non habuit locũ in diuersorio, & ideò necesse habuit reponi in præsepio: ita in purificatione & præsentatione sua, non habuit agnum præ paupertate, quem pro se offerat; & ideò necesse habuit viles auiculas pro se Domino præsentare. Non aliam ob causam, nisi vt & hîc & ibi nos à cura rerum humanarum opumque auocaret, & ad studium paupertatis inuitaret: neque tamen necesse fuit pro eo agnum offerri, qui ipse fuit agnus, qui tollit peccata mundi, pro redemptione omnium datus & designatus. Et quemadmodum in eo humilitatem suam declarauit, quòd legi subijci voluit: ita & in hoc, cùm ipse hostia pro humano genere offerenda esset, pro se tamen tàm pauperem hostiam, & tàm exigua munera offerri voluit; vt vna sua paupertate, nos & hîc diuites in fide, & illic faceret hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se. Quamuis autem pauperes fuerint istæ auiculæ, rectè tamen eas beatificat Origenes: Aues istas, inquit, ego beatas puto, quæ pro ortu Domini oblatæ sunt: & cùm asinam Balaam miror, & felicitate accumulo, quia digna fuerit non solùm videre angelũ Dei, sed etiam ore reserato in humanũ sermonem erumpere: sic multò ampliùs has volucres prædico, easq; extollo, quòd pro Domino nostro & saluatore oblatæ sunt. Vbi etiam obseruandum est, non quid, aut quantum in opus pietatis detur, considerandum esse; sed ex qua facultate, & quo animo, iuxta illud Tobiæ: Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Quod nunc ipse Rex regum facit, qui pauper nostra causa factus, pauperem victimam offerre non erubescit.

33 NOtandum item cum Theophilacto, quare mulier post partum masculi septem diebus, post partum autem fœminæ duabus hebdomadibus immunda esse debuerit: & cur adeò plurium dierum post generationem masculi, quàm fœminæ purificatione opus habuerit? Mulier, inquit scriptura, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus, iuxta dies separationis menstrui sui: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Sin autem fœminam peperit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Non aliam ob causam, nisi quòd cùm pareret masculum, alterum Adam in mundum inducere, cùm autem fœminam, Euam alteram procreare videretur, putridum, infirmum, fictile, & quod facile frangi & conteri posit vas, fraudis & fallaciæ adminiculum, atque ducem inobedientiæ.

NOtandum, Constituisse Deum in populo hebræo ciuitatem vnam insignem ac nobilem, regiam simul & sacerdotalem, in eaque templum, in quo nomen eius inuocaretur, quò sacerdotes, quò populus tantus ter in anno venire tenebatur; vt inde legem & doctrinam, inde ceræmonias, inde rationem veri cultus Dei, mores item & instituta acciperent; ne necesse haberent singulorum hominum sententias sequi, ritus pro libitu & sensu suo quemque instituere & comminisci, in varias sectas & hæreses discerpi, omniq́ue vento doctrinæ circumferri: sed vno corde, vna mente, vno sensu & ore omnia administrare. Quod hæreses seculi huius non vident, nullumq́ue communem ac vniuersalem vel pastorem, vel vrbem, vel ritus, vel cultus habere volunt: ideò errant & alios in errorem inducunt. Quantas turbas dedit Lutherus singulari suo sensu, quantas item Caluinus & alij, videmus, & cum summa iactura rei christianæ experimur. In eam igitur vrbem & Christus Dominus venire, ibiq́ue statui, & dona sua offerre voluit.

NOtandum, cecinisse angelos gloriam esse in excelsis Deo, & in terra pacem hominibus, non quibusuis, sed bonæ voluntatis. Probat nunc hoc idem exemplum Simeonis, qui meretur Christum authorem pacis videre, brachijs amplecti. Cur ita? quia erat homo bonæ voluntatis, redemptionemq́ue Isräel expectabat: nec sibi tantùm, nec Isräeli, sed omnibus gentibus. Notanda item est hoc loco illa perpetua sacræ scripturæ regula, in qua post humilitatem sequitur exaltatio. Humiliauerat semetipsum Dominus, sanctus mundari voluit, legislator legi subijci, Dominus vniuersorum humilibus auiculis redimi: at idem magnificè nunc exaltatur, dum salutare Dei in conspectu omnium gentium positum prædicatur, lumen ad reuelationem gentium, & gloria plebis Isräelis. Obseruandum autem est, omnem ætatem & vtrumque sexum, euentorumq́ue miracula, fidem adstruere debuisse. Virgo generat, inquit Ambrosius, sterilis parit, mutus loquitur, Elisabeth prophetat, magus adorat, vtero clausus exultat, vidua confitetur, iustus expectat. Docebat enim, addit V. Beda, omnium saluatorem, sicut venturum in carne omnium toto seculi tempore fidelium, facto vel dicto præsignari; ita etiam venientem communi omnium laude prædicari, impleta prophetia, quæ dicit: Laudate Dominum de cælis, &c. vsque quò ait, Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super cælum & terram. 34

NOtandum, quis Christum Dominum aut videre, aut brachijs gestare meretur: Nempe ille, primùm qui Hierosolymis sit, hoc est, in Ecclesia Dei, ciuitate sancta, qui hæreticorum errores & scissuras fugit, qui pacis visionem amat. Deinde vt sit iustus & timoratus: iustus quidem quoad Deum, & quoad homines: timoratus tamen, hoc est qui in iustitijs suis non confidat, cum Domino Deo solicitè ambulet, omnia opera sua metuat, in timore & tremore operetur salutem. Iustus autem dixit & timoratus, quia difficilè iustitia sine timore custoditur. Non illum dico timorem, qui sub lege pietatis temporalia bona sibi subtrahi perhorrescit, quem perfecta dilectio foras mittere consueuit: sed timorem sanctum, qui permanet in seculum seculi, quo iustus Deum suum quantò ardentiùs diligit, tantò solertiùs offendere cauet. Tertiò, vt habeat bona 35

beat bona desideria, quod iam diximus, non propter se tantùm; sed propter alios etiã, vniuersamq; ecclesiam. Expectabat, inquit, consolationem Israël. Vltimò, vt Spiritus sanctus ducat & regat illum, quomodo nunc Simeon adducitur, postquam acceperat promissionem à Spiritu sancto, non priùs se visurum mortem, quàm videret Christum Domini.

37 NOtandum, cum V. Beda, quid sit videre mortem. Quomodo videtur, inquit, quibusúe oculis, quæ veniendo ipsos oculos claudit, ne aliquid videant? Sed videre, mortem experiri significat: multumque felix mortem videbit carnis, quicunque Christum Domini priùs oculis cordis videre satagerit, conuersationem habendo in cælesti Ierusalem, templi Dei limina frequentando, hoc est, pia sanctorum, in quibus Dominus inhabitat, exempla sectando, suspirando cum Psalmista, Vnam petij à Domino hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini. Sic enim & ipse verbum Dei in manibus accipere, & fidei charitatisque suæ brachijs merebitur amplecti. Quòd autem ait: Et venit in Spiritu in templum, significat, eum eadem Spiritus gratia, qua olim venturum præcognouerat, etiam nunc venientem, & iam iamq; à se videndũ cognouisse saluatorem.

38 NOtandum, cùm dicit, Vt facerent, id est, offerrent, id scilicet quod lex iubebat, par turturum, aut duos pullos columbarum. Vnde colligitur, verbum faciendi pro offerendo sumi. Quod etiam in Leuitico legimus: Iste est sermo, Leuit. 9. ait Moyses, quem præcepit Dominus: Facite, & apparebit vobis gloria Domini. Et paulò pòst ipse Dominus ad Moysen, vbi ait de mundatione viri, qui fluxum seminis pateretur, Leuit. 15. Die octauo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ, & veniet in conspectum Domini, ad ostium tabernaculi testimonij, dabitque eos sacerdoti, qui faciet (id est offerret) vnum pro peccato, & alterum in holocaustum. Indeque colligunt, Christi verborum in vltima cæna eundem sensum fuisse, cùm dicit: Hoc facite in meam commemorationem: id est, non tantùm manducate & bibite, sed etiam offerte. Quod nunc itidem impugnat hæresis.

LAVS DEO OPT. MAX.

DE LAVDIBVS STANISLAI SOCOLOVII, STEPHANI REGIS POLONORVM, quondam Theologi, viri integerrimi, & eloquentissimi,

ANDREAE SCHONAEI, PVBLICI IN ACADEMIA CRACOVIENSI, PHILOSOPHIAE PROFESSORIS.

ODE PRIMA.

Octonarius I.

Canora fide callidus
Ventos, fluuiosq; concitos morari Orpheus, sua dum silentes,
Vxor inanima,
Ad animas Erebi profundi
Descenderat; arte dulci,
Solatus amicæ
Coniugis occasum lachrymosum;

Octonarius II.

Et ipse Orci adiit domos
Furuas leuibusq; mistus vmbris,
Sumit plectra, lyræq; cantu
Tartara inamæna, simulacraq; luce cassa,
Demulcet, agitq; victor;
Charam Euridicen, vt
Trux sineret Fatum remeare.

Octonarins III.

Redit, proximaq; illa terris occipit albicans tueri
Lumen: sed malè cauti amoris
Peccat oculus.
Itaque nox redit atra, vanam
Prensatq; maritus vmbram.
Nolunt fera fata ignoscere, bis legesq; refigere.

Octonarius IIII.

Eam sæpè poposceram
Grandem Cytharam ferire plectro;
Postquàm morte obita occidit, nostri
Orbis oculus,
Socolouius, qua ego, plenius almis
Spebus, supera aggredi ausus,
Cælis ab amænis
Magnam animam in terras reuocassem.

Octonarius V.

Sed haud profuit optio,
Grandiq; dolore Musa onusta,
In luctu, tenebrisq; mœstis
Obticuerat,
Quasi simul tumulo reposta.
Nam si iubar aureum Phœbi, diripias polis, reliquis nox ignibus instat.

Octonarius VI.

Repens, nec tacitùm rubet
Luna, exhilarans vagos viatorum cursus: ita cum Patrone
Haud mihi tuum aspicere fas iubar ampliùs, caligo caput atra condit,
Etsi qua fuit lux,
Occidit, inq; euanuit vmbras.

Octonarius VII.

Vel ergò Trace de Orpheo
Est fabula: vel meum acriùs cor

SocolouI amor vrit, atque
Orphea thori
Socia; namque vbi maior est præ-
sentis rei amor, si ea absit,
Mœrorq́; dolorq;
Tristior infestat cor amarum.

Octonarius VIII.

Sed ò Musa mea, erige
Te luctibus his malis, licèt sis
Deformidi illuuie, situq;
Obsita; leui-
ùs at enim, horridulè vocari
Turpem, obstupidamq́;, quàm si
Mens conscia iniqui,
Arguat ingratam, oraq́; turpi

Octonarius IX.

Pudore occupet: hoc enim
Immane scelus, creatq; alitq;
Pestes, monstraq́; abominanda:
Omniaq́; na-
ta benè suffocat, inficitq́;.
Hinc anxia opum cupido
Aucta obruitur re,
Parcit, & , vt sacris malè parto.

Octonarius X.

Clientum hinc mala gratia
Per sibila, per malasq́; fraudes
Altores violat, feroxq;
Cana capita
Pede premit tumido iuuentus.
Non est ita terra nequam,
Quæ credita reddit
Vbere fœtu: non ita sæui.

Octonarius XI.

Leones, Elephanti & a-
cres, non Iouis alites, citiq;
Delphines, rabidi aut molossi,
Quos leuis ofel-
la, benefactaq; perminuta
Vsq; ad graue demerentur
Imi obsequij iugum:
Inq; rogos ardentis heri insi-

Octonarius XII.

liunt, questibus aut nimis
Longis grauibusq; se trucidant.
Nam me vt vidit, amauit; atq;
Diuite penu
Diu aluit, merito haud meo vllo,
Impannem, inopem, horridumq́;,
Deduxit & ipse
Aonas in montes, Heliconaq́;

Octonarius XIII.

In vmbrosum: vbi fons sacer,
Quem Pegasus eruit pede acri,
Lauris obsitus & cupressis,
Melliflua aqua
Rigat, & exhilarat nouenas,
Doctis fidibus, sorores.
Posthac Sophiæ antra
Omnisciæ ostendit, Stagyræq́;

Octonarius XIV.

Vias irremeabiles:
Et Dædali facta multiformis
Naturæ super æthera, & infra
Iussit oculis
Liquidioribus intueri.
Quid plus faceret pater na-
to, quidue nepoti
Cascus auus? quo mutua reddam?

Octonarius XV.

Nec hanc dulcem animam tuis
Pro manibus, hostiæ instar atræ,
Si deuouero, par piumq́;
Reddidero ti-
bi; sed & haud meritis grauatim
Succumbo: tuus volo sem-
per debitor esse.
Intereà gratum accipe velle.

ODE SECVNDA.

Octonarius Primus.

Age ergò edite næniam
Mœstam, lacrymasq́; mittite atras,

Quicquid mundus habet profanæ
Artis, & ab æ-
there datæ sapientiæ almæ:
Paucis viget intus acris
Solertia mentis,
Cæca potens rerum penetrare.

Octonarius II.

Eam si tibi non dedit
Natura, grauem haud iuuat laborem
Vrgere, accubuumq; doctos
Voluere libros.
Perit agro sterili repostum
Granum, velut hiq; corui
Contra Iouis ali-
tem malè rauco gutture strident.

Octonarius III.

Et vt montibus arduis
Quercus, mage quo tremiscit Euro,
Ac sæuo Borea laborat,
Vndique minan-
tibus ei excidium proteruis
Ventis, mage fixa terris,
Stat vertice celso,
Latius augens agricolæ vmbram:

Octonarius IV.

Ita altus vigor ingenij
Ignescit & acriora sumit
Incrementa, graui ex labore,
Peruigilio-
que vigili, ardua quæque rerum
Immensaq; & inuia vlli
Vincens, peragransq;:
Supra hominem effulgens, hominē intra.

Octonarius V.

Licèt sint sola pinguia,
Fæcundaq; rura, si quiescant
Nec tauris validis, nec vnco
Vomere preman-
tur, inarata, situmq; passa;
Non fruge bona beabunt
Pigrum Dominum, sed
Cum tribulis lappas, loliumq;,

Octonarius VI.

Ferent, materiam foci.
DI namque labore cuncta
Progignunt, retinent, fouentq;,
Nec mala per o-
tia sinunt homines perire.
Sic fortis equus diu cùm
Stat clausus opaco
In stabulo, nutat pede claudo.

Octonarius VII.

Vtroque in stadio inclytus,
Socolouius ferebat vsq;
Victricem ante alios coronam.
Mens erat ei
Cata, sagax, & acuta, siue
Priscum foret extricandum
Sensu latebroso,
Seu noua procudenda peritè

Octonarius VIII.

Tenaci tamen vsq; cu-
ra continuò incubando chartis,
Discebat studio inquiete,
Tempora taci-
ta venienti adimens sopori,
Condens solidos diesq;:
Ac si foret ipsum
Viuere verum, discere scire,

Octonarius IX.

Et arte ingenua rudes
Formare; proindè nomen vsque,
Doctrina velut alite, altum
Extulerat æ-
thera, micans velut inter astra
Fulgentia luna pernox:
Sic iudicium acre
Indiderat natura Deusq;.

Octonarius X.

Ab ipsis iuuenilibus
Annis, sapiebat vsq; corde
Prudenti, nitidum decorum
Callidus vbi-

que

que retinere, neque vnquàm ineptum
Mordax leueq; aut proteruum
Crudo excidit ore.
Talia scripsit, talia gessit.

Octonarius XI.

Licèt grande sonans quoque
Dormitet Homerus; & diserti
Scriptores habeant suas labes vitiaq;,
Velut in egregio ore næuos;
Nil tale tamen notatum
Vnquàm in Socolouio.
Omnia sic mens cauta regebat.

Octonarius XII.

Si abest iudicium catum,
Desunt simul omnia, haud iuuatq;
Ars multa, ingenijq; virtus:
Quin magis erunt
Ea tibi exitio probroq;:
Et sola putamina obtinebis, nucleo absque:
Consilium cum re fugientq;.

Octonarius XIII.

Id vnum est sapientiæ
Lumen notaque; atq; regula omnis
Virtutis, sociæq; pacis
Forte retinaculum, animus hominum tot inter,
Et nescia corda flecti:
Dicens benè ius domi,
Armaq; portans laurea ab hoste.

Octonarius XIV.

O qua fama Academiæ
Iagello tuæ, vndique affluentem
Heroum sobolem expoliuit,
Arte varia,
Docuit atque diserta fari:
Et templa, scholas, Senatum,
Vnus vir abundè
Discipulis doctis cumulauit.

Octonarius XV.

O felix ter & ampliùs,
Cui contigit illud eloquens os
Sæpè audire, decusq; sermonum
Accipere mente cupida: enthea dum recludit
Decreta, Lechiq; Regem
Fortem, vrbicapum, Moscumq; Scythamq; audace domantem

Octonarius XVI.

Duello, eloquio regit
Mirè attonitum, iubetq; vitas
Culpasq; eluere, inque cælum
Euehit, vbi
Hilaritudine nunc perenni
Heroibus additus, completur. Sed & illum
Alma beat fortuna, polita

Octonarius XVII.

Et æuo æquiparanda cano, dignaq; Olympicis theatris,
Qui liber vacuusq; legit
Posthuma viri
Opera: spiritus ille diuus
Per singula verba spirat,
Viq; horto in amæno,
Dant hilarem patres ibi odorem.

Octonarius XVIII.

Malignam rabiem furentis prodidit Hæresis, latentes
Eiusq; exuuias retexit,
Vellera dolosa rapiens laceransq;, contuditq; effera rictibus diris ora lupi, qui
Vsque animas tot mittit ad Orcum.

Octonarius XIX.

Et vt, quem malus abstulit
Error, loca in auia, huc & illuc
Mentem diuidit anxiam, an vestigia retrò
Legat, an vrgeat inuio viam tramite, per iuga aspris

Horrentia saxis;
Per nemorumq; vmbras tenebrosas.

Octonarius XX.

Pudet retrogradi, timet
Procedere: tentat ergò transuer-
sè calcare viam, proculquè
Dissita celer
Loca petit, rogitans quò eundum.
Sic multibiba atque demens
Lutheria, palans,
Per loca inaccessa & malè tuta,

Octonarius XXI.

Adit Grauigenas remo-
tos, quærit iterq; rectum; at illi
Infesti licèt vsque Romæ,
Vera latij
Tamen eis digito fideli
Vestigia, tramitemq;
Monstrant, atauorum.
Illa pudore impleta, grauemq;

Octonarius XXII.

Popelli malè creduli,
Cui sublitum & os, timens furorem,
Infamesq; cruces & enses,
Roboraq; ; ma-
luit iter peragrare fallax,
Plebiq; ferum in Barathrum
Præpandere lumen
Quàm capitis felice periclo,

Octonarius XXIII.

Recantare venefica
Periuria Lutheri ebriaci,
Occultumq; aperire vulnus.
Interim at ea
Tacita dum silet, inq; peius
Vltro ruit, & perit: pa-
tescit, mala mens ac
Transfugium hoc peruulgat in orbem

Octonarius XXIV.

Disertus Socolouius,
Grandi opprobrio replens Tubingam.
I rursus pete Thraciæ oras,
I pete vel I-
aponidum aurea regna cernes
Ritusq; fidemq; Romæ:
Quæ cum tibi sordent,
Vltimum in orbem transtulit illa

Octonarius XXV.

Deus. Sed quid ego hæc moror?
Viuace feruntur ala vbiq;,
Et doctos oculos fatigant.
Vtq; Samius
Pythagoras, ab imagine altæ
Plantæ Herculis, arduam mo-
lem corporis inte-
gri reperit, scitè modulando:

Octonarius XXVI.

Ita hæc paucula, sat tibi
Magnum indicium datura, quantum
Doctrinæ columen decusq;
Socolouius
Fuit: ita vnica linea olim
Per Protogenis venustam
Deducta tabellam,
Prodidit, excutum manu Apellem.

ODE TERTIA.

Octonarius Primus.

O diua, aurea progeni-
es, deliciumq; dulce cæli,
Regina omnipatentis orbis,
Vnaquè salus
Hominibus miseris, leuamen
Præsensq; laborum & ærum-
narum: quæ superni
Imperij claues moderaris,

Octonarius II.

Recludens nitidas domos
Diuûm, immeritis mori, auro vbi vndiq;
Et gemmis varijs corruscant
Splendida pala-
tia, & amica quies voluptasq;

Immensa

Immensa viget, fremuntq;
Cantusq; choriq; ,
Gaudiaq; æternùm duplicantur.

Octonarius III.

Penes te omnia sunt bona,
Res, vita, salus, fides, amici,
Libertasq; decusq; verum,
Indiga nihil
Opis & ambigui fauoris
Stulto à populo, tibiipsi
Tu præmium honosq;
Regno Asiæ sublimior, illi-

Octonarius IIII.

quę defers diadema so-
li nobile viuidamq; laurum,
Qui Gazas Arabum irretorto
Spectat oculo,
Domat & acre cor impotentis
Iræ, vetitiq; flammas
Restinguit amoris.
Liber ab omni labe maligna.

Octonarius V.

Proinde vltima seruijt
Thule Latio, Remiq; pubes
Medis, Æthiopiq; fusco
Iura placida
Dedit: Et aspera Sparta bellis,
Muris, opibusq; cassa,
Regnauit Achæus,
Imperij Regina potentis.

Octonarius VI.

Nihil maius in orbe vir-
tute, aut simile extat, aut secundum,
Quam penna metuente solui
Fama agit, & vs-
que velut Hesperus occidentem
Solem comitatur, effertq;
Vltra Garamantas,
Antipodum & vestigia versa.

Octonarius VII.

Et vt nauigeri maris
Cautem validam irrita quatit vi
Decertans Boreæ Africus, stat
Fixa tamen il-
la tumidasq; repellit vndas,
Atque immania flabra
Differtq; domatque.
Mascula sic virtus, furibundi

Octonarius VIII.

Minaces oculos tyran-
ni, ludibriumq; turpe vulgi,
Nil formidat, amatq; pulcrum
Proijcere ma-
gis animam, tolerareq; acres
Bòïas, pedicas, numellas,
Neruòsq facesque;
Quàm solida de mente sinat se

Octonarius IX.

Moueri, iubeatq; ma-
la & posthabeat lucris honesta,
Infidis dominis adulans.
Simplicem animum
Gerit, amatq; , oculos serena
Os libera, fronte aperta,
Peiusq; veneno
Insidiosos odit amicos.

Octonarius X.

Apertis odijs furere,
Iræq; foras vibrare tela
Præstat, quàm simulare vultus,
Fronteq; hilari
Tegere corda inimica, sicut
Tectum mage sæuit vlcus
Contage maligna,
Quàm quod in extrema cute putret.

Octonarius XI.

Sed heu rara nimis viget
Virtus: ita rara quæque magna;
Vix vnum, atq; duos ferunt regna,
Atq; populi,
Solidæ & omnigenæ, qui alumni

Virtutis,

Virtutis, opes, honores,
Plaususq; sonantes,
Despiciant, in se teretes &

Octonarius XII.

Rotundi, super omnia
Humana, caput sacrum efferentes:
Qua te ergò celebrem lyra? quo
Carmine canam
Socoloui, æthereis caduco
In corpore par alumnis?
Non te leuis vssit
Ambitio, non gloria fastu

Octonarius XIII.

Repleuit, nec opum fames
Dulcem abstulit anxio quietem,
Nec liuor tua torsit acri
Viscera dolo-
re, tacitè populatus artus.
Non & penitis voluptas
Infixa medullis,
Castum animum tentauerat vnquàm.

Octonarius XIV.

Sed & candida, rectaq;
Mens, absque dolo, iuuare prompta,
Omnes consociârat arcto
Fœdere tibi,
Beneuolumqúe fauorem, & absque
Laudem inuidia parârat.
Mortalium abundè
Vota tot explens, tot Geniosqúe.

Octonarius XV.

Proinde assiduè, velut
Denso agmine, flos Lechi Nepotum,
Tot clari proceres terebant
Limina tua,
Vt oculos, sacriq; ora cerne-
rent, totq; animi venustas
Dotes imitati,
Exprimerent vita, ingenioqúe.

Octonarius XVI.

Proinde ignea sidera
Nunc sub pedibus vides, sacriq;
Succos Nectaris ore libas
Purpureo, & in
Dei inhians faciem, intueris
Mortalià cuncta, splende-
scens luce noua, inter
Indigetes, cæliqúe Quirites.



INDEX LOCVPLES
TOMI SECVNDI OPERVM
STANISLAI SOCOLOVII.

In quo prior numerus faciem, secundus notam significat.

A.

Antichristo

B.

C.

Index Secundi Tomi

Christi genus & humanitas.

Christus non

Christi corpus.

Christi vita.

Christi doctrina.

Christi imitatio.

Christi bonitas.

D.

Dei immensitas.

Dei bonitas.

Deus est diligendus.

Diaboli natura & locus.

Diaboli malitia.

Diaboli tentatio.

Diuitiarum

E.

F.

Fides

G.

H.

I.

D. Ioannis natiuitas & vita.

D. Ioannis laus.

D. Ioannis doctrina.

D. Ioannis mors.

Iudaicam

L.

Index Tomi Secundi

M.

Operum Socolouij.

vindictæ

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

V.

Viæ ad

Z.

FINIS.

Series Alphabeti.

(.) ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. Aa Bb Cc Dc Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Q q Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn Ooo Ppp Qqq Rrr Sſſ Ttt Vvv. Omnes ſunt terniones, præter (.) Sſſ Ttt qui ſunt duerniones.

CRACOVIÆ
IN ARCHITYPOGRAPHIA
REGIA ET ECCLESIASTICA
LAZARI. ANNO DOMINI
M. D. XCVIII.



